Dr. HERMANNUS ZSCHOKKE

HISTORIA SACRA

ANTIQUI TESTAMENTI

EDITIO SEXTA

VINDOBONAE ET LIPSIAE, GUILELMI BRAUMÜLLER

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/historiasacra0000unse

Dr. HERMANNUS ZSCHOKKE

HISTORIA SACRA ANTIQUI TESTAMENTI

EDITIO SEXTA

HISTORIA SACRA

ANTIQUI TESTAMENTI

QUAM CONCINNAVIT

DR. HERMANNUS ZSCHOKKE

CAPITULI ECCLESIAE METROPOLITANAE VINDOBONENSIS CUSTOS ET PRAELATUS MITRATUS, STUDII BIBLICI A. T. IN C. R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSOR EMERITUS, PROTONOTARIUS APOSTOLICUS A. I. P. ET DOMUS PONTIFICIAE PRAESUL ETC.

EDITIO SEXTA EMENDATA
ET INSTRUCTA OCTO DELINEATIONIBUS ET TABULA GEOGRAPHICA

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

BIBLIOTHECA CONV... WEST PARK, ILL. F. F. MINORUM

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
WITHDRAWN

VINDOBONAE ET LIPSIAE
SUMTIBUS GUILELMI BRAUMÜLLER
BIBLIOPOLAE C. R. AULAE ET UNIVERSITATIS
1910

Nihil obstat.
Vindobonae die 1. Februarii 1910.

Prof. Dr. **Joh. Döller,**
Censor.

Nr. 1351. Imprimatur.
Ex Curia Archiepiscopali Vindob. 3. Februarii 1910.

Dr. **G. Marschall,**
Vic. gen.

Beati, qui scrutantur testimonia Ejus, in toto corde exquirunt Eum. Ps. 118, 2.

Novum Testamentum in Veteri velabatur:
Vetus Testamentum in Novo revelatur.
AUGUSTINUS. Serm. 160 (al. 11) n. 6.

Officina typographica Friderici Jasper, Vindobonae.

221.9
Z92h

15291

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

BENEVOLO LECTORI.

In hac sexta Historiae sacrae Antiqui Testamenti editione excudenda dispositio materiae eadem mansit, quae in quinta editione erat. In singulis tamen nonnulla mutavi ea omittendo, quae jam antiquata vel minus necessaria mihi videbantur et supplendo ea, quae progressa interim studia biblica et praeprimis novissima opera et responsa Commissionis pontificiae in Re Biblica dilucidaverunt.

Scopum, quem primitus in concinnando opere mihi proposueram, etiam in nova hac ejusdem recensione ob oculos tenebam, puta scientificum compendium exarandi, quod Tironibus s. Theologiae, studio biblico A. T. vacantibus, inserviat, per notitias historicas et geographicas, ceteris fundamentales, per excursus archaeologicos et palaeontologicos, illas apprime illustrantes, per tractatus denique, quos communiter vocant isagogicos, eos inducens ad sanctuarium Bibliorum, haec ipsa ab insultibus profanis ceu palladium Religionis contutando, quam Deus in praeparativo stadio oeconomiae salutis revelavit.

E tam vasto campo disquisitionum, quae huc spectant, scitu potissime necessaria deligebam ac inter limites angustos, quam potui, arctabam, nonnulla paucis tantum verbis indigitavi, utpote viva magistri voce uberius exponenda, semper vero simul adsignabam subsidia, in hunc finem, ut Tirones non tantum ea cognoscant, sed et, qui ulteriora quaerant, ad ea recurrant. Tandem, ut singulae materiae, res et personae in hoc opere tractatae facilius inveniantur, in fine indicem alphabeticum personarum et rerum adjunxi.

Maximas ago gratias R. D. Msgr. Dri Joanni Döller, o. p. Professori studii biblici A. T. in c. r. Universitate Vindobonensi, qui in recognoscenda

hac editione me laudabiliter adjuvit. Tabulae synchronisticae a. o. p. Professore in eadem Universitate Dre Nivardo Schlögl O. C. correctae sunt.

In omnibus religiosa sollicitudine studebam, ut fideliter sequar sanctae Matris Ecclesiae doctrinam atque mentem. Quodsi nihilominus ab Ea uspiam deflexerim, hisce cassatum volo cum Doctore Hipponensi de ss. Literis anhelans, *ne fallar in eis, nec fallam ex eis!*

Faveat Deus Ter Optimus opitulante sua gratia libello huic, ut studiosis Theologiae spiritualem utilitatem ac progressui studii biblici vel tantillum incrementi ferat.

Vindobonae, mense Februarii 1910.

Auctor.

INDEX.

Prolegomena.

Pagina

§. 1. Notio, ambitus et character historiae sacrae 1
§. 2. Fontes historiae sacrae:
A. Primi ordinis 3
B. Secundi ordinis 4
§. 3. Subsidia historiae sacrae:
A. Historia biblica 6
B. Introductio in sacram Scripturam 9
C. Exegesis in sacram Scripturam 12
D. Archaeologia biblica 16
E. Chronologia biblica 17
F. Geographia biblica 18
§. 4. Dispositio 19

Periodus prior.

A creatione mundi usque ad vocationem Abrahae.

Sectio prima.

A creatione mundi usque ad lapsum Protoparentum.

Status naturae innocentis.

§. 1. Creatio mundi 21
§. 2. Protoparentes — status naturae innocentis 28

Sectio secunda.

A lapsu Protoparentum usque ad diluvium.

Peccati origo et evolutio.

§. 3. Lapsus et poena Protoparentum 34
§. 4. Cain et Abel 39
§. 5. Patriarchae antediluviani. — Evolutio peccati 41

Pagina

Sectio tertia.

A diluvio usque ad vocationem Abrahae.

Incrementum malitiae, praecepta noachica.

§. 6. Diluvium 43
§. 7. Noë et filii ejus 46
§. 8. Dispersio gentium 48

Periodus altera.

A vocatione Abrahae usque ad Christum Jesum.

§. 9. Prospectus 53

Sectio prima.

A vocatione Abrahae usque ad Moysen.

§. 10. Aevum patriarchale 54
§. 11. Abraham 55
§. 12. Isaac 62
§. 13. Jacob 64
§. 14. Joseph 66
§. 15. Cultura Patriarcharum 70

Sectio secunda.

A Moyse usque ad exilium babylonicum.

Articulus primus.

A Moyse usque ad Josuam.

§. 16. Prospectus 72
§. 17. Aegyptus 72
§. 18. Hebraei in Aegypto 77
§. 19. Moyses liberator Hebraeorum 80
§. 20. Iter Israelitarum per desertum usque ad Sinai 85
§. 21. Legislatio sinaitica 91
§. 22. Theocratia 93

Leges ceremoniales.

§. 23. Locus sacer 99
§. 24 Personae sacrae 106
§. 25. Festa sacra 112

Res et actiones sacrae.

§. 26. Sacrificia 117
§. 27. Leges munditiei 127
§. 28. Reliquae actiones sacrae 130

Leges judiciales.

§. 29. Instituta politica et civilia 132
§. 30. Convictus domesticus 136

Pagina
§. 31. Commoratio in deserto 140
§. 32. Occupatio regionis transjordanensis 142
§. 33. Pentateuchus 145

Articulus secundus.

A Josua usque ad exilium babylonicum.

Caput primum.

A Josua usque ad Samuelem.

§. 34. Chanaan 157
§. 35. Josue occupat et dividit terram Chanaan 163
§. 36. Liber Josue 167
§. 37. Cultus idolorum 169
§. 38. Aetas Judicum 174
§. 39. Liber Judicum 181
§. 40. Liber Ruth 182

Caput secundum.

A Samuele usque ad schisma.

§. 41. Samuel et Saul rex 184
§. 42. Saul et David 187
§. 43. David rex 190
§. 44. Salomon rex 196
§. 45. Templum Salomonis 198
§. 46. Poësis sacra 202
§. 47. Psalterium 206
§. 48. Liber Proverbiorum 213
§. 49. Ecclesiastes 217
§. 50. Canticum canticorum 220
§. 51. Liber Job 224

Caput tertium.

A schismate usque ad exilium.

§. 52. Prospectus 229
§. 53. Schisma usque ad interitum regni Israel 232
§. 54. Regnum Juda usque ad excidium suum 237
§. 55. Prospectus utriusque regni 239
§. 56. Exilium assyriacum 241
§. 57. Liber Tobiae 242
§. 58. De Prophetismo 245
§. 59. Elias et Eliseus prophetae 255

Prophetae ante exilium.

A. Usque ad excidium regni Israel.

§. 60. 1) Osee 257
§. 61. 2) Joel 258
§. 62. 3) Amos 259

Pagina

§. 63. 4) Abdias 260
§. 64. 5) Jonas 261
§. 65. Isaias 263
§. 66. 6) Michaeas 270

B. Ab excidio regni Israel usque ad exilium babylonicum.

§. 67. 7) Nahum 271
§. 68. 8) Habacuc 272
§. 69. 9) Sophonias 273
§. 70. Jeremias 274
§. 71. Lamentationes 277
§. 72. Libri Samuel 279

Sectio tertia.

Ab exilio usque ad Christum Jesum.

Articulus primus.

Ab exilio babylonico usque ad reditum de exilio.

§. 73. Exilium babylonicum 282

Prophetae exilii.

§. 74. Baruch 284
§. 75. Ezechiel 287
§. 76. Daniel 289
§. 77. Liber Judith 297
§. 78. Libri Regum 299

Articulus secundus.

A reditu de exilio usque ad Christum Jesum.

§. 79. Reditus Judaeorum de exilio 302
§. 80. Palaestina post exilium 305
§. 81. Jerusalem post exilium 307
§. 82. Templum secundum 308
§. 83. Libri Paralipomenon (Chronicorum) 311
§. 84. Libri Esrae et Nehemiae 314
§. 85. Liber Esther 315

Prophetae post exilium.

§. 86. 10) Aggaeus 319
§. 87. 11) Zacharias 320
§. 88. 12) Malachias 322
§. 89. Politicus et religiosus status Judaeorum post exilium 324
§. 90. Ulterior evolutio quarumdam veritatum religionis 326
§. 91. Judaei sub monarchia graeca 336
§. 92. Machabaei 338
§. 93. Herodiani (Monarchia romana) 340
§. 94. Coloniae Judaeorum 342
§. 95. Libri Machabaeorum 345

Pagina
§. 96. Liber Sapientiae 348
§. 97. Liber Ecclesiasticus 351
§. 98. Origo sectarum judaicarum 355
§. 99. Pharisaei 355
§. 100. Sadducaei 357
§. 101. Esseni. — Therapeutae 358
§. 102. Ultima fata Judaeorum 361
Appendix Tabulae synchronisticae historiae sacrae at profanae usque ad Christum natum 366

Epimetron.

Synoptica historia Librorum ss. A. T.

Sectio prima.

Historia Canonis Librorum sacrorum A. T.

§. 103. Inspiratio Librorum ss. A. T. 374
§. 104. Canon s. Scripturae A. T. 380
§. 105. *A.* Canon Judaeorum 382
§. 106. *B.* Canon Ecclesiae 385
§ 107. Denominatio et divisio sacrae Scripturae A. T. 394
§. 108. Libri apocryphi 396

Sectio secunda.

Historia integritatis et conservationis textus Librorum ss. A. T.

§. 109. Integritas textus 402
§. 110. Fata textus Librorum sacrorum 404
§. 111. Pentateuchus Samaritanus 407
§. 112. Codices hebraici et graeci:
A. Codices hebraici manuscripti et impressi 410
B. Codices graeci manuscripti et impressi 412
§. 113. Divisio textus 413

Sectio tertia.

Historia propagationis Librorum ss. in Versionibus.

§. 114. Versiones 415
A. Versiones graecae.
§. 115. *a)* Versio Alexandrina 415
§. 116. *b)* Aliae versiones graecae 424
§. 117. *B.* Paraphrases chaldaicae (Targumim) 426
§. 118. *C.* Versio samaritana 428
§. 119. *D.* Versiones syriacae 429
§. 120. *E.* Versiones latinae. *a)* Versio latina Itala 431
§. 121. *b)* Versio latina Vulgata 435
§. 122. *F.* Versiones arabicae et persicae 443
§. 123. Biblia Polyglotta 444

Pagina
§. 124. *G.* Reliquae versiones antiquae 446
§. 125. *H.* Versiones in linguis vulgaribus:
a) Versiones anglicae, gallicae, italicae 448
§. 126. *b)* Versiones hispanicae, belgicae, polonicae, hungaricae 450
§. 127. *c)* Versiones germanicae 452
§. 128. De lectione sacrae Scripturae in linguis vernaculis 453

Delineationes.

Delineatio itineris Israelitarum par desertum 87
Delineatio montani Sinai 92
Quinque delineationes tentorii sacri . . . . . 100 et 101
Delineatio templi Salomonici in calce libri.
Tabula geographiaa Palaestinae in calce libri.

Prolegomena.

Ut lectori praevium offeramus totius operis conspectum justamque commonstremus indolem, in limine ejusdem licebit historiae sacrae describere notionem, ambitum et characterem, indicare fontes et subsidia atque evolvere dispositionem.

§. 1. Notio, ambitus et character historiae sacrae.

1) Historia in genere est pragmatica enarratio factorum; historia sacra igitur erit pragmatica enarratio factorum sacrorum, i. e. Dei circa salutem generis humani consiliorum (Eph. 1, 11) opere completorum, seu brevi: enarratio divinae oeconomiae salutis. Notio ergo historiae sacrae latius patet, quam historiae revelationis divinae; nam historia sacra non tantum, quae sunt positivae divinae revelationis, proponit, sed etiam alios eventus attingit, quos e professo perlustrare, historiae profanae[1]) est, qui tamen cum divina oeconomia salutis arcto aliquo nexu cohaerent, hujusce evolutionem promovebant, aut impedire conabantur. Praeterea objectum historiae sacrae non potest censeri Deus in se, qui, utpote immutabilis, nullum dat evolutioni, nec proinde ullum hujus expositioni locum.

1) In historia sacra Deus plurimum directe, immediate, positive operatur, in profana autem magis indirecte, mediate, negative. Sine Dei voluntate aut permissione nihil fit sub sole; praeterea utrique historiae nonnullae res sunt communes, uti: theatrum rerum gerendarum (terra) et subjectum (homines). Juxta dispositionem divinam historia sacra suppeditat fermentum spirituale historiae profanae, cujus esset, fructus evolutionis suae naturalis in utiliatem et progressum divinae oeconomiae salutis impendere. Historia profana, si consiliis divinis adversatur, ea retardare quidem, non autem irritare potest.

2) Pro tali notione historia sacra sponte dispesceretur in tres partes, quatenus nempe exponit peracta Dei consilia in triplici hominis statu: naturae justitiae originalis vel innocentis, naturae lapsae (per Christum reparandae) et naturae reparatae. Cum autem e statu naturae innocentis pauciora exstent facta, quam quae relate ad partes naturae lapsae et reparatae sufficerent constituendo tractatui his proportionato, licebit statum naturae in-

nocentis simul cum statu naturae lapsae pertractare. Unde, Christo pro centro totius historiae sacrae assumto — adventus Christi incarnati ab Apostolo (Gal. 4, 4) *plenitudo temporis* nominatur — historia sacra in duas partes majores dilabitur, quarum prior characterem habens paedagogicum (propaedeuticum) — *finis enim legis Christus* (Rom. 10, 4) et *Lex paedagogus noster fuit* εἰς Χριστόν (Gal. 3, 24) — est Foedus Legis seu Antiquum Testamentum[1]), altera vero, gaudens charactere evangelico, est Foedus gratiae seu Novum Testamentum. Revelatio utriusque Testamenti unam tantum divinam oeconomiam salutis constituit, cum hoc discrimine, quod Antiquum continet promissiones et praeparationes salutis, Novum vero adimpletionem promissionum et salutem ipsam[2]). Hanc mutuam utriusque Testamenti relationem egregie notavit s. Augustinus, docens, Novum in Vetere latere ac Vetus per Novum patere (Quaest. in Ex. 73), et Vetus esse promissionem figuratam, Novum promissionem spiritualiter intellectam (Serm. 4. cp. 8).

1) Vocatur historia antiqui Testamenti, quia revelatio divina populo electo facta est sub forma Foederis vel Testamenti inter Deum et illum pacti. Continet ergo historia sacra Antiqui Testamenti facta oeconomiae divinae, quibus salus mundo praebarabatur, a creatione mundi usque ad Messiae adventum. Historia populi electi seu Israel objectum quidem principale, non autem unicum, sed potior tantum pars historiae sacrae est. Vetus Testamentum (2. Cor. 3, 14) a. s. Paulo etiam primum et Novum vocatur secundum (Heb. 8, 7; 9 15 col. Jer. 31, 31, 32). Prius veteravit (Heb. 8, 13) alterum est aeternum (Heb. 13, 20).

2) Historia salutis in Novo Testamento allatae dividitur in historiam fundationis salutis per Messiam, a Christo nato usque ad ejus ascensionem in coelum pertingentem, et historiam applicationis ejusdem salutis universo generi humano per Spiritum sanctum, a fundatione Ecclesiae usque ad finem saeculorum, quae est objectum historiae ecclesiasticae. Cum autem in salute praeparanda Deus Pater, in salute fundanda Deus Filius et in salute applicanda Spiritus sanctus principaliter et praevalenter operentur, in hoc triplici salutis praeparatae, fundatae et applicatae stadio opus ss. Trinitatis expressum conspicimus. Postquam Christus in die novissimo munere suo perfunctus fuerit, tradet regnum Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus (1. Cor. 15, 23—28).

3) Historia sacra, quae duplicem operationem, divinam (gratiae) et humanam (libertatis) supponit, prae historia profana quibusdam insignita est characteribus, et quidem: *a)* Theophaniis i. e. transeuntibus apparitionibus Dei in forma humana ex re et tempore assumta, quae incarnationem (ἐνσάρκωσις) Filii Dei praefigurabant in eaque summam attigerunt perfectionem. *b)* Miraculis, sine quibus operatio divinae oeconomiae salutis cogitari nequit. *c)* Vaticiniis, quae in germine futura continent, finem legis (Messiam et salutem) populo ante oculos ponunt et succesive una cum historia evolvuntur, ideoque sunt instar redemptionis anticipatae; nam Christus est Agnus ab origine mundi occisus (Apoc. 13, 8). Et *d)* Typis i. e. symbolis propheticis tamquam umbra veritatis, vel personis, rebus et factis, quibus Christus, ejusque fata et facta (ἀντίτυπος) adumbrantur, praefigurantur et quasi praecognoscuntur ad nostram institutionem et correptionem (1. Cor. 10, 6, 11). — H. Weiß, d. messian. Vorbilder im A. T. Freib. 1905.

§. 2. Fontes historiae sacrae.

A) Primi ordinis.

1) Inter fontes historiae sacrae A. T. primum locum tenent Libri sacri Antiqui et Novi Testamenti, qui simul, quia sunt inspirati, hujus historiae sacrae partem integrantem constituunt, ideoque omnia, quae ad Libros istos singulos clare cognoscendos et illustrandos sunt necessaria, seu quaestiones isagogicae ad ambitum historiae sacrae pertinent. Quia autem etiam complexus seu canon omnium istorum Librorum ss. pro re nostra est maximi momenti, ideo de hac collectione enucleatius in speciali tractatu erat disserendum, quem, ut justa ratione fiat, in appendice posui.

Quod attinet scribendi rationem auctorum sacrorum vel Historiographiam sacram, haec pro scopo suo speciali, describendi scilicet divinam oeconomiam salutis, differt a scriptione profana; nititur enim fundamento et principio sic dicto theocratico, quod dirigebat et pervadebat tum materiam tum formam Librorum sacrorum.

a) Ratione habita materiae illa tantum facta, eventus et personae recensentur, quae evolutionem divinae oeconomiae aut promovebant, aut ei adversabantur, praeprimis autem revelationes divinae in opere (miracula) et verbo (vaticinia) — Pragmatismus religiosus; reliqui eventus, qui ad hunc finem non tendunt, evolutiones naturales, scientiae profanae, artes et hujusmodi, atque historia gentium aut silentio premuntur, aut eatenus tantum attinguntur, quatenus cum scopo supra dicto cohaerent.

Exinde explicatur disparitas apparens in objecto historico horum Librorum tractando; nonnullae enim res, quae in evolutione salutis divinae gravis sunt ponderis, prolixe et enucleatius, aliae rursus, quae sunt minoris momenti, compendiose describuntur; altera vero ex parte magna congruentia Librorum historicorum tum quoad scopum, tum quoad describendi rationem observatur, nec non eorum mutuus nexus, quae circumstantiae nonnullos movebant, ut redactionem communem Librorum ss. recentiori aetati tribuerent. Hac ex causa plerumque persona auctoris plane disparet et multi Libri anonymi conservati sunt, quoniam magnalia Dei publica per se jam veritatem et fidem historicam testantur. Quia Scriptura s. habet finem religiosum, in ea quaerendae non sunt institutiones geologiae, astronomiae, chronologiae aliarumque scientiarum profanarum; attamen objecta, quae ad has pertinent scientias, in Bibliis obiter tanguntur.

b) Respectu formae tanquam proprietates historiographiae sacrae sunt notandae: ratio vulgaris[1]) scribendi simplex et naturalis, rursum verbosa et copiosa, quae repetitiones haud paucas admittit, et defectus nexus eventuum formalis. Relate ad historiographiam aliorum populorum res in Libris ss. describuntur objective, non subjective, ita ut narrata non e scriptoris judicio vel approbante vel reprobante, sed ex factis ipsis eorumque sequelis tantum dijudicentur.

1) Vulgari sermone scriptor sacer ea secutus est, quae sensibiliter apparent (Thom. sum. I. q. 70. a. 1 ad 3) seu, quae Deus ipse homines alloquens ad eorum captum significavit humano more. Confer Leo. P. P. XIII. Encycl. de stud. Script. s.

2) Traditio ecclesiastica, praecipue Opera sanctorum Patrum, Doctorum et Scriptorum Ecclesiae, quae infra recensentur.

B) Secundi ordinis.

1) Opera scriptorum Judaeorum: Josephi Flavii et Philonis. Josephus Flavius, filius sacerdotis judaei. Hierosolymis anno 37. p. Ch. natus et sectae Pharisaeorum addictus erat. Cum occasione belli judaici contra Romanos captivus abductus esset, Flavio Vespasiano futuram ejusdem gloriam praenuntiavit, quare libertate donatus est et cognomen Flavii assumpsit. Opera[1]) ejus graece scripta plurimis in locis fidem merentur. Philo, pariter e genere sacerdotali Alexandriae circa 20. ante Ch. natus, Platonicae philosophiae adhaesit atque in operibus[2]) suis s. Scripturam plerumque allegorice est interpretatus. Cf. P. Heinisch, Der Einfluß Philos auf die älteste christl. Exegese, Münster 1908.

1) Ἀρχαιολογία Ἰουδαϊκή (Antiquitates judaicae) in 20 libris continet historiam populi judaici a creatione usque ad Neronem. — Bellum judaicum in 7 libris usque ad excidium civitatis judaicae. — Libri duo contra Apionem, id est apologia sui populi contra alexandrinum grammaticum Apionem. Opera ed. ab Havercamp, Amst. 1726, a Richter, Lips. 1826, a Dindorf, Par. 1847, a Bekker 1855 s., denuo a Naber 1888 ss., a Niese 1887 ss. Jüdische Altertümer v. Kaulen (2. ed.) 1883. — Geschichte des jüdischen Krieges von Clementz, Halle 1900, und von Dr. Philipp Kohout, Linz 1901.

2) Opera ejus (de Pentateucho, historica et politica) edita sunt a Thom. Mangey, Lond. 1742. 2 Vol., Pfeifer Erl. 1785. 5 Tom. Richter, Lips. 1828 et 1851. 8 Tom. De Philone ejusque scriptis confer Schürer, Gesch. d. jüd. Volkes, 1886, p. 831 sq.

1) Libri apocryphi, qui infra accurate recensentur.

3) Talmud et scripta Rabbinorum. Rabbini jactitant, Moysen in monte Sinai praeter legem tabulis inscriptam etiam aliam legem oralem accepisse, quae per traditionem propagata, variis explicationibus oralibus, praeprimis R. Akiba, sensim aucta et tandem a Rabbi Juda Haccadosch Tiberiade circa annum 220 p. Ch. redacta fuerit in librum, nomine Mischna i. e repetitio legis, vel deuteronomium. Quia vero textus legis vel Mischna multis in locis erat obscurus, sensim novae explicationes et definitiones accrescebant, quae tandem saeculo quarto a Rabbi Jochanam Hierosolymitano collectae sunt quasi commentarii Mischnae, sub nomine Gemara (perfectio vel explicatio legis), quae cum Mischna Talmud[1]) hierosolymitanum (Talmud Jeruschalmi) constituit. Studium hoc textus legis magis adhuc in academiis judaicis in Babylonia florentibus excolebatur, praeprimis per R. Asche († 498), qui traditiones illas redigebat, donec a collegio magistrorum academiae Pumbadithae celeberrimae, auctoribus praeprimis R. Jose († 503) et Abina, absolverentur nomine Gemara babylonica, quae cum immutato textu seu Mischna Talmud babylonicum constituit, et maxima apud Judaeos fruitur auctoritate, imo ipsi Legi scriptae praefertur.

1) Talmund תַּלְמוּד i. e. doctrina, vel corpus juris judaici dividitur in sex Sedarim i. e. ordines: Seraim (seminum), Moed (festi), Naschim (uxorum), Nesikim (damnorum) Kodaschim (sanctificationum) et Teharoth (purgationum). Quivis ordo in plures (63) Massichthoth i. e. tractatus, hi rursus in (524) Perakim (capitula) et haec tandem in (4187) Mischnajoth

(decreta) subdividuntur. Mischna scripta est in lingua hebraica chaldaizante, Gemara vero in lingua magis chaldaica, quam hebraica, utraque in forma catechetica. Elementa Taldmudica sunt: Halachah i. e. norma vel traditio, fixa praeprimis per Thannaim (repetitores), quae praevalet in Mischna, Haggadah, pars non legalis, traditiones, fabulae et commenta Rabbinorum, praevalens in Gemara, et Kabbalah, doctrina arcana, quae artificio quodam mathematico sensu literali omnino rejecto ex Scripturis eruitur. Cf. Ginsburg, The Kabbalah, Lond. 1865, E. Bischoff, Kabbalah, 1903. Talmud praeterea rebus multis ridiculis, absurdis christianum animum offendentibus (tract. Aboda sora) scatet, de quibus confer J. A. Eisenmenger, Entdecktes Judentum. Königsb. 1700. Neuestes zeitgemäß überarbeitet und herausgegeben von F. H. Schieferle, Berlin 1892/93. C. Pawlikowski, Talmud in der Theorie und Praxis. Rgsb. 1866; A. Rohling, Der Talmudjude. Münster 1872. H. Strack, Einleitung in den Tamud, Lpg. 1908⁴. Mischna saepius edita fuit, cum versione, notis et commentariis illustrata a G. Surenhusio Amst. 1698—1703 in 6 Foliis. Germanica versio Mischnae cum notis elaborata est a J. Rabe, Onolzbach 1760—62 in 6 Partibus. Editio optima et incorrupta Talmudis babylonici procurata est a Bombergio, Venetiis 1520 in 12 Foliis. Monumenta Judaica II. Monumenta Talmudica v. Wünsche, Neumann, Funk. Wien und Leipzig. 1906 sq. Aicher, Das A. T. in d. Mischna 1906. — Accedunt Megillath Taanith i. e. liber jejuniorum, seculo II. p. Ch. aramaice conceptus, Seder Olam i. e. explicatio historiae biblicae ab Adamo usque ad Alexandrum M., probabiliter a. R. Jose Ben Chalefta (circa 160 p. Ch.) scripta; Jad Hachasaka Maimonidis (1139—1208), in quo varias explicationes, definitiones, decreta et statuta, praeprimis rectorum academiarum babylonicarum (Geonim) congessit. Hoc opus correxit et auxit R. Jacob Ben Ascher Toletanus seculo XIV. in suo opere Arbaa Turim (4 ordines), quod multas explicationes ad tractatus talmudicos et corpus juris canonici a Judaeis recentioribus observandi continet. Operis hujus tertia pars, Eben Haëser leges matrimoniales amplectitur, et tandem codex Schulchan Aruch, a R. Jos. Karo saeculo XVI. editus, cujus auctoritatem legalem Judaei agnoscunt. Novissime editus a Dr. J. Deckert.

4) Scriptores profani gentiles, quorum opera magnam partem fragmentarie tantum ad nos pervenerunt; uti: *a)* Manetho, sacerdos heliopolitanus in Aegypto, qui seculo III. ante Ch. inspectis templorum archivis historiam dynastiarum aegyptiacarum usque ad Alexandrum M. scripsit[1]); *b)* Sanchuniathon, scriptor phoenicius, vel rectius Philo Byblius[2]); *c)* Berosus, sacerdos babylonius, qui circa 270 a. Ch. scripsit Βαβυλωνικά[3]); *d)* Abydenus chaldaicus: *e)* Ktesias, medicus graecus, qui edidit Περσικά[4]); tandem scriptores graeci[5]) et latini[6]), qui tamen caute sunt adhibendi.

1) Fragmenta exstant apud Josephum Flavium (c. Apion.) et Eusebium (chronicon).

2) Fragmenta apud Eusebium (praep. evang.) edita a J. Orellio, Lips. 1826.

3) Fragmenta historiae Chaldaeorum apud Josephum et Eusebium, edita a Richter, Lips. 1825.

4) Apud Diodorum, Athenaeum, Plutarchum, Photium edita a Bähr.

5) Polybius (circa 208—125 a. Ch.), Herodotus, Diodorus Siculus Βιβλιοθήκη 40 Lib. Strabo (66 ant. Ch. — 24 p. Ch.) Γεωγραφικά 17 Lib. Appianus, Dio Cassius.

6) Cicero (106—13 a. Ch.), Livius (60 a. Ch. — 17 p. Ch.), Plinius (23 p. Ch. natus) Historia naturalis (mundi), Tacitus (52 p. Ch. natus), Hist. l. 5. c. 2—13, Suetonius, Justinus, Trogus Pompej. l. 36. c. 2. Loci isti collecti sunt a Schudt in Comp. hist. Jud. pot. ex gentil. scriptis coll. Fkf. 1700 et a Meier, Judaica. Jena 1832.

5) Varia monumenta et inscriptiones ex illa aetate exstantes, recentissime praeprimis in Assyria, Babylonia[1]) et Aegypto[2]) effossae, nummi et alia ejusmodi.

1) Excellunt monumenta et inscriptiones cuneiformes assyrio-babylonicae, quae in multis locis historiam sacram dilucidant ejusdemque veritatem testantur. Nominari merentur et quidem Germani: Grotefend, Schrader, Delitzsch et Haupt (Assyr. Bibliothek), Hommel, A. Jeremias, Straßmaier, Angli: Layard, Hincks, H. Rawlinson, Norris, Talbot, Smith, King, Pinches etc., Galli: Botta, de Saulcy, Oppert, Ménant, Lenormant, Scheil, Americani: Haupt, Hilprecht et alii. Schrader, Die Keilinschrift u. d. A. T. 3. Aufl. von H. Zimmern u. H. Winckler (qui aevum ante reges tanquam mythum et revelationem originalem e mythis babylonicis mutuatam putat). — F. Mürdter, Geschichte Babyloniens und Assyriens. Calw 1891. — H. Winckler, Geschichte Babyloniens und Assyriens. Leipzig 1892; Altorientalische Forschungen. I. Reihe I—VI. 1893—97, II. Reihe Leipz. 1898ff.; Die Tontafeln von Tell-El-Amarna. Berl. 1896. — F. Hommel, Die altisraelit. Überlieferung in inschriftl. Beleuchtung. München 1897.

2) Recentiores, qui Aegypto veteri describendae operam dederunt atque in eruendis monumentis emeruerunt, sunt: Champollion, Rosellini, I monumenti dell' Egitto. Pisa 1832. 5 Tom. J. Ideler, Bunsen, Ägyptens Stellung in der Weltgeschichte 1845. 5 Bde. Lepsius, Totenbuch 1842, Chronologie 1849, Königsbuch der alten Ägypter 1858, Denkmäler 1849 ff. 9 Bde, Götter Ägyptens 1856. Brugsch-Bey, Monuments de l'Egitte 1857, Geographie 1857, Histoire 1859, Récueil des monuments 1862, 3 Bde., Geschichte Ägyptens unter den Pharaonen nach den Denkmälern. Leipz. 1877, Ebers, Eisenlohr, Léfébure, Pierret, Mariette-Bey, Maspero, de Naville, Piehl, Pleyte, de Rougé, Schiaparelli. Totam hanc materiam ad explicandas s. Scripturas elaboravit F. Vigouroux, La Bible et les découvertes modernes en Palestine, en Egypte et en Assyrie 4. ed. Par. 1885 4 Tom.; germanica editio procurata est a J. Ibach 1885. A. Sayce, Alte Denkmäler im Lichte neuer Forsch. Leipz. J. J. Lauth, Aus Ägyptens Vorzeit. Berlin 1881. A. Erman, Ägypten und ägyptisches Leben. Tübingen 1885 u. Ägyptische Religion. Berlin 1905. A. Wiedemann, Ägyptische Geschichte. Gotha 1884. E. Meyer, Geschichte des alten Ägyptens. Berlin 1887. A. Wiedemann, Geschichte von Altägypten. Calw 1891. Wiedemann, D. Religion d. alten Ägypter. Münster 1904. W. M. Müller, Asien und Europa nach altägyptischen Denkmälern. Leipz. 1893. Heyes, Bibel und Ägypten. Münst. 1904. Spiegelberg, Aufenthalt Israels in Ägypten. Straßb. 1904, Ägyptologische Randglossen zum A. T. 1904. — H. Schneider, Kultur und Denken d. alt. Ägypter. Leipz. 1907.

Nota. Consuli etiam possunt libri sacri Indorum, nempe Veda, e 4 collectionibus (Rig. Sâman, Yajus et Atharvan) composita, quarum singulae in Mantras (hymnos) et Brahmanas dividuntur (edita sunt Rigveda Samhita a. M. Müller 6 Vol. Orig. Sanskr. Texts a Muir V. Vol., et Rigveda oder die hl. Hymnen der Brahmanen v. Alf. Ludwig. 2 Bde. Prag 1876), et liber sacer Persarum, Avesta (Zendavesta) auctore Zarathustra, constans ex Vendidad (codice legum), Yaçna (liturgia), Vispered (appendice) et Khorda Avesta (compendio). Edita est Zend Avesta ab A. de Perron 1771, Avesta aus dem Grundtexte übers. v. Spiegel. Lips. 1852—63. 3 Bde.

§. 3. Subsidia historiae sacrae.

Historiae sacrae A. T. illustrandae inserviunt etiam variae scientiae biblicae, quae nostris praeprimis temporibus coluntur et promoventur. Quia inter hosce historiae nostrae terminos data occasione suis locis inseremus quaestiones geographicas, archaelogicas, isagogicas, chronologicas, etiam haec subsidia hic notare licebit.

A) Historia biblica.

1) Post Josephum Flavium primus inter Christianos Sulpicius Severus, presbyter aquitanus in fine seculi IV., historiae sacrae describendae

operam dedit. In scriptis s. Augustini, Chrysostomi et Theodoreti, nonullae notae historicae sparsae occurrunt. A medio aevo historia biblica plerumque cum profana pertractabatur, ut ab Usserio, episcopo anglicano, et cum ecclesiastica, uti a J. Basnage, Vitringa, Spanheim, Buddeo acatholicis et a Bossueto, Alexandro Natali et Calmeto catholicis.

S. Severus, historia sac. (chronica) Lips. 1709. Vien. 1867. — S. Augustinus, de Civitate Dei libri 22; sermones de Scripturis (Migne, Patrolog. lat. XXXVIII). — Usserius Annales V. et N. T. 1650. — Basnage, Histoire de l'Ancien et du N. T. Amst. 1704. — Vitringa. Hypotyposis hist. et chron. 1698; — F. Spanheim, Histor. ecclesias. V. T. Lugd. B. 1701; — Buddeus, Historia eccles. V. T. Hall. 1726—29, 2 Tom.; — Bossuetus, Discours sur l'histoire univers. Par. 1681; — Alexander Natalis (O. P. † 1722), Historia eccles. V. et N. T. 1676, Bing. 1784, 20 Vol.; — A. Calmetus, Histoire de l'Anc. et du N. T., Par. 1718, 2 Vol. (a creatione usque ad excidium Hierosol.): latina editio Aug. Vind. 1788. — Dictionarium hist., crit., chronol., geogr. et lit. s. Scripturae, Aug. Vind. 1729

2) Inde a seculo XVIII. scientia a deismo anglicano et naturalismo gallicano (Encyclopaedistis) vitiata est; modo rationalistico sac. Scripturae historiam tractare conabantur plures docti germanici Protestantes, quin tamen praestitissent, quod memoratu dignum esset. G. Bauer et asseclae ejus miracula negabant vel mythice exponebant; ulterius progressus est de Wette, qui Scripturam sacram totam qua mythum habet, quamvis non semel sententiam mutaverit. Viam e contra positivam terebant Roos, Jahn (?), Leop, v. Stolberg. Nostro aevo historia biblica tum inter catholicos Haneberg, Rohrbacher, Messmer, Schuster, Danko, Bade, Friedhoff, Moll, Schöpfer, Hetzenauer, Theol. bibl. I. V. T. Fbg. 1908, tum inter protestantes Heß. Hengstenberg, Kurtz, Hoffmann, Zahn, Kalkar, Ziegler, Hasse praeclaros invenit cultores, utpote fundamentum historico-positivum servantes contra scriptores, qui expositioni rationalisticae adhaeserunt, plus minusve miracula negarunt aut modo naturali explicarunt et sacram Scripturam charactere supernaturali exuerunt: Ewald, Winer, Bertheau, Lengerke, Hitzig, Eichhorn, Nöldeke, Redslob, de Wette-Schrader, Eisenlohr, Bunsen et moderni critici. Accedunt tandem scriptores judaei: Herzfeld, Jost, Graetz, Fürst, Geiger.

Recentissime nonnuli docti mythologiam (graecam) cum ss. Bibliis compararunt et eos locos signarunt, quos illa ex his mutuata est.

G. L. Bauer, Hebräische Mythologie des A. u. N. T. 1802; M. de Wette, Kritik der israel. Gesch. 1807.

M. Fr. Roos, Einl. in d. bibl. Gesch. bis auf Abr., Tüb. 1835. 3 Bde.; — J. Jahn, Bibl. Archäol (II. Bd. 1, 2), Vien. 1800—2 (qui multis egregiis aliquas sententias erroneas admixtas habet); — Leop. v. Stolberg, Geschichte d. Relig. Jesu, Bd. I—IV. Hamb. 1806; — J. N. Pollák, Historia rer. bibl. in A. T., Pest. 1859; — A. Messmer († 1859), Geschichte der Offenb., Freib. 1857; — B. Haneberg, Geschichte der bibl. Offenbarung (3. Aufl.), 1863, Regsbg.; — Rohrbacher, Universalgeschichte der kath. Kirche, deutsch von Hülscamp und H. Rump, Bd. I—IV. Münst, 1860—63; — J. Bade, Christologie des A. B., Münster, 3 Bde. 1858; — J. Danko, Historia revelationis div. V. T. Vindob. 1862; — F. Friedhoff, Geschichte des alten und neuen Bundes. Regsb. 1874. 2 Bde.; — A. Kohl-

bauer, Gesch. d. alttest. Bundesvolkes, 1886; — Joh. Schuster, Handbuch zur bibl. Gesch., Freib. 6. ed. a J. Selbst et J. Schäfer 1905; — A. Schöpfer, Geschichte d. A. T. 4. ed. 1906.

Jac. J. Heß, Geschichte der Israeliten vor den Zeiten Jesu, Zürich. 12 Bde. 1776 bis 1788; — C. W. Hengstenberg († 1869), Christologie des A. B., 3 Bde. (2), Berl. 1854—57; Bücher Moses u. Ägypten, Berl. 1841; Geschichte des Reiches Gottes unter dem A. B., 3 Bde. Berl. 1869—71; — H. Kurtz, Geschichte des A. B. (bis Josue), 2 Bde. Berl. 1853—58; Lehrbuch der hl. Geschichte, Königsb. 1868; — J. Ch. Hofmann, Weissagung und Erfüllg., Nördl. 2 Bde. 1841—44; — F. L. Zahn, Das Reich Gottes auf Erden (3). Meurs 1838. I. B.; — Chr. H. Kalkar, Die bibl. Geschichte in Vorträgen, Kiel 1839, 2 Bde.; — J. F. A. Ziegler, Hist. Entwickl. der göttl. Offenb., 1842; — Fr. Hasse, Geschichte d. A. B., Leipzig 1863; — A. Köhler, Lehrb. der bibl. Gesch. d. A. B. 1875—1893.

H. Ewald († 1875), Geschichte des Volkes Israel, 7 B., Gött. (3), 1863; — E. Bertheau, Zwei Abhandlungen zur Gesch. d. Israel., Gött. 1842; — C. v. Lengerke († 1855), Kenáan. Volks- und Religionsgeschichte Israels, Königsb. 1844; — F. Hitzig, Geschichte des Volkes Israel von Anbeg. bis zur Erober. Massadas, Leipz. 2 Bde., 1869; J. G. Eichhorn († 1827), Allg. Bibliothek d. bibl. Liter., Bd. 1—10, Lpz. 1787—1800; — Th. Nöldeke, Die alttestamentliche Literatur in einer Reihe von Aufsätzen dargestellt, Lpz. 1868; — L. de Wette († 1849), Beiträge zur Gesch. d. A. B., 1806—7; Eisenlohr, Volk Israel unter d. Herrsch. der Könige, 2 T., Lpz. 1855—56; — J. Bunsen († 1860), Bibelwerk 9 Bde. 1860 sq.; — M. Duncker, Geschichte des Altertums, Berl. 1. Bd. (3), 1863; — J. Wellhausen, Gesch. Israels, 1878; — Stade u. Holtzmann, Gesch. d. Volkes Israel. 2 Bde. Berl. 1888. — Kittel, Geschichte d. Hebräer 1888 sq.; — Winckler, Geschichte Israels, 1895 u. 1900. — Schürer, Geschichte des jüd. Volkes 3. ed. Leipz. 1898 sq.; — Öttli, Geschichte Israels bis auf Alexander Gr. 1905. — Ed. Meyer, Die Israeliten u. ihre Nachbarstämme, 1906; — Klostermann, Gesch. d. Volkes Israel bis zur Restauration unter Es. u. Neh. 1896. — Guthe, Gesch. d. Volkes Israel, 1899; — E. König, Gesch. d. Reiches Gottes bis a. Chr., 1908.

L. Herzfeld, Gesch. d. Volk. Isr. von der Zerstör. d. I. Tempels bis zur Einsetz. d. Makk. Schimon, 3 Bde., Nordh. 1847—57; — J. M. Jost, Geschichte des Judentums und seiner Sekten, 3 Bde., 1857—59; — Graetz, Vom Tode Juda Mac. bis zum Untergange des jüd. Staates, 3 Bde., 1863; — J. Fürst († 1873), Geschichte der bibl. Literatur und des jüdisch-hellenist. Schrifttumes, 2 Bde. Lpz. 1867—70; — G. Karpeles, Gesch. d. jüd. Lit. 1886 sq.

Huc pertinent singuli tractatus et dissertationes in lexicis et ephemeridibus: Kirchen-Lexikon, oder Enzyklopädie der Theologie und ihrer Hilfswissenschaften, ed. ab H. J. Wetzer et P. Welte, 2. Aufl. von F. Kaulen, 13 Bde. 1882 sq.; — Katholische Studien, Würzburg 1875. Tübinger Quartalschrift, Katholik, Stimmen aus Maria Laach. Zeitschrift für katholische Theologie in Innsbruck, Revue biblique, Natur und Offenbarung. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible. Par. 1892, Biblische Studien von Bardenhewer, München; Weidenauer Studien. — Real-Enzyklopädie für protestantische Theologie u. Kirche v. Herzog. 3. ed. ab Hauck Leipz. 1896 sq. — Guthe Kurzes Bibelwörterbuch, 1903. — Hastings und Selbie, A. Dictionary of the Bible, 1898—1904. — Cheyne und Black, Encyclopaedia Bibl. Lond. 1899—1903; — Hagen, Lexicon biblicum, Par. 1905 sq. The Jewisch Encyclopaedia ed. a Singer, New-York u. London 1901 sq. Kirchl. Handlexikon v. Buchberger. München 1907; — G. Winer, Bibl. Realwörterbuch, 3. edit; — Schenkel, Bibel-Lexikon, Lpz. 1869; — Riehm, Handwörterbuch des bibl. Altertums, Biel. 2. Aufl. 1892. — Theologische Studien und Kritiken, Ausland, Zeitschrift d. deutschen morgenländischen Gesellschaft, Zeitschrift für alttest. Wissenschaft, Zeitschrift für historische Theologie, Jahrbücher für deutsche Theologie, Zeitschrift für lutherische Theologie und Kirche. Jahrbuch für protest. Theologie, Hilgenfelds Zeitschrift für wissenschaftl. Theologie, Heidenheims theolog. Vierteljahrsschrift, Luthardts Zeitschrift für kirchliche Wissenschaft,

Dorpater Zeitschrift für Theologie und Kritik. — The Biblical World. — Journal of Biblical Literature. — Orient. Literaturzeitung. — Virteljahrschrift f. Bibelkuude. — Alttest. Abhandlungen v. Nikel, Münster 1908 sq. Biblische Zeitschrift, Der Alte Orient, Mitteil. der Vorderasiat. Gesellschaft. — Wiener Zeîtschrift f. d. Kunde des Morgenlandes.

Accedunt alia scripta specialia, uti L. Reinke († 1789), Beiträge zur Erklärung des A. T. Münster 1851 seq. 8 Bde. — H. Zschokke, Biblische Frauen des A. T. Freiburg 1882. Theologie der Propheten, Fbg. 1877; Der dogm.-ethische Lehrgehalt der alttest. Weisheitsbücher 1889. — P. Scholz, Götzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebräern, Rgsb. 1877. — A. Niemeyer, Charakteristik der Bibel, 5 Bde. 1830 fl. — H. Schultz, Alttest. Theologie, Frankf. 1869. — G. Fr. Öhler, Theologie des A. B. Tübing. 3. Aufl. 1891. — Ewald, Lehre d. Bibel von Gott, Leipz. 1871 seq. 4 Bde. — Schiaparelli-Lüdtke, Astronomie im A. T. 1904, et alia opera infra citata.

Mythologiam graecam cum ss. Literis compararunt: Fr. Reinhard, Offenbarung und klass. Altertum; Odysseus und sein Sänger Homer im Lichte christl. Weltanschauung. 1892. M. l'Abbé Fourrière, Revue d'Exégèse Mythologique, Amiens 1892 sq.; La Bible travestie par Homère; La Mythologie expliquée d'après la Bible; Mythologie et Apologetique. — T. Endler, Homers Entlehnungen aus d. B. Judith. 1892. Jensen, Gilgameschepos in d. Weltliteratur, Straßb. 1906.

B) Introductio in sacram Scripturam.

1) Cum haeretici veritatem christianam impugnare coepissent, ss. Patres etiam auctoritatem canonicam sac. Scripturae defendere coacti erant. Quaedam quaestiones isagogicae inveniuntur in scriptis Theophili, Tertulliani, Irenaei, Clementis Alexandrini; occasione data de eadem materia tractant Origenes, Eusebius, praeprimis autem Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus in notis, quas commentariis suis praemittunt. Specialiter hanc in rem scripserunt s. Augustinus, Adrianus, Junilius Africanus, Cassiodorus et Cosmas Indicopleustes.

Theophilus, lib. III. ad Autolyc. — Tertullianus, lib. adv. Marcion. — Hieronymus, ep. ad Pammach.; in prologis ad sing. libros; de viris illustribus. — Augustinus, de doctrina christiana lib. IV. — Adrianus sec. V. εἰσαγωγὴ εἰς τὰς θείας γραφάς (Migne t. 98. — Junilius (episcopus sec. VI.), de partibus divinae Legis, lib, II. (Migne t. 68). — Cassiodorus (Abbas sec. VI.) de institutione div. Scripturarum, et de artibus et disciplinis liberalium artium (Migne t. 70). — Cosmas, Topographia christiana lib. XII.

2) Theologi medii aevi in operibus suis dogmaticis et exegeticis nonnulla tangunt, quae ad isagogen sac. Scripturae pertinent; generatim labores ss. Patrum retractant[1]). Interpretes inde a seculo XV. usque ad XVIII. explicationi Librorum ss. praemittunt prologos, in quibus ea absolvunt, quae introductionem specialem concernunt, v. g. Nicolaus Lyranus. Ex professo hanc disciplinam tractare coeperunt Sanctius Pagninus, Sixtus Senensis, Bellarminus[2]), quos secuti sunt docti Theologi e societate Jesu[3]), alii docti catholici[4]) et protestantes[5]).

1) Bonaventura, Prooemium ad breviloquium. — Thomas Aquinas sum 1. q. 1, ar. 9 et 10; 2. 2. q. 171 seq. et sparsim.

2) Nicolaus Lyranus (O. F.) prol. ad Postillas perpetuas. — Sanctius Pagninus (O. P. † 1541) Isagoges ad sacras Literas, liber unicus. Lugd. 1528. — Sixtus Senensis (O. P. † 1569) Bibliotheca sancta, ex praecipuis cath. Ecclesiae auctoribus collecta. 8 Tom.

Ven. 1566 et saepius. — Bellarminus († 1621), Disputationes de controversiis christianae fidei. Rom. 1581.

3) Alph. Salmeron (S. J. † 1585) Prolegomena biblica. Mat. 1597. — Nicolaus Serarius (S. J. † 1609) Prolegomena biblica. Mog. 1604. — Jac Bonfrerius (S. J. † 1643) Praeloquia in totam Scripturam sac. Antv. 1625. — Jo. Mariana (S. J. 1624) Dissertatio pro editione vulgata. — Menochius (S. J. 1655) Commentarius in totam s. Scripturam ed. Venetiis 1722.

4) Inveniuntur hae praefationes apud Migne, Cursus completus in sac. Scripturam, Par. 1839 in 7 prioribus Tomis. Nonnulla introductoria inveniuntur etiam in Historia ecclesiastica Alexandri Natalis, et apud M. Wouters, Dilucidatio selectarum s. Scripturae quaestionum Wirc. 1763. VII Tom. — Huetius (1721), Demonstratio evangelica. Par. 1679 (Ven. 1754).

5) Brianus Waltonus († 1661), Biblicus apparatus. Tig. 1673. — J. G. Carpzovius († 1767) Introductio ad Libros can. V. T. Lip. 1721; Critica sacra V. T. Lips. 1728 (1748). — Abr. Calovius, Criticus sacer biblicus. Witemb. 1643; et alii.

3) Auctor introductionis historico-criticae existitit Richardus Simon[1]) (ex Oratorio Parisiensi 1638—1712), qui introductionem N. T. ab illa A. T. sejunxit, et in suis hypothesibus (in historia A. T.) saepe ad interpretationem rationalisticam inclinare videtur. Post eum pauci docti catholici scientiam hanc excoluerunt[2]), eo magis vero Protestantes, qui criteria ejusdem secuti, inde a Semlero († 1791) modo rationalistico sac. Scripturam tractarunt[3]), characterem supernaturalem, authentiam et axiopistiam Librorum sacrorum negantes[4]).

1) Richardus Simon († 1712), Histoire critique du Texte, des Versiones et des Commentateurs du Vieux Testament. Par. 1678 et: Histoire critique du Texte du Nouveau Testament. Par. 1689, collecta in ed. Rot. 1685—99. 5 Vol.

2) Martianay, Traité de la Vérité et de la Connaissance des Livres de la Bible. Par. 1697. — Calmetus, Prolegomena et Dissertationes in omnes et singulos s. Scripturae libros. Lut. 1729 et saepe. — Goldhagen (S. J. † 1794), Introductio in s. Scripturam V. et N. Testamenti. Mog. 1765. 3 Tom. et: Vindiciae harmonico-criticae et exegeticae in s. Scripturam, Mog. 1774. 2 Tom. — J. Marchini († 1774), De divinitate et canonicitate sac. Bibliorum tractatus. Aug. Taur. 1770 (1874). — L. Veith (S. J. † 1796), Scriptura s. contra incredulos propugnata 1780 (1840). — Telch, Introductio generalis in s. Script. Ratisb. 1908.

3) Semler († 1791), Abhandlung von freier Untersuchung des Kanon. 4 Bde. Halle 1771. Ejusdem discipulus Corrodi, Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des jüdischen und christlichen Bibelkanons. Halle 1792. — J. G. Eichhorn († 1827), Einleitung in das A. T. 3 Tle. Leipz. 1780 (4. ed. Gott. 1823), in die apocryphischen Bücher des A. T. 1795. — L. Bertholdt, Histor.-kritische Einleitung in das A. T. 6 Tle. Erl. 1812. — M. L. de Wette († 1849), Beiträge zur Einleitung in das A. T. 1806; Lehrbuch der hist.-krit. Einleitung in das A. T. Berl. 1817 (ed. 8. a Schrader, Berl. 1869). — Fr. Bleck († 1859), Einleitung in das A. T. 1860, 6. ed. 1893 a Wellhausen. — W. Vatke, hist.-krit. Einl. ins A. T. 1886. — J. Stähelin, spezielle Einleitung in die kan. Bücher des A. T. Elberf. 1862. — Th. Nöldeke, Untersuchungen zur Kritik des A. T. Kiel 1869. — E. Meier, Geschichte der poetischen Nationalliteratur der Hebräer, Leipzig 1856. — J. Fürst, Der Kanon des Alten Testamentes. Leipz. 1868. — Kuenen, Einl. ins A. T. 1. T. v. Weber (1887), 2. T. v. Müller 1892. — C. H. Cornill, Einl. ins A. T. Freiburg, 4. Aufl. 1896. — Graf W. W. Baudissin, Einl. in die Bücher des A. T. Leipz. 1901. — Driver-Rotstein, Einl. in die Lit. des A. T. Berl. 1896. — Budde, Gesch. d. altheb. Literatur 1906. — Hühn, Hilfsbuch z. Verständn. d. Bibel, 1904. — H. Strack, Einl. ins A. T. 6. Aufl. 1906.

4) Essentia Rationalismi biblici in eo est sita, quod s. Scripturam omni elemento supernaturali exuat et ad conditionem librorum profanorum reducat. Distinguitur autem in Scripturis triplex elementum supernaturale: *a)* dogmaticum (mysteria). Contra hoc invectum est Semleri systema accommodationis, quo omnia mysteria a Christo et Apostolis praedicata nonnisi praejudicia sunt et erroneae sententiae, quibus illi se accommodarint. *b)* Morale i. e. praecepta et consilia, quae ad ordinem gratiae supernaturalem pertinent. Contra hoc dirigitur Kantii († 1804) systema moralis interpretationis, vi cujus omnia mysteria, miracula et totus legis supernaturalis complexus nil prorsus sint facienda juxta historicum et grammaticum sensum, sed unice attendendum ad moralia documenta, quae ex illis quomodocunque erui possint. *c)* Historicum, contra quod invectum est systema interpretationis mythicae scholae Tubigensis (Strauß † 1875). Accedit systema interpretationis psychologicae vel notiologico-philologicae (Paulus Heidelb. † 1851), quae tota in subjectivo psychologico sensu fundatur.

4) Hanc rationem sacram Scripturam tractandi rationalisticam, quae characterem divinum e sacris Literis eliminare conabatur, alii docti viri ex eodem castro Protestantium impugnabant et scientifice evertebant itaque divinitatem sacrae Scripturae revindicabant[1]), docendo saniorem methodum sive mysticam, sive grammatico-historicam, sive traditionalem et analogiae fidei symbolorum accomodatam, sive panharmonicam. Recentissimo tempore etiam Theologi catholici[2]) laudabili modo partes isagogicas in Libros sacros illustraverunt et explicaverunt.

1) Primus criticam negativam impugnavit Carpzovius († 1767), Introductio in Libros canonicos V. T. Lips. 1721, et: Critica sacra, ib. 1728. Excellunt inter Protestantes sic dictos positivos E. W. Hengstenberg († 1869), Beiträge zur Einleitung ins A. T. 3 Bde. Berlin 1831—39; Christologie des A. T. 3 Bde. Berlin 1854—56 et alia. — H. Hävernick († 1845), Handbuch der hist.-kritischen Einleitung in das A. T. 3 Teile. Erl. 1836 (ed. 2. a Keil 1856). — K. Keil, Lehrbuch der hist.-kritischen Einleitung in das A. T. Erl. 1853 (ed. 3. 1873). — O. Hertwig, Tabellen zur Einleitung in das A. T. 2 Aufl. ed. a Kleinert, Berl. 1869, aliaque scripta specialia edita a Ranke, Drechsler, Kurtz, Delitzsch, Baumgarten, Schultz, Neumann, Caspari, Köhler, König etc.

Ex aliis nationibus scripserunt: A Vincenzi († 1882), Sessio IV. Concilii Tridentini vindicata, seu Introductio in Scripturas deuterocanonicas V. T. 2 Tom. Rom. 1842. — J. Janssens, Hermeneutica sacra 1887. — J. Dixon archiepiscopus († 1860), General Indroduction to the sacred scriptures, 2 Tom. Dublin 1852. — J. Ghiringhello, De libris hist. Ant. Foederis Tur. 1845; De libris poet. atque proph. A. T. 1847. — Vigouroux, Manuel bibl. ou cours d'Ecrit. Par. 1864. 4. Vol. — T. J. Lamy, Introductio in s. Scriptur. 2 Tom. Mechl. 1866. — J. B. Glaire († 1872) Introduction historique et crit. aux livres de l'A. et du N. T. 5 Tom. 1862. — A. Gilly, Précis d'Introduction gén. et part. à l'Ecriture sainte, 3 Tom. Par. 1867. — F. P. Martin, Introduction à la critique générale de l'Ancien Test. Paris 1889. — F. Schouppe S. J., Cursus Scripturae sacrae. 2 Tom. Brux. 1870. — Ub. Ubaldi († 1884), Introductio in s. Scripturam. 3. Vol. Romae 1878—1881. — Fr. E. Gigot, general Introd. to the Study of the Holy Scriptures. New-York 1900.

2) J. Jahn († 1816), Einleitung in die göttlichen Bücher des A. B. 2 Teile. Wien 1793 (2. ed. 1802), Introductio in Libros ss. V. T. in compendium redacta. Vien. 1805 (2. ed. 1815). — P. F. Ackermann († 1831), Introductio in Libros ss. V. T. Vien. 1826 (quae nonnisi emendata editio est introductionis a Jahn elaboratae) 4. ed. 1869. — J. G. Herbst († 1836), Histor.-kritische Einleitung in die hl. Schriften des A. T., completa per B. Welte († 1885). 2 Teile in 4 Bdn. Freib. 1840—1844. — J. M. Scholz († 1852), Einleitung in die hl. Schriften des A. und N. T. 3 Bde. Köln 1843—48. — Haneberg († 1876), Einleitung

ins A. T. Regsb. 1845 und Geschichte der Offenbarung l. c. — Danko, Historia revelationis, et: De s. Scriptura ejusque interpretatione commentarius. Vind. 1876. — F. Reusch, Lehrbuch der Einleitung in das A. T. 4. Aufl. Freib. 1870. — Fr. Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift A. und. N. T. Freibg. 4. ed. 1899. — Cursus Scripturae s. auctore R. Cornely S. J.: Introductio generalis. Int. Specialis 2. ed. Par. 1907 et ejusdem compendium 1889. — W. Schenz, Einl. in d. kan. B. A. T. 1887. — Fell, Lehrb. d. allg. Einleitung ins A. T. 1906. Einführung in d. hl. Schrift. 5. ed. 1904. — Rösch, hl. Schriften (hist.) A. T. Münst. 1908. — J. Mader, Allg. Einleit. ins A. und N. T. 1908.

C) Exegesis in sacram Scripturam.

a) Inter Judaeos.

Variae explicationes inveniuntur in utroque Talmud et praeprimis in Halacha et Haggada, atque in Midraschim[1]) i. e. disquisitionibus et commentationibus Rabbinorum, et quidem: in Mechilta[2]) a Ismahel ben Elischa circa 121 p. Ch., in Sifra[3]) a Rab († 243), Sifri[4]) et Rabboth[5]). Aliam viam magis rationalisticam iverunt Sadducaei et Caraei (Sec. 6. et 7. p. Ch.), qui omnes traditiones rejecerunt et Scripturam subjective interpretati sunt. Ut philosophiam graecam cum s. Scriptura conciliarent, Judaei alexandrini, imprimis Philo, interpretationi allegoricae indulgebant[6]), qua sensus literalis fere explodebatur; hanc secuti sunt Esseni, Therapeutae, imo et Christiani scholae alexandrinae, ante omnes Origenes. Invalescente Islamo et lingua arabica etiam studium linguae hebraicae excolebatur a Judaeis (in Africa et Hispania), uti a Saadia Gaon, Maimonide, Aben Esra, qui magis sensum literalem urgebant. Mediam viam inter talmudicum et literalem sensum tenuit David Kimchi. More talmudico interpretati sunt Scripturam Salomo Isaaki (Jarchi, Raschi), Abarbanel, R. Tanchum hierosolym.; modo grammatico-philosophico Scripturam explicavit R. Levi Ben Gerson. Seculis XVI. et XVII. Judaei fere nullam dederunt operam Scripturae s. interpretandae[7]). Inde a Mose Mendelsohn (1729—1786) Judaei germanicae linguae modo rationalistico Libros ss. explicare coeperunt, quin tamen aliquid memoratu dignum praestiterint.

1) Plerique Midraschim germanice translati sunt a A. Wünsche in Bibliotheca rabb. Lips. 1879 sq.

2) In versione latina in Ugolini, Thesaur. ant. sacr. tom. XIV, explic. Ex. 12—23, 20. Versatur in illustrandis heb. ritibus et legibus ceremonialibus.

3) Explic. Levitici; latine in Ugolini, thes. l. c. XIV.

4) Explic. Num. et Deuter., latine in Ugolini, thes. l. c. XV.

5) Rabboth sunt magnae expositiones in Pentateuchum et Megilloth atque diversas antiquiorum Rabbinorum explicationes collectas exhibent. Interpretatio est allegorica, anagogica et moralis cum fabulis rabbinicis mixta.

6) Philonem in respuendo sensu literali longe superant Kabbalistae (liber Sohar), qui doctrinas occultas e Scripturis eruere conantur, ut Moses Nachmanides (Ramban).

7) Saadia Gaon († 942) sac. Scripturam paraphrastice in lingua arabica interpretatus est. — Maimonides (hispanus, † circa 1208) in More Nebuchim (i. e. doctor perplexorum). — Aben Esra (Abraham Ben Meir, vel Ebenare, corvus, hispanus † 1167) Com. in Script. —

David Kimchi (Radack, gallus † 1240) Com. in Script. — R. Salomo Isaaki († 1105) Com. in tot. Script. — Moses Nachmanides († 1270) in Pent., Hiob, Cant. cant., et (latine versi) Com. in Pent., Proph. prior. et poster. ac Daniel. — R. Isaac Abarbanel († 1508), R. Tanchum sec. XIII., Levi Ben Gerson († 1370), gallus), Com. in Pent., Proph. min. et plurima hagiographa. — Horum opera exegetica, in lingua rabbinica exarata, exstant in Bibliis hebraicis et rabbinicis editis a Bombergio et Buxtorfio Bas. 1618. 4 Vol., partim etiam in alias linguas translata imprimebantur. Confer accuratam editionum descriptionem in Wolf, Bibl. heb. II. 366 sq., de Rossi, Dizionario stor. p. 68, Le Long, Masch, Bibl. sac. I. 95 sq.

b) Inter Christianos.

1) Judaeos alexandrinae scholae interpretes nonnulli docti christiani sunt secuti, uti Clemens Alex. et Origenes, qui, ut haereticos refutarent, allegoricae et mysticae interpretationi ss. Scripturae nimis indulgebant et sensum literalem negligebant; quem ut restituerent, adlaborabat schola antiochena[1]), cujus asseclae Eusebius, Basilius, Theodorus Mopsuestenus, Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus sensum literalem urgebant et praeter illum sensum spiritualem admittebant[2]). Eodem modo interpretati sunt Syri (schola Nisibena vel Edessena): s. Ephraemus et Jacobus Sarugensis[3]). In Occidente Hilarius et Ambrosius Origenis interpretandi rationem secuti sunt. Grammatico-historicum modum interpretationis vindicavit s. Augustinus. Inter omnes eminet s. Hieronymus, qui saepe tamen sensum allegoricum admittit. uti Gregorius Magnus. Easdem regulas secuti sunt: Leo Magnus et Cassiodorus[4]).

1) Confer H. Kihn, Bedeutung d. ant. Sch. auf exeg. Geb. 1866. — Ph. Hergenröther, Ant. Schule u. ihre Bed. 1866.

2) Graeci: Hippolytus († 225), Fragm. in Gen., Num., Reg., Ps., Prov., Cant. C., Proph. maj.; — Origenes († 254), in commentariis (τόμοι), scholiis (σημαιώσεις) et homiliis, quae in versione latina ad partem restant ad: Pent., Jos., Jud., Reg., Cant., Is., Jer., Ez. et fragmenta ad Ps.; — Eusebius Caesariensis († 340), Commentarii in Ps. (1—118) et Is.; — Athanasius († 373), Comm. in Ps., fragmenta in Job, Cant.; — Basilius († 370), Homiliae 9 in Hexaemeron et nonnullos Ps., com. in Is. (1—16); — Gregorius Nyss. († 395), Hexaemeron, de Ps. inscriptionibus, homiliae in Eccl. et Cant.; — Joannes Chrysostomus († 407), Homiliae in Gen., 60 Ps., Is. (1—8), Dan.; — Theodorus Mopsuestenus († 428), Comm. ad minores proph.; — Cyrillus Alexandrinus († 444), Comm. (γλαφυρά) ad Pent., com. ad Is. et prophetas minores; — Theodoretus Cyr. († 458), Quaestiones ad Octateuchum, Reg., Chron, Com. ad Ps., Cant. et proph. maj. et min.

3) Syri: Ephraemus († 379), Com. ad Pent, Jos., Jud., Reg., Job. proph. majores et nonnullos minores. Opera Ephraemi omnia, quae exstant graece, syr., latine, ed. a St. Assemani († 1782) et P. Benedicto († 1742) Rom. 1732—46. 6. Vol. — Jacobus Sarug. († 338), confer J. Abeloos, De vita et scriptis J. Jacobi Sar., Lov. 1867, pg. 106. Multa exegesis Syrorum documenta referuntur in Bibliotheca orientali ed. a J. Assemani († 1768), Rom. 1718—29. 4 Vol.

4) Latini: Hilarius Pictav. († 366), Tractatus in Ps.; — Ambrosius († 397), Hexaemeron, exeges. in Ps. 118 et 12 alios Ps., tractatus de singulis partibus historiae A. T.; — Hieronymus († 420), Quaest. hebraicae in Gen., Reg. et Paral., Comm. in Eccl., Is., Jer. (1—32), Ex,. Dan. et proph. minores, epistolae et alia scripta exegetica; — Augustinus

(† 430), Liber imperfectus de Gen. ad literam, lib. 12 de Gen. ad lit., Quaest. in Heptateuch., Locutiones in Hept., Annotationes in Job, Enarrationes in Ps.; — Leo Magnus († 461), Sermones in varios Script. locos; — M. A. Cassiodorus († 565), Expositio Psalterii; — Gregorius Magnus († 604), Lib. 35 Moralium in Job, homil. in Ez., com. in Cant.

2) Inde a seculo VI. enatae sunt Catenae (plerumque anonymae), in quibus explicationes Patrum et Scriptorum prioris aevi collectae nectebantur, ita ut singuli versus variis expositionibus illustrentur, tum apud Graecos[1]), tum apud Latinos[2]). A seculo XII. etiam Scholastici interpretandae Scripturae operam navarunt, et scripta ss. Patrum retractarunt, minime tamen eorum studia operibus exegeticis aevi patristici aequiparari possunt. Omnes isti duplicem sensum listeralem et typicum admiserunt[3]). Cum Clemens Papa V. in Concilio Viennensi (1311) cathedras linguarum orientalium in Universitatibus scientiarum erigendas statuerat, interpretes inde etiam ad textus primigenios recurrebant, uti Nicolaus Lyranus et Paulus Burgensis[4]).

1) Graeci: Procopius Gaz. († 524) excerpsit commentarios Theodoreti in Octateuchum, Reg., Chron., Prov., Isai., Cant. — Catenae graecae in Pent., Jos., Jud., Reg. (editae a Nicephoro, Lips. 1772, 2 Fol.), in Job (ed. a Junio Lond. 1637), in Psalm. (ed. a Corderio S. J. Antv. 1643, 3 Fol.), in Isaiam (ed. a Curterio 1580), in Jerem. et Baruch (ed. a Ghislerio Lugd. 1623), in Daniel (ed. Aug. Mai, Script. vet. 1. Tom. Rom. 1831). — Olympiodorus (sec. X.) Com. in Eccl. — Theophylactus (sec. XI.) Com. in Os., Jon., Habac. et Nah. (e s. Chrysostomo). — Euthymius Zigabenus (sec. XII.), Com. ad Psalmos.

2) Latini: Beda Venerabilis († 735), Com. ad lib. historicos, Job, Prov., Cant. — Fl. Alcuinus († 804), Lib. quaest. in Gen., expositio in Psalm, Cant., Eccl. — Rhabanus Maurus († 856), Com. in Pent., Jud., Ruth. Reg., Chron., Prov., Jer., Ezech., Esther, Judith, Sap., Eccli., Mach. — Haymo Halberstadiensis († 855), Explan. in Psalm., Cant., Isai. et proph. min. — Wallafridus Strabo († 849), Glossa ordinaria in Scripturam. — Anselmus Laudunensis († 1117), Glossa interlinearis in s. Scripturam.

3) Rupertus Tiutiensis (1135), Com. in Pent., Jos., Jud., Reg., Psalm., Job, Eccli., Cant., proph. majores et minores. — Hugo a. s. Victore († 1141), Adnotationes elucidatoriae in Pent., Jud., Reg., Eccl., Psal., Thren., Joel, Abd. — Bernardus Clarav. († 1153), Sermones in varios ss. Scripturae locos, Cant. — Petrus Lombardus († 1164), Com. in Psalm. — Thomas Aquinas († 1274), Expos. in Job, Psalm. (1—50), Cant., Isaiam. — Bonaventura O. M. (1274), Com. in Hexateuch., Psalm., Eccli., Sap., Thren. — Hugo a s. Caro O. P. († 1260), Postillae (breves adnotationes) in universa Biblia. — Albertus Magnus O. P. († 1280), Com. in Psalm., Dan., proph. minores, Thren.

4) Nicolaus Lyranus († 1340), Postillae in universa Biblia. — Paulus Burgensis Judaeus conversus († 1435), Additiones ad Postillas Lyrani. — Alphonsus Tostatus († 1455). Com. ad Pent.. Jos., Jud., Ruth., Reg. et Chron. — Dionysus Rickel (Carthusianus † 1471), Com. seu Enarrationes in univ. Biblia. — Sanctus Pagninus O. P. († 1541), Catena argentea in Pentat. — Vatablus († 1547), Annotat. in V. Test. (ed 1584). — Joannes Ferus O. M. († 1554), Com. in Heptateuch., Eccl., Tob., Esth.

3) Cum enascente sic dicto Humanismo et Reformatione linguae semiticae rursus magis excolerentur et Acatholici suas haereses e Scriptura sacra firmare conarentur, etiam catholici Theologi sec. XVII. et XVIII. studiis exegeticis incumbere adigebantur, qua in re praeprimis docti Jesuitae multum insudarunt, qui utrumque sensum literalem et spiritualem nectebant. Explicationes minores serius in Biblia magna colligebantur[1]).

Secundum Ponf. Consilium pro studiis bibl. (23. Junii 1905) non est admittenda sententia, Libros historicos s. Scripturae quandoque non narrasse historiam proprie dictam, sed parabolam vel allegoriam, nisi hoc salvo Ecclesiae judicio solidis argumentis probetur[2]).

1) Sixtus Senensis O. P. († 1569), Bibliotheca s. Ven. 1566. (Neap. 1742). — Maldonatus S. J. (1583), Com. in Isai. Jer., Bar., Ezech, Dan., Psalm., libros Salom., Sap. — Fr. Ribera S. J. († 1591), Com. in proph. minores (Rom. 1590). — Hieronymus Pradus († 1595) et J. Villaepandus S. J. († 1608), Com. in Ezech. (3 Fol. 1596). — Sa Emmanuel S. J. (1596) Notationes in totam s. Scripturam. Ant. 1598. — G. Genebrardus O. B. (1597), Com. in Jos., Psalm. et Cant. — Arias Montanus O. s. Jac. († 1598), Com. in 31 Psalm., Isai; 12 proph. min. — A. Agellius Cler. reg. († 1608), Com. in Psalm., Thren., Prov. et Habac. — N. Serarius S. J. († 1609), Com. in Jos., Jud., Ruth., Reg., Par., Tob., Judith, Esth. — Pererius S. J. († 1610), Com. in Gen., Dan. — Bellarminus S. J. Card. († 1621), Com. in Psalm. (Lugd. 1855). — J. Mariana S. J. († 1624), Scholia in V. et N. Test. Mat. 1619. — Th. Malvenda O. P. († 1628), Com. in ss. Scriptur. — J. Tirinus S. J. († 1636), Com. in V. et N. Test. Aug. Taur. 1884 ed.). — Cornelius a Lapide S. J. († 1637), Com. in libros A. T. (exceptis Psalmis et Job.) Lugd. Par. 1858. — J. Bonfrerius S. J. († 1642), Com. in Pent., Jos., Jud., Ruth., Reg., Chron. — J. Menochius S. J. († 1655), Brevis explicat. sensus liter. totius ss. Scripturae (Col. 1630. Par. 1719). — Aug. Calmetus O. B. († 1757, Comment. litéral sur tous les liv. de l'Anc. et N. Test. (Par. 1707—16), 23 Tom. — latine ed. a D. Mansi, Ven. 1754.

Collectiones: Biblia magna 5 Fol. 1643, et Biblia maxima 19 Fol. Paris 1660 ed. a Joh. de la Haye (O. M. † 1661). — Biblia sacra cum select. lit. Com. (Maldonati, Sa, Estii, Mariana, Lansellii, Malvenda, Menochii, Tirini, Gordonii, Bossuetii), 18 Tom. Venet. 1745—55. — Cursus completus in sac. Scripturam ed. Migne, 28 Tom. Par. 1839.

2) N. Peters, Papst Pius X. u. d. Bibelstudium. 1906, p. 64.

4) Duces reformationis, qui in interpretanda Scriptura, quasi perspicua et in se sufficiens esset, auctoritatem Ecclesiae rejiciebant, sensum subjectivum et a vero alienum ss. Literis obtrudebant[1]); dum vero exegetae confessionis helveticae[2]) prae Lutheranis sensum literalem magis urgebant ac philologicam et historicam textuum explicationem excolebant, Arminiani et Sociniani rationalisticae interpretationi indulgebant[3]). Abhinc interpretes Acatholici in duo castra dividuntur, nempe Orthodoxorum et Rationalistarum[4]). Catholici autem interpretes, semper infallibile Ecclesiae magisterium secuti, rite et laudabiliter recentissimo tempore Scripturam div. interpretati sunt[5]).

1) Luther, Melanchthon, Zwingli, Oecolampadius, Calvinus, J. Gerhard, M. Geier, Ab. Calov, J. H. Michaelis.

2) Drusius († 1616), Ludovicus de Dieu († 1642), J. Coccejus († 1669), C. Vitringa († 1722).

3) Hugo Grotius († 1645), Annot. in V. et N. T. — J. Clericus († 1736), Com. in V. T. Amst. 1708—31. 5 Fol. — Interpretationes has praecipuas collegerunt: J. Pearson, Critici sacri, seu clar. virorum (ref. et cath.) in Biblia annotationes atque tractatus. Lond. 1660, 10 Vol. (Franc. 1695—1701) et M. Polus († 1679), Synopsis criticorum aliorumq. Script. s. interpretum et comment. (luth., reform. et cath.) Lond. 1660. (Francof. 1709. 6 Vol.) — Die hl. Schrift A. (u. N.) T., aus dem Franz. herausgegeben von Teller, Dietelmaier et Brucker, Leipz. 1749—70. 9 Bde. (collectiones exegetarum anglicanorum).

4) Acatholici: E. Rosenmüller, Scholia in V. T. Lips. 1821 et compendium, 1828. — J. P. Lange, Theol. homil. Bibelwerk. Bielefeld 1857 sq. — Keil u. Delitzsch,

Kommentar über d. A. T. Leipz. 1861 ff. — Perowne, The Cambridge Bible. Camb. 1880 ss. — Strack u. Zöckler, Kurzgefaßter Kommentar zu d. hl. Schriften A. u. N. T. sowie zu den Apokryphen. München 1886 sq. — W. Nowack, Handkommentar zum A. T. Göttingen 1892 sq. — The International Critical Commentary ed. a Driver, Plummer et Briggs. Edinb. 1895 sq. — K. Marti, Kurzer Handkommentar zum A. T. Tüb. 1897. — The Expositors Bible. Edinb. 1907 sq.

5) Integram s. Scripturam illustrarunt: Brentano, Die hl. Schrift des A. T. fortgesetzt v. Dereser u. Scholz, Fkft. 1820 sq. 17 Tom. — J. F. Allioli († 1873), Die hl. Schrift A. u. N. T. übersetzt und erklärt. Münch. 1830 (u. Neue Ausgabe v. Arndt S. J. 1899) u. Volksbibel 1891. — Reischl u. Loch, hl. Schrift A. u. N. T. übers. u. erklärt. (2. ed.) 1867—70. — J. Ecker, Kath. Hausbibel 3. ed. 1903. — Cursus Scripturae sacrae auctoribus Cornely, Knabenbauer, de Hummelauer, Gietmann S. J. Paris 1886 sq. — La Sainte Bible, texte de la Vulgate, trad. franç., en regard avec Comment. Paris 1876 sq. ed. Crelier, Trochon, Clair, Gillet, Lesétre, Motais, Gandveau. — Kurzgefaßter wissensch. Kommentar zu den hl. Schriften des A. T., herausg. von Dr. B. Schäfer in 12 Bdn. Wien 1901 ff. Literturam exegeticam vide apud Strack, Einleit. in A. T. — Kihn, Enzyklop. u. Methologie d. Theol. 1892. — Glaa, System. geordn. Repertor. d. kath. theol. Literat. Paderb. 1895. I Bd.

5) Leo PP. XIII. (Lit. Encycl. 18. Nov. 1893 »Providentissimus Deus«) leges descripsit, quibus ss. Bibliarum studia ratione proba regerentur Librisque divinis contra erorres calumniasque Rationalistarum assertas, simul et ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae critica sublimior audit: quas quidem opiniones nihil esse aliud palum est nisi Rationalismi commenta e philologia et finitimis disciplinis detorta (Act. s. S. t. 21. pg. 269). Idem Pontifex (Lit. ap. d. 30. Oct. 1902 »Vigilantiae«) Pontificale Consilium seu Commissionem Studiis biblicis s. Scripturae provehendis, e Cardinalibus et viris scientia theologiae Bibliorumque ss. claris delectam, condidit, ut in hoc Consilio locus sententiis quibusvis libertate omnimoda proponendis, expendendis disceptandisque fieret (Act. s. S. 1903 pg. 234).

Pius PP. X. (Mot. pr. d. 18. Nov. 1907) ait: Expresse praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio, sententiis pont. Consilii de re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac decretis ss. Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice se subjiciendi. (Act. s. S. 1907. pg. 723).

D) Archaeologia biblica.

Archaeologia seu enarratio Antiquitatum primo tempore non tantum instituta, sed et facta (historiam) amplectebatur[1]): medio autem aevo tanquam objectum archaeologiae biblicae instituta tantum tractabantur et quidem in variis monographiis[2]), quas collegit Ugolinus[3]). Inde a seculo XVII. plures archaeologiae editae sunt tum a Protestantibus rationalistis[4]) et orthodoxis[5]), tum a Catholicis Theologis[6]).

1) V. g. Antiquitates Josephi Flavii et Civitas Dei s. Augustini.

2) A. Montanus, Antiq. jud. lib. IX. — Sigonius, de republ. Heb. lib. VIII. Fcf. 1585. — Menochius, de republ. Hebr. 1648. — Cunaeus, de republ. Heb. lib. III 1617. — Selden, de synedriis et praefect. jur. vet. Heb. lib. III. 1650, Uxor hebr. 1712. —

Braun, de vestib. sacerd. heb. lib. 2, 1680. — A. Bynaeus, de calceis Heb. 1. II, 1682. — Vitringa, de synag. vet. lib. III. 1696. — M. Geier, tract. de Ebraeor. luctu lugentiumque ritibus 1656. — Reland, Antiqu. s. vet. Heb. 1708. — N. Schröder, com. phil. crit. de vestitu mulierum. 1776. — Spencer, de legg. rit. Heb. 1685. — Lund, Die alt. jüd. Heiligtümer, Gottesd. u. Gewohnh. Hamb. 1704.

3) Bl. Ugolinus († 1769), Thesaurus antiquitatum sac. complectens selectissima clar. virorum opuscula, in quibus veterum Hebraeorum mores, leges, instituta, ritus sacri et civiles illustrantur. Venet. 1744—69, 34 Tom.

4) Rosenmüller, Handbuch der bibl. Altertumskunde. 4 Bde. Lpzg. 1823—31. — De Wette, Lehrb. d. hebr. jüd. Archäologie. 1814 (4. ed. a Räbiger. 1864). — G. Bauer, Lehrb. d. heb. Altertümer (3.). 1832. — H. Ewald, Die Altert. des Volkes Israel. Gott. 1846 (3. ed. 1866). J. Saalschütz (judaeus), Archäologie der Hebr. 1855. Mosaisches Recht. Berlin 1848 (2. ed. 1853). — W. Nowack, Lehrb. der hebr. Archäologie. Leipzig 1894. — Kittel, Studien zur hebr. Archäologie u. Religionsgeschichte. 1908.

5) Bähr, Symbolik des Mos. Kultus. 1837 (2. ed. 1874). — Keil Handbuch d. bibl. Archäologie. 2. ed. 1875. — Kinzler, Die bibl. Altertümer. Calw. (5. ed.) 1877. — Benzinger, Hebr. Archäologie. Freib. 1894. 2. ed. 1907.

6) J. Jahn, Bibl. Archäologie. Wien 1896. 5 Bde. (2. ed. 1817—25) et: compendium Archaeologiae, 1819 (2. ed.). — Ackermann, Archaeol. bibl. Vien. 1826. — J. Scholz, Handb. d. bibl. Archäol. Bonn 1834. — J. Allioli, Hand. d. bibl. Altertumskunde. 1844. — P. Scholz, Die heil. Altertümer des Volkes Israel. 1868. — B. Haneberg, Die relig. Altertümer der Bibel. München 1869. — B. Schäfer, Die relig. Altert. der Bibel. Münster. 2. Aufl. 1891. — P. Schegg, Bibl. Archäologie 1887. — Fr. Kortleitner, Archaeologiae bibl. Summarium. 1906. — M. Hetzenauer, Theologia Bibl. I. A. T. Lpz. 1908.

De sacrificiis scripserunt Stöckl et Thalhofer, — de poesi sacra: Lowth, Herder, Bickell, Gietmann, Grimme, Döller, Ecker, D. Müller, König, Zenner, Schlögll, Sievers, Cobb. — de musica: Saalschütz (1829), Schneider (1834), J. Weiß (1895), Greßmann (1904), Davies (1904), — de numismatica: Eckhel, doct. num. vet. 3 Vol. 1794. F. de Saulcy, Récherches sur la numism. jud. Par. 1854; Mémoire sur les nom. dat. des Séleucides 1872; Cavedoni, Bibl. Numismatik (germ. ed. a Werlhof) 1855. Levy, Geschichte der jüd. Münzen. 1862. Hager 1868. Erman, Kurze Übers. d. Münzgesch. Pal. (Z. d. DPV. II. 75 sq.), Madden, Coins of the Jews 1881. — de mensuris: A. Böckh, Meteor. Unters. 1838, O. Thenius, Die altheb. Länge- und Hohlmasse (St. u. Kr. 1846. 73 sq. 297 sq.), Müller, Über die hl. Masse 1859. J. Brandis, Münz-, Maß- und Gewichtswesen in Vorderasien 1866. Oppert, L'étalon des mesures assyr. 1875. Lehmann, Das altbabyl. Maß- und Gewichtssystem 1893. — Conder, Hebrew Weights and Measures (Pal. Expl. Fund XXXIV, 2, 175 sq.

E) Chronologia biblica.

Quamvis multi docti in chronologia biblica accurate stabilienda insudarint, tamen de chronologia aevi ante Salomonem adhuc varia dubia exstant. Effossiones recentissimo tempore factae chronologiam biblicam valde illustrarunt et veram esse testantur. Notae chronologicae in Bibliis, docente Knabenbauer, multifariam corruptae sunt, ita ut chronologia biblica vix definite stabiliri possit. Ceterum Scripturae s. non est. chronologiam ex professo tractare, sed passim tantum tales notas immiscet. Numerantur jam 360 systemata chronologica. Incertitudine hac chronologica auctoritas s. Scripturae non minuitur. Chronologiam biblicam cum chronologia populorum veterum

plures comparare et conciliare studuerunt. Systema chronologicum verisimile juxta Köhler et Rost exaratum exhibetur in appendice.

Al. Schäfer, Bibl. Chronologie 1879. — E. Mahler, Bibl. Chronologie u. Zeitrechnung d. Hebr. 1887. — Lederer, Bibl. Zeitrechnung 1887. — Neteler, Stellung d. alttest. Zeitrechnung in der altorient. Geschichte 1894. — Fotheringham, The Chronology of the Old Test. 1906. — Howard, Neue Berechnungen üb. d. Chronologie d. A. T. 1904. — Toffteen, Ancient Chronology P. 1. Chicago 1907. — Jos. Bach, Zeit- und Festrechnung d. Juden. Jhg. 1908.

F) Geographia biblica.

Geographia terrae sacrae jam antiquissimo tempore per scriptores judaeos[1]), graecos et romanos[2]), per Eusebium et Hieronymum[3]), scriptores arabes[4]), speciatim autem per itineraria inde a seculo VIII. usque ad nostra tempora illustrata fuit, et praecipue nostris temporibus maxime elucidatur, ita ut jam historiam geographiae biblicae scribere liceat[5]).

1) In scriptis Josephi Flavii, Philonis et Talmud. Cf. Neubauer La Géographie du Talmud. Par. 1868.

2) Herodotus, Strabo, Ptolomaeus Geogr. lib. 8. 1605. Dio Cassius Plinius Tacitus.

3) Eusebius Caes, Onomasticon urbium et locorum s. Scripturae, seu liber de locis hebr. cum vers. lat. Hieronymi ed. a Bonfrerio Par. 1659 et recentissime a Paul de Lagarde (2. ed.) 1887 et a Klostermann 1904. — Hieronymus, epistola ad Eustochium.

4) Edrisi, Geographia Nub. Par. 1619. Abulfeda, Tabula Syriae et Annales Muslemici 5 Tom. 1789 seq.

5) Confer: T. Tobler, Bibliographia geographica Palaestinae. Lips. 1867, et de Literatura recentissima nominari merentur: S. Bochartus, Geographia sacra. 1707. — H. Relandus, Palaestina ex monum, vet. illust. 1714 cum tabula Theodosiana (Peutingeriana). — C. Raumer, Palästina 1860. L. Gratz. Schauplatz der hl. Schrift 1858 saep. — Mislin, Die hl. Orte, 3 Bde. Wien 1860. — Guérin, Déscription géograph., histor. et archéol. de la Palaestine 7 Tom. Par. 1869 seq. Itineraria: Niebuhr 1774, Volney 1788, Seetzen 4 Tom. 1803—10 (ed. Kruce 1854), Chateaubriand 1812, Burckhardt 1818, Schubert 1839, Schultz 1845, Tischendorf 1846 et 1862. Ed. Robinson et Smith, Palästina, 3 Tom. 1841 et Neuere biblische Forschungen 1857. Van de Velde, 2 Bde. 1855. Tobler, Bethlehem 1849, Golgatha 1851, Siloahquelle 1852, Denkblätter 1853, Topographie Jerus. 1854. Dritte Wanderung 1857, Nararеth 1869. Ebers 1872. De Saulcy 1865, Sepp, Jerusalem u. d. hl. Land (2. ed.) 1873 et alia opera Porter, O. Fraas, Wetzstein, de Vogué, Duc de Luynes. — Dr. R. Rieß. — Fleischmann, D. hl. Land in Wort u. Bild. 1904. — Benzinger, Palästina u. Syrien (Bädeker) 6. ed. 1904. — Zanecchia Dorangeon, La Palestine d'aujourd'hui Par. 1899. — Döller, Geog. u. ethnog. Studien z. III. u. IV. B. d. Könige. Wien 1904. — H. Guthe, Palästina. — Zeitschrift des deutschen Palästina. Vereines. — F. Buhl, Geographie d. alten Palästina 1896. Confer etiam: Missionsnotizen des hl. Landes. Wien, Kölner Vereinsblatt des heiligen Grabes. Petermanns Geographische Mitteilungen. Archives de l'Orient Latin, Par. 1881 sq. — Frohnmeyer u. Benzinger, Bilderatlas z. Bibelkunde 1906. — M. Hagen. Atlas biblic. S. J. (Cursus ss. Scripturae) 22 Tab. Paris 1907. — A. Musil, Arabia Petraea. Wien 1907. Moab et Edom. — Tabulae geograpicae: Kiepert 1840, et a Ritter, Stülpnagel et Raumer 1844. — V. de Velde 1866. — Ackermann, Bibelatlas 1845. — Bunsen, Kurtz-Jung, Bibelatlas 1859. — Menke, Bibelatlas 1868. — Zimmermann 1876. — Rieß, Hist. geog.

Bibelatlas. Frb. 3. ed. 1895. — Johnston, New biblical Atlas, London 1879. — Vogt, Kart over Palaest. Christ. 1879. — Oort, Atlas 1884. — H. Fischer u. Guthe, Handkarte v. Pal. 1890. — Zimmermann, Plan Jerus. — Benzinger, Bibl. topog. Karte v. Pal. 1892. Palmer-Guthe, Mosaikkarte von Madaba. Leipz. 1906. Conf. Röhricht, Chronolog. Verzeichn. d. a. d. Geograph. des hl. Landes bez. Literatur v. J. 333—1878. Berl. 1890 u. Bibliotheca geograph. Palaestinae 1890. The Historical Geography of the Holy Land auctore G. A. Smith (ed. 7) 1901.

§. 4. Dispositio.

In benignissimo praeparandae salutis opere Deum primo videmus processisse via universalistica, dein autem via particularistica populum Israel sibi in peculium segregando. ut esset ceteris »gens sacerdotalis«, et in plenitudine temporis salus per Messiam universis populis communicaretur, ergo fieret universalis. Tali modo Historia sacra Antiqui Testamenti sponte dilabitur in duas periodos:

Periodus prior, a creatione mundi usque ad vocationem Abrahae (2137 a. Ch.), complectitur praeparationem salutis universalisticam.

Periodus altera, a vocatione Abrahae usque ad Christum, continet salutis praeparationem particularisticam in theocratia Israel.

Periodus prior tribus distinguitur sectionibus:

Sectio prima: A creatione mundi usque ad lapsum Protoparentum; status naturae innocentis.

Sectio secunda: A lapsu Protoparentum usque ad diluvium, peccati origo et evolutio; lex naturalis.

Sectio tertia: A diluvio usque ad vocationem Abrahae, incrementum malitiae; praecepta noachitica.

Periodus altera item tribus dispescitur sectionibus:

Sectio prima: A vocatione Abrahae usque ad Moysen; praeparatio theocratiae (2137—1492).

Sectio secunda: A Moyse usque ad exilium babylonicum; fundatio et evolutio theocratiae (1492—588).

Articulus primus: A Moyse usque ad Josuam; fundatio theocratiae (1492—1452).

Articulus secundus: A Josua usque ad exilium babylonicum; evolutio theocratiae (1452—588).

Caput primum: A Josua usque ad Samuelem; evolutio pontificii (1452—1071).

Caput secundum: A Samuele usque ad schisma; evolutio regni (1071—933).

Caput tertium: A schismate usque ad exilium babylonicum; evolutio prophetismi (933—588).

Sectio tertia: Ab exilio babylonico usque ad Christum; translatio theocratiae inter gentes.

Articulus primus: Ab exilio babylonico usque ad reditum de exilio; theocratia inter gentes exul (588—538).

Articulus secundus: A reditu de exilio usque ad Christum; theocratia sub gentibus in patria restituta.

Epimetron denique adjunget synopticam historiam principalis exponendorum fontis, puta:

Sectio prima: Historiam Canonis Librorum sacrorum A. T.

Sectio secunda: Historiam conservationis vel integritatis textus Librorum sacrorum.

Sectio tertia: Historiam propagationis eorum in Versionibus antiquis.

Periodus prior.

A creatione mundi usque ad vocationem Abrahae.

Sectio prima.

A creatione mundi usque ad lapsum Protoparentum.

Status naturae innocentis.

§. 1. Creatio mundi.

1) Moyses historiae praeparationis salutis tanquam prooemium brevissimum praemittit initium seu creationem omnium rerum. *In principio*[1]) *creavit*[2]) *Elohim*[3]) *coelum*[4]) *et terram* (i. e. universum mundum non perfectum, sed in forma aliqua elementari — creatio prima immediata Gen. 1, 1). Hac cosmogonia, quae Deum creatorem aeternum, mundum vero a Deo creatum seu contingentem esse docet, errores ethnicorum et haereticorum excluduntur. Creavit autem Deus sola sua voluntate coelum, non vacuum, sed angelis plenum[5]) et simul (vel postea) terram, molem indigestam. Pro scopo suo Moyses statim transit ad describendum statum terrae elementarem i. e. ad geogoniam: *Terra autem erat inanis et vacua* — Tohu Vabohu (Chaos) — i. e. vitae, lucis, caloris et ordinis expers[6]), moles, tenebris et aquis undique circumfusa, super quam Spiritus Dei ferebatur, ut sua virtute divina vivificatrice eam foveret et formaret[7]).

1) Multae (decem) exstant de hac voce sententiae, quarum tres praecipuae sunt: *a)* In principio seu initio temporis, ut excludatur error, mundum semper fuisse et tempus non habere principium, quod est de fide; nam concilium Lateran. IV. definivit: *Firmiter credimus, quod unus solus est verus Deus, unum universorum principium; creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam,* quae jam erat sententia Basilii (hexaem.), Ambrosii (opif. sex dier.) et Augustini (sent. l.) et concilio Vaticano (ses. III. cp. 1) confirmata fuit. — *b)* In principio i. e. ante omnia, ad excludendem errorem, corporalia esse creata a Deo mediantibus creaturis spiritualibus; ita Augustinus (Civ. D. 11, 6. Conf. lib. 12, 18). — *c)* In principio i. e. in Filio (sensu accommodato) tanquam in Verbo suo, cui propter sapientiam principium exemplare vel efficiens appropriatur ad excludendum errorem, duo esse creationis principia: unum bonorum, aliud malorum. Congruunt: *In principio erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est* (Joh. 1, 1—3); *In*

ipso (Filio) condita sunt universa in coelis et in terra . . . omnia per ipsum et in ipso creata sunt. (Col. 1, 16); *Per quem (Filium) fecit et saecula* (Heb. 1, 2); *Omnia in sapientia fecisti* (Ps. 103, 24); *Dominus possedit me (sapientiam) in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio* (Prov. 8, 22 seq.). Ita: Basilius (hom. 1 in hex.), Ambrosius (hex. 1, 4), Augustinus (Conf. 12, cp. 20 et 28). Hieronymus (Quaest. heb. sup. Gen.). Confer: Thomam Aq. (sum. th. 1. q. 46. ar. 3.) et Petavium (Opif. sex. dierum. 1. 1. cp. 1).

2) Creavit i. e. בָּרָא = in instante ex nihilo fecit, ex nulla materia praeexistente, uti patet ex 2. Mach. 7, 28: *Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Aeternitatem Dei et productionem mundi in tempore per Deum testantur: Ps. 8, 4; 32, 9; 103, 5—10; 123, 8; 148, 5. Is. 40, 21, 26; 42, 5. Sap. 1, 14, Prov. 8, 22. Job 38, 4. Eccl. 16, 26; Confer ad vocem בָּרָא L. Reinke, Beiträge z. Erkl. d. A. T. VIII. 48. u. L. Reinke jun., Die Schöpfung der Welt. Münster 1859. S. 87 seq. Creavit autem Deus omnia ab initio temporis bonitate sua (Conc. Florent. dec. pro Jac.) et omnipotente virtute, solo voluntatis actu: »fiat«! (*Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum . . . . Quoniam ipse dixit. et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt* Ps. 32, 6, 9), et quidem, non necessitate coactus (Deus omnia, quaecunque voluit, fecit Ps. 113, 3; 134, 6; Apoc. 4, 11). liberrimo consilio juxta ideas suas aeternas (formas exemplares in mente divina existentes, Thom. 1. q. 44. a. 3), ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, quod est de fide (Conc. Vaticanum, const. dog. de fid. c. 1. can. 1—5). Ceterum verbum *dixit* in Genesi (capite primo) decies occurrit in signum perfectionis operis divini. Creationis finis (operantis) est bonitas Dei absoluta, finis autem operis principalis est gloria Dei externa et finis secundarius felicitas (beatitudo) hominum.

3) Creavit Elohim qua Deus, qui est creator, gubernator et judex universorum, quo nomine tanquam plurali pluralitas personarum in Deo innuitur; creavit enim Pater per Filium in Spiritu s. omnia (Athan. serm. 3, 5); quia juxta concil. Florentin. *Pater et Filius et Spiritus s. non tria principia creaturae, sed unum principium.* Moyses ergo his verbis aeternitatem Dei et creationem mundi in tempore seu ejusdem contingentiam clare docet, quo errores cosmogoniarum ethnicorum et haereticorum: Polytheismus, Dualismus Pantheismus, Emanationismus et Materialismus excluduntur.

4) Coelum et terram i. e. creaturarum universitatem seu universum mundum (κόσμον) extra Deum, quod Moyses in suis partibus principalioribus circumscripsit. Tres sunt explicationes: 1) coelum et terra appellata est materia informis (ἄμορφος ὕλη), non quia jam sunt, sed quia certum erat, inde fore coelum et terram; ita Augustinus (de Gen. c. Marc. I. 5 et 7), qui sententiam suam postea mutavit et docuit, 2) coeli nomine significari naturam spiritualem et angelicam, terrae autem naturam corporalem (Aug. de Gen, ad I. 13, 27, 3 conf. Graßmann, Schöpfungslehre d. hl. Aug. 1889. §. 3). 3) Sub coelo et terra intelligunt rerum creatarum universitatem, visibilium (et invisibilium), *ita ut explicite designetur creatura corporalis,* implicite autem creatura angelica. — Agitur hic de coelo empyreo, ubi simul sedes est angelorum et beatorum, non coelo vacuo, sed habitatoribus repleto, et de terra i. e. sphaerico terrae globo, prout erat in suo prima formatione, informis, materia invisa (Sap. 11, 18).

5) Moyses non meminit creationis Angelorum, quia scribebat Judaeis ad idololatriam pronis, qui facile angelos pro diis coluissent; tacite vero eos insinuat Gen. 2, 1: *Perfecti igitur sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum;* praeterea procreationem rerum aspectabilium dumtaxat et corporearum scribere instituebat. Ubi et quando creati sint Angeli, incertum est. Basilius (hex. I. 1), Gregorius Naz. (or. 28 in nat.), Chrysostomus (hom. 2 in Gen.), Joannes Dam. (de fid. orthod. 2, 3), Ambrosius (hex. 1, 5), Hieronymus (in Tit. 1) docent, angelos ante omnem creaturam (col. Job 38, 7) esse creatos, alii post coelum. Communior tamen sententia Patrum (August. de Gen. ad lit. c. 3, Bedae hex. 1., Petri Lomb., Ruperti in Gen. I. 1) et Theologorum tenet, angelos simul cum coelo

(Aug. cum. luce) et in coelo in principio temporis conditos fuisse (Thomas 1. q. 61. a. 2); nam sub nomine coeli comprehenduntur ejus habitatores et totus ornatus eorum (Suarez de op. 6 dier. 1, 6). Congruit decretum Concilii Lateranensis IV., repetitum in Concilio Vaticano 3. sess. cp. 1; angeli enim sunt quaedam pars universi; hinc competit eis, ut simul cum creatura corporali sint conditi (Thomas 1. q., 61. a. 3. et de pot. q. 3. a. 18). Insuper haec sententia bene conciliari potest cum illa prima ss. Patrum, qui dicunt, angelos ante omnem creaturam esse creatos, quia creaturae nomine accipi possunt determinatae naturae, quae modo existunt Creavit Deus eos tanquam substantias spirituales completas, gratia donatas, in ipsius servitium et hominis custodiam, in magno numero Dan. 7, 10: *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* (Gen. 32, 1, 2; Dt. 33, 2; Ps. 67, 18; Matth. 26, 53; Judae ep. 14, 15; Apoc. 5, 11). Uno autem (διάβολος) duce, qui *in veritate non stetit* (Joh. 8, 44, col. Job 1, 9), plures exciderunt a sanctitatis statu per grave peccatum superbiae: *ascendam in coelum, et ero similis Altissimo* (Is. 14, 13, 14; Ez. 28, 6), et quidem statim post primum instans suae creationis (Thomas 1, q. 63. a. 6), qui in infernum dejecti, poenam aeternam luunt atque regnum tenebrarum constituunt (Apoc. 9, 1; 2 Pet. 2, 4; Jud. ep. v. 6).

6) Geogonia. Terra erat Tobu Vabohu i. e. materia informis vel chaotica, omni cultu et ornatu carens. *Si informitas tempore praecessit formationem materiae, non fuit hoc ex impotentia Dei, sed ex ejus sapientia, ut ordo servaretur in rerum conditione, dum ex imperfecto ad perfectum adducerentur*, ait s. Thomas (1. q. 65. ar. 1), porro ut homines intelligerent, omnes res etiam quoad ornatum pendere a Deo (Chrysostomus), et ut nos ordinem in operando et perficiendo servemus (Ambrosius), Quantum temporis spatium intercesserit primam creationem inter et rerum formationem, non narratur, hoc tempore plures evolutiones geologicae locum habere potuerunt. In lingua assyriaca habemus nomen Bahu, nomen deae massae chaoticae.

7) Super molem rudem et tenebrosam ferebatur Spiritus Dei, non ventus, sed vis creatix divina, Spiritus sanctus (juxta communem traditionem et Ps. 32, 6; 103, 30), qui indivisa divisit et informia formavit, vel qui (juxta textum heb.) *incubabat super aquas*, volucrum instar quasi vitali calore fovens omnia (Hieronymus, q. in Gen. cp. 1). Ideo apparet idem Spiritus s. in baptismo Christi *tanquam columba* (Marc. 1, 10). Inde etiam fabulae gentilium de ovo mundi. Inveniuntur statim in creatione semina mysterii ss. Trinitatis.

2) Spatio sex qui dicuntur dierum — hexaëmeron[1]) — terram hanc rudem admirabili sapientia formavit et ornavit Deus — formatio rerum, vel creatio secunda mediata.

Primo die creavit lucem i. e. primum radii solis, fortassis nondum perfecti, per crassissimum aërem terrae globum attigerunt (V. 3—5).

Secundo die firmamentum seu aquas superiores (nubes) ab inferioribus separavit per aërem, qui terram circumambit et nubes quasi sustentat (V. 6—8).

Tertio die *a)* collegit aquas inferiores (maria), ita ut appareret terra arida (continens) — *b)* quae mandato divino vel Deo eam foecundante herbas et omnia ligna produxit (V. 9—13).

Quarto die fecit luminaria: solem, lunam (luminare magnum relative) et stellas in firmamento coeli (eorumque relationem astronomicam et chronologicam ad terram stabilivit), ut dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos (V. 14—19), i. e. per aërem jam serenum ea visibilia fecit, ut homo, si tunc in terra fuisset, primum ea talia vidisset, qualia nos coelo sereno videmus.

Quinto die creavit animalia aquatilia et volatilia eorumque propagationem sancivit (V. 20—23).

Sexto die *a)* creavit animalia terrestria (aevum praehistoricum) — et *b)* hominem, masculum et feminam, adjecta benedictione propagationis (V. 24—31). Creavit autem Deus omnia valde bona.

Septimo die requievit Deus ab universo opere i. e. cessavit a novis speciebus creandis, eumque diem sanctificavit in diem quietis, sabbati[2]) (Gen. 2, 1—3). — Cum relatione biblica de creatione mundi concordant in multis traditiones gentium[3]).

Commissio in Re biblica (30. Jun. 1909) confirmat sensum litteralem et historicum trium priorum capitum libri Geneseos, quo supposito nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica sapienter et utiliter adhiberi possit, et docet, denominationem et distinctionem sex dierum (jom) in cap. I. sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio sumi posse deque hujusmodi questione libere inta exegetas disceptare licere (Act. ap. Sed. I. 567).

1) De hexaëmero dogmatice definitum est, Deum omnia ex nihilo omnipotente sua virtute et bonitate initio temporis ad gloriam suam et felicitatem hominum creasse atque mundum dirigente Providentia divina ad praesentem pervenisse statum. Ubique in Bibliis causa prima rerum (Deus) urgetur, dum causarum secundarum (virium naturae) nulla fere fit mentio.

A) Interpretatio patristica. Ss. Patres de hexaëmero explicando abeunt in duas opiniones: *a)* interpretatio liberalior vel idealis (allegorica). Clemens Alex. (strom. 6, 16), Origenes (c. Cels. 6; de princ. 4, 16), Athanasius (or. 3) allegoriae studentes, res omnes simul creatas fuisse docuerunt. S. Augustinus, patronus hujus sententiae, ideo vespere de transactione consummati operis et mane de inchoatione futuri operis interpretatur (c. M. 1, 14). Serius (de Gen. ad I. 4—6; Civ. Dei 11, 29) nomine sex dierum intelligit successivos gradus cognitionis mundi creati in mente Angelorum, ita ut primus dies sit cognitio primi div. operis faciendi etc., et sic dicitur opus factum esse in aliquo die, quia nil Deus produxit, quod non impresserit menti angelicae. Juxta s. Augustinum omnes qui dicuntur septem dies, sunt unus dies, septempliciter rebus praesentatus, ita ut in relatione mosaica ordo tantum naturae et originis, atque connexio causarum, non autem ordo temporis et durationis serventur. Congruenter vocabula: »vespere et mane« sumit pro singulis momentis cognitionis angelicae: matutinae nempe contemplationis, quam habent in Verbo Dei, et vespertinae, qua in seipsa creatura cognoscitur. Conf. Graßmann l. c. pg. 19 sq. et Raich. St. Aug. u. dess. Schöpfgsber. 1889. — *b)* Interpretatio verbalis. Juxta communiorem sententiam ss. Patrum (Basilii in hex., Gregorii Nysseni explan. in hex. Chrysostomi, Hieronymi etc., Petavii op. 1, 5) per istos dies successio dierum temporalium et productionis rerum demonstratur. S. Thomas utramque sententiam admittit, habet (4 sent. dist. 12. a 2) opinionem s. Augustini rationabiliorem, ast alteram communiorem et planiorem vocat (de pot. q. 4. a. 2). Beda Ven. (in hex.) reverenter has sententias lectoribus proponit. Utraque ergo in Ecclesia nota, sed neutra directe approbata, neutra reprobata est. Ceterum inter duas has opiniones non invenitur magna differentia, si referantur ad modum productionis rerum, uti docet Thomas (1. q. 74. a. 2.). Hae duae interpretationes immutatae viguerunt usque ad secula recentiora, ubi novam rerum scrutationis viam inibant docti.

B) Variae autem sunt recentiorum theoriae seu hypotheses de hexaëmero, quae ss. Biblia cum literis profanis conciliare contendunt.

a) Theoria verbalis, vel diluvialis, quae sex dies naturales 24 horarum (civiles) statuit, et formationes geologicas post opus sex dierum, ergo in tempus historicum (diluvii) reponit, cui tamen magnae difficultates palaeontologicae obstant. Insuper tres priores dies non poterant esse dies proprie dicti, quia sol et astra nondum erant creata (?) et septima dies non habuit vesperam. Keil, Bosizio S. J., E. Veith, Sorignet et Trissl. Juxta propositiones E. Gryse (Hexaëm. 1889) dies hi naturales non exprimunt durationem successivarum formationum, sed sunt dies hebdomadis hebraicae, ab initio a Deo constituae. Haec theoria vix potest defendi. Cf. Kaulen, Bibl. Schöpfungsbericht. 1902.

b) Theoria concordistica, vel periodistica, quae dies tanquam periodos seu epochas incertae durationis accipit (nam יוֹם saepe pro tempore indeterminato usurpatur), et tali modo pulchram concordiam cum periodis geologicis monstrare studet; nam Deus usus est naturalium virium ministerio, quae non agunt, nisi in tempore per multas successiones, combinationes, pugnas et catastrophas. Item geologia docet, terreni globi involucra atque strata viribus naturae successive, seculorum lapsu, effecta fuisse. Ita Marcel de Serres, Cuvier, Fraas, Pianciani, Pfaff-Ebrard, Hettinger, Lüken, Reusch (ed. 3.), Delitzsch, R. Schmid, Zöckler et alii. Sunt autem sequentes species notandae:

α) Theoria restitutionalistica, quae docet periodos geologicas antecessisse hexaëmero biblico; scilicet terram de statu originitus perfecto (Gen. 1, 1) deturbatam et devastatam (v. 2), unde facta palaeontologica explicentur, et tandem (v. 3) in statum priorem restitutam fuisse — Buckland, Wiseman, Hengstenberg, Kurtz, Raumer, Schubert et A. Wagner. Nonnulli asseclae hujus theoriae: Kurtz, Westermaier, Keerl causam vastationis hujus proferunt lapsum angelorum, qui terram inhabitarint atque eam deserere coacti devastaverint — hypothesis falsa, quae nullo solido nititur argumento et geologiae contradicit.

β) Theoria stricte concordistica, quae periodos geologicas infra hexaëmeron locum habuisse defendit et quoad partes generales tantum retineri possit.

γ) Theoria, quae formationes geologicas hexaëmero successisse docet — attamen falsa est.

c) Theoria idealistica et quidem:

α) logica, secundum quam Moyses ultimam tantum causam productionum omnium indicat, Dei omnipotentem voluntatem et effectus seu momenta principaliora sex operationum divinarum enarrat, quae ita disposita sunt, tum quia logica ita postulat, tum quia historice saltem initia operationum sic se excipere debuerunt, tum quia sic congruebat fini religioso, in specie sanctificando diei septimo. Nihil tamen obstat tenere, operationes istas, ex parte salten, simultaneas fuisse. Hexaëmeron enim dividitur in duo tridua, quorum primum distinctionem elementorum, alterum ornatum eorum continet. Luci (1. diei) conveniunt luminaria (4.), firmamento (aëri) et aquis (2.) volucres et animalia marina (5.), atque terrae aridae cum plantis (3.) animalia terrestria et homo (6.), ascendendo gradatim ab imperfectis ad perfectiora, quem parallelismum: opus creationis (v. 1.), distinctionis et ornatus jam recenset s. Thomas (1. q. 70—74) — ita Michaelis, Baltzer, Reusch (ed. 4.). Redegit Moyses totum opus, prout erat in idea Dei, in talem ordinem, nempe quia narrationem rerum creatarum in eodem ordine ipse vel probabilius Adam in visione ex revelatione divina hauserat. Al. Schulz (Doppelberichte im Pent. — Bibl. Stud. XIII, Feb. 1908) duas relationes (Gen. 1, 1—2, 4a; 2, 4b—25) proponit: in prima apparat progressus ab imperfecto ad perfectiorem; homo, rex mundi creatur, postquam omnia pro eo sunt parata. In secunda homo tamquam ens principale primo creatur, reliquae vero res in mundo ipsius causa et prout ei sunt necessariae.

β) Theoria visionaria statuit, quod creatio mundi fuerit Adamo revelata septem visionibus, quae diebus Geneseos correspondeant, ita ut heptaëmeron a Moyse conscriptum sit quasi drama sex actus complectens (Ebrard, Lange, Hahn, Kurtz, Hoberg). Hummelauer assumit $5^1/_2$ dies visionarios et $1^1/_2$ dies naturales.

γ) Theoria idealis-concordistica, quae explicandi rationes idealem et concordisticam conciliare studet. Moyses dicendi ratione populari opera creationis sibi succedentia in

varias periodos divisit, quae non necessario inter se separatae sed partim synchronistice sunt explicandae simulque in hac divisione prosecutus est scopum religiosum, nempe ut operatio divina exemplum existat operationum humanarum. — B. Schäfer demonstrare studet, ss. Literas veritates nonnisi religiosas docere, reliquas autem doctrinas profanas non tangere nec curare, quod verum quidem est, minime tamen impedit, quominus haec theoria sit verisimillima. Simili modo Zapletal (Schöpfungsbericht Gen. 1902) et Peters (Glaub. u. Wissen im bibl. Schöpfungsbericht, 1906) explicant, quae explicatio popularis-didactica vocari potest.

δ) Theoria hymnologica, quae statuit, Moysen opera creationis divinae in septem dies hebdomadis distribuisse, ut eos quasi dedicaret his operibus, quemadmodum Agyptii dies hebdomadis septem diis vel Babylonii 7 planetis dedicaverant, ita ut caput primum non tam contineat relationem, quam hymnum creationis, sitque poëma et historia simul, atque prologus poëticus in Pentateuchum; cui respondeat epilogus, seu canticum Moysis (Deut. 32). Ita Clifford, episcopus Angliae, et ex parte P. de Foville, qui defendit, caput primum Geneseos esse historicum tum in forma, tum in suo fundamento, Moysen cognovisse plura facta historiae terrae, quibus usus sit, ut daret libro historico basim quidem historicam, sed libere et scopo suo religioso convenienter, ita ut successio dierum (in textu) non excludat quasdam discrepantias inter ordinem expositionis et executionis operum divinorum et dies principaliter tanquam typi dierum hebdomadis nominentur et enumerentur. (Révues de Quest. scient. Brux. 1882 et 1884.)

Recentissime valde evolutae sunt scientiae profanae (Geologia), hac de re agentes, quae plerumque ss. Bibliis adversantur ideoque a Theologis negligi nequeunt; sunt hypotheses geogoniae (neptunistica et vulcanistica), scrutantes involucri terrestris vicissitudines, quibus adductus sit status actualis; pervestigationes geognosiae, quae statum hodiernum telluris inquirit et docet, exteriorem telluris partem formatam ex variis stratis diversae naturae, altero alteri superpositis, quorum quatuor series distinguuntur: *a)* profundissima et antiquissima primaria, *b)* proxime succedens secundaria, *c)* tertiaria, *d)* quaternaria, quae superficiem telluris e recentissimis formationibus et humo vegetali constantem sustinet; ad uniuscujusque autem seriei formationem, ajunt, plura annorum millia necessaria fuisse. Accedit palaeontologia, quae formarum organicarum naturam, propagationem et successionem (fossilia et petrefracta) pervestigat, docens, tellurem in sua evolutione varia percurrisse stadia (quatuor periodos indefinitas) usque ad aevum historicum et quidem: periodum azoicam et palaeozoicam, mesozoicam, caenozoicam (tertiariam eamque eocaenicam, miocaenicam, pliocaenicam) et quaternariam seu pleistocaenicam (diluvium geologicum), quibus adjungitur alluvium tanquam periodus recentissima.

Periodus azoica nulla exhibet vestigia vitae sive vegetativae, sive animalis. In palaeozoica dominantur vegetabilia gigantica, praeprimis in stratis carboniferis; in stratis vero permianis et devonianis infimae animalium species, ut molluscae et pisces. In terris mesozoicis magna animalium fossilium copia occurrit et quidem specierum inferiorum, praeprimis reptilium monstrosorum (saurianorum) et vestigia volucrum variis mineralibus massis impressa. In epocha tertiaria plurimae mammalium species reperiuntur, et quidem in antiquioribus stratis eocaenicis et miocaenicis fossilia quadrupedum giganticorum (Megatherion), variae elephantum species, in stratis pliocaenicis crescit numerus recentium specierum et in supremis stratis incipiunt reliquiae corporum humanorum. In quaternaria epocha reperiuntur copiosa vestigia humana commixta fossilibus specierum adhuc existentium.

Si ergo creationem biblicam conferamus cum geologicis periodis, dies primus et secundus creationis correspondent epochae azoicae, dies tertius epochae palaeozoicae, dies quartus formationi permianae et infimis stratis epochae mesozoicae, dies quintus periodo mesozoicae, et dies sextus periodis tertiariae et quaternariae. Ceterum, ut recte observat Thomas (1. q, 69. a. 2. 3), »*Moyses ea tantum proposuit, quae in manifesto apparent. Mentionem non fecit de corporibus mineralibus, quia habent generationem occultam in visceribus terrae et non habent manifestam distinctionem a terra, sed quaedam terrae species videntur.*

Confer de his Vigouroux, Manuel Bibl. (A. T.) I. 447 (ed. 9.). — C. Braun, S. J., Über Kosmog. vom Standpunkte christl. Wissenschaft. 3. ed. 1905. Hummelauer, Com. in Gen. u. Bibl. Stud. III. 2. — Hoberg, Gen. — Schanz, Apologie d. Christent. 3 Bde. — Schöpfer, Gesch. d. A T. (4. A.) 1906.

Quotiescunque ss. Biblia inter et scientias urgetur dissensio, error est ex parte scientiarum, nam tenore Concilii Vaticani (fid. cath. cp. 4) *nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum Deus, qui mysteria revelat, animo humano rationis lumen indiderit;* quare omnis assertio veritati fidei contraria omnino falsa est.

De his rebus consule: Buckland, Die Urwelt u. ihre Wunder. 1837. — Kurtz, Bibel u. Astronomie. 1865. — Natur u. Offenbarung. 1869—1872. — Darwin, Entstehung d. Arten. 1860, u. Abstammung d. Menschen. 1875. — Hettinger, Apol. d. Christ. II. B. 1875. — Heinrich, Dogm. Theol. V. 214. — Lüken, Tradit. d. Menschengeschl., Stiftungsurkunde d. Menschengeschl. 1876. — Reusch, Bibel u. Natur 1876. — Pfaff, Schöpfungsgesch. 1877. — Güttler, Naturforschung u. Bibel 1877. — Hummelauer, S. J., Bibl. Schöpfungsbericht 1877. — Katholik 1874. — B. Schäfer, Bibel u. Wissensch. 1881. — Laacher Stimmen, Bd. 1—9. — Gutberlet, d. Sechstagewerk 1882. — F. Schmid, Kontrov. üb. Inspir. Z. f. kath. Theol. Innsb. 1887. p. 244 sq. — A. Trissl, Das bibl. Sechstagewerk 1892. — Hasert, Antwort der Natur auf die Fragen: Woher die Welt, woher das Leben? 3. ed. Graz 1896. — Hummelauer, Nochmals d. bibl. Schöpfungsbericht. Frb. 1898. — Deppe, d. bibl. Schöpfungsbericht u. d. Naturwissensch. Nat. u. Off. 1899. 417 sq. — Holzhey, Schöpfung, Bibel u. Inspiration. Stuttg. 1902. — Zapletal, D. Schöpfungsbericht d. Genesis. Frb. 1902. — Kaulen, D. bibl. Schöpfungsbericht. Frb. 1902. — J. Koch, Das Sechstagewerk verglichen m. d. Schöpfungsberichten anderer Völker. 1903. — Dennert, Bibel u. Naturwissenschaft 5. ed. 1906. — Kreichgauer, d. Sechstagewerk. Steyl 1908.

2) Quia Moyses noluit geologiam texere, sed sacram historiam, nonnisi effectus profert, nihil aperiendo de processibus illos effectus adducentibus. Lux primi diei est lux solis, qui adhuc in statu evolutionis progredientis erat, per crassissimum aërem densissimasque nebulas ad terrae superficiem primum penetrans, ita ut homo si tunc in terra exstitisset, solem ipsum nondum vidisset. Secundum s. Thomam (1. q. 67. a. 4 ad 2) *fuit lux solis, sed adhuc informis.* Dicitur: *factum est vespere et mane, dies unus,* quia opus a Deo creatum absolvitur creationis initio novi operis (mane). Secundo die formatur atmosphaera, ubi vapores condensati efficiunt nubes. Opus tertii diei complectitur duplex: separationem aquarum a terra arida, et productionem primaevae florae (vitae vegetativae); qua ratione vegetabilia produxerit Deus, utrum ea creaverit, an semina eorum vel vim producendi terrae indiderit, non narratur. Finis luminarium coeli quarto die creatorum destinatur relate ad terram: divisio diei et noctis, sint signa eventuum physicorum et tempestatum, in tempora fixa (praecipue festiva), divisio temporis in dies, menses et annos, et illuminatio terrae. Die quinto animalia aquatica et volatilia (sensitiva) in magno numero creantur. Sexto die duplex opus perfecit: creationem animalium terrestrium et creationem hominis, quem speciali modo, naturae et excellentiae ipsius convenienti, creaturus, Deus apud se consulendo ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (V. 26) et dominum universae terrae statuit. In hac narratione omnia secundum rerum naturam, leges physicas et philosophicum rerum conceptum procedunt. Lux et vapores necessarii erant vitae vegetabilium, et haec praemittenda animalibus. In horum creatione inferiora et imperfectiora praemittuntur et tandem homo creatur, qui omnibus animantibus praeesse debebat. Septimo die perfecit Deus opus suum sc. creationem novarum specierum; *qui ultra jam non condidit aliqua genera nova* (Aug. Gen. ad. l. 4, 12, 22), nam gubernationis, conservationis et productionis novorum individuorum opus etiam nunc peragit Deus, ut ait Christus: *Pater meus usque modo operatur.* (Joh. 5, 17.) Confer Thoman (1. q. 73, a. 2.). Hunc diem quietis destinavit Deus sibi quasi sacrum (*benedixit ei et sanctificavit eum.* Gen. 2, 3). *Dies septimus sine vespera est, nec habet occasum, quia,* ut ait Augustinus (Conf. 13, 36), *sanctificasti eum ad*

permansionem sempiternam. Hinc dicitur *Deus requievisse, quia nos (in seipso) requiescere facit,* dicit s. Thomas (1. q. 73. a. 2.) — inde origo sabbati. Septem ergo creationis dies primam hebdomadam eamque simul qua imaginem subsequentium exhibent. Moyses non solum in universo, sed etiam in singulis bonitatem originalem creaturarum et perfectionem rerum adducit, ne origo mali Deo tribuatur. *Cuncta, quae fecerat, erant valde bona* (Gen. 1, 31). Exinde tamen non sequitur, hunc mundum esse absolute perfectissimum, nam *Deus postet alia facere, quam quae fecit* (Thom. 1. q. 25. a. 5. Aug. Ench. 95).

3) In Rig Veda Indorum mundus (massa chaotica aquarum) ab ente divino aeterno creatus, per spiritum divinum (Kâma) ordinatus et in superiorem atque inferiorem mundum divisus narratur. Apud Persas Ahura Mazda est Deus supremus, creator et magister creaturarum coelestium, per cujus sapientiam mundus ex nihilo creatur, quique hominibus legem sanctam dedit. In Genesi babylonico-assyriaca (Smith, Chald. Genesis deutsch von Delitzsch 1876) sermo est de chaotica massa aquarum. Apsu et Tiamat, qui sunt duo primi dii, e quibus ceteri dii procedunt. Bello inter Apsu et Tiamat ex una parte et ceteros deos ex altera parte exorto Tiamat a deo Marduk devincitur, in duas partes dividitur, ex quibus coelum et terra formantur. Cf. Jensen, Kosmologie der Babylonier 1890. — Gunkel, Schöpfung u. Chaos in Urzeit u. Endzeit 1894. — Lotz, Bibl. Urgeschichte in ihrem Verhältnis zu den Urzeitsagen anderer Völker 1907. Apud Aegypios (papyrus mört. Turin. l. 1) similia leguntur de creatore divino coeli et terrae, de statu chaotico terrae (papyr. Anastasi I. 350); deus est artifex mundi, qui lumina coeli accendit, hominem ad imaginem suam fecit, diem septimum sanctificavit et sacrificia instituit. Confer E. Fischer, Heident. u. Offenbar. 1878, p. 68 sq. Vigouroux, La Bible l. c. I. 1. cp. 1.

§. 2. Protoparentes — status naturae innocentis.

1) Postquam Moyses in cap. I. creationem omnium rerum in genere narravit, depingit (2, 4 cp.) specialem creationem Protoparentum, statum naturae innocentis nec non finem eorum supernaturalem, ad quem Deus eos praedestinaverat. Formavit ergo Jahve-Elohim corpus humanum de limo terrae et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. animam, tanquam immediatam corporis formam[1]) et factus est homo anima (ens) vivens, juxta imaginem et similitudinem Dei creatus; fuit ergo »*Adam Dei*« (Luc. 3, 38). Praeterea Deus gratiâ sua primum hominem donis supernaturalibus ornavit et eum supremam perfectissimamque inter creaturas visibiles constituit[2]); homo, quum omnium rerum spiritualium et corporalium gradus in se nectit, recte Microcosmus vocatur[3]). Protoplasten de terra (adama) formatum vocavit Deus Adam, ut originis suae memor, in omni humilitate Deo sit subjectus. Creatio hominis die sexto facta est, quocum incipit aevum historicum[4]).

1) August. (de imm. anim. 15, 24): *Per animam corpus subsistit et ex ispo est, quo animatur.* Dum ergo principium vitae animalium est vegetativo-sensitivum tantum, in homine est simul rationale.

2) Cum in homine creando historia creationis induit characterem historiae divinae oeconomiae salutis, adjungit Moyses nomini Elohim nomen speciale Jahve. Plasmaverat autem Deus immediate (Basilius, Ambrosius hex. l. c., Thomas 1, q. 91. ar. 2.), non per angelos (Augustinus l. 3. de Trin. 4.), corpus de limo terrae immaculatae (typi immaculatae V. Mariae, e qua formatum est corpus Christi cf. martyrium s. Andreae Ap.), unde Adam *de terra terrenus* (Sap. 7, 1; 1. Cor. 15, 47) dicitur, cui infudit creando et creavit infundendo animam (Creatianismus — quo excluduntur generatianismus et traducianismus). Homo creatus est ad imaginem et similitudinem Dei. In quonam haec imago consistat,

multum divergunt Theologi. Constituunt eam aut in cognitione, aut in libero arbitrio, aut in virtute, aut in immortalitate, aut in dominatione in animantia. Juxta sententiam probabiliorem imago Dei est totus homo, ex corpore animaque constans, sed primarie imaginis Dei ratio sita est in natura hominis spirituali, et secundarie in dotibus, quibus etiam corpore suo eminet, cujus in homine forma praestantissima est et statura recta. (Conf. Petavium de opif. 1. 2. cp. 2 seq.). Altera quoque est in homine imago supernaturalis, quae sita est in gratia sanctificante et justificatione, qua ipse sit consors naturae divinae (Col. 3, 10. Eph. 4, 24). Adae in primo instanti creationis suae cum gratia infusae sunt simul omnes virtutes et data est justitia originalis, habuit etiam notitiam extraordinariam naturaliter scibilium (scientiam in primis), et supernaturalium tantam, quanta opus erat (Thomas 1. q. 94, a. 3), quae erant dona indebita naturae humanae superaddita. Praeterea Deus corpus Adae gratia immortalitatis, — dono: posse non mori, ornaverat (*creavit hominem inexterminabilem* Sap. 2, 23; 1, 13); atque homo ab omnibus miseriis et aerumnis immunis exstitit = integritas naturae (Thomas l. c. p. 97, a.). *Deus fecit hominem rectum (Eccl. 7, 30); erat enim haec rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires et animae corpus.* (Thom l. q. 95. a 1). Hinc *super omnem animam in origine Adam* (Eccli. 49, 19). Cf. Zapletal, Alttestamentliches 1904, 1—15.

3) Natura humana igitur est natura communis ex spiritu et corpore constituta (Dichotomismus). Conc. Later IV. c. 1: *Deinde creavit humanam naturam, quasi communem ex corpore et spiritu constitutam,* et Eccl. 12, 7: *revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Cum ergo homo a Deo creatus sit, abominabiles sunt hypotheses materalistarum de naturali ortu hominis e limo antiquissimo (Strauß), vel Darwini ejusque asseclarum theoria de specierum transformatione seu de successiva evolutione hominis e bruto (simia anthropomorpha, uti Orang-utang, Gorilla), nam existentiam Dei creatoris omnino negant. Cum homo sit animal rationale, rationalitas autem constituat specificam differentiam, species hominis a speciebus brutorum differt per rationem et intelligentiam, sub quo respectu ad Dei imaginem factus dicitur. Confer Güttler l. c. pag. 174 seq. Wasmann, Zur Entwicklungstheorie 1896.

4) Quia s. Scriptura chronologiam non ex professo, sed per accidens tradit. certa chronologia in ss. Bibliis quoad antiquissima tempora juste quaeri non potest, nec facile constitui; nam inter textum hebraicum et Vulgatam (4220—4225) et Septuaginta (5000 annos) jam differt modus numerandi annos a creato homine usque ad Christum. Quamvis juxta sententiam communiorem etiam chronologia biblica objectum inspirationis divinae constituat, tamen haec non extenditur ad amanuenses, sed tantum integritatem doctrinarum fidei et morum comprehendit (Conc. Vat. sess. 3. cp. 2. M. Laacher Stimmen VI. 164). Hinc numeri biblici, quia partim corrupti, insufficientes sunt ad systema chronologicum constituendum. Etiam rationes, quas historici ex chronologia Babyloniorum, Aegyptiorum, Sinensium et Indorum, utpote magna ex parte (antediluviano tempore) fabulosa et mythica, astronomi ex zodiacis et planisphaeriis aegyptiis et tabulis astronomicis aliarum gentium, physici ex evolutione terrae et entium organicorum, e fossilibus, ossibus humanis in speluncis ossiferis repertis, vestigiis humanae habitationis praehistoricis, praeprimis ex habitationibus lacustribus, climaticis phaenomenis, ex sic dictis periodis geognosiae petunt ac apparitionem hominis in terra collocant ante 100.000 annos (Vogt, Büchner, Wallace), nullo solido nituntur fundamento. Plures docti in hoc conveniunt, aetatem generis humani non ultra sex (Aug. Civ. D. 12, 10, 2) usque septem millia annorum esse statuendam. Confer Bumüller, Geschichte des Altertums. — Lüken, Traditionen l. c. pg. 267. — Güttler, Naturforsch. l. c. pg. 279 seq. — Reusch l. c. — Natur u. Off. 1856. 57. 69. — Laacher St. IV. Bd. — B. Platz, D. Mensch. 1887, pg. 631. — Schanz, Das Alter des Menschengeschl. in bibl. Stndien. 2. Heft. — Braun, l. c. pg. 101.

His alii contradicunt, provocantes ad historiam Aegypti; nam Manethonis axiopistia, qui in catalogo Aegypti ultra 5000 annos numerat, per recentiores excavationes in dies magis

confirmatur. Confer J. Brucker S. J. in ephemeride: La Controverse et le contemp. Lyon 1886. — Vigouroux, Revue de quest scient. Par. 1886. — Pannier, Geneal. bibl. cum Monum Aeg. et Chald. collatae. 1887.

2) In regione Eden erat hortus, paradisus, quem Deus arboribus pulchris omnibusque deliciis ornaverat, praeprimis autem arbore vitae in medio ejusdem, et arbore scientiae boni et mali[1]). Fluvius egrediebatur ex Eden, qui irrigavit paradisum et, inde egrediens, dividebatur in quatuor capita[2]): Phison, qui circuit terram Hevilath (Chavila), ubi nascitur aurum et invenitur bdellium ac lapis onyx, Gehon ambientem terram Cusch, Phrat (Euphrates) et Hiddekel (Tigris). In hunc paradisum posuit Deus Adamum, ut operaretur et custodiret illum sibi, ut scilicet se a peccato purum servaret talique modo paradisum coelestem mereretur[3]). Adam autem non coacte et ex instinctu, sicut animantia, sed libera voluntatis decisione et actu Deo servire debuit; nam ipse Deo obedire vel a Deo deflectere potuit. Occasionem hujus servitii voluntarii probandi dedit praeceptum divinum de non comedendo fructu arboris scientiae boni et mali, interposita simul gravissima poena inobedienti: *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*[4]) (2, 4—17). Hoc mandatam Deus Adae dedit tanquam capiti et vicario totius generis humani, et ab Ada etiam Evae (3, 3) communicatum est, quia vir est caput mulieris (Eph. 5, 23; 1 Cor. 14, 34 seq.).

1) Arbor vitae ab effectu nomen sortita est, quo *illa praestaret, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta* (Augustinus de Gen. ad. l. 8, 5), *ne illum senecta dissolveret* (Augustinus Civ. D. 14, 26), *quia ejus fructus habebat virtutem, conservandi vitam, non quidem simpliciter, sed ad determinatum tempus* (Thomas 1. q. 102. a. 1. et q. 97. a. 4). Inerat ergo ei vis haec modo sacramentali, quo elementa terrena in vasa rerum coelestium sanctificantur. — Arbor scientiae boni et mali *nominata est propter eventum futurum, quia post ejus esum homo per experimentum poenae didicit, quid interesset inter obedientiae bonum et inobedientiae malum* (Thomas l. c. q. 102. a. 1.; Augustinus Civ. D. 14, 17). Utrum fuerit ficus (col. Gen. 3, 7), an malus (Cant. 8, 5), incertum est. Ad fructus paradisi alludunt Cant. 4, 13; Eccli. 40, 17, 28. Ez. 28, 13; 31, 8. Congruunt traditiones gentium. In Rig Veda apparet Soma tanquam arbor sacra, quae immortalitatem amissam restituit. Huic congruit in Avesta arbor Haoma, quae virtutem, sanitatem et immortalitatem animae confert; in cuneiformibus inscriptionibus apparet arbor a Cherubinis custodita, et altera cum serpente inter virum et feminam (saltem secundum nonnullos, ut Delitzsch). Confer E. Fischer Heident. und Offenb. 1878 Vigouroux, La Bible l. c. ep. 4. (ed. 6)

2) De situ paradisi jam tempore s. Augustini (de Gen. ad l. 8, 1.) tres opiniones exstabant: *Una eorum, qui tandummodo corporaliter paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo paradisum accipiunt, alias corporaliter, alias spiritualiter.* Spiritualiter seu allegorice tantum accipiunt Philo (l. de mund. op. et l. 1. alleg. leg.). Origenes (περὶ ἀρχ. 4, 2; sup. gen. l. 4) — haeresis notâ insignita est opinio haec ab Hieronymo (ep. 84. al. 65. ad Pam.), sicut haeresis Pelagianorum a S. Augustino (Lip. imp. c. Julian.). Utroque sensu paradisum, nempe tanquam locum amoenum terrestrem, qui simul est typus ecclesiae vel coeli, exposuerunt Augustinus (Civ. D. 13, 21; de Gen. 8, 1 seq.), Joannes Chrysostomus (in Gen. hom. 13), Ambrosius (l. de parad., exp. in Ps. 118 serm. 4.), Irenaeus (adv. haer. 4, 34) et alii. In Ecclesia est arbor scientiae, nempe crux, et arbor vitae ipse Christus, vel sacramentum Eucharistiae, fluvius doctrinae et gratiae divinae, qui in quatuor evangeliis se diffundit super orbem. Holzhammer, Bibl. Gesch. I. Bd. pag. 55.

In quanam terra paradisus situs fuerit, eruditi non conveniunt, quia fluvii Phison et Gehon accurate determinari nequeunt; dum fere omnes Phrat cum Euphrate et Hiddekel cum Tigride identificant. Antiqui interpretes sub Phison itelligebant Gangem vel Indum, sub Gehon Nilum et reponebant paradisum in Armeniam. Quae sententia recentiori tempore reassumpta est ab Engelkemper (Die Paradiesesflüsse 1901) et ab E. König (5 neue arab. Landschaftsnamen im A. T. 1902). Alii ut Hoberg (Genesis 1899, 30 sq.) paradisum item in Armenia quaerunt, Phison interpretantur de Kur vel Tschorogh et Gehon de Araxe. Hommel (4 neue arab. Landschaftsnamen im A. T. München 1901, 326 sq.) una cum Glaser putant paradisum in Arabia situm fuisse exponendo Hiddekel de Wâdi Sirhân, Phison de Wâdi Dawâsir et Gehon de Wâdi er-Rumma, sed contra hanc hypothesim cf. König sp. c. 38 sq. Sed sententia probabilior paradisum quaerit in Babylonia, sic Fr. Delitzsch (Wo lag das Paradies? 1881, 37 sq.), qui sub Phison et Gehon duos canales Euphratis intelligit, et Hummelauer (Gen. 1895, 133 sq.), qui Phison et Gehon de Eulaeo et Choaspe, qui nunc in Schatt el-Arab influunt, exponit. M. Engel (Wirklichkeit u. Dichtung 1907) paradisum in loco inter vastas solitudines sito Ruchebe versus austrum orientemque a Damasco, ubi in lacum 4 fluvii se infundunt, quaerere vult. Rießler (Wo lag das Paradies? Theol. Quart. 1908, 169 sq.) sub Phison hodiernum Belich et sub Gehon Chabur intelligit et paradisum non longe ab ingressu fluvii Belich in Euphratem, ubi Bit Adini in inscriptionibus cuneiformibus memoratur, reponit.

3) Adam, extra paradisum in regione Eden creatus, illuc a Deo transfertur, ut sciret paradisi se non filium, sed colonum esse, utque paradisum non naturae suae quasi sibi debitum, sed gratiae Dei tribuerent, transferendus post vitam animalem in coelum (Thomas 1. q. 102. a. 4). Operari *non est operatio laboriosa, sicut post peccatum, sed juncunda propter experientiam virtutis. Custodia etiam illa non esset contra invasorem, sed esset ad hoc, quod homo sibi paradisum custodiret, ne ipsam peccando amitteret. Et hoc totum in bonum hominis cedebat, ait* Thomas (l. c. a. 3); Augustinus (l. 8. de Gen. cp. 10), qui et alteram adducit sententiam: ut ipse Deus operaretur justificando ipsum et custodiret ab omni corruptione et malo. Haneberg (Rel. Alt. pg. 6) sub operatione intelligit adorationem, quam Adam vegetabilia comedendo in suo corpore tanquam in altari quasi sacrificium obtulit, secundum Augustinum (Civ. D. 20, 26): *Tunc puri ac integri ab omni sorde ac labe peccati se ipsos Deo mundissimas hostias offerebant.*

4) Causae praecepti illius, quod plane vitae protoparentum circumstantiis accommodatum erat (subtrahitur enim esui fructus unius arboris, materia gravis ex circumstantiis), fuerunt: *a)* ut virtutum exercendarum materia suppeteret, praeprimis obedientiae (Augustinus Gen. ad l. 8, 6), *b)* ut homo se alteri subjectum videret (Cyrillus Alex. in Joh. Ev. l. 5, Basilius hom. q. Deus n. est. a. mal. n. 6). Ad quaestionem Manichaeorum: quare Deus fecit hominem eique legem tulit, quem peccaturum sciebat, respondet Augustinus (l. c. Man. cp. 28): *Quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen justitiae suae, et quia nihil oberat Deo peccatum ejus et sive non peccaret mors nulla esset, sive quia peccavit, alii mortales de peccato ejus corriguntur* et (Ench. c. 25): *Melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.* Congruit illud Apostoli: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* (Rom. 5, 20) et oratio Ecclesiae sabbato majori: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem! — Ampliora etiam, quam Adami abstulit culpa, Christi nobis contulit redemtio* (conc. Prov. Colon. I. c. 16). Minatur Deus Adae inobedienti mortem, non tantum corporis et temporalem, sed et animae spiritualem et aeternam eamque inevitabilem (morte morieris). Adam ergo peccando quoad corpus mox necessitatem mortis (*non posse non mori* secundum Magistrum sent. in 2. dist. 19), quoad animam vero actu et reipsa mortem incurrit. Hinc patet, mortem (finem vitae corporalis) homini in statu naturae integrae non fuisse naturalem (uti Pelagiani docent), sed esse poenam peccati; *stipendia enim peccati mors* (Rom. 6, 23). Confer Concilium Milevit. cp. 1. et Augustinum (l. 1. de pecc. mer. cp. 2); licet enim, spectando

naturam et elementa contraria hominis, hic mori debuisset, tamen spectando Dei decretum et gratiam fuisset immortalis.

3) Adduxit Deus animantia (non omnia, fors ea tantum, quae erant in paradiso) ad Adamum, ut occasionem nanciscatur, excercendi facultatem loquendi, et imposuit Adam nomina ipsis convenientia, quae singulorum naturam exprimebant. Ex hac nomenclatura videre licet Adae sapientiam magnam et claram cognitionem naturae[1]), nec non imperium et postestatem ejus in animalia. Omnibus inspectis et cognitits animantibus nullum sibi simile adjutorium animadvertit Adam, et ut desiderio voluntatis ejus satisfaceret Deus, Adae alto sopore (ecstasi) oppresso costam abstulit eamque aedificavit in mulierem, quam adductam ad se (tanquam sponsam et uxorem) vir appellavit Viraginem (Ischa). Tali modo matrimonium primum monogamicum et indissolubile a Deo institutum est[2]), a quo totum genus humanum deduceretur[3]) (2, 18—24).

1) Adduxit Deus animantia aut per angelos aut per impulsum affectui animalium a se impressum. Nominum impositio non fuit fortuita sive arbitraria tantum, sed consulta et uniuscujusque animantis naturae specificae convenienter adaptata, quae testatur de sapientia supernaturali Adae data (Thomas 1. q. 94. a. 3), uti probat Scriptura: *Creavit eis Deus scientiam spiritus* (Eccli. 17, 6 seq.). — Lingua humana *a)* non ex immediata revelatione divina originem trahit, uti Traditionalistae putant, *b)* nec solum opus naturae seu artis humanae, est, uti Materialistae docent, nempe homines aut sonos naturales imitatos esse (theoria imitationis), aut sonos naturales secundum necessitates modificasse (theoria interjectionum), sed *c)* est donum Dei naturae humanae inditum (Eccli. 17, 5), ita ut facultatem loquendi sibi innatam, in actu libere exerceret, *nam creavit Deus hominem rectum* (Eccl. 7, 30). Linguam Adamo jam in actu creationis inditam fuisse, sequitur ex eo, quod 1) Deus cum Adamo statim collocutus sit, 2) quod Adam singulis animalibus nomina imposuerit, 3) quod Adam Hevam aspiciens exclamaverit verbis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, haec vocabitur virago* (Gen. 2, 23), 4) Verba Eccli. 17, 5: *Creavit ex ipso adjutorium sibi; consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi.* Confer Stöckl, Lehrb. d. Philos., 1869. I. §. 16. — Grimm, Über den Ursprung der Sprache 1858. — W. de Humboldt, Abh. d. Berl. Akad. 1820, pg. 247. Kaulen, Sprachenverwirrung, l. c. 106 seq. — Cara Esame crit. d. hist. fil. et ling. 1884.

2) Somnus immissus est Adae, non tam, ne sentiret costam sibi extrahi, sed ut potius in ecstasi (LXX) ea, quae gerebantur, videret et mysterium per ea significatum prophetice cognosceret, nempe matrimonium suum cum muliere et mysticum Christi cum Ecclesia juxta Augustinum (de Gen. ad lit. 9, 15 seq. Fract. 120 in Joan.) et Chrysostomum (hom. 15. in Gen. 2, et in Heb cp. 10: *Ex latere suo Christus aedificavit ecclesiam sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est*), vel fluxura sacramenta de latere Christi dormientis in cruce, Thomas (1. q. 92. ar. 3). Haec costa Adae fuit instar seminis, quod individuo superfluum est, sed ad generationem est necessarium; fuit ergo, ut ait s. Thomas l. c, *de perfectione Adae, prout erat principium speciei.* Mulier autem immediate a Deo creata fuit eodem die sexto, et quidem ex viro, *a) ut sciamus, unam esse in viro et muliere corporis naturam, unum fontem generis humani* (Ambros. de par. 10, 48), *b)* ut quaedam dignitas primo homini tanquam principio totius speciei reservaretur, *c)* ut vir magis diligeret mulierem, utpote ex se productam, et ei inseparabilius adhaereret (1 Cor. 11, 7—12); *d)* propter domesticam vitam, in qua vir est caput. Quoniam mulier sola virtute divina ex Ada producta est, non erat filia Adae, ideo erat matrimonium inter utrumque possibile. Mulierem, utpote de carne viri desumtam recteque Viraginem dictam, accepit Adam in uxorem et adjutorium ad vitae communionem, auxilium mutuum et generationem prolis: *erunt duo in carne una.*

Ridicula est fabula Hebraeorum et nonnullorum recentiorum, Adamum fuisse ἀνδρόγυνον vel hermaphroditam, seu sexu duplici constantem, ita ut femina ad maris latus adhaeresceret et dein a Deo separaretur; obstat enim dictum: *masculum et feminam creavit eos.* (Gen. 1, 27); confer Augustinum (de Gen. ad l. 3, 22). Uterque homo in aetate et statura derfecta atque ad generandum apta (1, 28), juvenili aut virili, conditus est; hinc utrique benedicit Deus, usum matrimonii probat, eisque fecunditatem indit, ut speciem propagent.

3) Nec ante Adamum (Praeadamitae, uti primo defendit Peyrerius), nec cum Ada (Coadamitae seu Polygenistae) alii homines creati sunt, nam *Adae non inveniebatur adjutor similis ejus* (Gen. 2, 20). Unitas totius generis humani in Adamo concentrati est doctrina fundamentalis historiae sacrae, nam ex ea tantum explicantur culpae Adae universalitas (Rom. 5, 12. 1. Cor. 15, 22. Concilium Trid. sess. V. 2, 3), possibilitas redemptionis per Messiam, alterum Adamum, aequalitas hominum et praeceptum mutuae charitatis; ideo haec a rationalistis valde fuit impugnata. Confer Augustinum (in Rom, 5, 12, Civ. D. 12, 21) et Lactantium (inst. 5, 10). Unitatem generis humani diserte testantur:

a) Directa eloquia sacrae Scripturae: *Eva mater cunctorum viventium* (Gen. 3, 20). *Fecit ex uno omne genus humanum inhabitare super universam faciem terrae* (Act. 17, 26. Sap. 7, 1); *qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus* (Sap. 10, 1. Eccli. 17, 1. Tob. 8, 8. Matth. 19, 4); item ex Ada (et Noacho) deducitur genus humanum (Gen. 4; 5; 10, 32. 1. Par. 1, 1). Ideo contraponitur Adam Christo: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis* (1 Cor. 15, 45), et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (1 Cor. 15, 21, 22 col. Rom. 15, 21 sq.).

b) Traditiones omnium populorum, apud quos primi homines a diis producti dicuntur, et quidem plerumque e limo terrae. In Rig Veda primi homines vocantur Yama et Yami. Juxta Avestam deus se revelavit primo homini Yama. In Genesi chaldaica par hominum creatur in statu perfecto et sanctitate. Secundum papyrum mortuorum aegypt. post reliquas creaturas homo ad imaginem Dei creatur, ut eum laudet, Confer Fischer, Heident. l. c. Eandem hominis originem ex traditione plus minus corrupta assignant antiquissimi scriptores Abydenus (Euseb. pr. ev. l. 9), Hesiodus (l. 1. dier.), Aristophanes (in av. v. 667), Ovidius (Met. 1, 76 sq.).

c) Disquisitiones physiologicae; nam diversi homines sunt permanentes varietates tantum unius speciei, non autem variae unius generis species, ac proinde diversam originem arguere minime possunt. Non obstant diversus cutis color (albus, niger, flavus, cupreus et fuscus), diversa craniorum formatio, quia ista ex variis externis ciraumstantiis: ex climate, vivendi ratione, habitudinibus acquisitis, v. g. immutatione craniorum infantium artificiali, explicantur; e contra pro unitate militant congruentia proprietatum physiologicarum et pathologicarum omnium hominum: eadem structura anatomica, cerebri massa et formatio plus minus eadem, aetas et loquendi facultas, eadem temperatura normalis corporis, idem numerus pulsuum arteriarum, fecunda commixtio omnium varietatum inter se, et quidem indefinite, aequale tempus graviditatis catameniorum.

d) Facultates spirituales rationis, affectuum, propensionum etc. aequaliter inter omnes inveniuntur.

e) Nec obstant difficultates geographicae quoad inhabitationem partium dissitarum orbis terrarum et insularum, quoniam non deerant viae communicativae terra marique. Insuper ars navigandi antiquissima est, et ut videtur, exemplo arcae Noe statim post diluvium ab hominibus adhibita fuit; conf. Aug. Civ. D. 7, 30, 31 et 16, 7.

f) Argumenta philologica; nam licet nunc variae linguarum familiae statuantur, tamen philologia comparativa plura vincula affinitatis earum jam demonstravit, quae communem aliquam originem prodit; altera ex parte tanta varietas et tam profundae differentiae earum confirmant narrationem biblicam de confusione linguarum, nam omnium formatio ex solo naturali rerum cursu explicari nequit. Confer M. Müller (Lectures of the scienc of lang. 5. ed. Lond. 1866), Wilson, Burnouf, Bopp.

g) Tandem unum par hominum plane sufficiebat frequentare universum orbem terrarum tot incolis, quot inveniuntur.

Confer: Wiseman, Zusammenhang l. c. — Lüken, Einheit d. Menscheng. 1845, u. Traditionen l. c. — Reusch, Bibel u. Natur l. c. — Rauch, Einheit des Menschengeschl. 1873. — Güttler, Naturforschung l. c. pg. 20, 1. seq. — Hettinger, Apolog. d. Christent. II. Bd. 5. — Katholik 1877. I. pg. 99. — Natur u. Offenbarung, 1856; 1857 pg. 195; 1858; 1859 pg. 49 et 197; 1862—63. — Laacher St., Bd. VII. X. — Holzhey, Schöpfung, Bibel u. Inspiration. 1902. — A. Quandt, Mosaischer Schöpfungsbericht u. s. Verhältnis zur modern. Wissenschaft. Graz 1906.

4) Vere beati erant Protoparentes in statu naturae innocentis, quem sacrae Literae[1]) testantur. Donis naturalibus et supernaturalibus a Deo instructi, fruebantur intimo commercio divino, et, quamvis nudi, non erubescebant; nam nulla libido, nulla concupiscentia turbabat animum, sed nuditas innocentiâ tegebatur, simulque pace summa gaudebant, donec morte non interveniente vitam aeternam adipiscerentur[2]). Memoria hujus status beati tanquam aevi aurei apud omnes antiquos populos servatur[3]), quae ex traditione originali repetenda est.

1) Confer Sap. 2, 23 seq. 9, 2 seq. Eccli. 17, 1—11. Eph. 4, 24. Col. 3, 10. Rom. 6, 23. 1. Cor. 15, 21. Conc. Trid. Sess. V. can. 1 et 2. Catechismum rom. I. c. 2. q. 19; IV. c. 13. q. 4.

2) Augustinus (Civ. D. 14, 26): *Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas.* Thomas (l. q. 97. a. 4): *Semel sumptum (de ligno vitae) praeservabat a corruptione usque ad determinatum tempus; quo finito vel homo translatus fuisset ad vitam spiritualem, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitae.* Chrysostomus (in Gen. h. 15, 4). Si in hoc statu mansissent, fuisset generatio quidem per coitum, absque omni tamen libidinis morbo, et pueri nati fuissent in justitia originali, quamvis non in justitia confirmati (Thomas 1. q. 98—100). August. (Gen. ad l. 9, 10): *Cur incredibile videatur primis hominibus talia fecisse corpora, ut eo nutu imperarent membris, quibus foetus exoritur, quo pedibus cum ambulatur, ut neque cum ardore seminaretur neque cum dolore pareretur.*

3) Confer elyseum (Odys. 4, 563), hortos Hesperidum, insulas beatorum (Pindar Ol. 2, 56), hortum mirabilem Alkinoi, semper floribus ornatum et fructibus refertum (Justinus coh. ad Gr. n. 28), locum amoenitatis in Avesta, lucum Dei Anu in Genesi chaldaica. Lüken, Traditionen l. c. pg. 80 sq. Fischer. Heid. l. c. — Hommel, Die Insel der Seligen in Mythus und Sage der Vorzeit. München 1901.

Sectio secunda.

A lapsu Protoparentum usque ad diluvium.

Peccati origo et evolutio.

§. 3. Lapsus et poena Protoparentum.

1) Non longe[1]) duravit status ille felix Protoparentum; creatura enim lapsa spiritualis, Deo inimica et felicitatem hominibus invidens, consilium

divinum circa eos disturbare decrevit. Diabolus, serpentis tanquam animalis callidissimi speciem et formam induens, colloquium miscet cum muliere (ob sexus levitatem et infirmitatem) et loquendo irritandoque omnia stadia percurrit, intra quae quodvis peccatum versatur[2]). Primum dubium et suspicionem in verbum divinum de non comedendo ex omni ligno paradisi excitat, quasi Deus felicitati humanae invideret, et cum mulier jam dubitans (*ne forte moriamur*, uti Vulgata habet), ei responderet, tentat diabolus eam removendo poenam (*nequaquam moriemini*) et lactando promissis (*aperientur oculi vestri et eritis sicut dii*), in quibus verbis vera cum falsis miscet. Ratione obscurata, superbia consociata est cum incredulitate in verbum divinum. Sermone diaboli et aspectu fructus libidinoso illecta mulier comedit et viro similiter comedendum dedit (coena diaboli) Gen. 3, 1—6. Ita concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. peccatum vero consummatum generat mortem (Jac. 1, 15). Quoniam Adam qua caput totius generis humani mandatum divinum est transgressus, peccatum hoc etiam in totam ejus progeniem[3]) transiit (peccatum originale).

1) Communiter ss. Patres opinantur, Adamum eodem die, quo creatus est, peccasse, scil. feria sexta, imo sub eandem horam (col. Gen. 3, 8). qua Christus in cruce mortuus est.

2) Quamvis Deus sciret, quod homo per tentationem in peccatum esset dejiciendus, sciebat quoque, quod per liberum arbitrium resistere posset tentatori. Thomas (2. 2. q. 165. a. 1). Sub serpente naturali, exclusâ allegoriâ (2 Cor. 11, 3; 1 Tim. 2, 14; Rom. 5, 12), latuit diabolus (Sap. 2, 23, 24), qui *homicida ab initio et pater mendacii* (Joh. 8, 44), *draco magnus, serpens antiquus et satanas, qui seducit universum orbem* (Rom. 16, 20; Apoc. 12, 9; 20, 2) vocatur. Non elegit ipse sibi diabolus serpentem tanquam instrumentum decipiendi, sed quia tantum illud animal ipsi a Deo permissum est (Augustinus Gen. ad l. 11, 29); hinc serpens callidissimus vocatur propter astutiam diaboli, qui in illo agebat (Thomas l. c. ar. 2.). Non timuit mulier serpentem loquentem, quia putavit, serpentem hoc loquendi officium accepisse non per naturam, sed aliqua supernaturali (occulta) virtute, quae an bona esset vel mala non attendit (Thom. 2. sent. dist. 21). Subsecuta autem est seductio mulieris peccatum internae elationis; ita Thomas (1. q. 94. a. 4) et Augustinus (de Gen. ad l. 11, 30). Primum ergo hominis peccatum fuit *gravissimum secundum quid propter perfectionem status peccantium* (Thom. 2. 2. q. 163. a. 3); erat enim superbia (Eccli. 10, 14), qua similitudinem divinam appetivit, non modo, quantum ad scientiam boni et mali, sed etiam ad propriam operandi potestatem, appetendo propriis viribus consequi divinam felicitatem; ad peccatum superbiae accedunt concupiscentia oculorum (*vidit quod arbor esset pulchra et aspectu delectabilis*), concupiscentia carnis (*vidit, quod esset lignum bonum ad vescendum*) et inobedientia. Confer Thomam (2. 2. q. 163. a. 1 et 2). Peccatum hoc propter circumstantias peccantium, praeprimis propter perfectionem status illorum, erat gravissimum. Ad quaestionem, utrum peccatum Adae fuerit gravius, an Evae, respondet Thomas (l. c. ar. 4); si peccatum in se spectes, gravius peccasse Evam, tum quia prior peccavit, tum quia Adamum ad peccatum induxit et ideo gravius punita est; relate tamen ad circumstantiam personae gravius peccasse Adamum, tum quia ipse perfectior erat et immediate a Deo praeceptum acceperat. August. (Civ. D. 14, 13, 1): *Non frustra dicit Apostolus: Sed et Adam non est seductus, mulier autem seducta est: nisi quia illa quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit.* Ambros (l. 4 in Luc. 4): *Eva mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat.*

3) Totum genus humanum peccato fuisse infectum docent: *a)* Scriptura dicens, hominem a nativitate esse pronum in malum et peccatorem (Gen. 8, 21. Prov. 20, 9. Ps. 13,

3. Joh. 1, 13; 3, 3. 1 Pet. 2, 3, 1 Joh. 5, 19) et quidem ideo, quia ab Adamo ortum (Job 14, 4. Ps. 50, 7. Tob. 14, 4, 1 Thess. 5, 23, 2 Cor. 7, 1. Joh. 3, 36), cum peccato autem simul ejusdem effectus transiisse (Sap. 1, 13. Eccli. 40, 1. 1 Cor. 15, 22. Rom. 5, 12, *in omnes homines mors pertransiit, in quo (Adamo) omnes peccaverunt*). *b)* Ss. Patres et Ecclesia: Conc. Milev. c. 1. Conc. Trident. sess. 5. can. 1. 2; *c)* experientia, nam ubique inter omnes homines ignorantia, concupiscentiae et passiones dominantur; *d)* traditio gentium (Lüken l. c. 129) et scriptores profani, v. g. Cicero de rep. 3, Plato Phaed. Sensus literalis cpp. II et III. Gen. dogmatice definitus est. Cf. Conc. Trid. ses. 4. can. 1—5.

2) Fructu gustato factum est, quod satanas praedixerat, homo autem falso interpretatus est: aperti sunt oculi (spiritus) eorum et viderunt suam nuditatem (concupiscentiam carnalem, *in qua inobedientiae poena similis retributa est,* Aug. Ench. cp. 25), olim innocentia tectam, nunc propter pudorem succinctoriis et foliis ficus obtegendam. Factus est quidem Adam sui ipsius, sed miserrimus. Pudor et timor implicite manifestabant remorsus conscientiae comitesque habuerunt poenitentiam et confessionem. Cum homo non ex se peccatum elicuisset, sed tantum seductus ideoque in malo non esset obfirmatus, cum porro imago divina in eo non deleta, sed tantum obscurata esset et homo tandem constituit genus: ideo redemptionis capax erat, imo pudor et conscientia offerebant divinae misericordiae media, eos salvandi. Ratione obfuscata et metu divini judicii perterriti absconderunt se in medio paradisi a facie Dei, inclinante die ambulantis (forma divinae revelationis originalis), qui, ut eos ad confessionem moveat, quaerit: ubi es? i. e. in quo mutato statu? Adam confessionem peccati declinans, praetendit nuditatem suam, et cum Deus eum urgeret, ut causam nuditatis et culpam agnosceret, quaerit excusationes, derivando culpam in uxorem, se pellicientem, et haec devolvit culpam in serpentem seducentem.

Perdiderunt Protoparentes gratiam santificantem et omnia dona supernaturalia et extraordinaria (immortalitatem corporis, immunitatem a miseriis et paradisum). Imo proprietates, quae ad spiritualem animae naturam pertinent, perturbatae sunt: voluntas rebellavit contra rationem; repugnavit enim lex carnis legi mentis, uti ratio non obedierat Deo: *senserunt novum motum inobedientiae carnis suae, tanquam reciprocam poenam inobedientiae suae,* ait Augustinus (Civ. D. 13, 13). Adverterunt, quantum bonum justitiae amisissent, et in quantum malum incidissent, et cognoverunt daemonem mendacem in promissis sibi datis. Non negant culpam, sed excusare conantur. Narrationem lapsus Protoparentum non esse symbolicam, sed realem et historicam testantur:

a) Tota narrandi ratio s. Scripturae et nexus intimus cum antecedentibus et subsequentibus factis historicis; quia effectus hujus lapsus erant gravissimi pro toto genere, ideo necesse fuit, narrare modum ejusdem.

b) Saepe alludunt Libri ss. ad hoc factum, v. g. arborem vitae (Prov. 3, 18; 11, 30), serpentem, qui astute seduxit Evam (2 Cor. 11, 3), quod mulier prima seducta fuerit (1. Tim. 2, 14), Adam excusarit peccatum (Job 31, 33) etc.

c) Congruit traditio tum judaica tum christiana.

d) Idem testantur traditiones veterum populorum, in quibus directa mentio fit arboris, serpentis, mulieris. In Rig Veda daemon apparet qua draco Uritra, qui tanquam primogenitus draconum contra deos rebellavit et hominem ad peccatum seduxit. In Avesta princeps spirituum malorum (Daevas) est Agra-mainyus, qui produxit serpentem magnum Dahâka, impugnatam a Thraetaono, atque morbos miseriasque in mundum invexit. In Genesi chaldaica sermo est de dracone Tiamat, qui pugnam coelestium contra Deum incendit, hominem

seduxit ideoque maledicitur. Huc spectant fabulae de Circe, Calypsone, Sirenibus, aperto utre Aeoli, de pyxide Pandorae etc. Haec consensio testimonium est, omnes gentes ex uno eodemque fonte hausisse. Confer Lüken, Tradit. pg. 80, Stiftungsurk. l. c. pg. 119 et imprimis Smith, Chaldäische Genesis l. c. — Katholik 1858. Fischer l. c. Merker, Relig. u. Tradition d. Masai. Z. f. Ethnol., 5. H., 1903.

3) Crimine manifestato Deus justus jam infligit poenas, quae tamen uno tempore eum Patrem misericordiae ostendunt[1]). Convertit se ad primum peccati auctorem et fert in serpentem, instrumentum tentationis[2]) (v. 14), et in diabolum ipsum tentatorem sententiam decretoriam, quae simul spem futurae redemptionis generis humani includit, Protoevangelium: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa*[3]) *(ipse) conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (3, 15).

1) Chrysostomus (Gen. h. 17, 6): *Amantissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, et gladium et ensem, per quem filius suus occisus, destruit et in multas partes comminuit.*

2) Maledictio divina (V. 14): *maledictus es inter omnia animantia, super pectus tuum gradieris, et terram comedes,* in re tum serpentem, qui tanquam instrumentum peccati erat puniendus (col. Gen. 9, 5. Ex. 21, 28 seq.), non quidem ac si statura ejus erecta antea, mutata fuisset in reptantem (Basilius de par. conf. Reinke, Beit. II. 385.), sed quia abominabilis factus est homini (inde horror naturalis), tum diabolum respicit, qui terrena (infernalia) cogitat et cujus cibus est omne, quod terrena sapit: verba V. 15 in forma serpentem, in re autem diabolum concernunt, qui in forma serpentina aderat. Amicitia cum diabolo convertitur in inimicitias et subjectio sperata in bellum perpetuum. Incipit hic *liber bellorum Domini,* ait Rupertus. Innuitur triplex pugna: *a)* mulieris cum diabolo, *b)* generis humani vel progeniei fidelis (seminis) mulieris cum semine i. e. asseclis diaboli, qui sunt angeli lapsi et progenies Evae corrupta (col. Matth. 3, 7: *progenies viperarum* et Joh. 8, 44: *filii e patre diabolo*), et *c)* pugna iterum specialis inter diabolum et quemdam de semine mulieris, qui caput diaboli i. e. potestatem ejus conteret victoriamque de regno tenebrarum reportabit.

3) Pronomen heb. הוּא in Pentateucho triplex genus significare potest, sc. *a)* ipsum i. e. semen mulieris, vel fideles; hanc pugnam innuunt Luc. 11, 22, Joh. 12, 31; 14, 30; 16, 11. Col 2, 14, 15. Apoc. 5, 5; 12, 9 seq. *b)* Ipse sc. homo vel Christus, qui tanquam *semen mulieris* morte sua potestatem diaboli contrivit (ita LXX, Itala, Chald.), et *c)* ipsa sc. Virgo Maria tanquam Deipara, quae, gratiâ plena per semen (filium) suum serpentis caput pede virgineo contrivit (Vulgata et ss. Patres); nulla harum lectionum rejicienda est, imo omnes bene conciliari possunt. Protoparentes divinitus edocti in his verbis vaticinium messianum cognoverunt indeque spem et solatium hauserunt idemque ad posteros (col. Gen. 5, 29) tanquam patrimonium spirituale toti generi humano commune propagarunt; ideo abhinc haec salutis promissio (in nostro loco adhuc negative concepta) instar fili rubri per historiam V. Testamenti, quod perpetua incarnationis Christi praeparatio erat, protenditur, et labente tempore magis magisque evolvitur. Continet hoc vaticinium in nuce gravissima mysteria, nempe *a)* incarnationem Messiae tanquam seminis mulieris; *b)* ejus divinitatem, quia tantum mulieris semen, non viri col. *factum ex muliere* (Gal. 4, 4), ac virginitatem matris; *c)* victoriam ejus de diabolo, morte et inferno, et tandem *d)* passionem; nam insidiabitur serpens (diabolus) calcaneo, ipsum conterenti, hunc mordendo et vulnera infligendo, subsequente tamen finali insidiatoris interitu. Habetur hic antithesis inter Evam, matrem viventium (generis hum.) et Mariam, matrem spiritualiter viventium. Confer: Patritium, De interp. Script. II. 46. Rom. 1854. — Reinke, Beiträge, II. Bd. — Passaglia, De immac. Deip. conc. Rom. 1854, pg. 916 seq. — Zschokke, Bibl. Frauen, p. 29. — A. Schäfer, Die Gottesmutter in d. hl. Schrift. 1887, p. 105 sq. — Zapletal, Alttestamentliches 16—25.

4) Post maledictionem diabolo annunciatam, Protoparentibus poenitentiâ compunctis poenae, crimini convenientes, inflictae sunt; et quidem mulieri aerumnae conceptuum pro superbia, dolores pro gula, et subjectio sub viri potestate pro seductione; Adae vero inobedienti sterilitas terrae, laborum anxietas et impedimenta, quae proveniunt terram colentibus. Herba terrae datur pro fructu, panis in sudore vultus pro fructu sponte crescente, spinae et tribuli pro arbore frugifera. Imo natura tota particeps facta est maledictionis[1]). Morti et omnibus hujus vitae miseriis obnoxii[2]), et jussu divino pelliceis tunicis vestiti, ex gaudiis paradisi ejecti sunt, et ne sumerent de ligno vitae et viverent in tali statu misero in aeternum[3]), collocavit Deus ante ostium paradisi Cherubim[4]) cum gladio flammeo ad custodiendam viam arboris vitae. Promissis divinis munitus, Adam poenitens vocavit mulierem suam Evam, quod mater esset cunctorum viventium[5]).

1) Istae poenae aequaliter ad omnes pertinent; et sic quaevis mulier aerumnis praegnationis, doloribus partus, servitute dura (inter gentes) etc. (praeter Virginem Mariam) aliquantulum expiare debet concupiscentiam, quae contulit ad peccatum primum committendum; similiter quivis homo nascitur ad laborem (Job 5, 7) et sic homines, agriculturam non exercentes, panem ab aliis in sudore vultus elaboratum manducant. Thomas (2. 2. q. 164. a. 2). Ceterum puerperium est bellum perpetuum contra mortem et medium ad promissionem de redemptore adimplendam.

Maledicta fuit terra a Deo non absolute, sed in opere humano vel relate ad hominem; ideo non essentialiter mutata est natura nec in animalibus, quae carne vescuntur (Thom. 1. q. 96. a. 2), nam perniciosa et venenosa animalia nil nocere potuerunt, si causa non exstitisset vitiorum (Aug. Gen. ad l. 3, 15, 24), nec in plantis, nam antea terra etiam spinas et tribulos germinavit (ast non in poenam hominis); utique autem fertilitas terrae primaevae imminuta, atque natura depravata et daemoni quaedam potestas in eam concessa est; nam, ut ait Apostolus (Rom. 8, 19—22), *exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* Haec. maledictio naturae aufertur in Ecclesia catholica per exorcismos et benedictiones variarum rerum. De sequelis hujus peccati confer Thomam (2. 2. q. 164), Katholik 1858.

2) Cum Protoparentes non eo ipso die, quo peccarunt, mortui sint, verba: *morte morieris*, de necessitate moriendi, qua homo peccator se affectum percepit, de »posse mori et non posse non mori«, ut ait Magister sent. in 2. dist. 19, seu de mortis quasi initio sunt capienda, *ex tunc morbidam qualitatem et mortiferam primi parentes in corpore mortali contraxerunt* (Augustinus, De Gen. ad l, 2, 32), *et quamvis annos multos postea vixerint, illo tamen die mori coeperunt, quo mortis legem, quâ in senium veterascerent, acceperunt* (Augustinus De pecc. mer. 1, 16); *Deus ergo mortem non fecit* (Sap. 1, 13), sed *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. 1, 24) ideoque mors est poena primi peccati; *stipendia enim peccati mors* (Rom. 6, 23). Confer Thomam (2. 2. q. 164, ar. 1).

Legem mortis a Deo latam efficacem fuisse post lapsum, phrasis tam saepe repetita: *et mortuus est, postquam genuit* (Gen. 5), testatur, *nam testamentum hujus mundi morte morietur* (Eccli. 14, 12). Ut diutius Protoparentes vivere pergerent, clementia et misericordia divina effecit, quae poenitentiae spatium assignat et peccatum ejusque sequelas ita disponit, ut consilio ipsius perficiendo inserviant. In laboribus diuturnis viro datum est remedium contra stimulos concupiscentiae, imo mors corporalis in divina oeconomia salutis beneficii titulo gaudet; nam *seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (1. Cor. 15, 42—44).

3) Pelles obtinere non poterant, nisi occisione animalium, quam probabiliter Deus mandaverat instituendo sacrificia, per quae spe in futurum Messiam suffulti, gratiam divinam recuperarent. Vestimenta misericordiâ divina data sunt *a)* non ad ornatum, sed ob necessitatem, ut nuditatem tegerent et aëris injurias arcerent. *b)* Monitorium erant non tantum verecundiae, sed et continentiae et poenitentiae; *c)* utpote e mortuorum pellibus facta monebant homines, eos esse mortis reos, et *d)* moniti instar erant justitiae divinae induendae. Expulsio Protoparentum e paradiso pertinet ad beneficientiam Dei, ne de fructu arboris vitae comedant; nam non expediebat homini, ut in miseria hujus vitae diutius permaneret; praeterea paradisus amissus *servire debebat homini ad documentum, dum cognoscit, propter peccatum se tali loco fuisse privatum; et dum per ea, quae corporaliter in illo paradiso sunt, instruitur de his, quae pertinent ad paradisum coelestem, quo aditus homini praeparatur per Christum.* Thomas (2. 2. q. 164. a. 2 ad 4 et 6; 1. q. 102. a. 2. ad 3. et 3. q. 49. a. 5).

4) Cherubim non sunt mera symbola, sed angeli superioris ordinis, qui ab aditu paradisi tum Adamum, tum daemones prohibebant, quique uti assistentes throno divino (Ez. 1.) vindices sunt omniscientiae divinae, et flammeum gladium vibrantes, justitiae et sanctitatis divinae ultores. Ita etiam angeli boni mittuntur propter eos, qui hereditatem capiunt salutis (Heb. 1, 14). Congruit mythologia Indorum de gryphis thesauros custodientibus, Lüken, Trad. 76. Quemadmodum originalis justitia, quae erat quoddam donum gratiae, toti naturae humanae divinitus in primo parente collatum, simul cum natura ipsa in posteros traducta fuisset, si ille in sua innocentia perstitisset: sic primum ejusdem primi parentis peccatum, quo tota natura humana infecta est, simul cum natura in posteros per originem transit ac derivatur. Vgl. B. Schäfer, Cherubim K. Lex. 2. Aufl. u. »Katholik« 1880, I, 381 sq.

5) Adam spiritu prophetico ad mortem damnatos solatur, quia ex Eva, tanquam matre viventium, procederet salus et vita. Uti Adam poenitens est typus Christi, ita et Eva typus est Mariae, quae est mater viventium spirituali et aeterna vita. Confer de Eva, Zschokke, Biblische Frauen, 1882, §. 1. Protoparentes peccatum suum, quatenus personale erat, per poenitentiam expiasse, et per fidem in Messiam salvatos fuisse, sacra Scriptura: *Sapientia eduxit illum (Adam) a delicto suo* (Sap. 10, 2), et communis ss. Patrum traditio testantur. Docent multi Patres (Epiphanius haer. 46. n. 5, Origines in Matth. com. scr. n. 126, Ambrosius ep. 71, in Luc. l. 10. n. 14, Tertullianus l. 2. carm., ev. Marc. cp 4, Hieronymus in Matth. l. 4. c. 27), quod Noe religiose ossa Adae in arcam susceperit et Sem post diluvium cranium ejus in monte Calvariae condiderit, ita ut sanguis Christi de cruce defluens idem abluerit — optima repraesentatio redemptionis Adae primi per Adamum secundum. — Redemptio promissa non statim effecta est; nam: *a)* genus humanum ad salutem accipiendam praeparari debuit; in eo vera peccati cognitio, necessitas poenitentiae ac desiderium salutis excitari et foveri debuerunt, quae omnia nonnisi post diuturna tempora, varias admonitiones, pugnas, castigationes (per crucem ad lucem) fieri poterant. *b)* Altera ex parte salus plantae instar successive evolvebatur; primo radices figebat, sensimque in arborem increvit, cujus fruges in Ecclesia maturescebant; ideo Apostolus tempus adventus Christi *plenitudinem temporis* (Gal. 4, 4) vocat. Pariter malum, quod diabolus seminaverat, successive evolvi et maturescere oportuit, ut tandem judicio divino puniendum traderetur. Confer Reinke, Beit. II. 96. Ergo in cap. I. instituitur ordo naturalis, cp. II. addit ordinem supernaturalem, in cap. III. peccato destruitur ordo supernaturalis.

§. 4. Cain et Abel.

1) Paulo post expulsionem e paradiso genuerunt Adam et Eva filium, quem mater, suspicans jam initium implendae promissionis, appellavit Cain, dicens *possedi hominem (per) Jahve*[1]), sed mox erroris sui conscia alterum filium Abel *(filium)* nominavit; hic pastor, ille agricola erat. In his prioribus Adae filiis mox discrimen inter semen mulieris et semen diaboli apparuit:

nam ambo duas magnas civitates constituerunt, terrenam et coelestem[2]). Uterque sacrificium obtulit, ratione tum materiae tum fidei diversum[3]). Quia sacrificium Abelis Deo acceptum erat, Caini vero non respiciebatur, hic ira et invidia captus et manus suas sanguine fraterno polluit (Gen. 4, 1—10).

1) *Possedi hominem per Jahve* tanquam auctorem generationis, nam proles sunt dona Dei; aut *possedi hominem Jahve* i. e. Deum incarnatum vel Messiam, quasi spiritu prophetico haec dixerit. Non quidem erravit Eva (sicut et Lamech Gen. 5, 29) in ipso articulo fidei, sed in quibusdam circumstantiis et tempore, putans, hunc primogenitum jam esse Messiam.

2) *Fecerunt Civitates duas amores duo, terrenam sc. amor sui usque ad contemtum Dei, coelestem vero amor Dei usque ad contemtum sui. Illa in se ipsa, haec in Domino gloriatur . . . Quarum est una, quae praedestinata est, in aeternum regnare cum Deo, altera, aeternum suplicium subire cum diabolo . . . Prior natus est civis hujus seculi, posterior autem isto peregrinus in seculo et pertinens ad civitatem Dei, gratia praedestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum.* Augustinus (Civ. Dei 14, 28 et 15, 1).

3) Filii a parentibus ritum sacrificandi edocti sunt; nam disponente sic Deo per sacrificia memoria peccati et necessitas futurae per mortem Messiae efficiendae redemptionis semper viva conservabatur; ideo sacrificia apud omnes antiquos populos reperiuntur, imo centrum religionis et cultus constituebant. Sacrificia utriusque diversa erant tum quoad materiam; nam Cain de frugibus terrae, Abel de primogenitis gregis obtulit, tum et quidem maxime ratione mentis et fidei. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo et per illam defunctus adhuc loquitur* (Heb. 11, 5). Confer M. Laacher Stimmen, X. 180. Hinc Abel ab ipso Domino tanquam justus (Matth. 23, 35) et opera ejus justa celebrantur, dum Cain ex maligno erat (1. Joh. 3, 12, ep. Jud. v. 11). Communiter tradunt Patres, Deum benevolentiam suam igne de coelo misso (col. Lev. 9, 24. Jud. 6, 21; 13, 20; 3 Reg. 18, 38) in sacrificium Abelis, non autem Caini declarasse, et Abelem probabiliter anno 130 post mundum conditum occisum fuisse. Abel justus, virgo, sacerdos et protomartyr typus est Messiae a Judaeis occisi. *Prophetavit Abel (per sacrificium suum), nos per passionem Domini a culpa esse redimendos; unde et de primitivis obtulit, ut primogenitum designaret.* Confer Ambrosium (De inc. D. ep. 1) et Canonem Missae.

2) Sanguine fraterno in coelum clamante (Luc. 11, 51; Heb. 11, 24), Cain contumax et impoenitens a Deo maledicitur et ex regione Eden expellitur, data tamen ejus vitae fide publica tum verbo, tum signo speciali[1]). Vagus super terram, habitationem fixit in terra Nod ad orientem Eden et ibidem pagum exstruxit, nomine filii Henoch, ex uxore concepti, nominatum[2]). Loco Abelis substituit Deus alium filium Seth (compensatio), qui princeps exstitit civitatis Dei. Praeterea Adam et Eva plures alios filios et filias genuerunt (Gen. 5, 4).

1) Cain terram polluit sanguine, ideo punitur in terrae sterilitate et quod vagus profugusque sit, mala conscientia, pavore et consternatione tremens. Talis vita utique pejor erat morte juxta illud: *quaerent mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori et fugiet mors ab eis* (Apoc. 9, 6). Cum enim Cain impoenitens et tremens timeret mortem corporis, non animae, dedit ei Deus vitae fidem eumque ad poenam et omnium exemplar vult superesse, et ut ubique qua talis cognosceretur, posuit ei signum. Quale hoc fuerit, ignoratur, utique omnibus conspicuum, quo fratricida dignosceretur, vel signum fronti ejus impressum (uti apud Indos), vel tremor corporis, mentis ac vultus consternatio, ita ut corpus et vultus peccatum Caini proderent. Sed res etiam sic exponi potest, quod Deus ad confirmandam promissionem

suam Caino signum i. e. prodigium fecerit; sic et Gedeon signum ab angelo Domini petivit et accepit (Jud. 6, 17). Cf. Döller, Linz. Quart. 1900, 382 sq. Protoparentes in Caino terribiles peccati sui sequelas viderunt.

2) Profugit in terram Nod ibique habitavit, segregatus a loco revelationis divinae et a cultoribus Dei. Sequebatur eum in exilium soror tanquam uxor; cum enim *non essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt; quod profecto, quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente,* ait s. Augustinus (Civ. D. 15, 16).

Aedificavit autem Cain civitatem i. e. *hominum multitudinem aliquo societatis vinculo colligatam,* post multos annos, *cum illius hominis familia tanta numerositate cresceret, ut haberet jam populi quantitatem, tunc potuit utique fieri, ut et constitueret et nomen primogeniti sui constitutae imponeret civitati. Quis itaque dubitaverit, per unius hominis aetatem (753 et ultra) tantum multiplicari potuisse genus humanum, ut esset, unde constitueretur non una, sed plurimae civitates?* Augustinus (Civ. D. 15, 8).

§. 5. Patriarchae antediluviani.

Evolutio peccati.

1) Cain et Seth exstiterunt auctores duarum generationum vel civitatum, plane diversarum. Posteri Caini presserunt patris vestigia, rebus hujus seculi impliciti, quaestui servientes ac vitae commodis studiosi, exstiterunt artium inventores, ideoque recte »filii hominum vel mundi« adpellantur. Recensentur ex ejus linea Henoch, Irad, Maviael, Mathusael et Lamech. Hic primus bigamiae notâ impius exstitit et in cantico superbo de homicidio (non vero Caini?) gloriatur. Ex filiis ejus Jabel, pater habitantium in tentoriis, Jubal, auctor instrumentorum musicorum, citharae et organi, Tubalcain, faber in opere aeris et ferri (instrumentorum bellicorum) recensentur. Gen. 4, 17—24.

Artes hae, quas Cainitae, alienati a custodibus revelationis divinae, tanquam media seductionis et mollitiei adhibebant (confer: *filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* Luc. 16, 8), intellectum tenebris religiosis obscuratum et studia vana eorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae (Eph. 4, 18, 19), testantur. Pauca referuntur a Moyse ex hac aetate, cujus character erat evolutio et incrementum peccati. Progeniem Caini ad Lamechum tantum ejusque uxores (fontem peccati) adducit. Confer Augustinum (Civ. D. 15, 20). Non improbabile est, tunc jam ethnicismum seu cultum idololatricum esse ortum. Confer Stiefelhagen, Theol. d. Heident. 1858. pg. 385.

2) Melior autem erat status religiosus genealogiae sethiticae, quae ab Adamo usque ad diluvium (annum 1656) decem generationes continet; nam in hac prima mundi aetate longaevi fuerunt homines[1]). Enos, filius Sethi, coepit lineam suam ex Jahve nominare (Gen. 4, 26) sc. filios Dei[2]). Henoch, septimus patriarcha, ambulavit cum Deo, i. e. placuit Deo per vivendi rationem suam sanctam, et impiis judicium divinum annuntiavit (Jud. ep. v. 14, 15), ideoque a Deo raptus seu ad meliorem vitam translatus est[3]). Lamech, nonus patriarcha, genuit Noe i. e. consolatorem ab omnibus operibus et laboribus. Omnes isti servierunt Deo eique adhaeserunt, ideo merito vocantur filii Dei. Tandem etiam Sethitae per consuetudines et matrimonia mixta cum luxuriosis filiabus Cainitarum initia degenerabant, ita ut per

progeniem istam nefariam, praeprimis vero per Nephilim, peccatum evaserit universale[4]) (Gen. 2, 1—6, 2).

1) *Cum s. scriptor historiae ad ortum vitamque Noe per successiones generationum notatis temporibus indenderet pervenire, eas utique commemoravit, non quae primae suis parentibus fuerint sed quae in propagationis ordinem venerint,* Augustinus (Civ. D. 15, 15 et 20.); nam *non qui filii carnis, sunt filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine* (Rom. 9, 8). Creditur ergo Moyses filios Patriarcharum anteriores omisisse, eo quod ad successionem eorum non faciebant. — Aetas patriarcharum: Adam vixit 930, Seth 912, Enos 905, Cainan 910, Malaleel 895, Jared 962, Henoch 365, Mathusala 969, Lamech 777, Noe 950 annos. Fuerunt autem isti anni duodecim mensium, non vero lunares (menses) uti aliqui volunt; si annus unus fuisset tantum mensis unus, sequeretur, patriarchas anno 9., 8., 6. vel 5. aetatis suae jam filios generasse et defunctos esse anno aetatis 82., quem hodie non pauci exsuperant. Post diluvium idem vocabulum, *annus,* adhibetur de spatio 12 mensium. Porro in historia diluvii 12 menses anni, qui est 601. aetatis Noe, numerantur (Gen. 7. et 8). Relate ad hanc longaevitatem Jacob queri poterat, dies ipsius non pervenire ad vitam patrum suorum (Gen. 47, 9). Confer Augustinum (Civ. D. 15, 12 et 14).

Congruunt testimonia antiquorum populorum. Confer Josephum (Ant. I. 3, 9). — Lactantium (de orig. err. 2, 12). — Lüken, Trad. pg. 183. — C. Schervier, Über d. hohe Lebensdauer d. Urväter. Aachen 1857. Quia ergo Adam vixit usque ad annum 50. aetatis Lamechi, cujus nepos Sem dies prolongavit ad Abraham usque, patet, Adamum et Lamechum totum aevum antediluvianum explevisse. In annis horum patriarcharum numerandis textus hebraicus (1656), samaritanus (1307) et graecus LXX (2242) discrepant. Recensio hebraica fere communiter habetur vera, quae a LXX interpretibus ideo aucta fuit, quo facilius chronologiam biblicam cum aegyptia conciliarent (Augustinus Civ, D. 15, 13). Ecclesia varias supputationes indifferenter assumere videtur, dum in Vulgata textum hebraicum sequitur, in Martyrologio autem romano annos computat juxta LXX. Sed quum Hebraei numeros literis exprimerent, etiam corruptioni dabatur facile locus. Confer Reinke, Beit. I. 10. 70 et varias Chronologicas citatas, praesertim Vigouroux, La Bible (ed. 6) I. 290, et Rost, Untersuch. zur altorient. Geschichte, Mitteil. der Vorderasiat. Ges. 1897, 2. pg. 1 sq. 136.

Causae hujus longaevitatis sunt: *a)* bonitas primaeva constitutionis et temperamenti corporis in primis hominibus. *b)* Sobrietas et vivendi ratio simplex, quae carnibus non utebatur (Hieronymus, adv. Jov. l. 1. n. 18). *c)* Primus vigor terrae et alimentorum, quae initio creationis longe efficaciora erant, quam nunc. *d)* Benignus influxus astrorum et climatis; praeprimis autem *e)* voluntas et arcana cooperatio divina, idque ad hoc, ut homines citius propagarentur et primi homines narrationem creationis ac revelationem divinam posteris, etiam remotissimis, integram traderent. Confer Calmetum Gen. c. 5.

2) Sub filiis Dei (6, 2) intelligendi sunt posteri Seth pii, et sub filiabus hominum mulieres libidinosae ex progenie cainitica; recte illi vocantur filii Dei ob sanctitatem, justitiam aliasque virtutes, per quas Dei imago in eis, quasi filiis suis, resplendebat, juxta illud: *Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (Rom. 8, 14 col. Ps. 72, 15. Dt. 14, 1). Unde Gen. 5, 1 Deus quasi auctor lineae Sethiticae statuitur, quod confirmat Lucas Ev. scribens (3, 38): *Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Ita Chrysostomus (hom 22. in Gen.), Cyrillus, Alex. (adv. Jul l 9), Theodoretus (Gen. q. 48), Augustinus (Civ. D. 15, 23). Falso igitur filii Dei habentur angeli lapsi; nam hi, utpote spiritus puri, permisso divino speciem tantum corporis et quidem ad tempus, minime vero corpus verum et venereum assumere possunt (col. Tob. 12, 19). Primus hanc opinionem edixit Josephus (Ant. I. 3, 1), quem secuti sunt multi Patres priorum seculorum: Clemens Alex. (strom. l. 3 et 5; paed. l. 2), Tertullianus (de idol. c. 9; de cult. fem. l. 11, 10), Cyprianus (de disc. et hab. virg.; de sing. Cler.), Eusebius (praep. 5, 4), Ambrosius (de Noe c. 4; de Virg. 1, 80); nixi probabiliter locis 2 Pet. 2, 4, 5 et Jud. ep. v. 6, qui tamen Gen. 6, 1

non respiciunt; adversantur enim Matth. 22, 30; Marc. 12, 25; Luc. 20, 35. Confer Reinke Beit. V. 120. — Katholik 1859. 337. — Scholz, Ehen der Söhne Gottes. 1865. — Schöpfer l. c. p. 57.

3) Henoch a Deo propter fidem suam, ne videret mortem, translatus est (Heb. 11, 5, Eccli. 49, 16), non quidem in paradisum terrestrem, sed in locum amoenum, ut populis poenitentiam praedicaret (Eccli. 44, 16), una cum Elia in fine mundi (Eccli. 48, 10 col. Apoc. 11, 3. seq.) rediturus, ut sese opponant Antichristo, a quo interficientur, sed post $3^1/_2$ dies resurgent et ascendent in coelum.

4) Nephilim (i. e. irruentes, opprimentes) Gigantes erant, homines violenti, (non) tam magnitudine corporis, quam roboris et iniquitatis excelsi, *cives terrigenae civitatis hominum* (Augustinus Civ. D. 15, 23) et *Gigantes vocantur juxta ethnicorum consuetudinem, qui eos terrigenas existimant, quos terra genuerit. Nos autem gigantes juxta graeci sermonis etymologiam eos appellare possumus, qui terrenis operibus servierunt* (Hieronymus in Is. 14, 7). Gigantes antea jam fuerunt, praecipue autem multiplicati sunt ex illis matrimoniis mixtis, in quibus libido tantum viguit. Confer Katholik 1859. pg. 443; — Beck, Über Gen. 6 in der Österr. Vierteljahrs. 1869. 23. Iude gentiles fabulam Gigantum et Titanum sumpserunt. Confer Lüken, Trad. 166. — De istis genealogiis Cainitarum et Sethitarum Confer Laacher Stimmen X. 322 seq.

Sectio tertia.

A diluvio usque ad vocationem Abrahae.

Incrementum malitiae, praecepta noachica.

§. 6. Diluvium.

1) Cum universa terra corrupta ac iniquitate repleta esset, et homines suae virtuti confiderent (Eccli. 16, 8) atque nulla spes correctionis superesset, Deus genus humanum vitiatum socorsque (Luc. 17, 26, 27) cum terra delere decrevit, praeter Noe justum et perfectum ejusque familiam (2 Pet. 2, 5), cui mandatum arcam fabricandi dedit, concesso tamen misericorditer adhuc 120 annorum spatio, si homines forte per poenitentiam resipiscerent. Interea Noe arcam 300 cubitos longam, 50 latam et 30 altam tanquam refugium sibi suisque construxit, imminentis judicii praeco perpetuus, quem tamen generatio impia contempsit.

Arca erat non in morem navigii, sed cistae undique clausae et quadrangulae, quae a Deo gubernabatur (Sap. 14, 6); nam homines solummodo et bestias recipere et aquis tantum innatare debuit. Erat ex lignis laevigatis cypressinis constructa, intus et extus bitumine linita, et continebat varias mansiunculas seu divisa habitacula pro diversis animantibus et tres contignationes pro hominibus, animalibus et supellectili (escis), cum fenestra (i. e. longa apertura cum brevibus interruptionibus arcae latus occupantibus) et ostio. Spatium arcae continebat 65.000 metrorum cubicorum, in quo condenda erant animalia terrestria, volucria et ex parte reptilia exclusis aquatilibus, quae in aquis vivere poterant et *maledicto non succumbebant, quia in maledictionis participatione (Gen. 3. 17) non erant.* (Auctor de mir. 1, 4 int. op. August. Migne III. 2. pg. 2155). Ceterum tenendum est, Noe diversa animalia in arcam recepisse non propter semetipsa, sed propter semetipsum. Animalia, quae ipsi non utilia, imo nociva erant, vix in arcam ducta sunt. Sicut nonnullae species plantarum

diluvio emortuae et per novas suppletae sunt, ita simile quid de animalibus valet. Accedit, quod diluvium probabiliter geographice non universale fuerit. Cf. Hoberg, Gen. 70.

Non solum Noe, sed et ipsa fabrica arcae, *per quam damnavit mundum,* ut ait Apostolus (Heb. 11, 7), praeco erat justitiae divinae ad homines impios *comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt* (Matth. 24, 37 seq. Luc. 17, 26).

2) Frustra elapso tempore, poenitentiae assignato, Noe cum familia sua i. e. uxore, filiis Sem, Cham et Japhet horumque uxoribus (octo personis Gen. 6. 18; 1 Pet. 3. 20), jussu divino arcam ingressus est, assumtis simul animantium mundorum septenis. immundorum autem binis[1]). Post 7 dies, et quidem die 17. mensis secundi anni 600. aetatis Noe i. e. autummo anni 1656 post orbem conditum (circa 2570 a. Ch.) Deus aquis diluvii perdere coepit universam terram; rupti sunt omnes fontes abyssi magnae et cataractae coeli apertae sunt. et factum est diluvium 40 diebus, ita ut aquae 15 cubitis super montes rendundarent et omnem carnem super terram exstinguerent, praeter Noae familiam[2]); nam arca ferebatur super aquas. Obtinuerunt aquae terram 150 diebus (Gen. 6, 5—7, 24).

1) Jam ante Moysen fuit distinctio animalium mundorum ab immundis in lege naturae, idque instinctu Dei et traditione majorum, quia Deus ea in sacrificia destinaverat. Ex animantibus mundis septena i. e. septem ex singulis eorum speciebus assumebantur, quia unum par (uti immundorum) ad speciei propagationem, reliqua ad sacrificia et esum post diluvium inserviebant. Animalia, nutu Dei (Augustinus, Civ. D, 15, 27) vel instinctu quodam futurae catastrophae inducta, Noe tanquam dominum suum in arcam secuta fuisse creduntur: nam propter hominem creata, etiam propter hominem in sua specie servanda erant.

2) Ad delendam aquis diluvii terram utitur Deus causis naturalibus: *a)* Causa supera erat ingens pluvia e cataractis coeli i. e. nubibus defluens, ita ut totus aër videretur rumpi in vastissima foramina, per quae densissimos imbres effudit. *b)* Causa infera erat eruptio et inundatio abyssi, ita ut per revolutiones telluris internas (terrae motus) altiores terrae partes deprimerentur et fundi marium elevarentur, talique modo aquae marium per ventos validos inundarent. Ceterum Moyses non scribit, omnes montes simultanee aquis ad eandem altitudinem tectos; aquas diluvii dicit ivisse et rediisse (Gen. 8, 3) i. e. fluxu et refluxu motas. Potuerunt proinde montes aquarum fluxu vicibus cooperiri, ut Augustinus (C. D. 15, 27) demonstrat. Ita et A. Cetta, Il diluvio 1886 et Lamy, Gen. 7, 17. S. Petrus (2 ep. 3, 5, 6) duo conjungit: aquas terram ambientes initio mundi et easdem aquas terram inundantes tempore diluvii.

De quaestione, utrum diluvium noachiticum fuerit universale, nec ne, Ecclesia hucusque nihil definivit; hinc de universalitate diluvii ejusque ratione variae exstant sententiae:

A) Fere omnes antiqui interpretes universalitatem diluvii absolutam i. e. inundationem totius terrae et interitum totius generis humani (geographicam et anthropologicam) defendunt et sequentia argumenta afferunt:

a) Testimonia biblica, secundum quae omnis caro in terra consumpta est (Gen. 6, 17), aquae omnes montes excelsos sub universo coelo operuerunt (Agustinus, Civ. D. 15, 27), imo 15 cubitis altiores fuerunt (Gen. 7, 19, 20); verba s. Petri (II, 2, 5): *Originali mundo non pepercit (Deus), diluvium mundo impiorum inducens,* quod Noe cum familia sua servatur (1 Pet. 3, 19, 20; Heb. 11, 7), arca tanquam unicum effugium ab universali excidio describitur, et a Noe ejusque filiis totum genus humanum deducitur (Gen. 9, 19; 10, 32 col. Eccli. 44, 18).

b) Vestigia geologica, quae geologi ex inundatione generali terrae repetunt, uti: arena marina et conchylia, quae in summis montibus inveniuntur, atque fossilia luto

inclusa. — Cum vero diluvium geologicum juxta doctos bene discernendum sit a diluvio historico et biblico, rupes erraticae, quae a mobilibus glaciei massis, olim magnam terrae partem operientibus, deportatae demonstrantur, item fossilia animalium reperta non amplius tanquam indubitatae reliquiae diluvii noachitici sunt consideranda. Confer Wiseman, Zusammenhang l. c. 288. Cuvier, D. Erdumwälzung, 1851. Buckland, Reliquiae diluv. Bosizio, Geologie und Sündflut. 1877. Güttler, Naturforsch. l. c. 253. E. L. Fischer, Urgeschichte d. Menschen u. d. Bibel 1878. B. Schäfer, Diluvium in der Geologie 1883. Elbert, Nat. u. Offenb. 1900 (vol. 46, pg. 6).

c) Traditiones fere omnium antiquorum populorum de diluvio (locali), uti Indi de Manu, Babylonii de Xisuthro referunt. Narratio diluvii Chaldaeorum in cuneiformibus inscriptionibus, et quidem in epico carmine nationali (Gilgameschepos) a G. Smith detecto, portenta herois Gilgamesch refert, qui a dea Istar afflictus avitum suum Utnapischtim vel Atrachasim (Xisuthrum apud Berosum) adit, qui ipsi salvationem e magno diluvio narrat (tab. 11). Jensen, D. Gilgameschepos in der Weltliteratur 1906. In qua narratione navis ejusque dimensiones, pluviae, appulsus navis in monte Nisir, emissio columbae, hirundinis et corvi, sacrificium et benedictio commemorantur (Smith Chald. Gen. 123; Vigouroux, La Bible I. c. 6.; Laacher Stimmen VI. 117, X. 404, P. Haupt, bab. Nimrodepos 1884 et Keilinschrift. Sintflutsbericht 1881. Cf. Döller, In Kathol. 1908. pg. 277 sq. Narratio biblica et textus cuneiformis de diluvio utique in multis conveniunt, sed in multis etiam differunt. Cf. Döller, Bibel u. Babel. 1903. 21 sq. Nikel, Genes. u. Keilschriftforschung 1903. 173 sq. Avesta de hieme (aquis) et refugio, Sinenses de Jao, Aegyptii de Mene, Graeci de Deucalione et Pyrrha narrant, in quibus relationibus omnia facta principaliora historiae biblicae, quamvis mythice et polytheistice recitantur. Similia tradunt Indiani Americae septentrionalis, Peruani, Celtae et Germani. In monetis urbis Apameae in Phrygia apparet arca in aquis, e qua vir et femina eminent, cum inscriptione *NΩ* et volucre, dum alia avis cum ramo olivae ad arcam revolat. Confer: Lüken, Traditionen l. c. Wiseman l. c. 379. Stiefelhagen, Theol. d. Heidentums 528, Natur u. Offenb. 1856, 459. Laach. Stim. 1879. B. Schäfer, Diluvium in d. Tradition d. Völker 1883.

Haec autem sententia nostris temporibus vix ab aliquo defenditur.

B) Inde a seculo XVII. plures universalitatem diluvii relativam tantum admittunt et quidem vario modo.

a) Sunt, qui universalitatem diluvii anthropologicam admittunt, geographicam autem negant; defendentes, partem nonnisi terrae, nempe regiones ab hominibus tunc inhabitatas aquis fuisse obtectas, quibus ergo totum genus humanum deletum est; nam diluvium erat judicium divinum ob corruptionem generis humani statutum. Haec sententia admitti et conciliari potest α) cum s. Scriptura; nam verba: *terra, omnes montes, omnia animantia* non absolute, sed relative ad haec, quae vidit Noe, imo partim hyperbolice dicta sunt capienda; β) cum consensu (?) Patrum, de quo hac in re non certo constat; γ) cum traditionibus gentium, quae maximam partem diluvium locale narrant et e fonte noachitico fluxerunt; δ) universalitati absolutae magnae obstant difficultates zoologico-biologicae (numerus nimis magnus animalium in arca condendorum, alimentatio eorum, temperatura etc.) et physico-geologicae. Ita: Pianciani, M. de Serres, Reusch, Güttler, Vigouroux, Schäfer, P. Brucker S. J., L'universalité du déluge.

b) Sunt alii, qui universalitatem diluvii tum geographicam tum anthropologicam negant, limitantes diluvium non tantum ad partem terrae, sed et ad partem generis humani, uti Motais C. O. le déluge biblique 1885, Abbé Robert, Revue des questions scient. 1887, Th. de Regnon S. J., Bibliographie catholique 1885, Hummelauer S. J. in Laach. Stim. XVI, 399, Jean d'Estienne, Le déluge bibl. et les races antédiluv. A. Breitung S. J., Z. f. kath. Theol. 1887, 631 sq., qui ita argumentantur: Nec Scriptura sacra, nec traditio ecclesiastica, nec traditio gentium argumentum afferunt pro vel contra existentiam coaevorum Noe extra territorium diluviale; argumenta, quae Lamy et Brucker contra ejusmodi existentiam proferunt, diluit Breitung l. c., nam extensio hominum pravorum

puniendorum definit limites diluvii, et vox *terra* (Gen. 6, 1, 4, 5, 11 etc.) significat regionem. Hinc saltem possibilitas existentiae hominum extra territorium diluviale admitti debet. Tali modo facilius origo diversarum hominum varietatum earumque linguarum explicatur, nec non, quare in tabula ethnographica biblica non omnes gentes (v. g. Nigri, Mongoles) enumerentur, sed tantum populi a filiis Noe descendentes; insuper nonnullae traditiones et historia Sinensium admittunt existentiam hominum a diluvii aquis non deletorum.

C) Breitung l. c. duas has ultimas sententias ita componere studet: Diluvium geographice erat tantum partiale; — si genus humanum tempore Noae illam solum terrae partem ab aquis diluvianis obtectam inhabitabat, diluvium erat anthropologice universale; si vero homines tunc jam super terram erant dispersi, diluvium non erat ethnologice universale.

3) Diebus 150 elapsis, aquae minui coeperunt, de terra euntes et redeuntes, et die 27. mensis septimi[1]) requievit arca super montes Armeniae[2]). Die 1. mensis decimi apparuerunt cacumina montium. Quadraginta diebus post dimisit Noe e fenestra arcae corvum non redeuntem et post eum columbam quae reversa est; post alios 7 dies iterum emissa rediit cum ramo olivae virentibus foliis (symbolo divinae misericordiae et pacis). Expectatis ultra 7 diebus, emissa fuit columba, quae non est reversa. Die 1. mensis primi anni 601. Noae, hic aperiens tectum vidit terram exsiccatam et tandem die 27. mensis secundi arefacta est terra (Gen. 8, 1—14).

1) Ab ingressu Noae in arcam usque ad ejus egressum numerantur unus annus et 10 dies. Annus probabiliter erat annus solaris approximativus 360 dierum (quivis mensis 30 dierum), juxta alios annus solaris 365 dierum, Confer Delitzsch Com. Gen. 1872. pg. 219.

2) T. H. habet super montes Ararat, quod sicut Urartu in inscriptionibus cuneiformibus designat Armeniam et q. planitiem medii Araxis, ab Armenis Airarat vocatam, ex qua planitie mons Ararat exsurgit. Nomen »Ararat« demum seriori tempore de planitie in montem ejus altissimum translatum est. Śanda (Untersuch. z. Kunde d. a. Orients. Berl. 1902) putat, sub montibus Ararat specialem montem in montibus Kardu, qui in inscriptionibus cuneif. Arardi vocatur, intelligendum esse; Cf. Döller, Studien 316.

Aquae diluvii, per quas Deus maledictionem diluebat et Noae familiam salvabat, explicante Apostolo (1 Pet. 3, 21) typice adumbrant aquas baptismatis, per quas homines e pernicie spirituali salvantur. Nonnullos ingruente diluvio poenitentiam egisse atque divinam misericordiam assecutos fuisse, testatur idem Apostolus (1 Pet. 3, 19, 20); his enim praedicavit Christus, descendens ad inferos. Praeterea arca secundum ss. Patres, praecipue s. Augustinum (Civ. Dei 15, 26; c. Faust. 12, 14; Tract. 120 in Joh.), est typus Ecclesiae, extra quam non est salus quaeque omnes creaturas complectitur.

§. 7. Noe et filii ejus.

1) Mandato divino obtemperans Noe, auctor novi generis (verus Janus in limite duarum aetatum), cum familia sua et animalibus arca egressus, statim altare erexit et grato animo sacrificium obtulit, quod Deus benigne accepit promittendo, se non amplius terram diluvio vastaturum esse; adjunxit benedictionem generationis, concessit denuo hominibus usum terrae et (semiplenum) dominium in bestias, atque nonnullas leges de comedenda carne quidem, ast vetito sanguine, et de vindicando homicidio, unde ultio sanguinis gentium repetitur, sanxit[1]). Tali modo Elohim foedus universale cum Noe et per eum cum humano genere (9, 12) iniit et signum hujus foederis cle-

mentissime adjunxit, iridem[2]). symbolum gratiae de non iterando diluvio (Gen. 8, 15—9, 17).

1) Sacrificium Noae in facie restaurationis terrae, hucusque maledictione divina onustae, confessionem imbecillitatis humanae simulque spem futurae redemptionis inclusit ac primitias terrae restauratae inauguravit et sanctificavit. Ante diluvium esus carnis (juxta plures theologos) quidem licitus erat, sed ab eo religiosi viri abstinuisse creduntur; ideo Deus nunc directe eum permittit, simul tamen dat (uti Adae) praeceptum de non comedendo sanguine, ne homines, assuescendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent, et quia sanguinem tanquam vehiculum vitae sibi reservavit in expiationem animarum. Alii tamen (Justinus dial. c. Tryph., Theodoretus q. 55, Bonfrerius) exinde inferunt, tunc primo concessam fuisse carnibus in cibum utendi facultatem. Tandem tulit in homicidas sententiam mortis, quia occidendo hominem, qui est imago Dei, homicida ipsi Deo est injurius.

Juxta traditionem judaicam (Sanh. 56. cp. 1 et 2) Deus septem leges noachicas statuit, de quibus Maimonides scribit: *Sex res sunt primo homini mandatae: 1) de cultu extraneo, 2) de benedictione nominis, 3) effusione sanguinis, 4) de revelatione turpitudinum (adulterio), 5) de rapina, 6) de judiciis. Addita est Noacho de membro vivo; ita septem praecepta evaserunt.* Ista praecepta sunt, utpote explicationes legis naturalis, universalia ideo etiam inter leges Mosaicas recepta; nam foedus Jahvae cum Israel pactum fundatur in foedere hoc. ab Elohim (Deo universi) cum genere humano inito. Seriori tempore ea proselytis portae a synagoga praescribebantur. Apostoli in primo concilio (Act. 15) primum (in quo et secundum latet), quartum et septium urgebant. Sextum adducit Paulus (Rom. 13, 1). Sed haec juris naturalis disciplina prorsus imperfecta est. Confer Haneberg, Geschichte 37; Relig. Altert. 10 et 103 seq.

2) Posuit Deus in nubibus iridem versicolorem tanquam symbolum clementiae (Apoc. 4, 3; 10, 1), in signum diluvii deinceps prohibendi, pacis, reconciliationis et foederis sui universalis, ad quod significandum iris, utpote super totum coelum expansa, erat aptissima Nonnulli putant, iridem ante diluvium non exstitisse ob defectum pluviae (? Gen. 2, 5, 6), alii credunt, eam quidem ante diluvium apparuisse, sed tantum uti signum naturale nubium roridarum, ast in momento illo in memoratum signum supernaturale a Deo institutam fuisse. Confer: Natur u. Offenbarung 1870, 363.

2) Noe non tantum legislator, sed et propheta erat; cum enim Cham patrem inscie ebrium et denudatum irrisisset, hic Chanaan, filio Chami natu minimo, maledixit[1]). Sem vero et Japhet benedixit votis, quae tum gentium, tum Ecclesiae fata continent: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Japhet, et habitet (Japhet) in tabernaculis Sem*[2]). Vixit autem Noe post diluvium 350 annis. Abhinc aetas hominum valde decrevit[3]) (Gen. 9, 18—29).

1) Exsecratus est Noe Chanaan impudentem ejusque stirpem: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis,* quia traditione hebraica docente, Chanaan primo viderit avum denudatum eumque irriserit, ac mox patri illud renuntiarit, qui pueri petulantiam non repressit, *ut et vitio auctoris deformaretur haereditas, et auctor filii nequitia gravaretur.* Ambrosius, De Noe 30. Praedicit his verbis fata tristissima terrestria et spiritualia posterorum Chanaan impiorum (Chananaeorum), quin tamen maledictio ista perpetua foret et reliquos Chami posteros gravaret (col. Gen. 12, 3 et Rahab). Chananaei, abominationibus idololatriae polluti et impudentiam patris suis secuti, Hebraeis a Deo exstirpandi traduntur (Gen. 15, 16; 18, 20; 19, 4 seq. Lev. 18, 27 seq.), et Nigri africani, posteri Chami, etiam nunc gemunt sub jugo idololatriae et durae servitutis.

2) Verba Noae ad Sem et Japhet continent alterum vaticinum messianum, quod jam clarius est quam protoevangelium. Benedicit enim Semo (nam ex benedictione Dei Sem

intelligitur ipsa benedicto Semi) et posteris ejus (Judaeis), e quibus benedictio seu salus divina exspectanda est, et alludendo ad significationem nominis Japhet (dilatatio) apprecatur ejus posteris dilatationem (qui revera latissimas regiones Europae et Asiae septentrionalis occupaverunt) et habitationem in tentoriis Sem. i. e. *in Ecclesiis, quas filii prophetarum, Apostoli construxerunt* (Augustinus c. Faust 12, 24), et sic prophetavit *de nobis, qui in eruditione de scientia Scripturarum, ejecto Israel, versamur* (Hieronymus q in Gen.). *Est ergo hic,* ut ait Chrysostomus (hom. 29 Gen.), *clara prophetia de vocatione gentium ad Christum.* Brevis itaque sensus est: E posteris Semi egredietur salus (positive jam), cujus Japhetitae participes fient. Urget hic Noe Semi et Japheti fata tantum laeta, Chami tristia, quia illos praemiare, hunc punire voluit, congruenter eorum agendi rationi. Confer Himpel in Tübingen. Quart. 1859. 222. — Reinke Beit. IV. 10. Ceterum Noe est typus Messiae, uti demonstrat Augustinus Civ. D. 16, 2. Confer Holzammer, Bibl. Gesch. 111.

In hac filiorum Noae diversa agendi ratione iterum manifestatur, sicut in Adae filiis, duplex principium evolutionis religiosae in genere humano; Sem et Japhet repraesentant civitatem Dei, Cham vero est prototypus civitatis mundi, Deo inimici. Sensim tamen peccatum iterum invalescebat.

3) Abhinc decrevit aetas hominum, ne impietas hominum longaevorum tantas dimensiones, quantas ante diluvium, attingeret. Numerantur post diluvium usque ad Abraham iterum decem generationes. Sem vixit annos 600, Arphaxad 338, Sale 433, Kainam 360 (LXX, Luc. 3, 36), Heber 464, Phaleg. 239, Reu 239, Sarug 230, Nachor 148, Thare 205, Abraham 175. — Non minor, quam ante diluvium, etiam post idem est differentia in annis prosapiae Semi numerandis (Gen. 11, 10—26); nam textus hebraicus a diluvio usque ad nativitatem Abrahae 292, samaritanus 942, et graecus 945 (Euseb.) vel 993 (Joseph.) annos computat. In textu hebraico lapsu oculi scribae nomen Καϊνᾶν omissum est. Confer Reinke Beitr. I. 76. Raška, Chron. pag. 11. Ceterum nonnulli putant, has genealogias non continere omnes immediate succedentes generationes, sed potius plura membra intermedia silentio fuisse pressa (Röckerath, Chronologia 45). Catastropha diluviana, mutatio coeli, vivendi ratio lauta, divisio in gentes, et praeprimis consilium divinum ad vitam humanam abbreviandam contulerunt. Ideo queritur Moyses: *In via tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis, 70 anni, si autem in potentatibus, 80 anni, et amplius eorum, labor et dolor* (Ps. 89, 9, 10).

§. 8. Dispersio gentium.

1) Postquam genus humanum a Sem, Cham et Japhet, propagatum, nimium increvit, Nemrod, Chami nepos et robustus venator, primum regnum babylonicum, quatuor urbes complectens, in terra Sennaar, condere coepit[1]), quo homines ex Armenia profecti erant. Utebatur vero genus humanum hucusque eadem lingua: *erat autem terra labii unius et sermonum eorundem*[2]). Priusquam homines aucti sedes dissitas quaerere cogerentur, vesano fastu turrim in Babel usque ad coelum pertingentem[3]), quasi centrum unitatis et monumentum gloriae suae, exstruere decreverunt.

1) Nemrod ex Chôs i. e. ex Arabia centrali ortus, unde dynastia prima Babylonica est Arabica eaque Hammu-rabi nominata, cujus nomen rebellis characterem regni chamitici (revolutionis et depotismi), a se fundati, exprimit, aedificavit in terra Sennaar (Sumir), ut religiosos Semitas potestati et spiritui Chamitarum subjiceret, urbes Babel, Arach (Erech-Uruk, nunc Warka), Achad (Akkad, inde Accadii) et Chalanne (probabiliter Ktesiphon), quae serius in civitatem chaldaicam sunt unitae, indeque occupavit Assur, vel assyriacum regnum aedificavitque Ninive (nunc Kujundschik et Nabi Junus), Chale (Nimrud) et Resen (Khorsabad). Kaulen, Assyrien u. Babyl. 162 seq. — Laacher Stimm. IV. 63;

VII. 77, 306 seq. Juxta inscriptiones cuneiformes vixit Nemrod circa 2250 a. Ch. et serius inter deos relatus est tanquam Bel, Deus principalis Babyloniorum, deus lucis et ignis. — Laacher Stimm. VI. 123. X. 395. XII. 235. — Hommel, Aufsätze u. Abh. I. p. 298 sq. Bezold, Ninive u. Babylon. 1903.

2) *Lingua* formationem grammaticalem, *sermones* elementum lexicale (radices) indicant. Quaenam fuerit illa lingua originalis, non constat. Chrysostomus (hom. 30 in Gen.), Augustinus (Civ. D. 16, 11), Hieronymus (Soph. 3) linguam hebraeam, Theodoretus syriacam linguam communem fuisse ajunt; eam periisse defendunt Gregorius Nys. et Huetius (dem. ev. 4, 13).

3) Turris illa, quae postea a Sargone (Semiramide) in templum Beli constructa et a Nebucadnezare ornata fuit, uti testatur inscriptio cuneiformis, creditur esse hodierna ruina (46 met. alta) »Birs Nimrud« in occidentali ripa Euphratis (Hillah). Confer Herodot. I. 178—183. — Bumüller, Geschichte des Altert. 39 seq. — Schrader, Keilinsch. u. A. T. pg. 36. — Ninive etiam valde aucta et circa 1300 a. Ch. urbs. capitalis regni assyrio-babylonici facta est. Auctore Diodoro (2, 3) urbs 480 stadia in circuitu habebat et tanquam districtus plures urbes continebat. Destructa fuit anno 607 a. Ch. Confer Bumüller, Gesch. 322 seq. — Katholik 1863. 55. — Laacher Stimmen IV. 58. VII. 307. De effosionibus in Ninive et Babylone confer A. Layard, Ninive u. Babylon, Deutsch v. Zenker. — Kaulen, Assyrien l. c. — Katholik 1863 I. 55 et 1865 I. 63. 159. — Literaturam vide: Literarischer Handweiser 1876, Spalte 473. 513; 1877. 1. 41.

Hac structione turris peccarunt vanitate et superbia (*in consensu nequitiae* Sap. 10, 5), nam eorum verba: *celebremus nomen nostrum,* indicant, scopum hujus improbi laboris fuisse ambitiosam cupidinem nominis aeternandi et praecavere, ne dispergerentur per orben terrarum (contra consilia divina), non autem, ut occasione novi diluvii hominibus refugis inserviret, uti putat Josephus, Ant. I. 4, 2. Nemrod ergo hanc turrim tanquam arcem tyrannidis et impietatis condere voluit. Etiam in mythologiis gentium conservatum est hoc factum. In Genesi chaldaica (Fragmenta cuneiformia vide apud Smith, Chald. Genes. 120, et Vigouroux, Bible l. c. cp. 8) sermo est de grandi fabrica scelestorum, quae a Deo diruitur; in poenam lingua eorum confunditur et homines ad extra disperguntur. Huc spectat etiam fabula de Titanis, bellum coelo inferentibus (Eusebius praep. ev. 5, 4). Confer Lüken, Tradit. 307.

2) Huic fastui, generi humano et consilio divino adversanti, sese opposuit Deus confundendo linguam eorum communem: *Venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*[1]), ne perversitas Chamitarum genus humanum pervaderet. Et vocatum est nomen urbis illius Babel[2]), quia ibi confudit Deus linguam universae terrae et inde dispersit eos in cunctas regiones, et cessaverunt aedificare civitatem (Gen. 11, 1—9).

1) Confudit i. e. commiscuit Deus unam linguam hominum, eamque in varias dispescuit et has inter se et homines permiscuit, ut, dum plures simul loquerentur, non una vox et lingua, sed diversae et confusae multorum linguae audirentur, nam signum non amplius notioni (ideae), sed conceptui tantum subjectivo congruebat. Quum Scriptura de confusione sermonum tacet, essentia linguarum varietatis in diversa forma reponi videtur, servata identitate radicum linguae primaevae. Confusio linguarum erat justa poena divina superbiae: *Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo jubenti. Sic illa conspiratio dissoluta et, quum quisque ab eo, quem non intelligebat, abscederet, nec se nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret* Augustinus (Civ. D. 16, 4). Haec confusio linguarum erat repentina et miraculosa, nec naturali modo explicari potest, ac si ex dissensione animorum ac dispersione sensim variae linguae enatae fuissent; nam confusio linguarum non

EX LIBRIS PROVINCIAE

fuit effectus, sed causa dissensionis et dispersionis, ita ut omnes diversas terras quaerere coacti sint. Consentit philologia moderna, quae unitatem labii originalem testatur et diversitatem linguarum non temporali evolutioni, sed violentae quassationi tribuendam esse docet. Confusio haec directe formas et modos loquendi, non organa oris mutavit (uti volunt Vitringa, Feldhoff), nam horum diversitas potius effectus naturalis diversitatis formarum linguae est. Ceterum neque hoc factum (sicut diluvium) universale fuisse videtur.

Superbia fabrorum meruit linguarum divisionem, quarum unionem in Pentecoste meruit humilitas Apostolorum; hinc opponitur confusioni linguae τὸ γλώσσαις λαλεῖν (Act. 2, 4). *Spiritus superbiae dispersit linguas, Spiritus sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus s. venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt linguae dispersae in unum congregatae sunt.* Augustinus (in Ps. 54, n. 11; Serm. 271, al. de temp. 187); Auctor de mir. s. Scr. 1, 9. Thomas (2. 2. q. 176. a. 1.). Chrysostomus (hom. 30 in Ev.) Quia enim diversitas linguarum essentialiter in diversa forma et haec formae varietas imprimis in varietate idearum religiosarum consistit, haec per Spiritum sanctum remota est et sic loquentes uno idiomate omnes mundi linguas comprehendebant. Hoc etiam una Ecclesiae lingua (latina) clare exprimit. — Confer Kaulen, Die Sprachverwirrung zu Babel. Mainz 1861. — Strodl, Die Entstehung der Völker. 1868. — Katholik. 1862. I. 76; 1869, I. 761; 1873, I. 120. — Natur und Offenbarung. 1876. — Happel, Turmbau zu Babal. Bibl. Zeitschrift I. (1903), 225 sq.; II. (1904), 337 sq.; III. (1905), 17 sq.

2) Memoria hujus confusionis conservata fuit in nomine urbis Babel i. e. *confusio* (linguarum) a balal = *confundere*. In cuneiformibus inscriptionibus assyriis invenitur Bab-Il i. e. porta Il vel El (dei), e quo fors concludere licet, cum aedificatione turris etiam incepisse idololatriam. Confer Natur und Offenbarung. 1857. 76.

3) Quum homines viderent, quod mutuo sese intelligere non possent, discesserunt et super faciem terrae dispersi sunt. Haec poena fuit tamen utilis generi humano, ut habitando orbi terrarum daret incolas. Ut autem communis origo ab uno parente ideoque cognatio singulorum populorum conservaretur, apposuit Moyses tabulam ethnographicam[1]) (Gen. 10). Japheto ejusque septem filiis totidemque nepotibus pars Asiae non exigua et Europa australis cessit; benedictio patris, in nomine ejus jam latens, vigorem suum in coloniis, scientiis, artibus et religione colendis et propagandis adhuc dum exercet. Cham cum quatuor filiis ad meridiem tetendit (ad sinum arabicum et persicum). Semi prosapia, cui benedictio divina specialis addicta et alligata erat, sedes fixit in Babylonia, Chaldaea, e qua Austrum et Occidentem (Arabiam, Syriam, Palaestinam) versus tetendit[2]). Facta autem est haec diviso diebus Phaleg (Gen. 10, 25), qui inde nomen suum (divisio) accepit; Vigouroux (366) tamen comprobat, Phaleg ex canalisatione Babyloniae esse nominatum.

1) Tabula illa ethnographica magnum habet valorem geographicum, linguisticum et religiosum (Gen. 10, 5, 20, 31); priusquam enim providentia divina gentes manumittit et filii prodigi instar vias suas ingredi sinit (Act. 14, 15), quasi in testimonium communis patriae, linguae et religionis, nomina singularum reponi voluit, ne oblivioni traderentur, sed ut in plenitudine temporum undique locorum colligerentur in Ecclesia christiana, quae coelum terramque unit et vera turris babylonica est (Act. 2, 5—11); hinc tabula est documentum patrium, omnibus gentibus datum. Haneberg, Gesch. 39. Stemma hoc genealogicum simul est catalogus omnium linguarum et religionum (Monotheismi, Polytheismi et Atheismi) propter mutuum nexum harum rerum.

Rabbini summatim 70 gentes et quidem: 14 Japhetitas, 30 Chamitas et 26 Semitas numerant. Talmud (Boch. Phal. I, 15) totidem linguas ibi invenit. Ss. Patres 72 gentes

numerant, ita ut his congruenter Christus elegerit 72 discipulos, per quos postea inter omnes gentes evangelium praedicaretur (Luc. 10, 1). Non recensentur omnes trium filiorum Noae posteri, sed ii tantum, qui populorum auctores fuerunt; nec omnes totius orbis populi, sed ii tantum, quos Hebraei notos et finitimos habebant. Plura nomina lapsu temporis obsoleta in oblivionem devenerunt, vel in alia mutata vel deformata sunt. Fons hujus tabulae erat traditio Patriarcharum, versimiliter aucta per scientias, ab Aegyptiis et Phoeniciis petitas.

Confer A. Knobel, Völkertafel d, Genesis, 1850. — A. Feldhoff, Völkertafel, 1837. Krücke, Völkert., 1837. — J. Görres, Japhetiten und ihr Auszug aus Armenien, 1845. — Gförer, Urgeschichte d. menschl. Gesellsch., 1855. — Strodl, Die Entstehung der Völker, 1868. — Katholik, 1862, 1869, 1870, 1873. — Natur und Offenbarung, 1874—1877. — Lenormant, Les orig. de l'hist. 1880—83. II. Tom. J. Halévy (Revue bibl. tom. 12) videt in hac tabula vivam illustrationem verborum Noe (Gen. 9, 27), Semitas nonnisi cum Japhetitis victoriam reportaturos de Chamitis. — Hommel l. c. p. 314 sq. — Ebers, Ägypt. u. d. Bücher Mosis, p. 52 sq. — Vigouroux, La Bible, I, 337.

2) Praeferuntur in enumeratione generationum propter nominis honorem Japhetitae (Ambrosius ep. 55), terminatur vero tabula in Semo, quia ejus genealogia est connexa cum historia subsequente Patriarcharum. Explicatur autem ista tabula a pluribus sequenti modo:

A) Posteri **Japhet**, qui sunt albi coloris. (Gen. 10, 1—5). Ab ejus septem filiis sequentes generationes descendunt, et quidem *a)* a *Gomer* Cimbri ad mare nigrum (Krim) habitantes, cujus tres filii α) Ascenez Ascaniae regioni in Phrygia, β) Riphat Celtis et γ) Thogorma Armeniis originem dederunt. — *b)* E *Magog* Scythae, vel Sarmatae (Germani et Slavi), *c)* e *Madai* Medi et *d)* e *Javan* Jonii vel Graeci sunt egressi; hujus quatuor filii similiter populorum auctores fuerunt: α) Elisa = Elis, β) Tharsis Hispanorum, vel Etruscorum, γ) Cetthim, Cariorum et Cypriorum et δ) Dodanim Dardanorum. — *e) Tubal* (Tabali) et *f) Mosoch* (Muski), conjuncti occurrunt in inscriptionibus cuneiformibus atque in Cappadocia sedes habebant, *g)* e *Thiras* Traces originem ducunt, quorum fortissimi erant Gothi.

B) Progenies **Chami** (i. e. calidi vel nigri). Filii ejus: *a) Chus* vel Cosch pater incolarum Arabiae centralis, unde exiit Nimrod. Ab ejus sex filiis descendunt: α) a Saba Sabaei (Taribaei, Minaei); β) Hevila; γ) Sabatha incolae Arabiae australis, Chatramotitae. δ) Regma Ichthyophages in australi oriente Arabiae, cujus filii Saba et Dadan ad sinum persicum degebant; nomen ε) Sabatacha videtur esse glossa (nomen regis Aethiopum propter similitudinem in margine notatum). — E *b) Mesraim* (ambo Misr)originem trahunt Mossaritae (Midjanitae) et Aegyptii. Filii ejus α) Ludim teste Hommel nomen arab. banu Lôd patres creduntur Arabo aegyptiorum, β) Ananim arab. banu ghanam, γ) Laabim arab. banu Lahab vel Lihb, δ) Nephtuim habitatorum Aegypti mediae, ε) Phetrusim Aegypti superioris (Thebaidis), ζ) Casluchim Colchorum, quos Herodotus (2, 104) Aegyptiorum antiquam sobolem nominat; horum pars e sedibus suis ad plagam orientalem Deltae immigravit in Chanaan, accepto nomine Philisthiim, dum Caphtorim, his cognati, in Cretam emigrarunt et Cretensibus vel Cappadocibus vel Phoeniciis (juxta Ebers) ortum dederunt. — *c)* E *Phut* deducuntur Arabiae australis incolae, et *d)* e Chanaan Phoenices ad sinum persicum habitantes, atque Chananaei, qui Assyrio stagno relicto Palaestinam ingrediebantur atque linguam semiticam in sedibus suis antiquis jam adoptatam retinebant,

C) **Semi** posteri i. e. gloriosi vel famosi, erant: *a) Aelam*, pater Elymaeorum a sinu persico usque ad mare Caspium; *b) Assur* Assyriorum: *c) Arphaxad* Chaldaeorum, e quibus Terachitae (Hebraei) ortum ducunt; *d) Lud*, Lutennu, Rutennu Lydiorum in Asia minori et *e) Aram* Aramaeorum vel Syrorum. De characteribus singulorum confer Gfrörer l. c. p. 52. Praeter genealogias has generales etiam aliae speciales adducuntur, propter relationem quorundam populorum ad populum divinitus eligendum. Ita describuntur Gen. 22, 20—24 genealogia Nachoris, e cujus posteris Isaac et Jacob uxores sumpserunt, 25, 1—4, Ceturaeorum et 25, 12—18 Arabum ismaelitarum (e sanguine Abrahae) atque Gen. 36 Esavi progenies.

4) Homines, e Babylonia in omnes terrae partes emigrantes, secum tulerunt religiosas doctrinas et traditiones tanquam patrimonium spirituale Noae, ast simul impietatem, cui jam dediti erant. Omnis revelationis divinae expertes, mox ideas religiosas obfuscarunt et sensim praeter Deum unum et verum (Monotheismum) alios deos admiserunt, ideam scilicet divinam, pro diversitate circumstantiarum, in varias creaturas: sidera, homines, imo animalia transferentes. Ita enata est idololatria (polytheismus-ethnicismus), cui (exceptis Israelitis) omnes terrae gentes, scientiis et artibus celebres, se dederunt. Quoniam ergo in ethnicismo primaevae revelationes divinae tantum efferabantur, non delebantur, ideo hae ex religiosis doctrinis gentilium, quamvis obfuscatae, plus minus emicant[1]). Cum idololatria necessario corruptio moralis et omnia genera vitiorum erant conjuncta[2]).

1) Originem ethnicismi graphice describit s. Paulus: *Evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: qui servierunt creaturae potuis, quam creatori* (Rom. 1. 21 seq.). Et auctor libri Sapientiae (13 et 14 cp.) stultitiam idololatriae describit: *De his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum aut citatum aërem, aut gyrum stellarum aut nimiam aquam, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt* (13, 1, 2). Ethnicismus ergo ex monotheismo, non monotheismus ex polytheismo evolvebatur. Hinc in mythologiis variarum gentium tam multa elementa in rebus fidei et morum occurrunt, quae procul dubio e revelatione divina originali et imprimis e religione mosaica deducenda et explicanda sunt. Confer Lüken Trad. 15. — Strodl l. c. 61. — Werner, Religionen und Kulte des vorchristl. Heident. p. 532. — C. Krieg, Monoth. d. Offenb. u. d. Heident. 1885. — Pesch, D. Gottesbegriff in d. heidn. Rel. d. Altert. 1886. — De Broglie, Problèmes concl. de l'hist. des relig. Paris 1886. Reinhard. Offenb. u. klass. Altert. 1887.

2) Dii fictitii gentilium omnibus cupiditatibus erant subjecti; quis ergo miretur, has tot incitamenta ad vitia hominibus fuisse. *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia* (Rom. 1, 28—32). Vanitatem et stultitiam idololatriae describunt. Ex 20, 3 seq. Dt. 4, 15—28; 13, seq. Ps. 112, 4—7. Is. 44, 9, 20; 46, 5 seq. Jer. 10, 2 seq. Bar. 6, 2—72.

Eo usque progressi sunt in erroribus, ut etiam sacrificia humana (infantes) diis suis (v. g. Molocho) offerrent. Causa dispositiva idololatriae, aliqua quidem ex parte hominis, erat vel inordinatus affectus, vel repraesentationis delectatio, vel ignorantia, consummativa autem causa fuerunt daemones, qui se hominibus colendos in idolorum imaginibus exhibuerunt, aliqua in illis miracula faciendo. Thomas 2. 2. q. 94. a. 4. Unde dicit Psaltes (95, 5): *Omnes dii gentium daemonia*, et Apostolus (1 Cor. 10, 20 col. Lev. 17, 7): *Quae immolant Gentes, daemoniis immolant.*

Periodus altera.

A vocatione Abrahae usque ad Christum Jesum.

---

§. 9. Prospectus.

1) Hucusque sacrae Literae narraverunt, quomodo Deus universo generi humano tum post lapsum Protoparentum, tum post diluvium salutem obtulerit; quum autem homines impii consilium divinum irritum fecissent, Deus nunc alio modo salutem mundo praeparare decrevit: coarctat limites, transit a via universalistica ad particularisticam; nam revelationem suam speciali populo concredit. Itaque sacra Scriptura nunc historiam populi electi Israel pertractat et illam reliquorum populorum in tantum attingit, in quantum dilucidandae divinae oeconomiae salutis inservit. Genus humanum abhinc in duas inaequales partes dispescitur: Mosaismum et Ethnicismum.

2) Pro diverso gentium charactere et invalescente polytheismo revelatio divina non amplius potuit universalis manere; nam Deus cuique genti specialiter se revelare debuisset. Eligit viam breviorem et sapientiorem; fit revelatio particularis, segregatur unus populus, ut ab eo salus universo mundo communicetur et sic fiat universalis. Populus ergo eligendus tantum custos revelationis divinae, populus sacerdotalis erat, per quem salus ipsi, et dein omnibus gentibus esset comparanda[1]). Haec veritas gravissima populo Israel frequenter inculcatur, v. g. promissis, in ipso benedicendas esse omnes generationes terrae (Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14; Ex. 19, 5; Num. 14, 12, 21. Dt. 33, 3), gloriâ divinâ replendam esse terram (Is. 6, 3; 42, 6; 49, 6), imo factis (Melchisedech, Rahab, Ruth, Jona ad Ninive misso etc.) illustratur. Praerogativa populi Israel tantum haec erat, quod *credita sunt illis eloquia Dei* (Rom. 3, 2), et *quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem* (Rom. 9, 4, 5). Quamvis paucior omnibus populis, Israel electus est a Deo ex gratiâ, qui autem, si munus suum sacrum neglexerit, dispergendus est in omnes gentes sine requie (Dt. 28, 58 seq.).

1) Cf. B. Schäfer, Idee des Katholizismus im A. T. Katholik 1877 und 1878.

3) Reliquae gentes a Deo dimissae sunt, *vias suas ingredi* (Act. 14, 15) non autem plane derelictae sunt, nam *conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur* secundum incomprehensibilia judicia et investigabiles vias suas (Rom. 11, 32, 33), *et non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera implens cibo et laetitia corda nostra* (Act. 14, 16). Cum gentes ea, quae legis sunt, naturaliter faciunt, *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus* (Rom. 2, 15). Ipsorum ergo est, *quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum* (Act. 17, 27). Itaque *in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* (Act. 10, 35). Exinde explicatur, quare etiam nonnulli gentiles virtutibus naturalibus excelluerint et quidam philosophi v. g. Socrates, fidem in Deum unum, sapientiam et virtutem commendarint; nam ὁ λόγος (σπερματικός) tanquam *lux hominum* (Joh. 1, 4), varie etiam inter gentiles operatus est. Hereditatis religiosae prodigi quidem facti, ast poenitentiâ, desiderio ac spe suffulti redierunt, ut participes fierint *salutis a Judaeis* (Joh. 4, 22); redierunt autem non vacuis manibus, sed artibus, scientiis et literis abundantur instructi (Is. 60, 4), quae omnia in incrementum regni divini afferebant. Tali modo Apostolus celebrare poterat *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, manifestatum sanctis ejus* (Col. 1, 26) i. e. gentibus, qui sunt *cohaeredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus* (Eph. 3, 6). Respectu religioso Judaei positive, Gentiles negative, nempe desiderio Messiae, qui errorum tenebras eorum dissiparet, divinae oeconomiae salutis vias praeparaverunt.

Sectio prima.

A vocatione Abrahae usque ad Moysen.

§. 10. Aevum patriarchale.

Quia populus e familia et haec ex matrimonio enascitur, historia populi electi cum patre seu auctore incipit. Succiditur de prosapia Semi radix, quae in terram peregrinam transplantatur, sub manu Dei irrigantis crescit, a surculis secundariis purgatur et in arborem cum 12 ramis se extendit — haec est indoles aevi patriarchalis vel historiae familiaris. Aetas haec merito qua infantilis historiae populi electi consideratur, cui et simplex cultus et modus revelationis divinae correspondent. Quo simplicior erat Patriarcharum vita externa, nomadum instar in familia concentrata, eo melius vita interna et fides mansit integra et evolvi poterat. Deus ipse sicut paterfamilias cum Patriarchis conversatur, eos hortatur, et consolatur promissionibus, quae nituntur in semine et terra promissionis. Ideo aevum hoc plurimis theophaniis sive transeuntibus apparitionibus Dei est insignitum.

Admitti nequit hypothesis Rationalistarum, qui autumant, nomina Patriarcharum non esse nomina personarum, sed tantum repraesentare varias historiae epochas et narrationem biblicam esse fabulam; opinio haec generice damnata est in Concilio Vaticano (Const. dogm. de fide cath. can. 4 de fide). Characterem historicum narrationis de aevo patriarchali demonstrant excavationes recentissimae. Confer Vigouroux l. c. — Hommel, Die semit. Völker u. ihre Sprachen 1883.

§. 11. Abraham (2212—2037).

1) Idololatria invalescente et ipsos Semi posteros corrumpente (Jos. 24, 2, 14). Thare, per Nachor e Phaleg oriundus, cum familia sua ex Ur Chaldaeae (utrum propter persecutionem, an propter famem, non liquet) in Chanaan transmigraturus, Haran (Carrhae) in Mesopotamia subsistit. Patre mortuo Abram (assyr. Abiram = *pater meus (est) almus*) 75 annos natus, a Deo in terram, quam ei monstraturus sit, ire jubetur, adjuncta benedictione: *Faciam te in gentem magnam, et benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi atque in te benedicentur universae cognationes terrae*[1]) (Gen. 12, 2, 3). Abram, Deo obtemperans, cum Sarai (sorore eodem patre nata), uxore sua sterili, comite Lot, nepote ex fratre Aran, pertransiens Damascum pervenit in terram Chanaan usque ad Sichem, anno circiter 2137 a. Ch. Promissione terrae hujus possidendae divinitus obtenta, altare erexit, victimas obtulit ac inter Bethel et Hai sedes fixit[2]).

1) Ur (nunc Muquajjar prope Erech) i. e. עִיר civitas sc. Chaldaeorum, non אוֹר ignis, vel potius lumen, licet ferat traditio, Abram ideo, quia cultum hunc abhorreret, a Chaldaeis in ignem missum, sed ex eo per miraculum a Deo liberatum fuisse. Judith 5, 6—9; Josephus, Ant. l. 7, 1. — Augustinus, Civ. D. 16, 13; et commendatio animae (oratio Ecclesiae). Eligitur a Deo vir, cujus uxor erat sterilis, in patrem populi electi, ut praeter naturam ex eo progenitus filius novum populum aedificet. Promissio Abramo ter facta et Isaaco atque Jacobo repetita (Gen. 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14) est messiana (Gal, 3, 8, 16), clarior protoevangelio et verbis Noae, quia vir (populus) singularis jam quasi pater futuri Messiae designatur, et benedictio per eum omnibus gentibus communicanda praedicatur. Ecce in eodem momento, qno revelatio fit particularistica, universalis ejus character urgetur! Promissiones Abramo factae tria continent momenta: *a)* Electionem specialis populi, *b)* ad salutem omnium populorum, *c)* in te i. e. in semine vel filio (Gen. 22, 18) Abrami (Messia Gal. 3, 7), quibus possessio terrae Chanaan adjungitur. Abram hic tanquam caput divinae oeconomiae statuitur, nam ejus adversarii simul considerantur quasi adversarii Dei; ideo vocatur *amicus Jahve* (Is. 41, 8. Jac. 2, 23).

2) Prima causa electionis Abrami erat gratia divina; altera ejus fides invicta in Deum, quam per totam vitam probaverat. *Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: exiit, nesciens, quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena* (Heb. 11, 8, 9); ideo factus est *pater omnium credentium* (Rom. 4, 11) et exemplar, quod ejus posteri imitarentur (Is. 51, 1. 33, 24. Judith 8, 22, 1 Mach. 2, 52. Matth. 3, 9; 8, 11. Joh. 8, 39); nam *non, qui semen sunt Abrahae, omnes filii, sed qui filii sunt promissionis* (Rom. 9, 7 seq.) et qui *ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae* (Gal. 3, 7). Chanaan tunc temporis a variis gentibus, sed ad exiguam partem, inhabitata erat, ita ut Abram immigrantem nullo modo impedirent.

2) Ingruente fame Abram anno circiter 2135 a. Ch. in Aegyptum tendens, in discrimen uxorem perdendi venit; Pharao enim tulit Sarai pulchram

(licet 65 annos jam natam), quam Abram qua conjugem dissimulaverat, non autem mentitus erat, perhibendo eam sororem (20, 12). Rex, plagis affectus, eam Abramo restituit, qui rursus Chanaan repetens, in Bethel sacrificio oblato nomen Dei praedicavit. Jurgio inter pastores Abrami et Loti exorto, ille, pacis amans, huic facultatem, pascua eligendi, dedit, qui, quum Sodomam et adjacentes Jordanis regiones fertilissimas (paradisum domini 13, 10), characteris tamen incolarum pessimi incurius, elegisset, Abram iterum promissione divina posteritatis innumerae et terrae possessionis confirmatus, in valle Mambre prope Hebron[1]) tabernacula fixit (Gen. 13). Anno circiter 2130 a. Ch. proelio inter quatuor reges gentium vicinarum Amraphel (Hammurabi 2133—2078) ex Sennaar, Arioch (Eriaku, filium regis Kudurmabug) ex Ponto (Ellasar), Chodorlahomor (Kudurlagamar) ex Elam et Thadal (Tudchula) regem Gentium (Goim i. e. guti, gutim) et toparchas Pentapolis (Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim et Bala = Segor) in valle silvestri (Siddim) commisso, illi duce Chodorlahomor[2]) victores praeter alios etiam Loti familiam captivam duxerunt. Abram, a profugo certior factus, cum 318 servis armatis hostes usque Dan fugatos devicit et captivos omnes magna cum praeda reduxit. Redeunti obviam venit in valle Save (recte Sharre) Melchisedech[3]), rex Salem, qui tanquam sacerdos Altissimi Deo in gratiarum actionem pro victoria ab Abram reportata, in typum Eucharistiae Christi, panem et vinum (sacrificium) protulit et Abramo benedixit, hic autem decimas omnium spoliorum illi largitus ideoque eum majorem se est confessus (Cap. 14).

1) Hebron, antea Kariath-Arbe appellata, erat urbs antiquissima (Num. 13, 23), nunc El- Chalil (= amicus, i. e. Abram) vocata.

2) In inscriptionibus cuneif. veritas historica hujus narrationis plane confirmata est. Cf. Vigouroux, La Bible I. 481. Schrader, Keilinsch. 3. Aufl. Hommel, Altisrael. Überlieferung, 1897, p. 147 sq.

3) Melchisedech i. e. *rex justitiae,* rex Salem seu Jerusalem (Ps. 76, 3 heb.), panem et vinum obtulit tanquam sacrificium in gratiarum actionem pro victoria Abramo a Deo collata, non vero, ut recrearet exercitum. Sacrificium testantur: *a)* nexus verborum: *erat enim sacerdos Altissimi;* exercitus vero satis praedae habuit. *b)* Allusio Psalmi 109, 4: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech. c)* Assertio s. Pauli Heb. 7, 11: Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? col. 5, 6, 10. *d)* Canon Missae et *e)* unanimis traditio ss. Patrum. K. Mommert, Salem, Die Königsstadt des Melchisedek. Lpz. 1902.

Melchisedech in sua persona et sacrificio fert typum Christi et sacrificii eucharistici, uti patet e verbis s. Pauli (Heb. 6, 20; 7, 1 seq.): Ipse fuit *rex justitiae et pacis sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Sacrificium ejus incruentum typice adumbrat sacrificium incruentum purum, de quo Malachias (1, 11) est vaticinatus.

Melchisedech rex, sacerdos veri Dei atque ultimus flos foederis noachici, Abramo benedicendo et ab eo decimas accipiendo major est quam Abram, qui habet repromissiones, et in praesenti, quo foedus universalisticum transit in particularisticum, hereditatem spiritualem ei quasi consignat, quam filius Abrahae (Christus) iterum gentibus restituturus sit. Confer Reinke, Beit. VIII. 241. — Knobel, Tuch, Nöldeke, Grotefend, Bohlen et alli relationem cap. 14.

tanquam mythum vel parodiam habent. Ast characterem ejus historicum testantur inscriptiones cuneiformes cf. Vigouroux Bib. I. 421 sq. Sellin, Melchisedek, Neue kirchl. Zeitsch. XVI (1905) 929 sq. — Dornstetter, Abraham 1902. — Wilke, War Abraham eine hist. Persönlichkeit? 1907.

3) Deo promittenti ingentem posteritatem, terram Chanaan et benedictionem omnium gentium ex ipso semineque ejus provenientem, Abram, quamvis herede careret, credidit ideoque acceptus erat Deo, et fides[1]) haec ei est reputata ad justitiam (15, 6). Foedus speciale cum Abramo initurus, Deus eum sacrificium foederis offerre jubet (primum foederis stadium), inter cujus divisiones Deus in specie ignis pertransiit et Abramo in ecstatica visione futura populi fata, praeprimis ejus commorationem in terra peregrina praedicit anno 2127 a. Ch. Sarai uxor Abrami desperans, se fore seminis promissi matrem, marito consilium dedit, Agarem[2]), ancillam aegyptiam cognoscendi, ut ipsius loco familiam aedificaret, quae, quum ab Abram, qui semen promissum quaerebat (Mal. 2, 15), concepisset, et a domina, quam spernebat, affligeretur, aufugit, fugientem in deserto versus Aegyptum Angelus domini consolatur, ei progeniem magnam e filio pariendo Ismaele anno 2126—1989 a. Ch. (patre Arabum nomadum Gen. 25, 12—18) promittit eamque ad dominam remittit (Cap. 16). Foedus cum Abramo pactum renovaturus, Deus mutat nomen Abram *(patris altitudinis)* in Abraham *(patrem multitudinis)* et Sarai *(ingenuitatis)* in Sara *(principissam)*. Annis 24 post immigrationem ejus in Chanaan lapsis, pactum etiam e parte Abrahae ratum haberi desiderans Deus, alterum signum seu tesseram foederis, circumcisionem[3]), praecepit anno 2113 a. Ch. cui Abraham, 99 annos natus, cum Ismaele (13 annos nato) ac universa sua domo obtemperavit, ideo ei Deus promissionem de filio hereditario, ex Sara pariendo, adjecit (secundum foederis stadium).

1) Fides, quae Abramum Deo tam acceptum reddidit, erat fides, quae per charitatem operatur (Gal. 5, 6), constans et fortis; nam *contra spem in spem credidit* (Rom. 4, 18). Propter revelationes a Deo acceptas, Abraham (20, 7), item Isaac et Jacob (Ps. 104, 15) prophetae appellantur.

2) Agar (Hagar = *peregrinatio*) probabiliter a Pharaone Abramo in Aegypto peregrinanti (12, 6) donata fuit, quam duxit in uxorem secundariam non ad explendam libidinem, sed ob spem et desiderium prolis. Augustinus (Civ. D. 16, 25): *O virum viriliter feminis utentem, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.* Polygamia tunc ex speciali Dei dispensatione licita erat. Una re Sara imperfectior erat Abramo, quod in prole habenda nimis festinarit. Ideo et in hac re punita fuit, cum Agar pariens eam, licet dominam, despexerit. Teste Apostolo (Gal. 4, 22 seq.) per Agarem ancillam Testamentum Antiquum servitutis, per Saram dominam Testamentum Novum libertatis typice adumbrantur. Agendi ratio Abrahae et Sarae erga Agarem codice Hammurabi bene illustratur.

3) Circumcisio Abrahae et posteris ejus injuncta fuit tanquam signum foederis Dei cum eo pacti sub gravi obligatione; nam incircumcisus delendus erat de populo Dei, ergo non censendus in eo, nec filius Abrahae, nec particeps promissionum (Gen. 17, 13). Resecatio praeputii peragebatur cultro lapideo (lapide acuto vel silice) aut ferreo, in quovis masculo, die octavo post nativitatem, nam antea *tenellus reputatur, adhuc quidquam non solidatum,* ait *s.* Thomas (1. 2. q. 102, a. 5), cum quo ritu simul impositio nominis erat conjuncta (Luc. 1, 59; 2, 21).

Quod attinet originem circumcisionis, ea etiam apud Aegyptios, Nigros, Indos et alios populos antiquos et modernos invenitur, ubi non tam medicinalem scopum (sanitatem, medium vim genitalem augendi), quam religiosum habuit. Hebraei autem probabiliter circumcisionem non ab Aegyptiis adoptarunt, nam obstant: *a)* introductio ejus per Jahven (Gen. 17, 9 sq.) et verba Christi: *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus* (Joh. 7, 22). *b)* Aegyptii illo tempore hunc ritum vixdum cognoverant (Jer. 9, 24; 15, 26. Ez. 31, 18; 32, 19 col. Dt. 23, 7, 8), sed versimiliter per Arabes, Ismaelis posteros, acceperunt. *c)* Iteratio circumcisionis in proselytis, licet circumcisis. Alii vero praeexistentiam circumcisionis in Aegypto defendunt, qui actus naturalis, per praeceptum divinum inter Israelitas introductus, specialiter signi sacri naturam induit. Confer Vigouroux l. c. I. 2. c. 4.

Quoad significationem et effectus circumcisio erat: *a)* signum rememorativum pacti, a Deo cum Abrahamo initi, in carne indelebiliter incisum (Gen. 17, 13), ut Hebraei recordarentur, se transiisse in foedus divinum, adeoque esse populum Deo dicatum et consecratum. *b)* Signum repraesentativum fidei Abrahae et justitiae per eam acceptae, teste Apostolo: *Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiae fidei, quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium* (Rom. 4, 11), atque signum circumcisionis spiritualis, nempe resecandum esse praeputium cordis, i. e. pravas cupiditates, et ambulandum secundum spiritum, non secundum carnem (Dt. 10, 16; 30, 6. Jer. 4, 4; 6, 10. Ez. 44, 7. Rom. 2, 25 seq. 8, 4.); obligabantur ergo circumcisione ad observanda omnia praecepta foederis. *c)* Signum distinctivum fidelium ab infidelibus. Tacitus (hist. V. 5): *Circumcidere genitalia instituere (Judaei), ut diversitate noscantur;* confer 1 Mach. 1, 16 et 1 Cor. 7, 18. *d)* Signum demonstrativum, naturam humanam labe originali infectam esse, quae maxime in concupiscentia carnali se manifestat, et sic illam incapacem reddit ad semen promissum gignendum; — ideo circumciditur non sine dolore membrum genitale, quo generamur — simul vero altera ex parte innuit, Messiam ex semine Abrahae circumcisi modo supernaturali esse generandum. Et tandem *e)* signum praefigurativum (typus) baptismi; uti enim baptismus, ita circumcisio, primum est sacramentum et initiativum verae religionis et fidei, ejusque professio et obligatio, ac consequenter adoptio et adscriptio in Ecclesiam Dei ejusque jura, privilegia et gratias (Col. 2, 11—13), cum hoc tamen discrimine, quod baptismus peccatum originale aufert et justitiam confert, circumcisio autem, tanquam signum, justitiam non conferebat, sed justitiae, merito fidei acceptae, monumentum erat. Confer Irenaeum (adv. haer. 4, 14), Justinum (dial. c. Tryph. 19, 23), Athanasium (or. om. mihi trad.), Basilium (de spir. s. 14, 32), Chrysostomum (hom. 27. 39. 40 in Gen., hom. 7 in Rom.), Epiphanium (haer. 8, 4), Ambrosium (ep. 74., ad Iren. 1, 4), Hieronymum (Gal. 1, 3; 2, 5).

S. Augustinus (c. Jul. 5, 11; de nupt. 2, 11; de pecc. mer. 2, 9 etc.) vero, quem multi alii v. g. Gregorius Magnus (Mor. 4, 23), Prosper (de prom. 1, 4), Isidorus (in Gen. 23), Beda (Luc. 1, 2) et Scholastici sequuntur, docet, circumcisione peccatum originale remitti. Suarez (disp. 4. s. 1. n. 5) vocat hanc sententiam *dogma certum et indubitatum,* et Thomas (3. q. 70. a. 4 et 4. l. sen. dist. 1. q. 2. a. 4) ait: *ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittitur.* Cum autem privilegium illud circumcisioni asseritur, semper spectatur efficacitas gratiae et meritorum Christi, et supponuntur in adultis conditio, jungendi circumcisioni carnali circumcisionem cordis, et fides. Circumcisio igitur sacramentaliter ex opere operato non habebat virtutem effectivam, quantum ad remotionem culpae, uti docet s. Paulus (Rom. 3, 1), nam est tantum *signum foederis* (Gen. 17, 10, 11). Ideo scribit s. Thomas (3. q. 70. a. 4): *Quamquam in circumcisione, sicut in baptismo, conferretur gratia quantum ad omnes gratiae effectus, aliter tamen, quam in baptismo . . . nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectae; in circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio, ita scilicet, quod homo, qui accipiebat*

circumcisionem, profitebatur, se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Ideo circumcisio vocatur *signaculum justitiae fidei* (Rom. 4. 11). Exinde patet, fidelem intentionem adulti vel vicarii pro parvulis in administranda circumcisione necessariam fuisse; huic confessioni autem cum circumcisione conjunctae Deus sponte et liberaliter gratiam suam ex virtute divina concomitante adjunxit. Thomas (IV. Sent. 1. 2. 6 ad 2): *Fides aliena non juvabat in quantum erat actus personae, sed ex parte illa, qua respiciebat objectum suum, sc. Christum . . . In quo habebat quandam similitudinem cum Sacramentis nostris, in quantum justificabat ex objecto quasi ex opere operato, non autem ex opere operantis.* Quia porro circumcisio signum corporale tantum erat et animae characterem supernaturalem non imprimebat, ideo et remansit in circumcisis impedimentum intrandi in regnum coelorum. Tali modo circumcisio vocari poterat foedus aeternum, quia perdurat alio modo et altiori gradu in baptismate (col. Col. 2, 11; Phil. 3, 3). Circumcisio, quae carni nonnisi characterem indelebilem impressit, tanquam signum foederis particularistici, et adumbrans futura, populo Israel tantum erat praecepta, et cedere debuit baptismati, quod animae characterem indelebilem imprimit et pro omnibus hominibus omnium temporum institutum est: *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur* (Gal. 5, 6). Respectu effusionis sanguinis rationem sacrificii habuit, docente s. Ambrosio (l. 1. de Abrah. cp. 4): *Donec igitur hoc pretium pro omnibus solveretur hominibus, quod Dominici sanguinis effusione pro omnium fuit solvendum absolutione, opus fuit singulorum sanguine, qui lege et consuetudinis ritu sacrae praecepta sequerentur religionis.* Exinde, quod masculinum, non vero femininum circumcidebatur, jam patet, circumcisionem non propriâ vi peccatum originale remisisse. Confer P. Scholz, Die hl. Altertümer des Volkes Israel. 1868. II. pag. 288 seq. — Schäfer, Religiöse Altert. pg. 127 seq. — Kortleitner Archäologie 160 sq. — H. Ploss, Geschichtliches und Ethnologisches über Knabenbeschneidung. Lpz. 1885.

4) Abrahae in Mambre habitanti apparuerunt tres viri anno 2113 a. Ch., quorum duo angeli (19, 1) et unus Jahve (18, 13) appellantur; hic Saram uxorem, cujus incredulitatem[1]) reprehenderat, filium parituram esse praedixit. In discedendo Deus Abrahae manifestat consilium suum de evertenda Pentapoli, propter peccata incolarum nimis aggravata. Abraham, amicus Dei, haeres terrae Chanaan et vocationis suae, omnibus populis salutem praeparandi, memor, intercedit apud Dominum, sexies pro urbibus, deletioni destinatis, humiliter deprecans, cujus votis Deus ipse indulgere vult, dummodo (50 usque ad 10) 10 justi ibi inveniantur (Cap. 18). Duo angeli, Jahvae comites, vespere Sodomam ingressi, a Loto benigne excipiuntur et hunc contra incolas nefarios ac praepostera libidine (Is. 3, 9) captos[2]) defendunt. Manc, angelorum hortatu, Lot cum familia sua e Sodoma Segorem (Zoar) urbem in orientali plaga precibus ipsius ex incendio servatum et 11 *km* remotam tetendit, quo facto Sodoma et adjacentes urbes sulphure et igne, de coelo misso, comburuntur; inde bitumen in regione scatens exarsit, solum corruit ac tali modo vallis Siddim in partem maris mortui australem est conversa, lacui autem ipsi character praesens est impressus[3]). Uxor Loti, quae contra mandatum divinum curiosius respexerat, in statuam salis conversa, seu a sale circumdata[4]) fuit. Duae filiae Loti ex incestu cum patre inebriato genuerunt Ammon et Moab, duorum populorum cognatorum auctores (Cap. 19).

1) Sara in risu suo incredulitatem prodidit, a qua sananda erat, antequam mater seminis promissi evaderet (Heb. 11, 11); timor ejus (Gen. 18, 15) fidei initium erat juxta

illud Ps. 110, 10. Plurium V. T. mulierum, quae typos Salvatoris genuerunt, sterilitas effertur; videtur Deus iteratis illis portentis gradatim voluisse elevare mentes hominum ad portentum virginei conceptus agnoscendum.

2) Multa fuerunt peccata Pentapolis: *superbia, saturitas panis et abundantia, otium (Ez. 16, 49), exfornicatae et abeuntes post carnem alteram* (Jud. ep. v. 7) = peccatum Sodomiticum dictum, quod ad coelum clamat (Gen. 19, 20, 21).

3) Mare mortuum ita dictum, quia in eo nil potest esse vitale (Hier., ad Ez. 47), mare deserti seu solitudinis (Dt. 3, 17; 4, 49), mare salis seu salsissimum (Gen. 14, 3), cujus aquae sunt salsissimae et amarissimae, continent enim 100 aquae partes 28—56 partes salis aliarumque materiarum, ita ut nihil immergi possit, sed omnia attollantur (Tac., hist. V. 6), etiam mare orientale (Ez. 47, 18; Joel 2, 20), relate ad mare occidentale (mediterraneum), lacus asphalites (Jos. B. J. III. 10, 7,), quia bitumine regio impleta est, nunc Bachr Lût vocatur. Mare hoc 80 *km* longum, undique montibus calcariis altissimis et praecipibus cinctum est, qui ad austrum et septentrionem versus recedunt, atque habet illud mirabile, quod aequor ejus circa 392 metra depressius est, quam illud maris mediterranei ideoque et maris rubri, hinc aqua non ultra egreditur, sed in vapores dissolvitur. Praeter bitumen (Gen. 14, 10), quod in parte orientali scaturire dicitur, inveniuntur sulphur ad litora maris et Jordanis, sal, praeprimis in monte salis (Dschebel Usdum seu el-Melch, 12 *km* longo, 1 *km* lato et 50 *m* alto) et Asclepias gigantea (Oescher seu pomum sodomiticum). Pervestigatum fuit mare mortuum a Costigan 1835, More et G. Beck Anglis 1837, Robinson 1838, Scott et Symonds 1840—41, Molineux 1847, a Lynch et Dale Americanis 1848, et duce de Luynes 1864. Dividitur lacus per peninsulam Mezraah in duos inaequales crateres, quorum septentrionalis ($^2/_3$) 300 usque 400 metra, australis ($^1/_3$) non ultra 4 metra profundus est. Crateris australis origo e catastropha biblica repetenda est, quum vallis Siddim (silvestris, LXX ἁλυκή), olim fertilis et amoena (Gen. 14, 3; 13, 10), conflagrarit ac terra depressa fuerit. Aqua superioris crateris vel lacus, jam existentis et aquas dulces continentis, se effudit in inferiorem, quo facto mari character supra descriptus est impressus. Cf.: Dt. 29, 23: *terra subversa, sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nes virens quidpiam germinet.* Jer. 49, 18: *terra subversa, non habitabit ibi vir.* Am. 4, 11: *quasi torris raptus ab incendio.* Soph. 2, 9: *siccitas spinarum et acervi salis et desertum usque in aeternum.* Num autem aquae illius olim in sinum aelaniticum per Arabah se effuderint, non certo constat. Robinson propter aquarum divortium in Arabah negat, Ritter conjunctionem antehistoricam, Burckhardt, Labord cum nonnullis antediluvianam possibilem credunt. Mare hoc (Ez. 47, 1—12) est symbolum mundi maledicti et exemplum eorum, qui impie acturi sunt (2 Pet. 2, 6), e contrario mare Tiberiadis quasi regio benedictionis depingitur. Praeter Jordanem mare mortuum recipit fluvios ab occidente Cedronem, qui in viciniis Jerusalem oritur et cuius vallis profundissima circa Mar Saba Wadi er-Rahib (monachorum) seu en-Nar (ignis) nunc appellatur, ab oriente Arnonem, qui in Arabia deserta scaturit et septentrionales regionis Moab terminos constituit. Conf. Robinson, Palästina III. 162. — Lynch, Bericht über d. Expedition d. V. St. nach d. Jord., Deutsch von Meissner 1850. — Katholik 1864. I. 440. — Blanckenhorn, Das Tote Meer u. d. Untergang von Sodom u. Gomorrha. 1898. — Natur u. Offenb. 1900, 133 sq. — Musil, Edom 2. p. 182 sq. Moab p. 68, 74. 161 sq. — Heidet, Im Org. D. V. v. hl. Lande. Köln 1908. pg. 123, 149 (qui existentiam maris mortui tempore Abrahae negat).

3) Uxor Loti respiciens poenae sodomiticae facta est particeps, quia agendi ratio ejus defectum fidei, divino interdicto praestandae, et incuriam peccaminosam, sed et animum, Sodomitis cognatum horumque sceleribus propensum, involvebat. Veritatem historicam comprobat Christus (Luc. 17, 29, 32). Stans et retro respiciens mulier, sicut regio adjacens, igne comburitur et sale circumdatur — salis columna 12 metra alta in Dschebel Usdum. Jos., Ant. I. 12, 4. — Clemens, ad Cor. 11. — Irenaeus adv. haer. 4, 31. — Köln. Org. d. hl. Land, 1870, 73. — Zschokke, Bibl. Frauen §. 4. Fors inde fabulae Ovidii,

Fast. 5. et Metamorph. 8, 626 seq. Confer Sap. 11, 7: *In testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animae memoria stans figmentum salis.*

4) Origo Ammonitarum et Moabitarum non ob odium Israelitarum in illos narratur, ipsi enim propter animum hostilem et idololatriam (Dt. 23, 4) a communione populi electi excludebantur, sed quia saepe in historia adducuntur. Filiae Loti, in solitudine de matrimonio ineundo desperantes, ex desiderio posteritatis et fors exemplo Sodomitarum pravo seductae cum patre coierunt. Apologiam Loti ejusque filiarum susceperunt Irenaeus (c. haer. 4, 31), Chrystostomus (hom. 44 in Gen.) et Ambrosius (l. 1 de Abrah. ep. 6): *Non libidinis vitium fuit, sed generationis remedium.* Mediam viam tenent Origenes (hom. 6 in Gen.) et Hieronymus (ep. 69), qui pro excusatione earum adducit, quod putaverint, defecisse genus humanum. Ut hoc restituerent, non ut libidini inservirent, patrem seminis auctorem reddiderunt (Theoretus et Augustinus l. 22 c. Cels. cp. 42 seq.). Ast Segor oppidum salvatum et existens adhuc ante oculos habuerunt; insuper medium, quo usae sunt, probat, illas bonae fidei haud fuisse. — Confer Zschokke, Bibl. Frauen l. c.

5) Peregrinatione (in symbolum pregrinationis populi electi) in terram australem Gerar (Wadi Dscherâr) facta, Sara ab Abimelech rege eripitur, postea vero Deo admonente restituitur, ac foedere (anno circiter 2100 a. Ch.) cum eodem rege in Bersabee percusso, Abrahae 100 annos et Sarae 60 annos natis, juxta Jahve praedictum, filius promissionis, Isaac, nascitur anno 2112 a. Ch. Quum Ismael eum vexaret, Abraham, suadente Sara et approbante Deo, qui tamen illi promissionem quamdam concessit, Agarem cum filio e domo dimittit; Ismael in deserto mirabiliter conservatus, homo ferus (16, 12), factus est 12 tribuum arabum (25, 12—16) auctor et princeps. Post haec Deus fidem et virtutem Abrahae probaturus, ei mandat, ut filium dilectum unicum super montem, quem monstraturus[1]) ei erat, in holocaustum offerat. Abraham anno circiter 2092 a. Ch. in fide[2]) Deo obtemperans, et Isaacum in monte Moria, ubi postea centrum cultus (templum) populi electi erat erectum, in holocaustum oblaturus, extremo momento a victima mactanda a Deo impeditur, qui pro filio arietem, cornibus inter vepres haerentem, substituit. Omnibus promissionibus, ante jam factis, solemniter confirmatis, Abraham cum filio in Bersabee rediit (Cap. 12).

1) Moria i. e. locus apparitionis Jahvae, postea nominatus. — Jos., Ant. I. 13, 2; hinc Gen. 22, 2 proleptice dictus est mons. Recentiores nomen Moria derivant a voce prisco-babylonica Amurru i. e. terra Amorhaeorum, quod nomen seriori tempore isti monti restrictum est.

2) Abraham, qui ex amore erga Deum patriam et cognatos reliquerat, etiam amorem paternum in filium abnegare (sapientia *eum in filii misericordia fortem custodivit* Sap. 10), 5) eumque Deo petenti restituere debuit, ita ut eum, quem in corde jam immolaverat, rursus acceptum, qua filium gratiae et repromissionis tantum amore prosequeretur. Sine dubio Isaac obediens et patiens huic sacrificali morti consensit. Quod (sacrificia humana) diis suis offerre non abhorrebant gentes, hoc Deo unico ac vero non denegare, Abrahae conveniebat. Praeeunte s. Paulo (Heb. 11, 17 seq.) ss. Patres docent, Abraham fide obtulisse Isaacum arbitrando, quia et a mortuis suscitare potens sit Deus, unde eum in parabolam (Christi oblati et resuscitati) accepit, quam fidem ipse testatur verbis: *postquam adoraverimus revertemur*, (ego scilicet et filius) *ad vos* 22, 5: cf. Rom. 8, 32 col. Gen. 22, 16; Augustinum (Civ. D. 16, 32), Tertullianum (adv. Jud. cp. 10). Pro Isaaco arietem substituendo Deus sacrificia cruenta quasi rata declaravit. Etiam *ariete figurabatur Jesus, antequam immolaretur,*

spinis Judaeorum coronatus, docente Augustino l. c. Isaac sacrificio suo ac omnibus circumstantiis (conf. 1 Pet. 2, 24) typus est Christi, in monte pro nobis in ligno passi: *in figuris praesignatur, cum Isaac immolatur, datur manna patribus* (Hymnus), et in Eucharistia oblati. Confer Kraus, Roma sotterran. 280.

6) Saram 127 annos[1]) natam, Hebrone emortuam (anno 2075 a. Ch.) Abraham in spelunca duplici (Machpela), quam cum adjacente agro ab Ephron Hethaeo in possessionem sepulcri[2]) 400 siclis solemniter acquisierat, sepelivit (Cap. 23). Abraham senex, de matrimonio Isaaci conciliando cogitans, Eliezerum servum in Mesopotamiam misit, ut e cognatione ejus sponsam eligeret. E familia Nachoris Rebeccam obtinuit, quam Isaac, 40 annos natus anno 2072 a. Ch, in matrimonium ducit (Cap. 24). Postea Abraham e Cetura, uxore altera, sex adhuc filios progenuit, e quibus populi arabes (Ceturaei Gen. 25, 1—4, diversi ab Arabibus a Jectan descendentibus 10, 26—29), et Madianitae originem trahunt; eos tamen ab Isaaco separavit, cum muneribus ad plagam orientalem dimisit et Isaacum heredem solum retinuit. Patrem (175 annos natum) mortuum Isaac et Ismael anno 2037 a. Ch. ad latus Sarae in Machpela condiderunt (Cap. 25).

1) Sara unica mulier est, cujus aetas in ss. Literis notatur, quia tanquam mater seminis promissi, mater exstitit fidelium (1 Pet. 3, 6).

2) Sepulcrum familiare — Machpela (cf. deutsch-morg. Zeitschr. XII. 477. — M. de Vogué, Les Églises de la Terre s. 1860. — G. Rosen in Z. d. allg. Erdkunde, 1863. 369) acquisitum testatur fidem Abrahae in promissionem, Deum posteris ipsius daturum esse terram hanc in possessionem, simulque Israelitis in Aegypto degentibus in solatium errat futurae possessionis hujus terrae. Quoniam Abraham Jacobum nepotem adhuc videbat, Isaaci historia cum ea patris ac filii sui Jacobi confluit. *Congregatus est autem Abraham ad populum suum* i. e. anima ejus cum animabus justorum (Sem, Noe, Henoch, Seth, Abel) consociata est in loco, ad quem anima Christi veniens spiritibus praedicavit (1 Pet. 3. 19) quique sinus Abrahae vocatur (Luc. 16, 22), nam *Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria* (Eccli. 44, 20). — Dornstetter, Abraham, Studien üb. d. Anfänge des heb. Volkes. B. Stud. 1902. — A. Pfeiffer, Abraham, der Prophet Jehovas. Lpz. 1907. — J. Döller, Abraham u. seine Zeit. Münster 1909.

§. 12. Isaac (2112—1932).

1) Matrimonium Isaaci 10 annos sterile fuit; tandem precibus mariti concepit Rebecca, in signum, quod semen promissum non quasi donum naturae, sed gratiae sit considerandum, et gemellos peperit anno 2025 a. Ch., quorum lucta in utero materno fata utriusque populi, ab eis oriundi, praesignabat, scilicet ut major serviat minori. Esau, major natu, toto corpore hispidus, quo agrestis et aspera indoles praesignabatur, venator et agricola erat, a patre praecamatus, dum Rebecca Jacobum quietiorem et suaviorem praeferebat. Esau, de agro redux, Jacobo jus primogeniturae pro cibo lentium vendidit (Gen. 25, 19—34), ast postea duas uxores Hethaeas in offensionem parentum duxit (26, 35).

Primogeniturae jura erant: *a)* Primogenitus erat princeps et dominus fratrum, et successit in patriam dignitatem; *b)* duplices portiones hereditatis accipiebat; *c)* fungebatur qua sacerdos et *d)* specialem benedictionem paternam obtinuit cum praerogativa originis

Messiae (aevo patriarchali) ex ejus familia. Quia ergo jus primogeniturae temporale simul annexum habebat jus spirituale, venditio et emptio ejusdem detexit utriusque fratris animum. Esau parvipendebat illam (Gen. 25, 34) et ideo ab Apostolo (Heb. 12, 16, 17) homo profanus vocatur, qui propter escam vendidit primitiva sua (benedictionem); Jacob vero eam plurimi aestimabat et praeoptabat, quemadmodum jam in partu suo, singulari Dei virtute, plantam fratris tenuit (ideo et *supplantator* = *Jacob* dictus est), ut prior tempore egressurus ex utero materno potiri posset jure primogeniturae. Ceterum electio divina Jacobi prae Esavo non ex merito operum illius, sed ex consilio divino (Rom. 9, 11, 12), et gratia divina (Mal. 1, 2, 3) facta est. Praefertur minor in gratiam et salutem utriusque.

2) Ingruente fame in Aegyptum tendens Isaac, jussu divino in terra Philistaeorum haesit ibique ei promissio, Abrahae facta, repetitur. Mox tamen Philistaei, invidia divitiarum ejus perciti, illum varie vexando Bersabee migrare cogebant, ubi, inito cum Abimelech rege foedere (a. circiter 2030 a. Ch.) mansit. Post apparitionem Dei, ipsum consolantis ac confortantis, altare exstruxit ac nomen Dei praedicavit (Cap. 26). Jacob, dolo matris in Esavi locum[1]) pro benedictione paterna obtinenda substitutus, jure quidem, ratione tamen haud probanda, omina roris, soli uberrimi, abundantiae frumenti et vini et dein verbis propheticis: *Serviant tibi populi et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum et incurventur ante de filii matris tuae; qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*[2]), sub specie bonorum temporalium velut in symbolis et typis promissionem spiritualium et aeternorum accepit (a. 1975 a. Ch.). Esau redux benedictionem paternam repetiit, frustra quidem, nam benedictio a parente, consilium divinum edocto[3]), minime revocatur, comperit vero sortem futuram suam naturalem[4]) (Cap. 27).

1) Actio Rebeccae et Jacobi, qui benedictiones magni faciebant et providentiam divinam adjuvandam sibi esse putabant, laudabilis quidem, ast in mediis adhibendis non ab omni culpa ac errore immunis erat, hinc mater filio absente et filius exulando longe e patria, aerumnis et passionibus poenas luere debent. Oraculum divinum, quod Rebecca de filiis interpretata est, Isaac intellexit de populis ex eis oriundis. Confer Zschokke, Bibl. Frauen, pag. 99.

2) Quatuor sunt partes benedictionis: *a)* prima ad opes pertinet *(det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini), b)* secunda ad imperium *(serviant tibi populi, c)* tertia ad principatum inter *filios matris tuae,* i. e. inter posteros Esavi et *d)* quarta ad Dei favorem, et est messiana.

3) Juxta LXX et Augustinum (q. 80 in Gen.) Deus Isaaco in ecstasin rapto indicavit hoc Jacobi factum quoad substantiam, puta quoad surreptionem, praeventionem et suppositionem sui in primogenitura, suo nutu et instinctu gestum esse, Jacobum enim a se destinatum esse heredem promissionum suarum, velle ergo se, ut Isaac haec ipsa rata habeat, unde statim Isaac, Deo obediens, mentem ex Esavo in Jacob commutavit, dicens: *Et erit benedictus.* Confer Augustinum Civ. D. 16, 37. — Theodoretum q. 80 in Gen. — Chrysostomum hom. 53 in Gen.

4) Esau similem benedictionem cum lacrymis inquisivit, eam tamen non obtinuit (Heb. 12, 17), sed aliam, quae potius maledictionem aequat: occupabit terram aridam (sine pinguedine terrae et rore), atque vivet ex rapina et praedatione; ejus posteri servient Israelitis, donec excutiant jugum de cervicibus suis cf. etiam Hommel, Aufsätze, pg. 287. n. 1. Esau, cujus cognomen Edom (rufus) memoriam excitat concupiti cibi (rufi pulmenti), pater exstitit Edomitarum vel Idumaeorum, qui perpetui adversarii populi Israel erant. Pulsis

Choraeis. Idumaei occuparunt montes Seir (Dt. 2, 12) steriles, a Davide subjugabantur (2 Sam. 8, 14), rebellarunt tamen Joramo rege et a jugo Judaeorum manserunt liberi usque ad Hyrcanum, qui eos rursum subegit, circumcidi et leges mosaicas accipere jussit. Josephus Ant. XIII. 9. 1, XV. 7, 9. Ex Idumaeis egressi sunt Amalecitae (Gen. 36, 12; 1 Par. 1 36. — Josephus, Ant. II. 1, 2). Descriptionem terrae Edom vide apud Musil.

Abhinc una tantum vice (Gen. 35, 28) Isaaci, quamvis 43 annos adhuc dies suos prolongaverit, in ss. Literis fit mentio. Si in Abraham patre fides invicta operibusque plena (Rom. 4) et obedientia erga Deum absoluta prae ceteris admirandae sunt: In Isaac filio sincerae mentis puritas ac pietas (24, 63) elucent, quae circumstantiis nativitatis ac praeprimis eventu illo indelebili in monte Moria explicandae sunt et eum typum Christi mitis et humilis corde constituunt; in Jacob singularis animi laborumque patientia et in Joseph insigne effulsit castimoniae (s. Ambr. l. de Joseph cp. 1). Rebecca probabiliter Jacobum ex Mesopotamia revertentem non amplius vidit.

§. 13. Jacob (2052—1905).

1) Quia Esau minabatur occidere fratrem suum, Jacob, 77 annos natus, consilio matris, ac benedictione patris munitus, in Mesopotamiam fugit. In loco Luz sub dio pernoctanti visio mystica[1]) exhibita est, scilicet scala ad coelum pertingens, in cujus cacumine Jahve stans verba benedictionis sacrae, progeniei numerosae seminisque promissi (28, 13, 14) ac consolationis et protectionis plena, ei fecit. Altari ibi (Bethel, domus Dei) erecto et voto nuncupato, foedus cum Deo pepigit et dein in Haran ad Laban avunculum venit ibique pro 7 annorum servitute Rachelem paciscitur, in cujus locum Laban avarus Liam, majorem natu sororem, substituit; altero famulatu septenni Rachelem in uxorem suscepit et servitium suum ad sexennium adhuc, peculii acquirendi causa, prorogavit. Ex Lia filiis: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, Zabulon ac Dina filia, e Rachele, per longum tempus sterili, Joseph procreatis, etiam ex ancillis utriusque uxoris ipsi datis (conjugali jure servato), et quidem e Zelpha (Liae ancilla) Gad et Aser, atque e Bala (Rachelis famula) Dan et Nephthali suscepit. Servitutis, avaritiae, invidiaeque Labani pertaesus, cum familia et gregibus suis mire auctis (a. 1955 a. Ch.) fugit et, quum eum fugientem Laban persecutus septimo die in montibus Galaad invenisset, cum genero, Dei monitu perterritus foedus percussit ac reconciliatus discessit. In confinibus Palaestinae turma angelorum, eum salutantium, patrocinium divinum promittit, quare Jacob locum hunc Mahanaim (duo castra) nominavit. Commisit se totum quidem auxilio divino, nihilominus tamen odium Esavi timens, nuntios ad hunc sibi conciliandum ablegavit, familiam et peculium torrentem Jacob transire fecit et solus in adversa ripa haesit. Tota nocte precibus vacantem Angelus Jahvae in specie humana aggressus est, usque mane cum eo luctans; ascendente aurora nervum femoris ejus luxavit, nomen Jacob in Israel mutavit eique benedixit, quare Israel nomen loci hujus Phanuel appellavit (Cap. 28—32)[2]).

1) In peregrinatione continua Jacobi e Chanaan in Aram, inde retro in Chanaan et rursum in Aegyptum fata populi sui praesignabantur. Scala illa coelestis non tantum symbolum providentiae divinae circa Jacob erat (28, 15), sed et, innuente Christo (Joh. 1, 51),

typus foederis gratiae, per Salvatorem cum genere humano initi; *ostendit illi regnum Dei* (Sap. 10, 10).

2) Jacob maculis mendacii, astutiae et machinationis pollutus, ab his purgandus et per varias tribulationes ducendus erat, quibus muneri suo fungendo aptus redderetur. Remotus e patria Deum cognosceret, in ipsum sperare ac confidere disceret et poenas debitorum lueret oportebat. Uti ipse patrem deceperat, ita ipse a Labano circumventus est: Lia, quam noluerat, uxor ei est substituta, imo mater seminis, a Deo promissi, destinata fuit (in signum, Israelis originem non naturae, sed gratiae deberi) eodem modo, quo ipse benedictioni paternae Esavi loco fuerat suppositus. Priusquam ergo terram promissionis intraret ac benedictionis divinae particeps evaderet et fratrem propitium haberet, iram divinam penitus placare debuit et quidem in lucta cum Deo ipso, qui adversarius ei se opposuerat. Luctabatur (vere non in somnio) cum angelo Domini (filio Dei; ita Philo, Hilarius (de trin.), Athanasius (cont. Ar. l. 4), Chrysostomus (h. 58 in Gen. col. Sap. 10, 12), tanquam victor cum armis spiritualibus (fide, oratione et lacrymis col. Os. 12, 4 Vulg. Heb. 5, 7), simul tamen viribus suis (carnalibus — astutia) confisus, quibus fractis (claudus factus) cum Deo plane reconciliatur. Timoris nunc expers, benedictione divina Jacob (typus praedestinatorum) repletur; homo novus — Israel i. e. luctator Dei (quod nomen postea ad prosapiam ejus, Israelitas, est translatum), pater electi seminis Deo acceptus evasit. Hac luctâ illam luctam in utero materno ad primogenituram benedictionesque divinas acquirendas complevit ac munus progeniei suae prototypice indigitabat. Quo posito Jacob non cum angelo bono (secundum Chaldaeum, Syrum, Josephum Fl., Augustinum C. D. 16, 39; in Gen. q. 104 etc.), nec cum daemone, adversus quem angelus ei opem attulit (Hieronymus ep. ad Eph. 6, aliter Os. c. 12, et Origenes l. 3 περί ἀρχ.), nec in visione tantum (Michaelis, Eichhorn), nec in oratione (Herder, Hengstenberg) luctatus est, nec lucta illa inter fabulas (quemadmodum Rationalistae putant) est relegenda.

2) Israel, Deo reconciliatus, etiam Esavum fratrem habuit pacificum; postquam breviter in Succoth habitavit, inde profectus prope Sichem praedium acquisivit et in gratiarum actionem altare exstruxit (Cap. 33). Deleta perfide, auctoribus Simeon et Levi[1]), Sichem urbe, ubi familiam ab idolis, quae Rachel clam (31, 19. 30. 32) asportaverat, purgavit, ob stuprum Dinae sorori ibi illatum (Cap. 34), monito divino tabernacula Bethelem transtulit, voto suo (28, 20) satisfecit et sacrificio peracto rursus promissionem divinam (posteritatis et terrae) accepit. Anno circiter 1945 a. Ch. Hebronem tendens prope Ephrata (Bethlehem) Racheli, in partu Benjamin difficillimo defunctae, monumentum[3]) posuit ac dein in turri gregis[4]) sedem fixit, ubi Rubenis cum Bala incestus accidit. Tandem Isaac patrem adhuc vivum Hebrone reperit eumque (180 annos natum) mortuum (12 annos post reditum Jacob) uterque frater in Machpela sepelivit anno 1932 a. Ch. (Cap. 35).

1) Jacob actionem filiorum Simeon et Levi insidiosam (abutebantur enim circumcisione, signo foederis, vindictae suae exequendae causa) detestatus est eamque moribundus iterum corripuit, excludendo eos a primogenitorae jure (49, 5—7). Judith (9, 2) orando, Deum Simeoni gladium in defensionem dedisse, laudat quidem zelum justum Simeonis Deique justitiam, qua permisit trucidari impuros Sichemitas, non vero agendi rationes Simeonis et Levi, perfidiam et vindictam; nam in uno eodemque opere potest esse aliquid subinde boni, et aliquid mali.

2) Familiam Labani (Laban i. e. *albus* = *luna*, quae praecipue in Haran colebatur) idololatriâ fuisse infectam, testantur idola (Theraphim vel Lares) inde erepta, a quibus familiam suam purgando Jacob fidem et pietatem manifestavit. Haec initia praenuntia quasi erant inclinationis futurae Israelitarum ad idola gentium.

3) Cf. 1 Sam. 10, 2. Jer. 31, 15. Hieronymum, ep. 108 (al. 27) ad Eustoch. Hoc monumentum adhuc exstat.

4) Confer Migdal Eder. Öst. Vierteljahrschr. 1867, 617.

§. 14. Joseph (1961—1851).

1) Filiorum Jacob fortitudini bellicae et moribus agrestibus oppositus erat character Josephi, morum integritate, pietate ac visionibus illustris. Singularis patris in hunc filium dilectae Rachelis affectus (tunica colorata), praeprimis autem somnia mysteriis plena invidiam fratrum excitarunt, ita ut ipse ab his denegatus, passionibus afflictionibusque educatus ac confortatus (dirigente Deo), Jacobo et familiae ejus in Aegyptum migrandi causa exstiterit. A patre in agrum ad fratres missus, periculum vitae subiit, ast consilio Rubenis in cisternam demittitur ac, Juda suadente, Madianitis et Ismaelitis transeuntibus 20 siclis venditur, a quibus eum (17 annos natum) Putiphar, eunuchus seu aulicus Pharaonis, in Aegypto emit anno 1944 a. Ch. (Cap. 37). Propter fidem et sedulitatem familiae domini sui praepositus, petitioni uxoris Putipharis impudicae non acquievit, a scelesta vero femina impie accusatus[1]) in carcerem detruditur, e quo, summâ miseria patienter toleratâ, protegente Deo (Sap. 10, 14) ad summam gloriam evehendus erat (Cap. 39). Speciali sapientia ac doctrina coelitus dotatus, somnia pistoris et pincernae aulae regiae, eventu comprobante, est interpretatus (Cap. 40). Duobus annis inde lapsis, ad somnia Pharaonis (Apophis = Apopi) interpretanda e carcere accersitur, a rege, interpretationi ejus contento, in summam regni dignitatem evehitur ac 30 annos natus Aseneth, filiam sacerdotis Heliopolitani (On), in matrimonium accepit, quae ipsi duos filios, Manasse et Ephraim, peperit (Cap. 41).

1) Simile quid legitur in papyro d'Orbinay e seculo XV. ante Ch.; confer Vigouroux, Bible II. l. 3. c. 3., Sayce, Alte Denkm. l. c. 61, Ebers, Ägypten, p. 288 sp. et Brugsch, Gesch. Ägypt. unt. d. Pharaonen 1877, p. 212—252.

2) Fames in Chanaan exorta filios Jacob in Aegyptum frumentatum contendere coegit. Joseph, fratrum cogitandi et agendi rationem probaturus eorumque facinora poenitentiâ purgaturus, Simeonem obsidem retinet. Correctos fratres ac criminis in Joseph patrati poenitere paratos testantur verbis: *merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum* (42, 21), ac agendi ratio Juda, qui fratrum interpres, cum altera vice in Aegyptum descendissent, in testimonium pietatis erga patrem senem et fratrem adamatum (Josephi uterinum) Benjamin, hujus loco poenas luere paratus erat (Cap. 42—44). Joseph[1]) cum fratribus reconciliatus, Jacobum ejusque totam familiam, famis in Chanaan evitandae causa, in Aegyptum venire jussit (Cap. 45). — Tempore, quo Joseph a fratribus erat venditus, Thamar vidua dolo quidem, non tamen e libidine (col. v. 26), sed honesto prolis amore, viro suo defuncto e Juda socero semen suscitavit, Phares (Cap. 38), qui tanquam primogenitus Judae recensetur (2 Par. 2, 4; 4, 1), hinc mulier digna[2]), quae in genealogia Christi (Matth. 1, 3) recitaretur.

1) Joseph, ultimus Patriarcharum, in evolvenda historia oeconomiae divinae A. T. magni est momenti; ipse enim causa principalis erat, quod familia Jacobi in Aegyptum migraret, vividum providentiae divinae exemplum in se exhibuit ac illustris typus populi sui (col. Ps. 104, 16 seq.) et Christi fuit; innocens, humiliatus, a fratribus odio habitus et venditus, incarceratus ac tandem exaltatus et salvator mundi (41, 45) renuntiatus, fata Christi in variis vitae ejus circumstantiis praesignavit. Act. 7, 9—14; Ambrosius, l. de Joseph Patriarcha.

2) Postquam Her, primogenitus Judae et maritus Thamar, propter nequitiam, et ejus frater Onan, alter conjux Thamar, ob mollitiem a Deo percussi sunt et Juda tertium filium Sela ei nuptui tradere nolebat, vidua, ut marito semen suscitaret, habitu meretricio ornata cum socero, uxore orbato, coivit ac concepit. Juda, quum eam tanquam adulteram morti tradere vellet, rem edoctus eam justiorem se declaravit, non tamen amplius cognovit. Thamar peperit Phares et Zara, qui non tanquam spurii, sed legitimi Judae filii considerantur. Ex hoc facto et exinde, quod ea in genealogia Christi tanquam una ex aviis ejusdem recensetur, dignitas hujus mulieris dijudicanda est. Confer Zschokke, Bibl. Frauen, §. 9.

3) Jacob, e Chanaan egressurus, in confinio sacrificium obtulit et promissione divina, posteros suos innumeros ex Aegypto reversuros esse, munitus, cum tota familia sua, numero 67[1]) animarum, in Aegyptum tetendit, anno[2]) circiter 1922 ante Ch. (Cap. 46), ac optimum terrae tractum Gessen a Pharaone in domicilium obtinuit. Annis 17 ibi peractis, Jacob mortem praesentiens, ambos filios Josephi adoptavit[3]), eis et quidem Ephraim minori ante Manasse majorem benedixit, promittens utrique progeniem numerosam atque Josepho portionem duplicem hereditatis[4]) dedit (Cap. 47 et 48).

1) Si Joseph cum suis duobus filiis adnumeratur, 70 animae sunt (Gen. 46, 27; Ex. 1, 6; Dt. 10, 22). LXX et s. Stephanus (Act. 7, 14) 75 animas numerant, additis scilicet tribus nepotibus et duobus pronepotibus Josephi ex Ephraim et Manasse (Gen. 50, 23; 1 Par. 7, 14). Nepotes et pronepotes Jacobi non omnes in Chanaan nati, quum inter Josephi venditionem ac Jacobi in Aegyptum descensum 22 tantum anni effluxerint, sed in lumbis patrum in Aegyptum migrasse ibique geniti fuisse creduntur a. s. Augustino (Quaest. in Gen.), Reinke, Beit. I. 104. In his 70 animabus (masculis) germina et radices omnium tribuum generationumque populi futuri latebant. Non adnumeratae sunt mulieres, puellae, servi et ancillae, qui in numero haud parvo simul immigraverant.

2) I. e. 215 annis post immigrationem Abrahae in Chanaan.

3) Adoptio filiorum Joseph e parte Jacob necessaria fuit, ne isti duo nepotes, quia Joseph Aegyptiorum nationi fuerat aggregatus, avitae benedictionis essent expertes; adoptavit ergo Jacob duos hos nepotes in filios, ita ut hi loco Josephi duas tribus in Israel essent constituturi. Hac adoptione simul honorare et augere voluit sobolem Rachelis, praemature mortuae et praedilectae uxoris.

4) Duplex portio hereditatis primogenitorae annexa erat; haec erat ager Sichem, in quo et ossa Josephi sepulta sunt (Jos. 24, 32).

4) Filiis omnibus congregatis Jacob moribundus benedixit atque in hac sua benedictione seu testamento, more prophetico, fata posterorum, ingentem posteritatem, possessionem terrae Chanaan ac adventum Messiae praedixit[1]) et in fide terram promissam, tanquam dominus ejusdem divinitus constitutus, distribuit. Rubeni (incestuoso), Simeoni et Levi (vasis iniquitatis) jus primogenitorae aufert[2]), illiusque principatum[3]) et benedictionem spiritualem in Juda transfert. Huic benedicendo adventum Messiae, ex ipso nasciturum, praedicit et salutem (redemptionem) a Deo solo (Messia v. 18) exspectat; ait enim

ad Juda: *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda . . . non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium*[4]) (Cap. 49).

1) Haec novissima Jacobi moribundi verba prophetica et poetica, duodecim benedictiones Patriarcharum dicta, quamvis plura (super Ruben, Simeon, Levi, quos tamen minime excludit a benedictione communi) maledictionis potius speciem prae se ferunt, digne claudunt historiam Patriarcharum; intuetur Jacob in filiis lecto adstantibus, alludens ad nomina eorum, fata 12 tribuum inde nascentium, relationes earum theocratico-historicas et geographicas, atque missionem populi sui ad reliquas gentes usque ad adventum pacifici principis. Verba ejus etiam motivis ethicis et psychologicis nituntur; v. g. Juda principatu decoratur, ut praefiguraret illum, qui servus factus est omnium (col. Gen. 44, 32). Confer Ambrosium de benedict. patriarch. et Hieronymum de benedict. Jacob pat. — Reinke, Weissag. Jacobs 1849. — Tüb. Quart. 1850. 1853. 1860. Quoad formam poeticam et interpretationem benedictionis Jacobi cf. Seydl, Zeitschr. f. kathol. Th. 1899, 1900, und Katholik 1900.

2) Ruben peccans incestu, punitur sterilitate, ut non crescat numero prolium. Maledicit furori Simeonis et Levi, qui erant *vasa iniquitatis bellantia*, eorumque posteris divisionem et dispersionem praedicit; quod adimpletum est in tribu Simeon (Num. 26, 14; Dt. 33). Tribus Levi, quamvis ad sacerdotium vocata, super terram Chanaan dispersa erat. Post Judam praeponit Zabulon, licet juniorem, aliis senioribus, quia Christus, de quo proxime in Juda egit, in sorte et terra Zabulon conceptus et conversatus est; ipsi habitationem in littore maris assignat.

a) Issachar comparatur asino forti accubanti inter caulas, quia regio ejus optima erat, et simul asino onera portanti, quia Issarachistae ad »viam maris« habitantes asinos suos ad onera portanda collocabant mercatoribus.

b) Dan. Forsitan est cogitandum de Samsonis gestis. Sed versus sequens respicit Danitas septemtrionales, qui in via sedebant, quae Damascum et Sidonem conjungit. Si per hanc viam hostes in terram sanctam ingredi ausi sunt, Danitae tanquam coluber insidias ponentes a tergo hostes agressi sunt.

c) Tribui Aser praedicit opes et fertilitatem (3 Reg. 5, 11 Act. 12, 20).

d) Nephthali. Versio Vulgatae »cervus emissus« est corrigenda. Textus heb. designat Nephthalitas ad officium nuntiorum aptissimos, cum sermones bene componere sciant. Confer Nephthalitam Barac, qui cum Debbora canticum celeberrimum decantavit (Iud. 5).

e) Josepho, filio dilecto, pater, alludens ad ejus decorem et sortem praeteritam, apprecatur magnum incrementum, victoriam de hostibus et varias benedictiones, usque dum veniret desiderium collium aeternorum et tandem *f)* Benjamino, lupo rapaci, promittit spolia ex victoriis, alludendo ad Saulem regem et s. Paulum apostolum. In textu heb. non est sermo de messiana benedictione, sed solummodo de terrestri. »Desiderium collium aeternorum« bene interpretati sunt Dr. Selbst, Katholik 1899 und Dr. Seydl l. c.

3) Juda jam antea praerogativâ quadam gavisus esse videtur (col. Gen. 37, 26; 38, 1; 43, 3; 44, 16; 46, 28); tribus Juda reliquis praevaluit numero virorum (Num. 1, 27; 2, 4; 26, 22), ipsa prima castra movit (Num. 10, 14), in dedicatione altaris prima sacrificium obtulit (7, 12—17), ad orientalem castrorum plagam fixit tentoria sua (2, 3). Juda erat dux belli contra Chananaeos (Jud. 1, 2) et Benjaminitas (20, 18); judicum primus Othoniel ex tribu Juda eligitur (Jud. 3, 9); familiae David regnum tribuitur hereditario jure (2 Sam. 7, 12 seq.), et post exilium omnes Jacob posteri ab hac tribu nomen Judaeorum sortiti sunt. — Zapletal, Alttest. 1903, 26—54.

4) Hoc vaticinium messianum omnibus praecedentibus clarius est. Promittuntur Judae, alludendo ad nomen ejus, *a)* laus fratrum *(te laudabunt fratres tui). b)* fortitudo bellica et victoriae, ob quas fratres eum reverebuntur *(ad praedam ascendisti, requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena), c)* regnum et sceptrum seu regia dignitas; nam com-

paratur leoni (regi animalium) et adtribuitur ei sceptrum, *d)* Messias ex eo nasciturus, cui judicium competit, vel: cujus est judicium. Textus est corruptus. Vulgata false derivavit formam ex שָׁלַח in Passiv. »qui mittendus est«. Sed et textus heb. est corruptus; pro שִׁילֹה legendum est שֶׁלֹּה »cui est« vel »cujus est«. Nam omnes versiones graecae supponunt Dativum pronom. relat. Subjectum excidit, sicut metrum probat, et versiones graecae. Sed asservatum est apud Ezechielem, qui vaticinium nostrum repetit et explicat. Confer Ezech. 21, 32 (Vulg. 27). Ergo sensus est: »donec veniat, cujus est judicium, et ipse erit exspectatio gentium«. Conf. Heb. 7, 14. Apoc. 5, 5. Joh. 5, 22. Complementum accipit vaticinium nostrum per Ezechielem, qui annuntiat, thronum Davidicum non prius erectum iri, quam Messias venerit. Conf. Dr. Seydl, Katholik 1900, *e)* Tandem character regni ejus universalisticus: *ipse erit expectatio gentium* i. e. quem non tantum Judaei, sed et gentes Messiam quasi exspectatissimum recipient. (col. *desiderium collium* Gen. 49, 26 et Agg. 2, 8: *desideratus cunctis gentibus*) eique credent, vel juxta textum hebraicum: *et ipsi erit aggregatio* (i. e. coetus Is. 2, 2; 49, 12 vel obedientia Ps. 71, 11, 19) *gentium.* — Ita traditio judaica et christiana. Rejicienda igitur est hypothesis Rationalistarum, qui characterem messiani vaticinii his verbis abjudicant, ea tanquam vaticinium ex eventu in aevum recentius relegant et nomen Schilo qua objectum habent: donec veniat tribus Juda ad Silo urbem. Confer Reinke, Weissag. Jacobs über Juda l. c. — Hengstenberg, Christologie I. 75. E protestantibus defendunt locum hunc qua authenticum: Keil, Kurtz, Delitzsch, Posnanski, Schiloh, Leipzig 1904, et alii.

5) Mandatis peractis, Jacob (147 annos natus) plenus fidei et in pace moritur anno 1905 a. Ch.: cadaver jussu Josephi aromatibus conditur[1]), 70 diebus luctus praeterlapsis, magno cum comitatu in Chanaan deportatur ac in Machpela sepelitur. Post reditum in terram Aegypti Joseph fratres timidos est consolatus, et postquam eis praedixit, Deum eos ex Aegypto educturum esse, et adjuravit, ut ossa sua[2]) in Chanaan asportarent, 110 annos natus diem obiit (Cap. 50).

1) Aegyptii singulares fuerunt in arte cadavera condiendi, quam (ταρίχευσις) describunt Herodotus (2, 86. 88) et Diodorus Siculus (1, 91). Cadaver per incisuram in parte sinistra operitur, interiora corporis extrahuntur et in vasis asservantur, corpus aromatibus ungitur atque sale vel nitro conditur, lineis fasciis myrrha madidis involvitur et dein in feretris, accurate fabrefactis atque imaginibus depictis et inscriptionibus ornatis, reconditur, quod opus spatio 40 dierum perficitur; his connumeratis 70 dies lugebant Aegyptii mortuum. Vox »*Mumie*«, seculo 13. enata, deducitur ex Mûm, specie bituminis; confer Vigouroux l. c. II. c. 10. — Buschan in Umschau 1907, 904 sq.

2) Sepultura Jacobi in Chanaan et votum Josephi fidele (Heb. 11, 22), ut ossa sua illuc transferrentur (nam a suis patribus eorumque promissis separatus esse noluit), Israelitis consolationi ac tesserae erant, Deum daturum esse posteris terram illam; hoc pacto *ossa Joseph visitata sunt et post mortem prophetaverunt* (Eccli. 49, 18) sc. liberationem ex Aegypto et futuram resurrectionem. Authentia historiae Joseph per monumenta Aegyptiaca dilucide illustratur.

Familia Jacob singulari prorsus Dei consilio, quod jam Joseph indigitavit (50, 19, 20), in Aegyptum est translata, ut ibi ex familia illa populus oriretur. Ne tamen cum gentibus misceretur, sed ut populus integer maneret, Deus eum e Chanaan, ubi conjunctio cum gentibus, partim cognatis, timeri poterat, transmittere voluit in Aegyptum, ubi (Gessen) dilatationis occasionem habuit simulque praecavebatur a commixtione cum Aegyptiis, nomadibus Asiaticis infensis (Gen. 46, 34) ac religioni quam maximae diversae addictis; ibi Israel varias scientias et rationem civilem edocendus ac variis afflictionibus erat probandus, ut munere suo fungendo (sal terrae) dignus reperiretur. Cf. Heyes, Bibel u. Ägypten. Münst. 1904, 52 sq.

§. 15. Cultura Patriarcharum.

1) Aetate Patriarcharum prima jacta sunt fundamenta praeparationis salutis promissae: electione Abrahae, suscitatione seminis ex utero sterili atque promissionibus de prosapia innumera et terra possidenda, in familiâ Jacob aucta et in Aegyptum transmissa, ut ibi in populum cresceret et educaretur. Aetati divinae revelationis infantili correspondet etiam ejusdem character[1]).

1) Deus saepe cum Patriarchis conversatur aut theophaniis aut internis visionibus; Deus ipse, patris amantissimi instar, electos suos educare et ducere decrevit. Veritatem factorum hujus aevi testatur et confirmat simplex enarrandi ratio s. Scripturae (Genesis): Deus solus agit, ducit, promittit, docet; Patriarcharum autem erat, ei obedire, in eum credere ac promissa cum fide sperare; ideo hoc aevo nullius miraculi ab homine patrati, quod mythicae faveret explicationi, fit mentio.

2) Huic aetati etiam convenit religio Patriarcharum, et quidem fides in unum Deum (Monotheismus)[1]), qui mundum creavit, gubernat et conservat, ac fides in vitam aeternam seu immortalitatem animae[2]), qua impleti erant Patriarchae. Fidei rursus cultus et ethica[3]) et tandem cultura intellectualis et civilis[4]) congruebant.

1) Monotheismus basis erat religionis et munimentum contra idololatriam gentium, fides in Messiam gradatim evolvebatur ac promissionibus confirmabatur; in semine enim promisso fides et spes Patriarcharum erant fundatae.

2) Fidem Patriarcharum in animae immortalitatem, praelucente semper salutis (Messiae) futurae idea, probat *a)* argumentum externum, nempe verba s. Pauli; postquam enim fidem eorum in promissiones divinas celebravit, continuat: *Exspectabat (Abraham) fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus (ergo patriam coelestem) . . . . Juxta fidem (sc. se eam adepturos esse) defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus (i. e. patriam terrestrem), sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram* (col. Gen. 47, 9; Ex. 6, 4). *Qui enim haec dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius (Chaldaeae) meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, i. e. coelestem. Ideo (quia hanc appetebant) non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem* (Heb. 11, 10—16). Idem Apostolus (Heb. 12, 23) dicit, fideles accedere *ad Ecclesiam primitivorum* (Patriarcharum), *qui conscripti sunt in coelis.*

Accedunt *b)* argumenta interna. Jam creatio animae juxta imaginem et similitudinem Dei supponit ejus immortalitatem (Sap. 2, 23). Praeter translationem Henochi (Gen. 5, 22), quae vitam futuram supponit, fidem hanc testantur verba divina ad Abraham: *Ego ero merces tua magna nimis* (Gen. 15, 1), quam Patriarcha in his terris non accepit; *ibis ad patres tuos in pace* (15, 15); cum autem Abraham non in Chaldaea apud patres, sed in Chanaan sepultus fuerit, nonnisi de anima viri sancti cum animabus patrum suorum consocianda intelligi potest; promissio Dei, se *semini Abrahae fore in Deum* (Gen. 17, 7), *et ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (Ex. 3, 6), e quo loco Christus deducit Patriarcharum vitam perennem, *quia non est mortuorum Deus, sed viventium* justificator (Matth. 22, 32). Jacob, de nece filii Joseph ejulans, ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (Scheol), sub quo minime ventrem belluae, tanquam tumulum corporis filii sui, sed sedem mortuorum intellexit. Haec spes futurae salutis solabatur Jacobum moribundum: *Salutare tuum, exspectabo Domine!* (Gen. 49, 18); in sepulcro autem nulla est exspectatio salutis. Quare Balaam votis optabat: *Moriatur anima mea morte justorum (Patriarcharum) et fiant novissima mea horum similia* (Num. 23, 10). Huc pertinet phrasis saepe repetita:

congregari ad populum suum vel *ad patres* (Gen. 25, 8, 35, 29; 47, 30; 49, 29), quae, uti patet ex Num. 20, 24 seq. et e verbis s. Ambrosii (l. de Cain et Abel 1.), *non ad sepulturam corporis, sed ad consortium vitae* refertur. Etiam ex occisione Abelis justi non impedita arguere licet, tunc jam existitisse fidem remunerationis majoris, quam mere terrestris. Certe haec fides in animam immortalem e revelatione divina deducenda est, unde explicatur, quare eadem etiam inter gentes inveniatur. Conferas librum mortuorum Aegypti, carmen Babyloniorum (Höllenfahrt d. Istar), Zendavestam Persarum etc. W. Schenz, Die alttest. Offenbarungslehre üb. Scheol 1876. — Laacher St. V. 497, VI. 120. — Lüken, Tradit. 450 seq. De relegione monotheistica Arabum nomadum apud Musil Arabia Pet. III.

Confer Wahl, Unsterblichkeits- und Vergeltungslehre des A. T. 1872. — B. Schäfer, die Unsterblichkeitslehre des A. T. Katholik 1877. — A. Jeremias, Die bibl. assyr. Vorstellungen vom Leben nach dem Tode. Lpz. 1887. — Atzberger, Christl. Eschatologie im A. u. N. T. 1890. p. 19 sq. — Schwally, Das Leben nach dem Tode etc. Gießen 1892. — Frey, Tod, Seelenglaube u. Seelenkult im alten Israel. Lpz. 1898. — Bertholet, D. israel. Vorstellungen vom Zustande nach d. Tode. Hmb. 1899. — Greßmann, Der Ursprung der israel. jüd. Eschatologie. Gött. 1905. — Flunk, Eschatologie Altisraels 1908.

3) Patriarchae, uti capita familiae, munere simul sacerdotali fungebantur: praedicabant nomen Dei (12, 8; 13, 4; 26, 25 etc.), sacrificia offerebant (12, 8; 22, 2), vota (28, 30), circumcisionem ac orationes (24, 63) peragebant, decimas (14, 20; 28, 22) noverant. Sabbatum diem quietis et probabiliter etiam speciali cultu honoratum fuisse, e Gen. 2, 2; Ex. 16, 22, 23 concludere licet; non autem in locis propriis; sed ubicumque sacrificia orationesque peragebant, praeprimis in montibus vel nemoribus, per theophanias sacratis, sub arboribus, ubi nonnumquam lapides unctos erigebant (28, 18; 35, 14); unde probabiliter superstitiosus usus lapidum unctorum, βαίτυλοι (βαιτύλια) gentium est explicandus.

4) Patriarchae belli duces, judices et protectores familiae erant (Gen. 8, 20; 14, 14; 32, 22, 23 etc.), qua nomades sub tentoriis habitarunt, quamvis et domorum (33, 17) fiat mentio, et res pecuarias cum agricultura junxisse videntur. Vita socialis (familiaris) eorum vitae gentili praeeminet. Respectu ad matrimonium, a Deo monogamicum (1, 27; 2, 24) institutum, connubium Patriarcharum minime absolute perfectum erat; timor enim orbitatis (16, 13) ac desiderium prosapiae numerosae (30, 3, 9) polygamiam ac concubinarum usum introduxerunt, quae non iisdem privilegiis cum uxoribus legitimis gaudebant; ceterum polygamia, quia non absolute legi naturali adversatur, sed tantum minus perfecta est monogamiâ, justas ob causas fuit dispensabilis, ideo et licita (Thomas suppl. q. 65. a. 2). Numerosa progenies tanquam signum benedictionis divinae, sterilitas autem uti opprobium (Gen. 16, 2; 30, 23) habebatur. Ceterum matrimonium Hebraeorum sanctitate non carebat, ideo adulterium morte plectebatar (38, 24). Uxor non mancipium erat, sed et potestate quadam gaudebat (24, 58, 67; 29, 20; 31, 4). — Zschokke, Weib im A. T. 1883. — Fr. Wilke, Das Frauenideal u. d. Schätzung d. Weibes im A. T. Lpz. 1907. — Praeterea illo aevo res ornamentariae: annuli (24, 22), mundus muliebris (41, 42), armillae (24, 22), amictus festivi (27, 15), notae erant. Scientiam artis scribendi illis non fuisse ignotam, e sigillis (38, 18) suspicari licet; certe Moysis tempore nota erat, uti patet ex Ex. 17, 14; 24, 4; 34, 27; Lev. 19, 28; Num. 5, 23. Confer Reinke, Beitr. V. 223. Ars poëtica e verbis Lamechi 4, 23, Noae 9, 25—27, Isaaci 27, 27—29 et v. 39, 40 ac Jacobi cp. 49 elucet. Instrumenta musica a Jubal inventa meliorata fuisse, e Gen. 31, 27 patet. Patriarchae itaque non erant homines rudes, sed status eorum civilis ad culturam spiritualem et civilem conveniebat. Cf. De vita sociali et politica Arabum nomadum Musil l. c.

Sectio secunda.

A Moyse usque ad exilium babylonicum.

Articulus primus.

A Moyse usque ad Josuam.

§. 16. Prospectus.

Jacobo et Josepho emortuis, familia illius in multas (12) tribus, communi linguae, religionis, morum etc. vinculo unitas, evoluta est; ex familia ergo populus enasci coepit. Aegyptus quasi uterus maternus erat, in quo foetus populi maturescebat et e quo per servitutem nimiam, Israelitis injunctam, in lucem editus est. Exitus Israelitarum erat dies natalis hujus populi (primum stadium), qui, utpote sub manu potenti et miraculis Jahvae eductus, erat populus Deo specialiter devinctus, quare eum non aliis gentibus subditum, sed sui juris existere voluit Jahve. Ideo internuntio Moyse accepit Israel a Deo constitutionem (theocraticam) suam (alterum stadium), vi cujus munus, sibi a providentia divina demandatum, exequi deberet. Ut hoc munere sancto rite nec impedite fungi posset, propria terra ei assignanda erat. Ideo Deus terram jam Patriarchis promissam, duce Josue, eis in possessionem dedit (tertium stadium), quâ occupata in obedientia et pietate vias salutis sibi et omnibus gentibus pararet.

§. 17. Aegyptus.

1) Aegyptus, Αἴγυπτος, etiam terra Cham (Ps. 104, 23; 105, 22) nominata, dividebatur in superiorem, Thebaidem et inferiorem, Deltam, ideo Dualis vocis hebraicae Mizraim[1]), et totam suam fertilitatem e Nilo, fluvio unico, repetit[2]). Incolae antiquissimae erant Chamitae, et quidem descendentes a Cusch Aethiopes, prosapia Mizraim vel Aegyptii (Copti), et posteri Phut Libyi, qui partim per isthmum, partim per Arabiam ex Asia in Africam immigraverant. In parte inferiori sita erat regio Gessen[3]).

1) Αἴγυπτος probabiliter ex phoenicio »ai kaft« i. e. ora maritima inflexa derivatur. Alii nomen componunt cum voce Aegyptiaca ha-t-ka-ptah (i. e. *domus cultus [dei] Ptah*), quo nomine ab initio urbs Memphis designabatur, e qua ad brachium occidentale Nili et postea ad totum Nilum ac denique ad totam Aegyptum extendebatur. Mizraim praeprimis Aegyptum inferiorem designabat et cohaerere videtur cum mazur = *vallum* (Is. 19, 6; 37, 25; Mich. 7, 12), quia Delta circumdatum erat canalibus. Veteres Aegyptii utebantur voce Kam (aut Kemi) vel respectu ad Cham, unde originem duxerunt (Gen. 10, 6), vel ad colorem nigrum terrae.

2) Nilus, a voce semitica nahal i. e. fluvius, in s. Scriptura יְאוֹר (proprie vox aegyptia = *flumen*) vel שִׁיחוֹר i. e. *niger* (Is. 23, 3; Jer. 2, 18) appellatus, apud urbem Assuân terram aegyptiam intrat, vallem 1 usque 2 milliaria latam et serie duorum montium inclusam perfluit atque, deficiente pluvia, terram limo suo nigro fertilem reddit. Montes isti 20 milliaria ante ingressum Nili in mare mediterraneum abeunt in desertum planum et

fluvius olim in septem, nunc in duobis brachiis dilabitur. Aqua Nili, aucta pluviis tropicis et nive in montibus Africae aequatorialis liquefacta, stata temporum periodo mense Junii crescere incipit, Augusto et Septembri inundat (Am. 8, 8; 9, 5. Eccli. 24, 37), quare etiam mare vocari poterat (Is. 19, 5; Nah. 3, 8), et limo in agris relicto, per plurimos canales decrescit, qua inundatione fertilitas terrae (*claustra annonae*, Tacitus), saepe etiam varii morbi oculorum et elephantiasis oriuntur. Nilus abundat piscibus, crocodilos et hippopotamos (*Behemot* Job 40, 14) alebat, agri bissum (Ez. 27, 7), linum, papyrum, palmas, sycomoros proferunt. In superiori Aegypto olim erant fodinae metallorum, et montes condebant lapides in structuram aptos; tales erant: marmor, porphyrites, alabastrites, granites et synites. Humus cum limo Nili mixta erat materia apta lateribus coquendis, qui ad aedificia cujuscunque generis fabricanda adhibebantur.

3) Gessen, heb. גֹּשֶׁן, LXX Γεσέμ (idem ac gedem, gesem = oriens, unde nomen Pa-ges Φάκουσα) regio, quam Pharao Israelitis inhabitandam assignavit (Gen. 45, 10; 45, 28 sep. 47, 1; 50, 8; Ex. 8, 22; 9, 26), sita erat in plaga orientali inferioris Aegypti (Delta), nunc Esch-Scharkiyeh, et limitabatur occidentem versus Nilo et quidem brachio ejus tanaitico, in septentrione lacu Menzaleh, orientem versus lacu Temsah (crocodilorum), lacubus amaris ac sinu heroopolitano, et ad austrum per canalem (Wady Tumilât), qui a rege Seti I. jam extructus erat, ut Nilus aquam suam versus mare rubrum mitteret et deserto fertilitatem tribueret. In hac provincia nonnullae magnae urbes erant: Raëmses (LXX Ῥαμεσσῆ), Tanis (Zoan Num. 13, 23), ubi testantibus inscriptionibus Ramses II. et Menephta residebant et Moyses miracula patravit (Ps. 77, 43), — Pithom (i. e. locus dei Tum), inventa in Tell el Maschuta (Naville, the store city of Pithom. 1885), cujus nomen civile Thuketh, semitice etiam Succoth (apud Graecos Heroopolis a voce aegypt. aru = horreum publicum) appellata et ab Raëmse II. aedificata, et On (Heliopolis). Tota haec regio fertilissima agriculturae idonea est. Variae inscriptiones in papyris inventae historiam commorationis Israelitarum in Gessen dilucidant. Confer G. Ebers, Durch Gosen zum Sinai. 1868. Vigouroux, Bible l. c.

2) Veteres Aegyptii cultura sua inter ceteras gentes eminuerunt; invenimus enim in Aegypto vetustissima monumenta literarum, praeprimis varia genera scripturarum, inter quae scriptura hieroglyphica maximi est ponderis[1]), varias scientias[2]) et artes[3]) excultas.

1) Scriptura hieroglyphica, quae in plurimis monumentis invenitur, utitur variis (3000) imaginibus figurisque et ab antiquissimo tempore usque ad seculum secundum a. Ch. erat usitata. Ex hac enata est jam nonnulla millia annorum a. Ch. scriptura hieratica, in libris sacerdotum obvia, donec seculo VIII. a. Ch. scriptura demotica (Herodot., epistolographica a Clemente Alex. vocata) inventa fuit libris vel literis describendis. Omnes istae scripturae nostro seculo investigatae et explanatae fuerunt auxilio alicujus lapidis (e marmore nigro, 10′ alto et $3^1/_2$′ lato), qui prope urbem Rosettam (Damiette) anno 1799 inventus (et clavis Rosettae vocatus) fuit et decretum sacerdotum Aegypti, quo honores divini Ptolemaeo V. Euergeti (205—181 a. Ch.) decernuntur, in tribus columnis triplici scriptura hieroglyphica, demotica et graeca continuit, e quarum mutua comparatione (imprimis nomine Ptolemaei quinquies occurrente) et collatione alterius inscriptionis, Philae (cum nomine Cleopatrae) inventae, Th. Young Anglus et F. Champollion Gallus (1822) scripturam hieroglyphicam et demoticam enuclearunt. Primam occasionem ampliori investigationi monumentorum dedit militaris expeditio Napoleonis in Aegyptum (1798—1800). Praeter alia monumenta, picturas et sculpturas detectas ingens copia manuscriptorum in papyris reperta est, quae e seculo VI. imo ultra integrae exstantes, complectuntur historiam regum, theologicam et moralem scientiam Aegyptiorum, poemata, integram collectionem rituum funebrium (librorum mortuorum), ita ut ex his authenticis monumentis, quorum multa in musea Europae sunt asportata, docti antiquam gentis illius historiam reconstruere valerent. Aegyptiologiam promoverunt docti: Lepsius, de Saulcy, Mariette-Bey, Lauth, Reinisch, Ebers, Pierret, Eisen-

lohr, Stern, Pleyte, Brugsch-Bey, Birch, Maspero, Chabas, Erman et alii, quorum labores ss. Literis illustrandis plurimum profuerunt. De recentissimus indagationibus in Aegypto earumque relatione ad Biblia confer Vigouroux, La Bible l. c. II. tom. Heyes, Bibel u. Ägypten. 1904.

2) Praeprimis theologia et philosophia excolebantur, uti videre licet ex inscriptionibus parietum in templis et sepulcris, in feretris, vasis, statuis et voluminibus papyreis. Scripta politica et juridica testantur, Aegyptios in jure gentium bene fuisse versatos seculo 14. a. Ch.; non minus physica, medicina, astrologia, geometria, mathematica, arte, poesi excelluerunt.

3) Inter artes primo loco recenseri debet architectura, quam admiramur in multis pyramidibus, magnificis templis, in Sphingibus, obeliscis et columnis. Accedit ars plastica et sculptura, quae praecipue in vetustissimis monumentis pulcherrimas formas exhibet, quamvis in figuris rigor et durities quaedem observetur. In picturis placent accuratae proportiones, typi ethnographici et vividi colores. Ars musica cum cultu deorum erat conjuncta. Etiam artes industriales exercebantur, uti textura (Prov. 7, 16. Is. 19, 9), ars fabricandi in auro et argento, ars corbes virgis contexendi, ars condiendi cadavera et aliae; cf. Steindorff, Die Blütezeit des Pharaonenreiches, Bielefeld u. Leipzig 1900, und Spiegelberg, Geschichte d. ägypt. Kunst. Leipzig 1903. Meyer, Ägypten zur Zeit der Pyramidenerbauer. Leipzig 1908; ephemerides »Memnon« u. »Mitteilungen der Deutschen Orientgesellschaft«.

3) Religio Aegyptiorum in diversis terrae partibus erat diversa et numerus deorum magnus nimis. Basis religionis erat apotheosis naturae et cultus sidereus, qui recentiori tempore per sacerdotes ratione speculativa excolebatur[1]). Aegyptus ab antiquissimis temporibus per reges (Pharao) regebatur, qui e stirpe dei Solis et tanquam ejus vicarii in terris censebantur. Sacerdotes, in diversas classes divisi, auctoritate et scientia insignes, magno in numero erant et variis muneribus fungebantur[2]). Vita domestica Aegyptiorum altiori culturae gradui correspondebat. Matrimonium erat monogamicum, nonnisi regibus et magnatibus usus concubinarum (Gen. 12, 15) permissus est. Uxor non erat mancipium, sed domina domus, et cum marito conventibus, cultui et peregrinationibus aderat, ita ut ipsi Graeci de honoribus, uxori aegyptiae exhibitis, mirarentur. Divites palatia ex lateribus exstructa et hortis circumdata, pauperes tuguria ex Nili limo fabricata inhabitabant. Misericordiam erga pauperes, ast indigenas tantum, exhibebant, abhorrebant tamen ab exteris gentibus[3]).

1) Aegyptii credebant, materiam esse aeternam, fluxam, sine mutatione tamen qualitatis, et divina intelligentia repletam, e qua materia primo lux est orta. Dii in triades (pater, mater, filius) divisi sunt. Principaliter Sol et Luna colebantur, in diversis tamen provinciis sub diversis nominibus. Ptah Memphiticus, qui martello suo ovum mundi contrivit, et quasi demiurgus terram formavit, est materia primaeva lucis, quae tanquam Ra (sol) et Tot (luna) apparet. Deus Solis, qui praecipue in On (Heliopoli) colebatur, natus tanquam infans Harmachis in inferis, pervadit firmamentum (Nut) fluidum in aureo lenunculo, fit rex Ra in circulo meridiano, et in occasu Tum (antiquus), transvehitur tanquam Chnum (i. e. conjungens diem ac noctem) infernum et gignit ex se novum solem, qui mane tanquam infans in lucem deducitur. Deus Lunae, Tot vel Tehuti, est graeci Hermetis instar deus mensurae, artis, literarum, qui tanquam ὁ λόγος virtuti divinae assistit. Nilus (principium gignens) et terra (principium concipiens) tanquam Osiris et Isis divina fruebantur adoratione; sunt quidem germani, ast conjuges simul, qui Horum (Apollinem) filium procrearunt.

Eorum soror est Nephthys et frater degeneratus Set vel Typhon, principium malum in natura, quod superari quidem, non autem deleri potest. Filia dei Ra simulque sponsa dei Ptah, Sechet vel Pacht, tanquam dea amoris (Astarte) Bubasti colebatur. His aliisque diis certa animalia erant sacra, quae partim quasi symbola viva seu personificationes, partim mera signa hieroglyphica deorum considerabantur et colebantur. Sic deo Ra nisus, phoenix et albus taurus (apis), deabus (v. g. Neith Memphiticae) vacca, demiurgo Ptah niger apis erant sacrati. Accedebant: ibes, feles, canes, leones, crocodili, pisces, serpens Thermutis aliaque animantia, quae tanquam symbola vel incarnationes deorum diversorum a plebe colebantur. Ista animalia sacra diligenter in templis nutriebantur et mortua condiebantur (v. g. Serapides). Qui tales sacras bestias occideret, morte plectebatur. Secundum Brugsch (Relig. u. Mythen d. alt. Ägypt. 1888) Aegyptii credebant in ens unum aeternum et spirituale, quod mundum creavit et dein partes mundi pervasit. Ex aqua (Nun) ortus est lux (Ra). Primitus erant octo dii (Ogdoas). Mundus κόσμικος Aegyptiis apparebat quasi habitatio dei, cujus partes novem deos (Enneas) constituunt; serius (sub V. dynastia) nova series (Enneas minor) accessit. Cf. Wiedemann, Die Religion der alten Ägypter 1890. — Erman, Die ägypt. Religion. Berl. 1905.

Praeprimis fides in immortalitatem animae inter veteres Aegyptios erat viva, ut testatur liber mortuorum Aegyptiorum veterum. Credebant, animam (Ka) in forma umbrae (schemen) corpus, in sepulcro depositum, deserere et in lenunculo solis orientis usque ad portas inferni (Amentes) pervenire, in qua via saepe contra hostiles potentias tenebrarum pugnare debeat. Portis per pias parabolas apertis, cor defuncti per deum Anubim (deum tenebrarum) libratur, et Osiris, postquam anima confirmavit, se 42 peccata mortalia non perpetrasse, sententiam fert. Si ea justa reperitur, beatificatur et locum Aalu intrat, in quo, ab omni impuritie materiae purgata, ab Osiri accipitur et in mentem mundi redit; talis anima etiam in terra variis in formis apparere potuit. Migratio animae aegyptica differt a simili doctrina Indorum in hoc, quod illa migratio apud Aegyptios sit privilegium beatorum, apud Indos vero purgationem animae adducere destinata est. Cf. A. Wiedemann, Die Toten und ihre Reiche im Glauben d. alt. Ägypter. Leipz. 1900. S. 18, 33.

2) Ex frequentia deorum et templorum facile explicatur grandis numerus sacerdotum, qui formabant collegia et pontifici suberant. Quia sacerdotes scientiis et sapientia pollebant (3 Reg. 4, 30. Act. 7, 22), ex collegiis sacerdotalibus etiam summi magistratus eligebantur; sacerdotes erant consilarii regii (Is. 19, 11), interpretes somniorum (Gen. 41, 8), doctores et judices populi. Cum templis conjunctae erant universitates literarum et grandes bibliothecae. Instructio elementaris infantium minime negligebatur.

3) Lex ethica Aegyptiorum particularistica erat, quae indigenam tantum diligendum, exteras nationes odio habendas praescripsit; nam hae sunt peculium dei Set, impurae, a quibus maxime cavebant (Gen. 43, 32). Item detestabantur tanquam impuros (aatu = pestem) nomades arabicos (Gen. 46, 34), Colchytas, qui cadavera condienda incidebant, et homines capillo rufo, quia Set etiam rufus erat. Seriori tempore animus alienus in exteros minuebatur, nam etiam mixta matrimonia (3 Reg. 3, 1) inibantur.

4) Quia omnes mythi gentilium cum imperio deorum incipiunt, etiam Aegyptii, teste Herodoto, tres dynastias deorum praetendebant, quarum prima 8 (7) summos deos et inter hos primum Ptah, secunda 12 deos, ex diis primi ordinis progenitos et in zodiacum translatos, et tertia 30 heroes complectitur. Menes primus rex historicus est, qui anno circiter 4000 a. Ch. thronum occupavit; successores ejus secundum fragmenta Manethonis, sacerdotis aegyptii, in 30 dynastias seu familias regias dividuntur, quae ex territorio suo (νόμος) nomen duxerunt et quarum plures sunt synchronae. Ex inscriptionibus variis aegyptiis, recentissime detectis et enucleatis, historia

Aegypti magnam ad partem reconstructa est, quin tamen omnes difficultates chronologicae sint solutae.

Historia Aegypti in tres partes dividi solet: *a)* regnum antiquum (4. 5. 6. 7. dynastias an. 3200—2700 ante Chr.), *b)* regnum medium (12. 13. 14 dynastias an. 2482—1829) et *c)* regnum novum (a. 18. dynastia usque ad expugnationem per Graecos an. 1600—332). Omnia tamen indicia temporum usque ad 18. dynastiam sunt approximativa tantum. Appellatio Pharao (Pir-aa i. e. *domus Magna*) pro semitica salat *(rex)* omnibus Aegypti regibus deinceps facta est communis. Dynastia 1. et 2. regnabat in This prope Abydos in superiore Aegypto, unde Memphis condita est. Sub dynastia 4. memphitica pyramides prope Gizeh, nempe Cheopis (Chufu), Chefreni (Chafra) et Mykerini (Menkaura) constructae sunt, quibus reges sequentium dynastiarum (usque ad 12.) alias addebant. Cum dynastia 11. incipit diospolitana prima et fundatio urbis Thebarum. Dynastiis 12 et 13. regnantibus res regni aegyptii erant florentissimae. Abhinc jam multi Semitae in Aegyptum immigrarunt, qui collecti et tribubus arabicis aucti Aegyptios superaverunt et sub nomine Hyksos 511 annos (2089—1578) Aegypto inferiori dominati sunt, consuetudinibus et moribus indigenarum adoptatis. Pharaones indigenae in Aegyptum superiorem repulsi sunt. Hyksos regnantibus Joseph et familia Jacobi in Aegyptum immigraverant. Sensim Pharaones indigenae, Thebis regnantes, invalescebant, Hyksos debellabant et expellebant, ita ut sub dynastia 18. diospolitana (1578—1359) duce Amosi (Aahmes 1578—1552) antiquam gloriam recuperarent, imo arma victricia in Asiam inferrent et monumenta splendida Thebis aedificarent. Amosis ejusque successores Amenophis, Thutmosis I., Thutmosis II., Thutmosis III., oppresserunt Israelitas duris laboribus, unde Moyses populum suum ex Aegypto eduxit probabiliter sub Amenophi II. Ex inscriptione enim regis Meremptah 1896 Thebis detecta scimus, Israel tunc jam in Chanaan fuisse. Qua de causa probabilius Amenophis II. (1461—36) Pharao exodi et Thutmosis I. et successores ejus reges oppressionis habentur. Cf. Miketta, Pharao des Auszuges. Frb. 1903 et Die Amarnazeit. Palästina und Ägypten in der Zeit israelitischer Wanderung und Siedelung. Münster i. W. 1908. Refloruit regnum debilitatum rege Ramse III. (1335—1269) e dynastia 19. diospolitana. Schesank (Vulg. *Sesak*, Manetho: Sesonchis), fundator dynastiae 22., instigante Jeroboamo anno 928 a. Ch., bellum Roboamo intulit et Jerusalem expugnavit (3 Reg. 14, 25). Dynastiam 25. creavit Schabak (So) Aethiops (717—703), qui cum ultimo rege regni Israel, Hosea, foedus contra Salmanassarem iniit (4 Reg. 17, 3 sq.). Ex ejus successoribus Tarchaka 694—664 (4 Reg. 19, 9) Sennacheribum, regem Assyriae, quidem repulit, fuit autem devictus ab Asarhaddon, qui Aegyptum invasit et expoliavit anno 673 a. Ch. Auctor dynastiae 26. (663—625) Psammetich I. (663—610), in urbe Sais regnans, terram e potestate Assyriorum vindicavit et per commercium cum exteris gentibus magnas divitias comparavit. Ejus filius Necho (610—595) Josiam, regem Juda, anno 608 apud Megiddo fugavit (4 Reg. 28, 29 seq.) et a Nebucadnezare apud urbem Karchemis (hodie Dscherablus) devictus est anno 605 a. Ch. (Jer. 46, 2; 4 Reg. 24, 7). Postquam Psammetich III. anno 528 a Cambyse devictus est, Aegyptus facta est satrapia Persarum (27. dynastia 525—434). Abhinc quidem conati sunt Aegyptii, terram et thronum recuperare, ast frustra; a Persis (dynastia 31.) oppressi, tandem reges Macedoniae in auxilium vocarunt, qui Alexandro magno rege anno 332 Aegyptum expugnarunt. Ptolomaei, qui jura Aegyptiorum tuebantur, templa aedificarunt atque literas promoverunt, etiam ab indigenis Aegypti incolis tanquam legitimi reges honorati sunt. Ptolomaeis regnantibus (323—31) multi Hebraei in Aegyptum, praeprimis Alexandriam urbem, partim transportati sunt, partim sponte sua immigraverunt. Proelio apud Actium anno 31. ante Ch. commisso, Aegyptus a Romanis capta est, qui Praefectum Aegypti Alexandriae constituerunt.

Anno 1887 in ruinis Tell-El-Amarna in ripa orientali Nili Thebas inter et Cairo sitis inventae sunt plures cistae ligneae, tabulis argillaceis impletae, quarum 239 nunc in Museo Berolinensi, et 82 in Museo britannico asservantur quaeque partem archivi aegyptii e tempore Amenophis III. et IV. continent atque in scriptura assyrio-aramaica cuneiformi ad

regem Aegypti directae sunt. Epistolas 36 scripserunt reges Babyloniae et Assyriae, 120 principes urbium Phoeniciae et montis Libani et 130 minores reges Palaestinae urbium. Hae tabulae, e tempore Moysis et Josua exstantes, pro historia sacra gravissimi sunt momenti; cf. Winckler, Die Tontafeln von Tell-el-Amarna. Berl. 1896. — Niebuhr, Die Amarnazeit. 2. ed. 1903. — Knudtzon, D. Amarnatafeln 1907. De aramaicis papyris 1904 in Assuan detectis cf. Döller, Der Papyrusfund in Assuan. Theol. Quartls. 1907, 497 sq. 1908, 376.

Confer: Brugsch-Bey, Geschichte Aegyptens l. c. — Duncker, Geschichte des Altertums 1878, I. Tom. — Lauth, Aus Ägyptens Vorzeit. Berlin 1881. — Wiedemann, Geschichte Ägyptens von Psammetich I. bis Alex. d. Gr. Leipzig 1880. — P. Rost, Untersuchung z. altt. Geschichte. Mitt. d. vorderas. Ges. 1897. 2 p. 120. — G. Steindorff, Die Blütezeit d. Phar. Reiches 1900. — E. Meyer u. Joh. Dümichen, Geschichte des alten Ägypten 1887. — Seydl, Chu-en-Aten. Kath. 1900. — F. Kayser u. Ern. Roloff, Ägypten einst u. jetzt. Frb. 1908[3]. — F. Stähelin, Israel in Ägypten nach neugefundenen Urkunden. Basel 1908.

§. 18. Hebraei in Aegypto.

1) Dum Hebraei[1]) Hyksos regnantibus[2]) in Aegypto morabantur[3]), eorum numerus valde nimis est auctus[4]). Multiplicatio haec indigenas dynastias (Hyksos expulsis, qui Hebraeis favebant) metu affecit, et quum novus rex[5]), qui Josephum ejusque merita ignorabat, surrexisset, is Hebraeos operibus luti et laterum ad urbes Pithom et Ramesses nec non pyramides aedificandas afflixit[6]); quanto vero opprimebantur, tanto magis multiplicabantur.

1) Progenies Jacobi aucta vocabantur עִבְרִים Ἑβραῖοι ab exteris (Gen. 39, 14; 41, 12; Ex. 1, 16), imo Israelitae ipsi sic se nominarunt in commercio cum exteris (Gen. 40, 15, Ex. 2, 7). Nomen hoc non tamen derivatur a Heber (Gen. 10, 24), sed ab עָבַר = *trans* (Euphratem), respectu ad Abraham immigrantem (Gen. 14, 13); hinc LXX: ὁ περάτης et Origines (hom. 19, 4 in Matth.): *Hebraei transeuntes interpretantur.* Cf. Hommel, Altis. Überl. 323 sq. Aufs. 284 sq. Vel explicatur de verbo עָבַר (cf. Jer. 2, 6) = vagari, de Beduinis, quod nomen עִבְרִים ab initio de diversis Beduinis adhibebatur (cf. Habiru in epistolis Amarnensibus), dein in sensu strictori ad filios Israel restrictum est (Spiegelberg in O. L. Z. 1907, 620). Plerumque tamen Israel vel filii Israel appellantur. Populus ex Jacob (Israel) exortus dividebatur in tribus secundum 12 (respective 13) filios Jacob, singulae earum in generationes vel cognationes per nepotes Jacob, hae in familias vel domos per ejus pronepotes subdividebantur, quae tandem in singulos viros cum uxoribus, filiis et nepotibus se diffundebant (Jos. 7, 14 seq.). Singulis tribubus earumque divisionibus praeerant primogeniti tanquam principes (Ex. 34, 31; 35, 27), qui etiam principes Israel (Num. 1, 44), vel principes synagogae (Num. 4, 34; 31, 13 etc.) vocantur; plerumque ii, qui generationibus et familiis praeerant, capita, praefecti vel seniores appellantur cf. Keil, Archäologie §. 140.

2) Tunc temporis in Aegypto gentes exteras regnasse, confirmant fragmenta Manethonis (apud Josephum c. Apion. I. 14 conservata), qui narrat: Regnante super Aegyptum Timao homines ignobili genere ex partibus orientalibus repentinum in Aegyptum impetum fecerunt eamque facile subegerunt atque principibus ejus in suam potestatem redactis, civitates crudeliter incenderunt et deorum templa everterunt. Porro in omnes indigenas inimicissime se gesserunt et tandem unum ex illis regem crearunt, cui nomen erat Salatis, qui in Memphide versabatur, provinciam superiorem et inferiorem tributariam faciens, praesidiaque in locis opportunissimis (relinquens praeprimis contra Assyrios). Cum nactus esset in Saïte nomo

civitatem opportunissimam ad orientem fluvii Bubastitae sitam (Avarim appellatam), et ipsam aedificavit et munivit, relicta ibi custodia usque ad 240.000 armatorum. Illic veniebat aestatis tempore, tam ut frumenta meteret, quam ut armatos ad terrorem extraneorum diligenter exerceret. Sequebantur eum quinque reges, bellum semper gerentes maxime Aegyptum radicitus exstinguere cupientes. Vocabatur autem gens eorum Hyksos i. e. reges pastores. Hyk enim in sacra lingua *regem* significat, sos vero *pastores*. Sunt autem, qui Arabes illos exstitisse dicunt. Hos autem reges Aegyptum in sua potestate habuisse annis circiter 511. Postea reges Thebaidis bellum contra eos conflarunt, in loco Avari eos incluserunt et obsederunt, qui pressi cum iisdem paciscebantur ea conditione, ut Aegypto relicta, omnes, quocunque vellent, sine ullo suo detrimento commigrarent. Eos cum universis familiis et omni possessione sua, haud pauciores 240.000, ab Aegypto per solitudinem in Syriam tetendisse et in Judaea Hierosolyma aedificasse. Manetho in ultimis verbis Hyksos Hebraeis permiscere videtur, uti etiam alibi Aegyptios leprosos iis permiscet, narrans (c. Apion. I. 26), Amenophim I regem omnes leprosos (aatu = pestiferos i. e. alienigenas) et impios regni sui ad sectiones lapidum in partem Nili orientalem misisse, ut in opere exercerentur, eis petentibus Avarim urbem concessisse, quam ingressi ducem sibi quemdam Hieropolitanorum pontificum, Osarsiphum (Moysen), constituerint, hunc legem eis dedisse, ne deos adorarent, et reges pastores ex Hierosolymis in auxilium vocasse, quibus adjutus populum eduxerit, Aegyptiis eos usque ad Syriae fines persequentibus. Similis narratio invenitur apud Chaeremonem (Joseph. c. Ap. I. 32) et Lysimachum (c. Ap. I. 34), e quibus hauserunt Tacitus (Hist. 5, 2) et Justinus (Hist. 36, 2).

Hanc relationem Manethonis de Hyksos seu regibus pastoribus, probabiliter origine arabica, qui super Aegyptum regnaverint, in pluribus confirmant inscriptiones aegyptiae recentissimo tempore inventae, quae docent, *a)* certum numerum regum exterorum *(Hak Schaus)*, de gente Menti, e terra Ascher vel Rutennu Orientis (i. e, Syria, uti patet e »decreto Canopi«), per aliquod tempus in regionem orientalem Delta regnasse, *b)* qui praeter Zoan metropolim locum Avarim in parte orientali fluvii pelusiotici aedificarint et munierint, *c)* ope artificum indigenarum monumenta erexerint, imitando quidem formam antiquam praeter faciem, barbam et ornatum capitis, *d)* deum Set (Sutech) coluerint, templa et sphinges construxerint *e)* et per quos artes et scientiae aegyptiae (v. g. sphinx alis instructa) evolutae fuerint. Ast odium tam magnum inter hos reges et populum aegyptium (si excipias reges legitimos aegyptios in austro), quod Manetho valde urget, non exstitisse, inde jam patet, quod Aegyptii, imo sacerdotes, liberis suis nomina semitica dederint, Hyksos ipsi sua nomina monumentis indigenarum regum caelo incidi curaverint. etc. Non dubium est, quin Joseph Hyksos regnantibus (rege Apophi — vel Apopi in monumentis) in Aegyptum venditus et ad magnos honores elatus fuerit. Inscriptiones aegyptiacae et arabicae »famem multorum annorum« in Aegypto (Brugsch, Die bibl. sieben Jahre der Hungersnot 1891, F. Sedej, Sieben Hungerjahre in Ägypt. 1891) et papyrus Orbiney historiam impudicae uxoris Putipharis (Anepu) dilucidant. Confer Brugsch, Geschichte l. c. pg. 220 seq. Tali modo gentes, Israelitis cognatae, divinitus quasi in Aegyptum praemittebantur, ut parvae familiae pastoriciae Jacobi sedes praepararent.

3) Quot annos Hebraei in Aegypto commorati fuerint, dissidet chronologia. In Ex. 12, 40 (heb. et Vulg.) expresse 430 anni, in Gen. 15, 13; Act. 7, 6 et a Josepho (Ant. II. 9, 1. Bel. Jud. V. 9, 4) anni 400 in numero rotundo assignantur. Versio LXX autem, multi Patres, qui fidem LXX sunt secuti: Eusebius (in Chron.), Augustinus (q. 47. in Ex.), Ephraemus, Rupertus (in Ex. c. 12.), Anastasius (Syn. Scrypt. in Ex.), textus Samaritanus et recentiores, 215 tantum annos Hebraeos in Aegypto habitasse ferunt; cum enim a vocatione Abrahae usque ad nativitatem Isaaci 25, inde usque ad Jacobi ortum 60, et usque ad immigrationem ejusdem in Aegyptum 130 anni, ergo summatim 215 anni effluxerint et in genealogia Moysis (Num. 26, 57 seq.) quatuor tantum generationes adducantur: his circumstantiis moti, LXX interpretes illos 215 annos a 430 annis deducebant, ita ut pro commoratione Israelitarum in Aegypto 215 anni remanerent. Numerationem textus hebraici

sequuntur Targum Onkelosi, versiones Vulgata latina et syriaca, Venetus graecus. Si s. Paulus (Gal. 3, 17) a promissione Abrahae et semini ejus facta usque ad legem datam 430 annos numerat, anni isti non a prima promissione Abrahae facta, sed a promissione Jacobo immediate ante descensum suum in Aegyptum repetita (Gen. 46, 3, 4) numerandi sunt. Confer Reinke, Beit. I. 111. seq. Ceterum multi recentiores interpretes huic alteri sententiae assentiuntur.

4) Multiplicatio Hebraeorum in Aegypto partim naturalis, partim miraculosa erat. *a)* Naturalis: Praeter 70 immediatos Jacobi posteros in Aegyptum descenderant mulieres (Gen. 46, 26), servi (et ancillae) numero haud parvo (nam Abraham jam 318 vernaculos Gen. 14, 14 aluit et Esau cum 400 viris fortibus fratri obviam venit (Gen. 33, 1), qui per circumcissionem (17, 12) in communionem religiosam Hebraeorum sunt recepti. Accedunt circumstantiae naturales: pubertas Orientalium, quae prius, quam apud nos, locum habet, maturiora matrimonia, polygamia, fertilitas mulierum; sic asserente Aristotele (l. 7. Hist. an. c. 4), mulieres in Aegypto in uno partu tres et quatuor liberos et in quatuor partubus saepe viginti effundere *b)* Miraculosa. Non soli naturae haec faecunditas Hebraeorum est adscribenda, sed singulari providentiae et concursui Dei, qui naturam adjuvit, fovit et foecundiorem effecit; nam magna afflictio, qua terebantur Hebraei, erat foecunditati contraria. Ideo dicit s. Augustinus (Civ. D. 18, 7): *Crescebat (populus) divinitus foecundata multiplicatione.*

5) Est Thutmosis I. Pharao, cujus tantae laudes a posteris translatae sunt in regem Miamum I. Ramessu II., Sesostrim Graecorum, cf. Steindorff, p. 60. Brugsch, Geschichte l. c. pg. 547. Causae, quae moverunt Aegyptios ad oppressionem Hebraeorum, erant: *a)* metus, ne ingruente bello se jungerent hostibus et Aegyptiis devictis exirent e terra, *b)* invidia, quia se videbant ab exteris Hebraeis sobole numerosa et pulchra superari, et *c)* odium conceptum e diversitate religionis.

6) Formatinonem laterum nobis proponit pictura in monumento sepulcrali supremi exactoris Roschcerê Thebis, e tempore Thutmosis III. regis e dynastia 18. (1505—1452). Confer Rosellini, Monumenti dell' Egitto II. 2. pg. 254.

2) Rex itaque praecepit obstetricibus, ut infantes masculos in partu opprimerent; sed hae, timentes Deum. non exequebantur mandatum regium et pro excusatione ad mendacium confugiunt; quia vero misericordes fuerunt, ideo Deus eas remuneratus est, dando eis progeniem numerosam. Post haec praecepit Pharao, ut omnes pueri Hebraeorum in Nilum projicerentur (Ex. cap. 1).

Tyrannis Pharaonis gradatim aggravatur. Obstetrices non propter mendacium, sed ob bonam voluntatem et misericordiam Hebraeis exhibitam a Deo praemiatas fuisse, docet s. Augustinus (l. c. mend. cp. 15): *Remunerata est benevolentia, non fallacia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Confer Zschokke, Bibl. Frauen l. c. §. 11. Verisimiliter Aegyptii tertium edictum abhorruerunt, quare post aliquod tempus abolitum fuisse creditur.

3) Commoratio Israelitarum in Aegypto educationi eorum utilissima erat; ibi enim nacti sunt occasionem. culturam aegyptiam tunc florentem cognoscendi et adoptandi[1]); simul tamen a cultu et religione eorum[2]), quae vim magnam ad eos habere coeperunt (Ez. 20, 5—8; 23, 8. 19. Jos. 24. 14. Ex. 32), oppressione et infanticidio arcebantur. quibus Aegyptii animos Hebraeorum offenderunt et abalienarunt

1) Hebraei non amplius nomadum instar in tentoriis, sed in urbibus et domibus (Ex. 12, 4) habitabant atque agriculturae et rei pecuariae operam navabant. Viderunt, utpote cum Aegyptiis cohabitantes, magnificas structuras, artes, artificia (col. 1 Par. 4, 21), inspe-

xerunt gubernationem civitatis bene dispositae, varias literas didicerunt, quarum evolutio, saltem indirecta, in oeconomia divina A. T., fuit intenta. Nec improbabile est, Israelitas ibi scripturam hebraicam magis excoluisse. Ibi tum amorem Jahvae erga se et justitiam vindicem in idolatras cognoverunt. Confer Hengstenberg, Beit. II. 432 seq.

2) Religioni avitae in Aegypto conservandae inservierunt circumcisio minime negleeta (Ex. 4, 24—26; Jos. 5, 5) et observatio sabbati. Teste Ex. 8, 26 in Aegypto non offerebant sacrificia. Inclinationem tamen eorum ad idolatriam aegyptiam supponunt Jos. 24, 14. Ez. 20, 7—9; 23, 3, 4. Am. 5, 25—27. Secundum Theodoretum (Ex. 4) Deus populum Israel haec pati permisit, ut odio persequerentur deos Aegyptiorum. Paucissima vero narrat s. auctor ex historia commorationis Hebraeorum in Aegypto, quia evolutio populi ibi naturalis tantum erat, sub auspiciis utique divinis. Israelitas (Simeonitas) hoc tempore etiam bellicas expeditiones in Chanaan suscepisse, patet e 1 Par. 4, 22, 23, 28—30. — Spiegelberg, D. Aufenthalt Israels in Ägypten im Lichte der ägypt. Monumente 1904.

§. 19. Moyses liberator Hebraeorum.

1) Fervente inquisitione, ex Amram et Jochabad parentibus, de tribu Levi oriundis anno 1572, nascitur filius elegans et Deo gratus (Act. 7, 20), quem quum amplius abscondere non possent, post tres menses, confisi in misericordia divina (Heb. 11, 23), in fiscella scirpea sub protectione sororis ejusdem Maria (Mirjam) ad ripam Nili exponunt; infans expositus a filia Pharaonis[1]) eripitur, et adoptatur, nomine Moyses[2]) ei imposito, a propria matre ablactatur ac deinde 40 annis in aula regia omni sapientia Aegyptiorum eruditur (Act 7, 22). Magis eligens, affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem, vindex populi sui exstitit[3]) et quadragenarius, in fide (Heb. 11, 24 seq.), anno 1532 fugit in terram Madian, ubi 40 annos degit et Sephoram, filiam Jethronis (Raguel), principis et sacerdotis Madianitarum, duxit, quae ei duos filios, Gersam et Eliezer, peperit (Ex. 2). Moyses, in deserto delitescens, meditationi et orationi vacans, ad munus sibi divinitus decretum educandus erat; nam Deus, qui gemitum Israelitarum oppressorum audivit, hos per eum liberare decreverat. Cum itaque greges ad montem Horeb minasset, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, qui ardebat et non comburebatur[4]), consilium suum, Israelitas eo duce ex Aegypto educendi, annuntiat, seipsum ut Jahve[5]) revelat, munus detrectantem triplici miraculo[6]) tanquam legatum suum instruit et adhuc dubitanti Aaronem, fratrem natu majorem, interpretem adjungit (Ex. 3. 1—4, 17).

Juxta Joseph. Fl. aliosque fuit Thermutis = (aegypt.) Tmer-en-mut i. e. grata (deae) Mut. soror Ramses II. et fors ejus uxor (more Aegyptiorum), secundum Eusebium Merris; secundum Josephum (Ant. II. 9, 5), ea, quum illiberis esset, Moysen tanquam filium adoptavit col. Heb. 11, 24; et typum gerit Ecclesiae e gentilbus, quae Messiam a Judaeis spretum suscepit. Confer Zschokke, Bibl. Frauen pg. 154. Locus, ubi filia Pharaonis parvulum expositum invenit, fuit probabiliter brachium Tanaiticum.

2) מֹשֶׁה, videtur esse originis aegyptiae; nam mes vel mesu = filius. LXX Μωϋσῆς, i. e. *ex aqua* (mô) *eductus* (yses). Confer Ex. 2, 10, Josephum, Ant. II, 9, 6. — Döller, Bibl. Zeitschrift III (1905), 151—153.

3) Moyses occidens Aegyptium, percutientem quemdam ex Hebraeis, fecit hoc, ex divina inspiratione auctoritatem adeptus (Augustinus, Thomas). Sciebat et alios scire putabat, se jam a Deo designatum esse ducem et vindicem Hebraeorum Deumque velle, ut ad hunc ducatum per hanc caedem et vindictam justam se compararet; ideo s. Stephanus ait: *Existimabat autem intelligere frates, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis* (Act. 7, 25).

4) Rubus ardens et non combustus et miraculum Dei, qui igni concursum subduxit, ne rubrum adureret, et symbolum Israelis, in Aegypto opprobriis affecti et per gratiam divinam purgandi atque sanctificandi. Ignis tanquam elementum simplicissimum, subtilissimum, lucidissimum et levissimum apte significat divinitatem, ideoque Deus saepe apparuit specie ignis. Docentibus ss. Patribus ignis in rubo incombusto significat typice Deum in b. Virgine conceptum, illaesa ejus virginitate. Confer Zschokke, Bibl. Frauen 449, 461.

5) Nomen τετραγράμματον יַהְוֶה (pronuntiatio falsa »Jehova« serius in usum venit) est originis hebraicae ex Ex. 3, 14: אֶהְיֶה (*sum* a radice היה = הוה), quod in tertia persona sonat יהוה, Jahve, serius autem pro eo a Masorethis Adonai vel Elohim legebatur; cum enim Judaei reverentiae causa (col. Lev. 24. 16) idem ineffabile crederent, subscripserunt eidem voci vocales nominis אֲדֹנָי. Significat autem nomen Jahve Deum qua ens absolutum (ὁ ὤν), infinitum, immutabile. aeternum (quod Apostolus interpretatur: ὁ ὤν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος Apoc. 1, 4, 8; 4, 8), principium omnis esse, quod res creatae participant, ast simul Deum qua Deum Israel et divinae oeconomiae salutis tutelarem et foederalem, Deum gratiae, qui populo externe se revelat, dum Elohim Deum omnipotentem, creatorem et gubernatorem mundi designat; haud raro tamen utrumque nomen conjungitur, ad innuendum, Deum Israel (Jahve) non esse diversum a Deo totius mundi (Elohim). Deus autem hic non novum nomen revelat, nam sub eodem Patriarchae foedus cum Deo inierant (Gen. 4, 26; 12, 1; 15, 7 etc.); originem antemosaicam ejusdem testantur constructio grammaticalis (יהוה, quod tempore Moysis היה sonat) et nomina cum abbreviato nomine Jahve composita, uti Moriah (יָהּ Gen. 22, 2), Jochabed (יוֹ = יְהוֹ). Si ergo Deus dicit: *apparui Patriarchis et nomen meum Jahve non indicavi eis* (Ex. 6, 3), non contradicit iste locus nostrae sententiae, sed sensus horum verborum est: Patriarchae noverunt quidem nomen meum qua tale, tu autem et populus tuus re et facto, nempe miraculis, cognoscetis, Jahven qua talem in promissionibus, Abrahae factis, adimplen. dis, populo educendo et salvando se exhibiturum esse. In colloquiis Deum inter et Patriarchas in Genesi relatis nomen Jahve 49ies adhibetur, sed fortasse antiquiori formae יה posteriore tempore substitutum est. Cf. Hommel, Altisrael. Überlief. p. 115, Aufsätze p. 319. — Grimme, Grundzüge d. heb. Akzent- u. Vokallehre 1896. Anhang. — Reinke, Beit. III. 1 et V. 363. — Scholz, De orig. nom. Jahve diss. 1857. — Dalman, Gottesname Adonai u. s. Geschichte 1889. Nomen Jahve in textibus cuneif. nondum inventum est cf. Daiches, Z. f. Assyr. 1908, 125 sq.

6) Missionis suae signa triplicis conversionis, virgae in colubrum, manus in lepram et aquae Nili in sanguinem, symbolice indicant ducatum Moysis, qui Aegyptum puniet, insidias Aegyptiorum superabit et populum suum sicut infantem leprosum in sinu suo portabit et salvabit.

2) Moyses octogenarius, a socero dimissus, tulit uxorem cum filiis; in itinere occurit Angelus, eum propter filium incircumcisum occisurus; quo viso Sephora statim filium Eliezer circumcidit et in Madian remittitur[1]. Ad montem Horeb Aaronem (83 annos natum) obvium habuit. Ambo in Aegyptum tendunt et ab Israelitis tanquam legati divini agniti, Pharaonem (Thutmosim III.) adierunt, ut populum Israel sacrificandi causa[2]) dimitteret. Renuentem et in campo Taneeos (Ps. 77, 12, 43) gravis adhuc Hebraeos vexantem altera vice adierunt et miracnlo virgae, in colubrum conversae atque virgas maleficorum Aegyptiorum devorantis, patrato potentiam Dei

super deos Aegypti demonstrarunt (4, 18—7, 13). Quum his nihil proficerent, cor Pharaonis, induratum[3]) adhuc praestigiis Magorum[4]), judiciis divinis erat flectendum, ne gratia, sed ira Dei in ipso manifestaretur. Inflixit ergo Deus per manus Aaronis et Moysis Aegyptiis, salvis tamen Israelitis[5]), decem plagas (Ex. 7, 15 — cap. 11), quas singulas regi ante eventum per Moysen annuntiari jussit[6]). Sunt: *a)* aqua Nili vertitur in sanguinem, *b)* ex fluviis et paludibus prodeunt ranae innumerae, *c)* pulvis Aegypti in sciniphes mutatur, *d)* omne genus muscarum in totam Aegyptum venit, *e)* peste omnia Aegyptiorum animantia in agris pereunt, *f)* ulcera urentia toto corpore disseminata Aegyptios invadunt, *g)* exoritur tempestas, grandine multa nimis omnia prosternente, tonitribus simul et fulminibus terrorem omnibus incutientibus, *h)* ingens locustarum agmen totam, quae late patet, Aegyptum invasit atque omnem virorem in herbis et arboribus consumpsit, *i)* densissimae tenebrae universae regioni per triduum incubuerunt, dum Israelitae in Gessen clara luce fruebantur, et tandem *k)* caede omnia primogenita Angelus exterminator percussit[7]).

Alexander Nat. has plagas mnemotechnice sic describit:

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda,
Inde culex tristis, post musca nocentior istis,
Quinta pecus stravit, anthraces sexta creavit.
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

1) Voluit angelus Moysen occidere eo, quod non circumcidisset ipse vel uxor filium tenellum; nam tanquam futurus legislator debebat primus servare legem; hanc causam intelligens uxor statim filium circumcidit, et tetigit, quasi deprecabunda pro vita mariti, praeputio pedes ejus (angeli?) nempe Moysis, dicens: *sponsus sanguinum tu mihi es*, indicando, se eum sanguine circumcisi filii a morte eripuisse et quasi secunda vice sponsum coëmisse, quo facto angelus Moysen dimisit. Ne in munere suo fugendo impediretur, uxorem filiosque ad Jethronem remisit.

2) Minus postulat, ne major petitio regem offendat et obduret. Confer Augustinum q. 13 in Ex.

3) Si Deus cor Pharaonis obdurasse narratur (Ex. 7, 3; 9, 12; 10, 20, 27 etc.), non directe ac proprie, ut blasphemat Calvinus, cor regium obduravit, sed tantum permissive seu indirecte obduravit, subtrahendo illi gratiam suam, quae cor ejus molliret, dando ei constantiam pertinacem et duritiem quandam naturalem, opes et imperium, hunc in finem, ut signa ac potentia Dei manifestarentur (7, 3; 9, 16), cognitio Jahvae apud Aegyptios (7, 5), imo in universa terra (9, 16) patefieret ac verus Deus Israel a posteris celebraretur (10, 2). Confer Reinke, Beit. V. 277.

4) Fecerunt sapientes et malefici aegyptii (Jannes et Mambres 2 Tim. 3, 8) per incantationes suas et arcana quaedam fallacia similiter, non quidem miracula, sed mira, quae hominum aliarumque rerum naturalium vim superant, et quidem ope daemoniaca, uti docent ss. Patres. Hodie adhuc praestigiatores per compressionem serpentes spupidos reddere valent; cf. Agassiz, Gould et Perty, Naturgesch. des Tierreiches 1885, pg. 204.

5) Israelitae ab his plagis, saltem inde a plaga quarta (8, 22), erant exemti, in signum, eas a Deo Israel Aegyptiis infligi.

6) Plagae illae sibi succedentes, quarum sequens priore semper est fortior, non sunt mere naturalia signa aut inter mythos relegandae, uti Rationalistae docere conantur, sed vera

miracula, ita ut eventus partim in phaenomenis et proprietatibus naturalibus Aegypti quidem fundentur, ast intensione, extensione, successu et aliis circumstantiis (jussu Moysis subito adducti et remoti, quin Israelitae his affligerentur), miraculi naturam induant talique modo charactere naturali simulque praeternaturali sint insigniti. Juxta s. Thomam (2. l. sent. d. 18. q. 1. a. 3.) plagae istae ad tertium gradum miraculorum pertinent, quae fiunt praeter naturam. Miracula haec Aegyptiis luculenta testimonia erant, Deum Hebraeorum tutelarem (Jahven) esse dominum (Elohim) Aegypti absolutum *(scias quoniam ego Dominus in medio terrae* Ex. 8, 22), Deum unicum verum (Sap. 11, 14) et vindicem idolorum et superbiae (Ex. 12, 12) ac Moysen legatum divinum. Altera ex parte Israelitae in fide, timore et amore Dei confirmabantur (Ex. 14, 31). Ita plagae istae revera judicium Jahvae in cunctis diis Aegyptiorum (Num. 33, 4) erant et inanitas eorum (λεμόμενοι θεοί) patefiebat. A diis suis nunc vim patiuntur et affliguntur, *ut scirent, quia, per quae quis peccat, per haec et torquetur* (Sap. 11, 17). Puniti sunt Aegyptii per omnes fere creaturas seu elementa (terram, aquam, aërem, ignem, astra, animalia), in omnibus pene sensibus et bonis secundum illud: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos* (Sap. 5, 21). Inflictae sunt istae plagae Aegyptiis etiam in recompensationem malorum, quibus Israelitas affecerant (Sap. 11, 5 sq.). Durarunt plagae probabiliter (Ex. 7, 25; 9, 31) circa 8—9 hebdomades a mense Februario usque ad 14. diem mensis Nisan (Aprilis). De spirituali interpretatione plagarum relate ad 10 praecepta confer sermonem s. Augustini (Migne, Patrol. latin. Tom. 46. pg. 946).

7) *ad a)* Aqua Nili vertitur in sanguinem aut verum (*humanum sanguinem* Sap. 11, 7) aut aquam sanguineam, in qua computrescente omnes pisces perimuntur, non ergo rubedinem aliquam tantum induit, uti nunc tempore inundationis; adducta enim est plaga subito per Moysen eodemque modo remota; et cum mense Februario, quo aqua versa est in sanguinem, naturalis rubedo aquarum conciliari nequit. Deus Nili sub nomine Hapi colebatur. Nilus inundat mensibus Julio usque Septembrem, aqua ejus tunc est sana aptaque hominibus et piscibus. Teste s. Scriptura Aegyptii non poterant bibere aquam Nili, quapropter foderunt per circuitum fluminis aquam, ut biberent (Ex. 7, 24). Pharao egressus est ad Nilum solito modo colendum, quae tempore inundationis quotannis vix fieri possunt. Punitur ergo deus Nili (principium fertilitatis) et gloria ejus in opprobrium vertitur. Tali modo caedes puerorum heb. per Aegyptios commissa rependitur (Sap. 11, 7, 8).

ad b) Plaga altera ranarum iterum oritur ex Nili aquis et cum prima (putrescente Nili stagno) in nexu est causali, molestior tamen; Nilus quidem abundat ranis (El Dofda), attamen omnes circumstantiae (nimia extensio, intempestiva anni aetas, inductio et remotio repentina) naturam miraculi indicant (Ex. 8, 1—15). Humilatur hic numen aegyptium Hiqit (Heki) cum capite ranae.

ad c) Infinita examina sciniphum (Kinnim = σκνῖφες, Moscitos) educuntur e pulvere terrae (principii divini fertilis), quae corpora stimulis aculeatis terebrabant. plaga molestissima, etiam tempore aestatis nunc Aegyptum molestans, ast hac vice ingruebat tempore verno, verbo Moysis, numero infinito (8, 16—19).

ad d) Plaga quarta adducit ex aëre muscas (diversi generis sec. Vulg., hebr. Arob = *coenomyiam* Ps. 77, 45: 104, 31 i. e. Tabanus caecutiens L.) in terram et domos Aegyptiorum, salvis Israelitis, molestissimas et nocentissimas hominibus et jumentis (8, 20—32).

ad e) Pestis valde gravis animantia Aegyptiorum peremit, quae erant in agris; nam et haec honoribus divinis fruebantur (9, 1—7).

ad f) Cinis a Moyse in coelum sparsus produxit ulcera et turgentes vesicas in hominibus et jumentis, ita ut malefici, etiam percussi ulceribus, stare non possent coram Moyse, quo igne interno libido ardens Aegyptiorum puniebatur (9, 8—12).

ad g) Grando magna nimis percussit omnem herbam et discurrentia fulgura omnia diruerunt; tantum in terram Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. Licet haec e causis naturalibus proveniant, saepe numine divino causas illas ordinante et acuente, hic tamen grassantur acrius (9, 13—35 col. Sap. 16, 16—19).

ad h) Locustae innumerae ex Arabia per ventum adductae, quibus Jahve se manifestavit dominum aliarum terrarum, vastarunt terram ante messem et, domos ingressae, homines morsu suo necabant. In viis conculcatae foetorem et pestem excitabant et messe consumpta famem adducebant (10, 1—19. Sap. 16, 9). Confer Natur und Offenb. 1863, 152; 1867, 167; 1874, 98.

ad i) Sequitur signum coeli: densissimae tenebrae triduanae in signum irae divinae Aegyptios terruerunt, luce (symbolo gratiae divinae) Israelitas in Gessen collustrante, plane diversae ab illis, quas ventus orientalis (Chamsin) excitare solet (10. 20—27; col. Sap. 17, 2 seq.; 18, 1). Juxta disquisitiones astronomicas (E. Mahler, Bibl. Chronologie. 1887, p. 7) die 13. Martii 1335 a. Ch. contigit maxima eclipsis in Aegypto, qua tanquam substrato naturali extraordinarie exornato (?) usus sit Deus. Confer Gutberlet, Buch der Weisheit. p. 444. 468. Natur und Offenbarung. 1871, 289.

ad k) Decima plaga percussit primogenita hominum et jumentorum; est plane supernaturalis, ideo immediate a Deo (Ex. 11, 4; 12, 13) infligitur.

3) Antequam decima plaga Aegyptiis infligeretur, Israelitae agnum anniculum et integrum die 14. mensis[1]) Nisan (Abib-spicarum) ad vesperam sacrificare, cum azymis et lactucis agrestibus[2]), accincti et baculos in manibus tenentes, comedere atque sanguine illius postes domorum linire (in signum expiationis et redemptionis) jubentur[3]), ut ab angelo exterminatore[4]) transeunte (Phase Domini) non percutiantur. In medio noctis percussit Deus omne primogenitum[5]) ab homine usque ad pecus in terra Aegypti, quo perterritus Pharao Hebraeos dimisit. qui auro et argento Aegyptiorum onusti[6]), numero 600.000 virorum[7]), et ossa Joseph secum portantes, mane diei 15. Nisan (feriae VI.) vel Veneris (col. Ex. 12, 41; 16, 1, 5) Aegypto exierunt (Ex. 12).

1) In memoriam salvationis Israel (et ortus populi) mensis ille factus est initium anni ecclesiastici simulque introducta est computatio anni lunaris, cujus menses neomeniis incipiunt, ita ut in diem 14. mensis cadat plenilunium.

2) Azymum (symbolum puritatis et sinceritatis 1 Cor, 5, 7) et lactucae (symbolum afflictionis et poenitentiae) non tam festinationem exitus et afflictiones in Aegypto toleratas, sed redemptionem et liberationem ex illa afflictione (ideo *panis afflictionis* Dt. 16, 3 vocatur) atque adoptionem in populum Dei indicabant.

3) Agnum paschalem fuisse sacrificium, et quidem propitiatorium et pacificum, patet ex Num. 9, 13 seq; Sap. 18, 9 *(absconse sacrificabant)*; 1 Cor. 5, 7; hinc Philo et Josephus Fl. illum θῦμα vel θυσία appellant. Postes domorum sanguine illius liniti (quo tota domus eamque inhabitantes sanctificabantur) angelo non tam in signum erant, ut domos Hebraeorum agnosceret, sed ut sanguine sacrificii placatus transiret (ideo nomen פֶּסַח, LXX πάσχα, Vulg. Phase i. e. *transitus* tum ad agnum (Ex. 12, 11 *comedere Pascha*) et sacrificium, tum ad festum denominandum serius translatum est Dt. 16, 1, 2; 2 Par. 35, 1, 7) hisque parceret; nam incolae domorum sacratarum, sacrificii participes, per esum agni paschalis non solum unionem religiosam mutuam inibant, sed et cum Deo intime conjuncti sunt. (Chrys. in Heb. 10: *Sanguis ovis rationalem hominem liberavit, non eo, quo sanguis est, sed quia dominici sanguinis per eum demonstratur exemplum*). Jam tunc laudes decantabantur (Sap. 18, 9), quae et serius in usu erant (2 Par. 30, 21). Exinde Deus instituit festum paschale, singulis annis celebrandum, sub iisdem ritibus, in memoriam redemptionis Israelitarum ex Aegypto et in typum sacrificii Christi cruenti (1 Cor. 5, 7) et incruenti, Eucharistiae (1 Cor. 10, 17); nam agnus, in formam crucis expansus et assatus, Christum amore nostri in cruce assatum typice adumbrabat.

4) Angelus ille percussor (Ex. 12, 23; ὁ ὀλοθρεύων Heb. 11, 18) non fuit (col. Ps. 77, 49) angelus malus, quo usus sit Deus (Origenes l. 8 c. Cels., Augustinus in

Ps. 72, Justinus in dial., Rupertus in Ex. et alii), nec angelus bonus, ut plures (Basilius in Ps. 77, Chrysostomus in act. h. 43, Theodoretus, Euthymius et alii) putarunt, sed Malach Jahve, uti ex tenore totius capitis elucet; nam Jahve ipse Aegyptios percussisse dicitur (Ex. 11, 4; 12, 13, 23, 29) atque Sapiens testatur: *Cum quietum silentium contineret omnia: omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit* (Sap. 18, 14, 15).

5) Omne primogenitum, etiamsi sit unigenitum, etiamsi annosum, ita ut omnes haberent mortuos innumerabiles, nec ad sepeliendum viri sufficerent (Sap. 18, 10 seq.). Quum primogenitus Pharaonis filius, regni consocius, et primogenita quorumdam animalium honore divino gauderent, etiam dii hujus generis puniebantur; sic v. g. omnes dii apides perierunt, qui ex primogenitis tauris ab Aegyptiis seligebantur.

6) Israelitae cum magna substantia (Gen. 15, 14), cum auro, argento et vestibus (Ex. 12, 35; Ps. 104, 37) egressi sunt. Loci (Ex. 3, 22; 11, 1—3; 12, 36), in quibus Israelitae secundum mandatum divinum, vasis pretiosis petitis, Aegyptios spoliasse feruntur, varias experti sunt explicationes. Confer Reinke, Beit. III. 147. Poterat Deus, jubens hoc spolium, ratione donationis jus et dominium in bona illa transferre in Israelitas, qui ea accipere poterant titulo mercedis pro tam duris laboribus praestitis *(reddidit justis mercedem laborum suorum* Sap. 10, 17) et in compensationem pro rebus multis immobilibus, quas in Aegypto relinquere cogebantur. Altera ex parte Aegyptii, memores injuriarum Israelitis illatarum, omnia libenter concesserunt, quo citius Hebraei discederent (Ps. 104, 38) et ipsi Deum propitium haberent, cujus benignitatem indigenae, cum Hebraeis cohabitantes, jam sunt experti (Ex. 9, 26; 10, 23), Deo ipso corda Aegyptiorum simul ad spontaneam donationem flectente (Ex. 3, 21, 22; 11, 3; 12, 36).

7) Sine parvulis, infra 20 annos, mulieribus et vulgo promiscuo innumerabili (Ex. 12, 38. Num. 14, 1), quod multi tanquam reliquias Hyksos habent, qui si adnumerantur, facile tricies centena millia hominum constituunt. Hi omnes una die, non confuse, sed ordine per turmas dispositi (Ex. 12, 51), quin esset infirmus in tribubus eorum (Ps. 104, 37), exierunt.

§. 20. Iter Israelitarum per desertum usque ad Sinai.

1) Israelitae itinere non recto versus Chanaan, quia statim et assidue eis pugnandum fuisset cum hostibus (Philistaeis) bellicosis, sed deflexo ad mare rubrum et desertum[1]) progressi sunt, nam populus speciali modo Deo adstrigendus et sanctificandus erat, antequam terram promissam occuparet. Ex urbe Ramesse (Tell el-Maschuta) egressi, venerunt per Wady Tumilât in Socoth (Succoth i. e. tuguria vel tentoria) et Etham in extremis solitudinis finibus. Moyses populum via recta Sinai versus ducere voluit et, devitando terram Aegypti, fines septentrionales maris rubri circumire tetendit. Deus vero via brevissima per mare ipsum eos ducere decrevit, ut judicium Dei in Pharaone et gloria ejus omnibus gentibus patefieret. qui per columnam nubis[2]), noctu instar ignis lucentis, viam Israelitis monstrabat; hi meridiem versus regressi ad mare rubrum declinabant atque in planitie prope Pihahiroth inter montem (Atâkah) et mare castrametati sunt. Pharao hanc rem edoctus, plagarum immemor et corde indurato, cum exercitu suo Israelitas persecutus est, quos in Aegyptum ad servitutem retraheret. Undique (mari et montibus) coarctatus, populus ad Moysen clamabat, qui auxilium divinum pollicetur. Columna nubis inter castra Israelitarum, quae luce collustrabat, et castra Aegyptiorum, quae tenebris obduxit,

stetit et postquam Moyses jussu divino cum virga mare divisit, fluctus instar muri steterunt et Hebraei viam latam, a Deo per vehementem ventum siccatam, quasi campum germinantem de profundo nimio, sine impedimento (Sap. 19, 7), per medium mare[3]) noctu ingressi, Aegyptii vero mane eos persequentes, curribus per fulgura fractis (Ps. 76, 18), fluctibus maris, qui extensa Moysis manu revertebantur, oppressi sunt[4]). Israelitae, e manu Pharaonis per miracula et monstra divina (Sap. 19, 8) erepti, in gratiarum actionem, *sapientiâ divina imbuti* (Sap. 10, 21) canticum[5]) Deo cecinerunt choris alternantibus, quibus Moyses et Maria[6]), soror ejus, praecinebant (Ex. 14 et 15).

1) Vastus terrae tractus desertus, a Nilo versus Euphratem extensus, per montes Seir (Edom), qui a sinu aelanitico usque ad mare mortuum procurrunt, in duas partes dividitur = orientalem seu Arabiam desertam, et occidentalem seu Arabiam petraeam (cum Petra metropoli = Palaestina tertia). Haec a septentrione limitatur per mare mediterraneum et Palaestinam (a Gaza usque ad mare mortuum), ab Austro per sinus maris rubri: aelaniticum orientalem (Akabah), et heroopolitanum occidentalem (Suez), qui peninsulam a monte principali Sinai dictam formant. Ad septentrionem hujus peninsulae extenditur magnum desertum versus Palaestinam, nomine Et-Tih (erroris filiorum Israel) seu Paran, quod austrum et occidentem versus a montibus Et-Tih et Er-Raha lunatis cingitur et ad orientem limitatur valle (1 milliarium lata et 20 mill. longa) Arabah, a mari mortuo usque ad sinum aelaniticum excurrente. Haec vallis (continuatio vallis El-Ghor), pariter deserta, hic illic collibus et locis fertilibus consita est et orientem versus a montibus praecipitibus Seir terminatur.

2) Columna ignis et nubis, quae Israelitas ducebat et protegebat per desertum (Ex. 13, 21. Num. 14, 24. Neh. 9, 19) usque ad vada Jordanis (Jos. 3, 11), signum praesentiae, majestatis, sanctitatis et gratiae divinae erat, et serius super arcam foederis (Schechinah) residebat atque Sanctissimum in templo Salomonico implebat. Erat in forma sua consueta columna ignea nubibus obtecta, quae, castra Hebraeorum praecedens, per diem tanquam nubes, per noctem quasi ignis (Num. 9, 15, 16) apparebat. Auriga seu motor hujus columnae fuit Angelus Domini vel Messias (Ex. 14, 19), qui proprie erat ductor populi Israel per desertum (Ex. 23, 20), et per eam super castra Aegyptiorum respiciens, exercitum interfecit (Ex. 14, 24); in ea apparuit gloria Domini (Ex. 16, 10). Hanc columnam nubis etiam castra Israelitarum obumbrasse et ab aestu protexisse, probant: *Nubes pendebat desuper et incubabat per diem tabernaculo* (Ex. 40, 35, 36. Num. 9, 15. 16). *Nubes super eos erat per diem, cum incederent* (Num. 10, 34), *expandit nubem in protectionem eorum* (Ps. 104, 39; 77, 14; 120, 6), *nubes castra eorum obumbrabat* (Sap. 19, 7 col. 10, 17), *patres omnes sub nube fuerunt* (1 Cor. 10, 1). Hanc columnam ignis fuisse ignem agminibus praegestatum, sine ullo solido argumento defendere conantur Rationalistae.

3) Etham (Atuma) in termino septentrionali maris rubri (Jam sûph i. e. mare algarum vel caricum rubri coloris) situm fuisse videtur inter lacum Temsah (crocodili) et lacus amaros, ad quos usque antiquitus mare rubrum extensum (imo aevo antediluviano cum mediterraneo mari conjunctum) fuisse creditur, ita ut transitus per mare prope hodiernam urbem Suez evenerit (ita Tischendorf, Niebuhr, Robinson, Ebers Aegypt. u. B. M. pg. 78 etc., Th. Fuchs, Wien. Akad. 1878. II. 25 sq.). Locus hic narrationi biblicae convenit; vasta enim solitudo prope istam urbem ab austro monte Atâkah (Beelsephon = Baal Typhon), ad mare usque se extendente, et ab oriente ipso mari limitatur. Pihahiroth corresponderet hodierno castello (Pi = articulus) Adschrud. Alii vero (Raumer, Kuscheit) autumant, Israelitas ex On exiisse in Latopolim et per valles Et-Tih et Ft-Tawarik progressos, prope vallem Bede (infra Sues) mare (3 milliaria germanica latum) trajecisse. Brugsch (L'exod.) loco maris rubri substituit lacum Menzaleh sine solido argumento. Alii ut Lagrange, Naville et recentissime Szczepański (Zeitschr. f. kath. Theol. 1908, 230 sq., Petra u.

Sinai 1908, 236 sq.) defendunt transitum inter lacus amaros et lacum Timsah, qui illo tempore adhuc erant conjuncti. Divisum est mare, ita ut aquae Israelitas ab utroque latere ut murus tegerent, et deduxit eos Deus in abyssis sicut in deserto, nempe via latissima (Ps. 105, 9) et vento urente siccata (Ex. 14, 21). Juxta traditionem judaicam, praeeunte Moyse, tribus Juda ejusque dux Aminadab (col. Cant. 6, 11) primus mare ingressus esse dicitur. Rationalistae transitum hunc per mare charactere supernaturali exuunt eumque reciprocationi naturali tribuunt; usum enim esse ajunt Moysen refluxu maris ad traducendos Israelitas, dum Aegyptii marinorum aestuum accessu suffocati fuerint, provocantes

ad similia facta (Livius 26, 45. Strabo 1, 14. Josephus Ant. II. 16, 5), ast frustra, nam miraculum testantur:

a) Literae sacrae, quae saepe transitum per mare omnipotentiae divinae attribuunt atque miraculum celebrant (Ex. 15; Jos. 2, 10; 4, 24. Is. 51, 10; 63, 11. Ps. 77, 13; 113, 3, 5. Hab. 3, 8, 15. Sap. 10, 18, 19; 19, 7, 8. Judith 5, 12; Act. 7, 36; Heb. 11, 29); tota narrandi ratio (Ex. 14) clare demonstrat manum divinam omnipotentem.

b) Nulla reciprocatio mare findit, quemadmodum hic factum est, ut in medio ejus esset via amplissima ad transeundum; refluxus enim maris denudat aquis littora tantum vel vicina eis loca, nec efficit, ut utrimque aquae muri instar assurgant et immobiles consistant. Praeterea refluxus non tam longum tempus perdurat, ut tanta agmina etiam littora pervadere

possint, uti patet ex variis exemplis v. g. Christoph. Fürer anno 1565 et Neapoleonis I. 1799, qui cum magno vitae discrimine partes aquilonares sinus, durante recessu, transire conabantur. Insuper obstat Ex. 14, 29: *Filii Israel perrexerunt per medium sicci maris.*

c) Aegyptii, utpote reciprocationis gnari, amentes fuissent, si persequendo Hebraeos per mare, certo periculo sese exposuissent, quia circumeundo sinum tam facile fugientes assecuti fuissent; nec minus stulti Israelitae, si tanquam testes oculati phaenomenon hoc naturale tanquam prodigium celebrassent (Ex. 15).

d) Terror, qui Chananaeos post transitum Israelitarum invaserat (Jos. 2, 9 seq. 9, 9) sicut et reliquas gentes vicinas (Ex. 15, 16), supponit, hos eum tanquam prodigium magnum habuisse.

e) Traditio Ichthyophagum, qui hanc oram inhabitabant, servata apud Diodorum (Bibl. hist. III, 39), qui refert narrationem a patribus receptam, mare hoc refluxu violento divisum et apertum fuisse, ita ut ejus alvus siccus appareret, postea vero fluxu impetuoso iterum fuisse conjunctum. Narrante Shaw (Reise in den Osten II. 31) Arabes hodierni, ad littus maris rubri degentes, vallem quandam appellant »Tiah beni Israel« i. e. *viam filiorum Israel*, et dicunt, Israelitas ibi mare trajecisse, quare locum »Beda« i. e. factum inauditum vocant. Confer Calmetum, Diss. de transf. maris erythr. — Katholik, 1867, 70. — Tübing. Quart. 1859, 605; 1860, 533; 1875, 656. — Das hl. Land, 1876, 102. — Tischendorf, De Isr. per mar. rub. transitu 1847. — Petermanns Mitteilungen 1861, 427; 1860, 1864, 1870. — Vigouroux l. c. II. l. 4, c. 7.

Transitus per mare rubrum est typus baptismatis, docente Apostolo: *Omnes patres nostri in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* (1 Cor. 10, 2); nam Christiani per baptismum et sanguinem Christi transeunt in novam gratiae vitam (1 Cor. 6, 11; Heb. 10, 19, 22; 1 Joh. 1, 7; 5, 6; 1 Pet. 1, 19).

4) Totus exercitus (600 currus, 50.000 equitum et 200.000 peditum juxta Josephum, Ant. II. 15, 3) Pharaonis ante oculos Israelitarum vigilia matutina aquis obrutus, erat exemplum detestabile superbiae et obdurationis, simulque fidem Israelitarum in Jahvem tanquam Deum suum tutelarem, qui Aegyptios, infanticidii reos, perdidit (Sap. 18, 5), confortare eosque monere debuit, ne ipsi per inobedientiam erga mandata divina in deserto iram Dei contra se concitarent. Traditione judaica teste transitus ille fiebat die Paschatis septimo eoque sacro, quia per eum redemptio et salus Israelitarum, egressu ex Aegypto inchoata, perfecta fuit.

5) Canticum illud (Ex. 15, 1—21) est vetustissimum epinicium nec non propheticum; celebratur in eo Jahve tanquam Deus tutelaris Israel ejusque triumphus de diis Aegytiorum, destinatio populi electi ac sors vicinarum gentium, possessio terrae promissae et erectio foederis et regni divini in populo suo. Vocatur canticum desponsationis (Jer. 2, 2), post ereptionem ancillae ex servitute aegyptiaca et ante desponsationem, mox in Sinai celebrandam, decantatum, probabiliter in loco, qui nunc vocatur Ain Musa (fons Moysis).

6) Uti Moyses viris, sic Maria, soror ejus, cum tympanis praecinebat mulieribus. Ipsa vocatur prophetissa, quia ei, sicut Moysi et Aaroni, Deus pandebat arcana (Num. 12, 2). Ipsa etiam perpetua virgo mansisse creditur et a ss. Patribus typus b. Mariae Virginis celebratur. Confer Zschokke, Bibl. Frauen, pg. 155.

Mari trajecto Israel factus est populus sui juris, Deo consecratus (Dei peculium), quare ad memoriam hujus rei perennandam (Ex. 6, 6, 7. Ps. 113, 1: *in exitu Israel de Aeggpto . . . facta est Judaea sanctificatio ejus, Israel potestas ejus)* annus ecclesiasticus mense Nisan incipiens (Ex. 12, 2), festum Paschatis (12, 14) et sanctificatio primogeniturae (13, 2 sq.) sunt instituta.

2) Mare transgressi, Israelitae meridiem versus tribus diebus ambularunt per solitudinem[1]) Schur i. e. Aschur (Hommel, Altis. Üb. 237 sq., vel Etham. Num. 33, 8) et ad Mara (Ain Hawâra) venientes invenerunt aquas amaras, quas Moyses, orans ad Deum, ligno immisso[2]) in dulces vertit. Dein in Elim valle, ubi erant 12 fontes et 70 palmae, castrametati sunt[3]).

Inde profecti (per Wadi Tayibeh) venerunt in stationem ad mare rubrum (Num. 33, 10), et in desertum Sin, ubi ob defectum panis murmurantes coturnicibus[4]) donati ac manna[5]) de coelo dato per 40 annos usque ad limites terrae Chanaan (Jos. 5, 11, 12) pasti sunt (Ex. 16).

1) Commoratio Israelitarum in deserto erat tempus probationis, tentationis, humiliationis (Ex. 16, 4) et lustrationis (Dt. 8, 2, 16). Generatim decem tentationes in hac generatione enumerantur, quae decem plagis in Aegypto correspondent; ibi enim se jugiter a providentia divina peudere, obedientiam et temperantiam exercere discere debebant (Sap. 11).

2) Est primum miraculum in deserto, oppositum primae plagae in Aegypto. Censent aliqui, vim hanc dulcorandi aquas amaras insitam fuisse a natura ligno, quod Deus Moysi ostenderit col. Eccli 38, 4, 5. Ast utitur hic Deus re naturali, per quam effectum supernaturalem produxit. Docentibus Patribus lignum hoc fuit typus crucis Christi, per quam sanctis omnia adversa dulcescunt.

3) Elim probabiliter est vallis amoena Gharandel, $2^1/_2$ horas ad meridiem loci Mara, ubi hodie arbores inveniuntur. Cf. tamen Hommel. Ausf. 293 (Elim = Gal'at en Nachl i. e. Festung der Palmen) et Musil, Edom I. 305 (Elim = Elath ad mare rubrum).

4) Coturnices (Selav, LXX, Sap. 16, 2; 19, 12, Philo ὀρτυγομήτρα Josephus Ant. II. 1, 5 ὄρτυγες), volatilia pennata Africo flante immissa (Ps. 77, 26), sunt in illis regionibus frequentes, et ab Aegyptiis (Herodot, 2, 77) et aliis gentibus in usum cibi adhibebantur, uti hodie ab Arabibus. Hic cibus delectabilis Israelitis dabatur pro tormentis, quae passi sunt Aegyptii per multitudinem bestiarum v. g. ranarum (Sap. 16, 1, 2).

5) Manna (*Manhu = quid hoc?* Ex. 16, 15, vel ex *man = donum* sc. Dei) apparuit minutum et quasi pilo tusum (i. e. quasi pili tunsione decorticatum) in similitudinem pruinae, instar seminis coriandri, coloris bdellii (gummi) albi (Ex. 16, 14; Num. 11, 7). Aliam explicationem proposuit Peters (Zeitsch. f. kath. Theol. 1899, 371), secundum quam Israelitae hunc cibum aspicientes dixerunt: est mannu sc. deserti, quod ipsis notum erat. Sed Moyses eorum errorem corrigens dixit: *Est cibus, quem Deus dedit vobis ad vescendum.* Descendit noctu cum rore i. e. rore obtectum, modo supernaturali et cum mane ros ad radios solis evanesceret, detegebat et solum relinquebat manna colligendum. Colligebatur a singulis ad mensuram Gomor (decimae partis Epha = 2 Kilogramm) quotidie, Sabbato excepto, pro quo die sexta collegerunt duplam portionem, coquebatur in olla et parabantur ex eo tortulae saporis quasi panis oleati (Num. 11, 8); *cibus ille omne delectamentum et omnis saporis suavitatem in se habebat . . . et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur* (Sap. 16, 20, 21) i. e. in sua substantia erat dulcis, ast palato et desiderio comedentium contemperabatur.

Multi naturali modo manna explicare volunt, alludentes ad similem fructum, qui nunc adhuc e foliis variarum arborum (Fraxini Orni, Heydsarum = Alhadsch, Süßdorn, Tamariçis maniferae = Tarfah) succi instar per ictum cocci mannipari (Schildlaus) mensibus Junio et Julio elicitur, orto sole liquescit et induratus colligitur (Seetzen, Reise, III. 76. — Tischendorf, Aus dem heil. Lande 1862, 54) et manna Israelitarum idem esse, ast nonnisi mirabiliter multiplicatum (?) defendunt. Obstant tamen ss. Literae et natura utriusque manna: *a)* dabatur manna Issaelitis modo extraordinario de coelo, per ministerium angelorum, non quidem idem comedentium, sed in aëre producentium; ideo *panis angelorum* (Ps. 77, 25; 104, 40; Sap. 16, 20. Joh. 6, 31) vocatur; Calmetus: *Deus ministerio Angelorum ex praeexistentibus substantiis manna paravit; b)* et quidem quotidie, excepto Sabbato et feria sexta in dupla portione, quod similiter sicut in arca reservatum (Ex. 16, 32) non computruit, uti factum est in manna residuo ex aliis diebus; in agris relictum orto sole liquefiebat, dum id, quod in vase erat collectum, adeo durum esset, ut pilo et mola tunderetur, ac igne coqueretur, et sapore suavissimo erat. *c)* Teste libro Sap. (16, 21) manna omnem saporem, quem comedentium quis optabat, praebebat, saltem filiis Israel. Denique quisque Israelitarum aequalem mensuram sc. unum gomor collegisse videbatur (Ex. 16, 17, 18). —

Manna vulgare autem durum, putrescit, dulcem quidem saporem habet non tamen pani conficiendo inservit sed cum pane manducatur, imo purgativum est. *d)* Dabatur Israelitis manna in toto itinere per desertum, et quidem in quantitate tot myriadibus hominum sufficiente — manna vero naturale in nonnullis tantum locis occurrit et quotannis in peninsula Sinaitica hodie messem 250—300 Kilogramm, subministrat. — Elegit autem Deus cibum, manna naturali quoad formam similem, naturâ autem diversum, ut tum fidei, tum infidelitati (uti nunc in Eucharistia) libertatem permitteret.

Docentibus ss. Patribus, imo ipso Christo (Joh. 6, 31, 49, 59) manna biblicum est typus Eucharistiae, sicut petra, e qua excussa est aqua, typus erat Christi, Israelitas in toto itinere, varia beneficia eis praestando, concomitantis (1 Cor. 10. 4). Loco Ex. 16, 5 nixi, Origenes (in Ex. h. 7), Ambrosiaster (ad 1 Cor. 10, 5), Auctor serm. 25 de temp. (op. August.) et Synodus Caesariensis putant, diem, qua manna prima vice pluerit, fuisse dominicam. Confer Reinke, Beit. V. 305 (ibi Literatura pg. 308).

Manna non unicus, utique autem principalis cibus Israelitarum in deserto fuit; nam illo tempore ista regio non tam deserta erat, uti nunc, sed partim culta et silvis consita (Ex. 15, 27; 25, 10, 23, 28); praeterea etiam pecora (Ex. 12, 38; 17, 3; 34, 3. Num. 20) eis praesto erant et a mercatoribus Madianitis varia objecta emere poterant. Confer Lev. 8, 26, 31; 9, 4; 10, 12; Num. 7, 3; Dt. 2, 6. Studien u. Kritiken. 1871, 717.

3) Per vallem Mokatteb[1]) (inscriptionum) progressi et stationibus in Daphca et Alus habitis (Num. 33, 12, 13), venerunt in vallem Feiran fertilissimam, quae manu dextra per montana Serbal limitatur, et tandem in vallem Esch-Scheikh, 10 horas longam ac in ipsis montanis Horeb sitam. In Raphidim castrametati Israelitae de aquae penuria querebantur, quare Moyses jussu divino e silice Horeb aquam eduxit quemque locum Massa et Meribah (tentationem et jurgium) appellavit. Ibi Amalecitae[2]) Israelitas aggressi, ab his autem Josue duce et Moyse in monte orante, qui manus cum virga elevaverat, profligati sunt. In memoriam hujus victoriae Moyses altare erexit sub nomine Jahve Nissi (Jahve vexillum meum) ac nomen ducis Hosea in Jehoschua (Vulg. Josue = Jahve est salus) mutavit (Ex. 17). Jethro, de his rebus certior factus, Moysi uxorem et liberos adduxit, Jahve tanquam Deum verum agnovit et sacrificio oblato foedus cum Israelitis iniit; ejus suasu Moyses, ne in judicando populum solus gravaretur, viros strenuos tanquam judices[3]) super populum constituit (Ex. 18).

1) Inscriptiones nabathaeae, qua in hac valle inveniuntur, factae sunt ab Arabibus cultui sabaeo deditis, primis aerae christianae seculis. Confer Deutschmorgenld. Zeitschrift 1849, 129; 1860, 363; 1862, 331.

2) Amalecitae, posteri Esavi (Gen. 36, 12, 16), occupaverant partem australem terrae Chanaan in finibus Edom et partim etiam peninsulam sinaiticam inhabitabant. Isti erant gentilium primi (Num. 24, 20), qui armati Israelitis (sibi cognatis) restiterunt et animum hostilem (Dt. 25, 18) contra populum Dei servarunt; ideo non tam armis, quam oratione (Judith 9, 13) devincuntur et juxta decretum divinum exstirpandi erant (Ex. 17, 14, 16; Num. 24, 20; Dt. 25, 19), quod factum est a Saule (1 Sam. 15) et Ezechia regibus (1 Par. 4, 43). E contra Madianitae (ex Cetura progeniti) tanquam primitiae gentium foedus cum populo electo inierunt, ideoque in perpetuum benedictionibus foederis hujus fruebantur et tractum aliquem terrae sanctae sortiebantur (Jos. 15, 2. Jud. 1, 16; 4, 11 seq. 5, 24 seq.). Amalecitae ergo et Madianitae prototypi diversae agendi rationis gentilium versus Israel exstiterunt.

3) Ex his senibus Moyses postea jussu divino 70 viros tanquam magistratus constituit, qui spiritu divino repleti cum Moyse onus populi sustentabant (Num. 11, 16).

§. 21. Legislatio sinaitica.

1) Israelitae die tertia mensis tertii egressionis ex Aegypto (ergo 45 diebus praeterlapsis) in valle Er-Rahah castrametati sunt. Moyses tanquam internuntius montem Sinai[1]) ascendit et a Deo conditiones foederis pangendi nanciscitur: *Si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus (mea enim est omnis terra), et vos eritis mihi in regnum sacerdotale (sacerdotum) et gens sancta* (Ex. 19, 5, 6)[2]), quibus ratis habitis *(cuncta, quae locutus est Jahve, faciemus)* populus sese mundando et sanctificando per duos dies ad foedus pangendum praeparatur. His elapsis (die 50.) Moyses sub phaenomenis naturae terribilibus populum perterritum ad montis (Ras es-Safsâfeh) radicem, Deo obviam eduxit. Toto monte fumante, ad coelum usque conflagrante (symbolo divinae ac regiae majestatis) et buccinae sonitu crescente, Dominus stipatus ab angelis (Dt. 33, 2) inter tonitrua et fulgura descendit in Horeb in igne (Cap. 19), et promulgavit (Jahve Ex. 20, 2; Dt. 5, 4 — Malach Jahve) per angelos (Gal. 3, 19; Act. 53) legem: decalogum (Cap. 20), cui dein aliae leges adjunctae sunt (Cap. 21—23). Populum perterritum, in valles (Rahah et Scheikh) refugientem, consolatur Moyses, et nunc etiam a populo (Dt. 5, 27) internuntius et sequester constitutus. Dei nomine foedus cum populo pepigit ac sanguine victimae altare et populum aspersit his verbis: *Hic est sanguis foederis, quod Dominus pepigit vobiscum super cunctis sermonibus his* (confer Matth. 26, 38; Heb. 9, 20), qua aspersione Israel in populum electum consecratus et privilegiorum ejusdem capax est factus. Obedientiâ a populo promissâ) Moyses cum Aaron hujusque filiis (Nadab et Abiu tanquam futuris sacerdotibus) ac 70 senioribus montem repetiit, ubi visu Domini tanquam regis dignati sunt; dein Moyses solus altius in montem (Sinai vel Dschebel Musâ) ascendit (Cap. 24) ibique a Deo protoypum tabernaculi ac vasorum sacrorum et tandem duas tabulas testimonii lapideas, digito divino (ex utraque parte Ex. 32, 15) scriptas, accepit.

1) Centrum peninsulae Sinai (450 □ mil.) constituunt montana Sinai (Dschebel et-Tur), quae e 3 montibus, a septentrione meridiem versus parallele excurrentibus, constant: orientali Dschebel ed Deir, occidentali el-Homr cum cacumine australi altissimo Dschebel Katherin (a sepulcro s. Catharinae M. appellato), et intermedio Horeb cum cacumine septentrionali Ras es-Safsâfeh 2114 met. (Horeb in sensu strictiori) et australi Dschebel Musa 2300 met. altis, antiquitus Sinai (in sensu strictissimo) dicto. A septentrionali plaga montana limitantur per valles magnas et latas Wadi er-Rahah (1,600.000 □ met.) et Esch-Scheikh (a Scheikh Saleh ibi sepulto), in quas exeunt ceterae valles, quae singulos montes invicem sejungunt, et quidem Wadi el-Ledscha inter Homr et Horeb, Wadi Esch-Schoib (vallis Jethronis) media inter montes Horeb et Deir cum monasterio s. Catharinae (ab Justiniano imperatore 527—565 in loco rubi ardentis aedificato, in quod serius ossa s. Catharinae sunt translata) et per saltum seclusa a magna planitie australi Sebaijeh, quae montem Horeb ab austro circumdat et cum valle Esch-Scheikh per Wadi es Sebaijeh est conjuncta. Moyses Israelitas, in vallibus Rahah et Scheikh castrametatos, ducit ad pedes montis Horeb, in quo juxta Robinson et Palmer in Ras es Safsâfeh (1993 m.). Deus se revelavit tanquam in throno immenso, qui praerupte plus quam 600 met. e valle er-Rahah sese extollît. Cum Deus in Horeb

(sensu stricto sumto) ad populum locutus sit, in Sinai vero (sensu stricto sumto) ad Mosen, unde hic usque hodie Dschebel el-Monaedscha i. e. mons conferentiae vel Dschebel Mûsa appellatur, lex promulgata dicitur mox in Sinai (Ex. 19, 20; 24, 16. Neh. 9, 13), mox in Horeb (Dt. 4, 15; Ps. 105, 19; 2 Par. 5, 10), mox in utroque (Eccli. 48, 7). Peninsula Sinai explorata fuit per expeditionem anglicanam anno 1868 factam; confer C. W. Wilson et H. L. Palmer Ordonance Survey of the Penins. of Sinai. Lond. 1869—1872. 5 Tom.-Vigouroux, La Bible II. 498 sq. (l. V. c. 7). Alii minus bene legislationem reponunt in montem Serbal; alii eo progrediuntur, quod montem legislationis extra montana Sinai in Edom quaerere volunt. Cf. Döller, Studien 231 sq. Szczepański, Nach Petra u. z. Sinai. Innsb. 1908.

2) Constituitur populus Israel a Jahve gens sacerdotalis, ut sacerdotis instar promissionem acceptam et salutem accipiendam omnibus gentibus (Universalismus) communicaret.

2) Moyses 40 diebus et noctibus in monte commoratur et jejunans (Dt. 9, 9) cum Deo colloquitur; populus desperans et impatiens, Aarone (timefacto) socio, vitulum aureum numinis instar conflavit adoravitque. Moyses, hac de re a Deo certior factus, tanquam internuntius Deum iratum demulcet, de monte descendit, et indignatus tabulas legis confregit, idolum in pulverem redegit, Aaronem objurgavit et noxios renitentesque (23.000) per tribum Levi trucidari jussit[1]), quae cum zelo religioso functa hac executione, maledictionem (Gen. 49, 5—7) expiabat et, in sacerdotium vocata, eam in benedictionem mutabat (Cap. 32). Populo poenitente cum Deo reconciliato, Moyses, montem repetens, majestatis divinae visu dignatus est et 40 diebus elapsis iterum tabulas, quibus (a Moyse dolatis Dt. 10, 1) Jahve decalogum inscripserat, portans ac facie glorificata[2]) ad populum rediit, tabernaculum testimonii ope Beseleel et Ooliab confecit (Cap. 33—35), Aaronem pontificem et cunctum sacerdotium inauguravit (Lev. 8) et reliqua ad foedus necessaria disposuit. Quibus peractis gloria Domini tabernaculum implevit; octavo die Aaron ejusque filii munera sua obierunt et sacrificium obtulerunt, quod ignis Domini in signum gratiae devoravit. Nadab et Abiu ob ignem profanum in tabernaculum introductum morte sunt interemti (Lev. 10). Quum secunda vice festum paschale celebrassent et fere integrum annum (demptis 10—13 diebus, Ex. 19, 1 col. Num. 10, 11) ad montana sinaitica degissent ac Moyses Israelitas (603.350) recensuisset, die 20. mensis 2. anni 2. (1491) elevata est nubes in proficiscendi signum et Hobabo, Moysis affini, duce, ordine praescripto[3]) versus desertum Pharan (Et-Tih) tetenderunt (Num. 10).



1) Jahve omnes probare decreverat: Moysen qua internuntium, populum foedere sibi junctum, Aaronem et Levitas ut sacerdotes. Moyses, qui muneris sui conscius, fidelis est inventus, coram Jahve irato pro populo intercedit, imo pro hoc de libro vitae vult deleri (Ex. 32, 32 col. Rom. 9, 3. confer Thomam sum. I. q. 24), coram populo vero rursus sanctitatem divinam zelat. Populus sensualis, mox foederis initi et Jahvae invisibilis oblitus, Moyse absente deos visibiles, quos in Aegypto viderant, postulabat. Vitulum, ex inauribus Israelitarum conflatum (Ex. 32, 4; Neh. 9, 18), e cultu aegyptio fuisse mutuatum, patet e Jos. 24, 14; Ez. 20, 7, 8; qui cultus serius in regno Israel revixit (3 Reg. 12, 28; 4 Reg. 10, 29; Os. 8, 5; Tob. 1, 5). Vanitatem et insaniam hujus idoli Moyses indicavit eo, quod vitulum illum in frusta comminutum (Dt. 9, 21) ac in pulverem contritum aquae immiscuerit, indeque potum eis praebuerit crimine in auctores quasi revoluto. Rabbini (Fürst, Ges. I. 380), patres excusaturi, totum scelus in vulgus promiscuum, Hebraeis adjunctum (Ex. 12, 38; Num. 11, 4), devolvunt. Veri autem simillimum est, Manassitas timentes, ne sacerdotio, quo in Aegypto functi erant, privarentur, criminis auctores fuisse. Cf. de hac re Hummelauer, Das vormosaische Priestertum in Israel 1899. — Döller, Entblößung des Volkes Israel am Sinai. Bibl. Zeitsch. 1907, 352 sq.

2) Vulgata, quae Ex. 34, 29 faciem Moysis, ex consortio sermonis Domini coruscantem per cornutam (i. e. lucidam, ut radios luminis vibraret ejusque quasi cornua emitteret) reddit et consuetudini, caput Moysis cum duobus cornibus depingendi, ansam dedit, ab acatholicis (cf. Winer, R. W. Moyses) multis calumniis petita est. Quum Israelitae splendorem faciei ejus ferre nequirent, Moyses, quando cum eis loquebatur, posuit velamen super faciem suam, ne timore percellerentur. His radiis Deus Moysen in ducem et legislatorem quasi consecravit et principatus insignibus decoravit. Teste s. Paulo (2 Cor. 3, 13 seq.) hoc velamen symbolice indicat, totum vetus Testamentum fuisse velamen veritatis christianae, quod per Christum ablatum fuit.

3) Tabernaculum testimonii circumdederunt immediate tentoria Levi (Moysis et Aaronis ante portam tabernaculi), quae excipiebant e parte orientali illa tribus Juda simul cum Issachar et Zabulon, ab australi Ruben cum Simeon et Gad, ab occidente Ephraim cum Manasse et Benjamin, ab aquilone Dan cum Aser et Nephthali, ita ut in itinere arcam Domini (tanquam thronum Dei) praegestatam (Num. 10, 33) Juda, Ruben, Levitae cum tabernaculo, dein Ephraim et Dan, singulae cum vexillis, stemmate suo ornatis, sequerentur (Num. 2). Cf. Giesebrecht, Geschichtlichkeit des Sinaibundes 1900. — D. Schönfeld, Halbinsel Sinai in ihrer Bedeutung. Berl. 1907.

§. 22. Theocratia.

1) Deus, quamvis sit rex universae terrae, speciali tamen modo patris instar Patriarchis se revelaverat, manu forti Israelitas (filium primogenitum Ex. 4. 22) ex Aegypto eduxerat eosque foedere speciali tanquam populum electum sibi obstrinxerat. quam singularem prorsus relationem Josephus Fl. recte θεοκρατίαν appellavit[1]). Deus (Elohim) speciali ratione erat Deus (Jahve) Israel (Ex. 19, 3, 8; 20, 1 seq.) et qua talis ejusdem rex ac gubernator, ita ut Deus et Israelitae regis ac subditorum ratione invicem adstringerentur. et quidem vi foederis, per quod populus Israel a Deo in peculium de cunctis gentibus, in regnum sacerdotum et gentem sanctam erat electus. Scopus et finis hujus regiminis erat sanctificatio populi. Tali modo respublica et ecclesia Israelis intime erant conjunctae, ita ut quaevis lex et officium politicum characterem simul religionis et vice versa indueret, quaevis actio contra quamcunque legem (peccatum) majestatem divinam offenderet. ac quaevis

postestas et dignitas a Deo solo repeteretur; universa itaque gerendi ratio reipublicae perpetuus quasi erat Dei cultus[2]).

1) C. Apion. 2, 16: *Alii (homines) uni tantum, paucis quibusdam alii, alii denique populo summam reipublicae potestatem commiserunt. At legislator noster, hisce neglectis omnibus, theocraticam reipublicae formam instituit, summo principatu Dei numini attributo.*

2) Hanc theocraticam reipublicae israeliticae formam testantur: 1) Indicia regalis potestatis: *a)* Deus, invisibilis rex, legem promulgavit eamque primam et fundamentalem theocratiae, cujus basis erat adoratio unius Dei veri exclusiva, insculptam duabus tabulis — tanquam »chartam magnam« reipublicae in memoriam perpetuam asservandam (Dt. 27, Ex. 31, 18), cujus minister et interpres Moyses (multum differens a Solone et Lycurgo) exstitit. Legem hanc praemiis et poenis sanxit Jahve. *b)* Ipse tum immediate, tum mediate per judices populum judicavit et poenas sancivit. *c)* Leges bellicas praescripsit, imo bella ipsa populi sui gessit (Jos. 5, 13, 14; Num. 10, 35; Ex. 17, 11, 16), voluntatem ordinarie per vicarios suos, et in casibus difficilioribus etiam extraordinarie manifestabat. *d)* Jus tributorum exercuit, quia sicli dimidium tributi loco accipiebat (Ex. 30, 13—15) nec non primitias postulavit. 2) Eloquia s. Scripturae: Verba Gideonis, qui thronum ipsi oblatum renuit, dicens: *Nec dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus* (Jud. 8, 23). Verba Dei, Samuelem lugentem consolantis: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (1 Sam. 8, 7), Eccli. 17, 14, 15: *In unamquamque gentem praeposuit rectorem, et pars Dei, Israel facta est manifesta.* Huc pertinent tituli regii, Jahvae saepius attributi (1 Sam. 12, 12, 13; Ps. 46, 3; 149, 2; Os. 13, 10 etc.), Hinc deflectere a Jahve ad idola tanquam crimen laesae majestatis morte puniebatur. Sublata vero fuit theolocratia haec, quum populus ipse eam publice et directe sprevit: *Non habemus, regem, nisi Caesarem* (Joh. 19, 15), subsequente regno spirituali Christi, in aeternum duraturo. — Praeter principium monotheisticum theocratia nitebatur: *a)* vetito idololatriae (Ex. 20, 3—5), *b)* separatione a reliquis gentibus (Chananaeis), non tamen absoiutâ, et *c)* agricultura.

2) Theocratiae fundamentum erat Decalogus[1]), in duabus tabulis inscriptus, quae in arca foederis asservabantur ideoque testimonium (Ex. 25, 16), tabulae testimonii (31, 18), pactum (Dt. 4, 13), verba vel tabulae pacti (Ex. 34, 28; Dt. 9, 9) vocabantur; decalogi statuta non ut pars legislationis, sed centrum vel potius prima et fundamentalia praecepta legis naturae consideranda ideoque indispensabilia, nunquam abolenda nec abroganda sunt. In decalogo latet revelatio integra: quid credendum, dogmatica[2]), quid agendum, ethica[3]); prior tabula pietatem erga Deum, altera officia erga proximum praescribit, Decalogo partim immediate post legislationem istam, partim serius, quum Israel adhuc ad montem Sinai commorabatur, adjuncta sunt praecepta ceremonialia[4]), quae cultum, et judicialia[5]), quae vitam civilem et rempublicam politicam concernunt (Dt. 6, 1). Hae leges non omnes quidem sunt novae, sed pleraeque consuetudinibus hereditariis ac moribus illius aevi nituntur, ast indigentiis populi adaptabantur et evolvebantur, tanquam media, quae oeconomiam divinam salutis in Israel fulcirent, promoverent[6]), atque populum strictius cum Deo conjungerent et quasi conglutinarent (Dt. 10, 15).

1) Leges, quas Deus (per Verbum i. e. filium suum) in monte Sinai promulgavit (Ex. 20, 2—17; Dt. 5, 6—21), continent decem praecepta (Ex. 34, 28; Dt. 4, 13; 10, 4), analogice decem verbis creationis divinis (Gen. 1) i. e. decalogum. Est autem duplex modus, praecepta illa dividendi: *a)* Josephus (Ant. III. 5, 5), Philo, Origenes, Gregorius Naz.

et alii ad primam tabulam, quae praecepta amoris in Deum complectitur, quatuor praecepta referunt: vetitum de plurium deorum cultu, vetitum sculptilium, praeceptum de cultu nominis divini et de sanctificatione sabbati, ad tabulam vero secundam, quae de amore erga proximum agit, sex praecepta, nimirum erga parentes, vetitum adulterii, occisionis, furti, falsi testimonii et concupiscentiae. Haec diviso dicitur Origeniana. *b)* Altera est Augustiniana, quam fere omnes Theologi scholastici et Ecclesia catholica adoptarunt: haec primam tabulam tribus, alteram vero septem praeceptis absolvit. Juxta s. Augustinum (quaest. in Hept. l. 2. q. 71) enim vetitum sculptilium (Ex. 20, 4) tantummodo fusior est explicatio praecepti primi, quo vetatur omnis idololatria; e contra *concupiscentia uxoris alienae et concupiscentia domus alienae in peccando differunt,* ideo constituunt objectum duorum praeceptorum, Confer Thomam 1. 2. q. 100 a. 4. Haec divisio praeceptorum respectu ad duas tabulas in $3+7$ magis convenit, quia ordinat hominem ad Deum et ad creaturam, et symbolica est, quia numeri non carent significatione sua symbolica. Prorsus arbitraria est divisio in quinque praecepta tabulae primae, et quinque tabulae secundae adscripta. Confer: Sonntag in Stud. und Krit. 1836, 61. — Geffcken, Versch. Eint. des Pent. 1838. — Züllig in Stud. u. Krit. 1847, 47. — Bertheau, Sieben Grupp. mos. Gesetze 1840. — Meier, Die ursp. Form des Decal. 1846. — E. Otto, Decal. Untersuch. 1859. — L. Heilbut, Über d. ursp. u. richt. Eint. des Decal. 1874. — D. Müller, D. Gesetze Hammurabis u. ihr Verhältnis zu der mos. Gesetzgb. Wien 1903. — N. Peters, D. älteste Abschrift d. 10 Gebote d. Papyr. Nash. 1905. — E. König, Neue kirchl. Zeitsch. 1906, 565 sq.

2) Dogmatica legis mosaicae docet Deum unum (symbolum: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est* Dt. 6, 4 — urget monotheismum, et per nomen trinum subindicat mysterium divinae Trinitatis), spiritum corporis expertem Ex, 32, 23; Dt. 4, 15 (cui tamen non obstant anthropomorphismi), aeternum (Dt. 32, 40), sanctum (Lev. 11, 44). omnipraesentem (Dt. 10, 14), sapientem et justum, qui ex gratia Israelem elegit, personam autem non respicit (Dt. 10, 17), fidelem (Dt. 32, 4; Num. 23, 19), placabilem et propitium (Ex. 32), simulque dominum et Deum universae terrae (Dt. 32, 39), qui omnem idololatriam abominatur (Ex. 23, 24; Num. 25, 3; Dt. 7, 25), ideoque zelotes est (Ex. 34, 14 anthropopathismi). Supponit porro lex providentiam divinam (Dt. 32, 8), excluso fato, et liberum hominis arbitrium (Lev. 20. 26; 22, 32. Ex. 19, 8), immortalitatem animae et futuram remunerationem confirmat; fides enim haec patet ex animo tranquillo Aaronis moribundi (Num. 20, 16) et Moysis (Dt. 32, 49; 34, 5), e certis ritibus funebribus (Lev. 19, 28; Dt. 14, 1), e vetito necromantiae (Lev. 19, 31; 20, 6, 27; Dt. 18, 11), e spe lugentium, liberos et cognatos post mortem reperiendi, ex argumento Psalmi Moysis 89, 3, ex apparitione Samuelis mortui (1 Sam. 28). Fides futurae beatitudinis (imperfecta adhuc) negative potius, quam positive evolvitur; describitur enim Scheol tanquam locus insatiabilis (Prov. 30, 16), locus cavus et subterraneus, locus tristis et quietis (Job 3, 13, 17), ubi nemo Deum laudat (Ps. 6, 6; 87, 12). Explicatur hic character ex ingenio A. T., quo propius enim advenit tempus gratiae ac redemptionis, eo clarior fit doctrina illa, quod Moyses ipse indicavit: *Abscondita Domino Deo nostro: quae manifesta sunt, nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus* (Dt. 29, 29). Confer M. Flunk, Die Eschatol. Altisraels in Innsb. Z. 1887, 447. — Halévy, La croyance de l'immort. de l'âme . . Revue arch. 1882 et Journ. Offic. 1882. Sept. — Atzberger, Eschatologie l. c. p. 19 sq.

3) Quo pressior dogmatica, eo largior exponitur ethica; hinc revelatio mosaica plerumque lex (doctrina תּוֹרָה appellatur. Inculcatur *a)* amor et pietas erga Deum *(diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* Dt. 6, 5; 30, 6), quae quemcunque cultum aliorum deorum excludit, interna sanctificatio *(sanctificamini et estote sancti, quia ego sanctus sum* Lev. 11, 45; 20, 7; Dt. 4, 5); *circumcidite praeputium cordis vestri et cervicem vestram, ne induretis amplius* (Dt. 10, 16). Quamvis oratio in oblationibus primitiarum (Dt. 26, 5) et frugum decimarum ac confessio peccatorum die expiationis (Lex. 16, 21) tantum lege esset praescripta, tamen saepius peragebatur; sic Moyses in pugna contra Amalecitas orat (Ex. 17, 10 sq.), pro scelere populi

deprecatur (Ex. 32, 32), orando pro se ipso gratiam invenit (33, 17), salutem Mariae sorori obtinet (Num. 12, 13), imo orans et benedicens diem obit (Dt. 33). Cum suffitu mane et vespere Levitae (1 Par. 23, 30) orationem jungere solebant (Luc. 1, 10). Inde a tempore Davidis ter per diem: mane, meridie et vespere, oratio peragebatur (Ps. 54, 18; Dan. 6, 11). *b)* Inculcatur dein amor erga proximos (*diliges amicum sicut te ipsum* Lev. 19, 18), qui etiam ad peregrinos (Lev. 19, 33, 34; Ex. 22, 21; Dt. 15, 14), imo ad inimicos extenditur (Ex. 23, 4, 5; Lev. 19, 18 — non obstant Ex. 21, 24 i. e. principium justitiae publicae; Dt. 15, 2, 3; 23, 20; nec exstirpatio Moabitarum et Ammonitarum divinitus decreta Dt. 23, 3—6, et Amalecitarum Dt. 25, 17), honos erga senectutem (Lev. 19, 32), clementia in servos (Ex. 21, 2; Lev. 25, 39; Dt. 5, 14, 15), misericordia erga pauperes, viduas et orphanos praecipiuntur (Ex. 22, 22; Lev. 19, 9—13; Dt. 15, 7—15). *c)* Etiam animalia a lege non excluduntur: ne sabbato operentur (Ex. 20, 10), avium nidus ne teneatur cum matre (Dt. 22, 6, 7), bovi terenti ne ligetur os (Dt. 25, 4). *d)* Vetantur scortatus, bestialitas, incestus, mendacium, testimonium falsum, ultiones (Lev. 19, 16—18), usurae (Ex. 22, 25; Lev. 25, 35—37), pignori accipere rem ad vitam conservandam necessariam (Dt. 24, 6, 12, 13); furtum et homicidium gravissimis poenis puniuntur; praecipitur restitutio rei injuste possessae. *e)* Patrifamilias injungitur instructio liberorum et domesticorum (Ex. 10, 2; Dt. 4, 9; 6, 7 etc.), sanctificatio matrimonii certis conditionibus adstricti conjugibus mandatur, adulterium morte luitur (Dt. 22, 22), imo suspicio infidelitatis uxoris tentamini subjicitur (Num. 5, 12), obedientia erga magistratus et sacerdotes omnibus imperatur (Dat. 17, 12) ac humilitas recommendatur, nam ex gratia Deus elegit eos (Dt. 7, 7, 8). Omnes ergo actiones, praecepta, etc. interno spiritu minime carebant, imo eodem vivificabantur.

4) Praecepta ceremonialia praescribunt ceremonias vel opera quaedam externa, quibus Deus sit peculiariter excolendus. Cum enim per veterem legem homo ordinaretur in Deum, quod fit non solum interioribus, sed et exterioribus actibus, necesse fuit in ea dari, praeter moralia, alia ceremonialia praecepta, quibus Deo debitus exhiberetur cultus. Thomas, 1, 2 q. 99 ar. 3.

5) Superaddita sunt praecepta judicialia (Dt. 5, 1; 6, 1; Lev. 18, 4), quae determinant certum modum justitiae inter homines servandae (Thomas l. c. ar. 4), aliquid tamen ex consequenti et per accidens figurabant, quia totus illius populi status erat propheticus et figuralis (Augustinus l. 22 c. Faust. cp. 24), Christo vero adveniente sunt evacuata. Thomas. 2 q. 104.

6) Fuerunt etiam ante legem a sanctis Patribus ceremoniae ad debitum Deo cultum exhibendum institutae, sed non erant ceremoniae legis, quia solum secundum voluntatem et devotionem hominum Deum colentium, non per aliquam legislationem institutae. Thomas 1, 2. q. 103. ar. 1.

3) Tali modo populus Israel, reliquis nationibus minor quidem (Dt. 7, 7), speciali vero Dei electione et theocratia praeeminebat[1]) ac dogmaticâ ethicâque doctrinâ excellens, Deo quasi propior erat, teste Dt. 4, 6, 7: *Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Lex mosaica erat sancta et bona[2]), ideoque moralia ejus praecepta perpetua sunt et in Novo Testamento perseverant[3]; lex perfecta fuit ex institutione ac fine, quem Deus in ea danda sibi proposuerat. Finis autem legis est duplex: *a)* prior est ad cavenda peccata, nec non ad eadem cognoscenda et, iis cognitis, ad implorandam gratiam. *b)* Alter in eo positus est, ut paedagogi instar esset[4]). Nihilominus lex A. T. (timoris), in tabulis lapideis scripta, perfectibilis et inferior erat Evangelio i. e. lege (charitatis), in cordibus spiritu Dei vivi scripta (2 Cor. 3, 3); nam operabatur amorem Dei maxime propter commoda terrena vel e metu poenarum, per-

misit divortium, non novit consilia perfectionis: paupertatis, virginitatis et obedientiae, nec amorem, propriae utilitatis immemorem, erga proximum et alia hujusmodi. Ideo Christus doctrinam suam perfectam legi imperfectiori V. T. contraponit[5]) (Matth. 5, 31, 43, 44). Religio mosaica alligata erat legibus ceremonialibus[6]), quae non aeterne duraturae, sed symbolico-typicae erant, ordinabantur enim ad cultum Dei et ad figurandum Christum. Leges ceremoniales tractant de *loco, personis, festis, rebus actionibusque sacris.*

1) In cultu mosaico et gentilium haud pauca communia inveniuntur, quorum mutua relatio varie explicatur: *a)* Josephus, Bochart et alii putant, institutiones gentilium non esse nisi imitationem (κακοζηλίαν) cultus mosaici. *b)* Nonnulli s. Patres, ut Chrysostomus (hom. 6. in Matth.) et ex recentioribus Spencer defendunt, Moysen varios communes ritus ex ethnicismo mutuasse, ut polytheismus coarctetur. Cornely (Int. II. 1. p. 60) tantam invenit similitudinem inter ipsam arcam foederis et illas arcas, quas Aegyptii in pompis religiosis circumducebant, inter summum sacerdotem, vestes, classes imo et mores sacerdotales Aegyptiorum et Israelitarum, ut non dubitet profiteri, non paucos Aegyptiorum ritus ab omni superstitionis specie mundatos per Moysen traditos fuisse. *c)* Alii (Görres, Vatke) autumant, ex communi cultu naturae partim per revelationem divinam, partim per naturalem evolutionem Monotheismum efformatum fuisse. *d)* Ast facilius explicantur partim ex idea et natura cultus publici ubique obvii, partim e traditione originali, quae inter gentes obscurata, in Israel autem evoluta fuit. Differt vero cultus mosaicus a cultu religioso gentilium essentialiter origine sua divina et charactere typico, et ad partem symbolico, quo autem non plane carent institutiones gentiles.

2) Sanctitas legis mosaicae patet ex disertis s. Scripturae dictis (Dt. 4, 1, 6; 5, 1, 2, 29; 6, 2, 6, 17), ex praeconiis, quae in toto Psalterio (Ps. 118), propheticis reliquisque V. T. libris passim leguntur, ex Novo Testamento; *Lex quidem sancta et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (Rom. 7, 12 col. 1 Tim. 1, 8) et ex ss. Patribus, praeprimis s. Augustino. Bona ergo fuit lex, quum fuerit secundum rectam rationem tradita et eâ homines a concupiscentiis et peccatis abstinerent; ast tantum relative bona, quia hominem non totaliter idoneum facit ad participationem felicitatis aeternae, quod nonnisi fieri potest per gratiam Spiritus s. (Rom. 6, 23), quam lex vetus conferre non potuit, reservabatur enim Christo (Joh. 1, 17). Lex ergo quidem in se bona, nihilominus tamen imperfecta secundum illud: *Nihil ad perfectum adduxit lex* (Heb. 7, 19). Exinde dijudicanda sunt dicta: *Dedi eis praecepta non bona et judicia, in quibus non vivent* (Ez. 20, 25), quod nonnisi ex accidenti et eventu ipso dicitur, qui praeter mentem conditoris incidit; lex *occidisse* dicitur (2 Cor. 3, 6), scilicet occasionaliter ex sua imperfectione, et *subintrasse, ut abundaret delictum* (Rom. 5, 20), in quantum sc. homines, accipientes occasionem a lege, abundantius peccaverunt. Decuit autem tempore Moysis, quando populus ex familia Jacob ortus est, dari legem, qua homines infirmitatem suam agnoscerent, et perfectius ad divinam gratiam suscipiendam praepararentur; et quidem soli populo Israelitico, quoniam propter promissiones sibi factas speciali prae reliquis nationibus sanctitate pollebat. Quoniam lex vetus ad legem naturae quaedam Judaeis propria (particularistica) superaddebat, populus Israel ad omnia veteris legis praecepta, reliquae autem nationes ad ea tantum, quae naturae legem concernebant, obligabantur. Thomas 1. 2. p. 98.

3) Praecepta moralia omnia, quae secundum se ad bonos mores pertinent, ad legem naturae aliquo modo pertinent, et ad decem decalogi praecepta reduci possunt ideoque indispensabilia simpliciter sunt. Quare Christus dicit: *non veni solvere, sed adimplere legem et prophetas* (Matth. 5, 17); confer Conc. Trident. ses. 4. c. 19. Sed ad decalogum etiam alia praecepta moralia addita sunt. Thomas 1. 2. q. 100.

4) Hunc duplicem finem innuit Apostolus: *Propter transgressiones posita est lex, donec veniret semen, cui promiserat . . . Lex paedagogus noster fuit in Christo* (gr. in

Christum). (Gal. 3, 19, 24.) Data ergo est lex superbis ad superbiam convincendam et in remedium humanae ignorantiae, quia per legem est cognitio peccati (Rom. 7, 7); ex parte bonorum data est in auxilium ad frenandam cupiditatem et vitandum peccatum. Thomas. 1. 2. q. 98. a. 6. *Scriptura* ergo *omnia sub peccato conclusit* (Gal. 3, 22) i. e. redarguit, convicit, omnes esse peccati reos, et convincendo in metu continuit. Paedagogus fuit, qui rudes ac teneros animos primis ad pietatem et Dei cultum rudimentis imbueret, et per temporales promissiones et commiuationes, quae erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum et tali modo disponeret ad Christum; *imposita erat usque ad tempus correctionis* (Heb. 9, 10). Judaei igitur erant *parvuli sub tutoribus et actoribus usque ad praefinitum tempus a patre, sub elementis mundi servientes* (Gal. 4, 3, 2), et leges veteres *infirma et egena elementa* (Gal. 4, 9), *infirma, quia non possunt a peccato mundare; sed haec infirmitas provenit ex eo, quod sunt egena i. e. eo quod non continent in se gratiam*, ait s. Thomas l. c. q. 103. a. 2. Confer Petavium de praedest. l. 10 cp. 24 seq.

5) Quum unus Deus novi et veteris testamenti sit auctor (Rom. 3, 30), lex utraque specie ab invicem non distinguitur. Omnes differentiae inter legem novam charitatis et legem veterem timoris accipiuntur secundum perfectum et imperfectum: *a)* veteris legis primarius promulgator fuit Moyses, novae autem Christus. *b)* Lex vetus promittebat potissimum corporalia et temporalia, nova vero principaliter spiritualia et aeterna. *c)* Lex nova habebat vim sanctificandi, quâ caruit lex vetus. Lex vetus erat *umbra futurorum* (Col. 2, 17), *non ipsam imaginem rerum habens* (Heb. 10, 1), *exemplaria coelestium* (Heb. 9, 23), lex *figurae*, nova autem lex est lex *veritatis*. Lex nova teste Christo (Matth. 5, 17), quatenus exhibet, quod vetus promittebat et figurabat, eam implet; Christi quoque tum opere, quia legem veterem servavit, tum doctrinâ lex vetus impleta est, cum eam exposuit ostendendo, etiam interiores actus peccatorum cadere sub prohibitionem (Matth. 5, 31), et quaedam perfectionis consilia (vg. Matth. 19, 21) superaddidit. Lex ergo nova non evacuat obedientiam veteris legis, nisi quantum ad ceremonialia. Quoniam omnia novae legis praecepta in vetere implicite aut sub figura latebant, recte dicitur nova lex in vetere, ut frumentum in spica, aut arbor in semine, contineri, juxta illud Chrysostomi ad Marc. 4, 8: *Primo herbam fructificat in lege naturae, postmodum spicas in lege Moysi, postea plenum frumentum in Evangelio.* Tandem lex vetus est novâ gravior, ipsa praeceptorum multitudine et numerositate; sed quantum ad expressam cohibitionem interiorum motuum, quae difficillima est, lex nova gravior est vetere. Confer: Thomam. 1. 2. q. 107. Augustinum, De spir. et lit. 1, 17 seq.

6) Cum tradenda hominibus non sint divina mysteria, nisi secundum eorum capacitatem, ne contemnant, quod capere non possunt, recte ceremonialia veteris legis praecepta sub sensibilium figurarum velamine rudi illi populo tradita sunt. Ut autem in malis servitus idololatriae, ad quam proclives omnino erant, reprimeretur, et in bonis Dei amor incrementa susciperet, multa ceremonialia esse praecepta congruum erat. Rationes autem praeceptorum ceremonialium sunt aut *a)* literales, sive pertineant ad vitandum idololatriae cultum, sive ad rememoranda aliqua Dei beneficia, sive ad insinuandam excellentiam divinam, vel ad designandam dispositionem mentis, aut *b)* figurales vel mysticae, secundum quod ordinantur ad Christum; nam *omnia in figura contingebant illis* (1 Cor. 10, 11). Hae ceremoniae, teste Apostolo: *Si data esset lex, quae posset justificare, Christus gratis mortuus est* (Gal. 2, 21), non justificabant nisi a nonnullis corporalibus immunditiis (Heb. 9, 13; 10, 4), a peccatis autem fide in Christum adjuncta, ut interioris justificationis protestationes. Hae ceremoniae in adventu Christi cessare coeperunt, in passione vero finem accipiebant, quasi jam veritate earum consummata, teste Apostolo: *Veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est* (Heb. 8, 13 col. Col. 2, 13). Thomas 1. 2. q. 101—103. Hoc testantur etiam prophetae, qui novam legem exspectant (Is. 2. Mich. 4, 2), aut novum foedus pangendum annuntiant (Jer. 31, 31), character particularisticus legis veteris, quum tamen benedicendae sint omnes generationes terrae, ideoque lex universalis promulgari debuit. Cessarunt autem praecepta ceremonialia et judicialia pedenten-

tim; *decebat enim*, ait s. Augustinus (ep. 82 ad Hier. n. 16. 20), *ut Synagoga cum honore sepeliretur*, et diverso modo: nam ceremonialia sunt evacuata, ut non solum evaserint mortua, sed etiam mortifera, judicialia autem, ut evaserint tantum mortua.

Leges ceremoniales.

§. 23. Locus sacer.

1) Dum Israelitae adhuc erant vagi, Moyses locum certum cultui sacro destinatum constituit, et quidem tabernaculum portatile seu tentorium sacrum[1]), juxta exemplar sibi in monte a Deo monstratum (Ex. 25, 40; Act. 7, 44, Heb. 8, 5). Constabat hoc tentorium ex atrio et tabernaculo proprie dicto. Atrium (Fig. 4), quod tabernaculum circumdabat, erat quadratum oblongum, 100 cubitos (= 48 met.) longum, 50 (= 24 met.) latum (duo ergo quadrata), et cingebatur 60 columnis ligneis (5 cubitos altis), quae basibus aeneis insistebant et spatio aequali (5 cubitorum) a se invicem distabant.

In istis columnis e paxillis vela seu cortinae byssinae suspendebantur. Ex plaga orientali fuit introitus, 20 cubitis patens, in qua mediae 5 columnae (Ex. 38, 19), portam constituebant, cui appendebatur velum pretiosum in quatuor partes divisum. In introitu congregabatur coetus Israel et pars atrii, introitui proxima, patebat singulis Israelitis orantibus et sacrificantibus.

1) Tentorium sacrum (Ex. 25—27 exponitur mandatum aedificandi, 36—38 executio hujus mandati) post expugnationem terrae Chanaan, figebatur in urbe Silo in tribu Ephraim. Annis 400 post arca foederis, quae in castra Israelitarum portabatur (anno 1091), a Philistaeis capta et abhinc a tentorio sacro separata fuit. Saule rege tentorium in Nobe (1 Sam. 21) et sub Salomone in Gabaon (1 Par. 16, 39; 21, 29) erat erectum, unde ejus reliquiae in conclavia templi translatae ibique asservatae fuerunt (3 Reg. 8, 4). Arca a Philistaeis post 7 menses restituta, mansit in domo sacerdotis Aminadab in Cariathjarim, unde Davide rege in domum Obededom, et post 3 menses in montem Sion ac tandem in templum Salomonicum translata fuit. Quum Chaldaei templum diruerent, Jeremias tabernaculum et arcam in spelunca aliqua montis Nebo abscondit (2 Mach. 2, 4).

2) Tabernaculum proprium, ambulatorium, ut ait s. Augustinus (C. D. 15, 20), erat quadrangulum ab occidente in orientem 30 cubitos longum, a septentrione in meridiem 10 cubitos latum, et totidem altum, et pro parietibus habuit tabulas ligneas, et quidem 48 asseres a tribus lateribus, qui vectibus invicem conjungebantur, nempe vicenos in plaga boreali et meridionali, 8 versus occidentem, latus autem orientale patebat; in hoc latere spatio 5 cubitorum ante asseres Sanctuarii porta erat, quae constabat ex 5 columnis lignorum Setim deauratis, cum capitibus aureis et basibus aeneis, et velo pretioso opere phrygio. Similis porta fuit spatio 5 cubitorum ante Sanctuarium versus aquilonem. Singuli asseres imponebantur duobus stylobatis, quibus subjiciebantur bases argenteae, et erant deaurati vel laminis aureis tecti. Conjungebantur autem foris vectibus ligneis quinis in qualibet parte, qui deaurati erant ut circuli, per quos inducebantur. Nullas superne positas tabulas refert textus sacer, sed tabernaculum superne obductum fuit 4 velis[1]) et quidem fastigii instar, cujus culmen »vectis medius« ab angulo usque ad

angulum 40 cubita longus constituebat. Per velum interius, quod, imaginibus Cherubim ornatum, pendebat de 4 columnis deauratis e ligno Setim,



Puncta maiora designant columnarum loca, puncta minora loca paxillorum aeneorum in terram infixorum (Ex. 38, 20), e quibus funes religati confirmabant columnas tam atrii quam umbraculi Sanctuarium circumdantis (*D*) nec non vela Sanctuarium tegentia.



Asser angularis, qui cum altero duobus tignis versatilibus in circulos desineutibus coniungebatur (Ex. 26, 23—25); his circulis immittebatur »vectis alius« (Ex. 36, 33) fastigium constituens 40 cubita longum. Talia tigna versatilia etiam super velum Sanctissimi et super asseres primos in parte orientali inserta erant.

tabernaculum dividebatur in Sanctuarium, 20 cubitos longum, et Sancta sanctorum vel Sanctissimum, 10 cubitos longum[2]).

1) Velum *a)* infimum et pretiosum (40 cubitos longum et 28 latum) erat e bysso retorta et opere plumario (sic dictum, quia imitabatur avium plumas) factum e decem cortinis, quae ansulis ita conjunctae erant, ut duas majores tantum constituerent, sibi mutuo occurrentes super tabernaculum. Hoc velum tectum rectangulum constituebat et umbraculum formabat, quod Sanctuarium qualibet parte circumdabat latitudine 5 cubitorum (Ex. 26, 1—6). *b)* Super hoc velo extensum erat secundum, ex 11 sagis vel stragulis cilicinis, quae iterum in duas majores partes jungebantur; hoc velum, 44 cubitos longum et 30 latum, primum pretiosum tegebat et custodiebat. *c)* Tertium erat de pellibus arietum rubricatis et *d)* quartum de pellibus janthinis coloris violacei, quae duo ultima tegebant priora vela et totum tabernaculum ab injuris tempestatis et aëris custodiebant (v. 7—13), unde non tantum in latere boreali et australi sed etiam in plaga orientali et occidentali ad terram usque pertingebant. Tertii et quarti veli necessaria



a) Asser angularis dimidium cubiti in latere boreali (et australi) supplet spatium columnarum inter Sanctissimum et Sanctuarium collocatarum.

erant ad fastigium constituendum bis 40×21 cubita quadrata $= 1680$, et ad parietem tam in orientali, quam occidentali latere constituendum bis $\frac{21 \times 21}{2}$ cubita quadrata i. e. 441.

2) Universo tabernaculo quoad mensuras subjacet quadratum vel cubus; nam Sanctissimum formabat cubum, Sanctuarium duplicem cubum, totum tentorium duo quadrata.



Columna atrii cum basi (Schick, Die Stiftshütte etc. pag. 9.



Paries Sanctissimi borealis. Cf. Schick, Die Stiftshütte, pag. 20.
$a\ b\ c$: Velum interius pretiosum; $a'\ b'\ c'$; velum secundum; α, β: duo vela exteriora.

quorum lineae diagonales se secant in Sanctissimo et altari holocaustorum. Quadratum symbolice divinitatem significat et est signatura perfecti (Apoc. 21, 16). Sanctum vero i e. quadratum oblongum est signatura imperfecti. Ita jam Proclus (1. Euclit. elem. lib.). Confer O. Wolff, Tempel v. Jerus. u. s. Maße. 1887, 13. — Schick, D. Stiftshütte. Berlin 1896.

3) In atrio aquilonem versus sub dio stabat altare aeneum holocausti (Fig. *a*), sacrificiis offerendis destinatum, 3 cubitos altum,

5 longum et latum, de ligno Setim (acaciarum), laminis aeneis obductum, intus cavum, terra vel rudi lapidum compagine implendum, superne apertum cum craticula superposita, per quam cineres et favilla deciderent; medium altaris in parte externa circumdabat arula, subter quam altare reticulâ vestitum erat. Sub arula in extremitatibus crateris fixi erant annuli pro 2 vectibus, ad portandum altare. Anguli altaris fuerunt fastigati ad figuram cornuum arietis. Ascensus ex parte meridionali fiebat leni declivitate e terra aggesta (Ex. 38, 1—7). Inter hoc altare et tabernaculum erat labrum vel vas aeneum[1]) (Fig. *b*), recipiendae aquae adaptatum, qua lavarent se sacerdotes, antequam ad sacra accederent.

1) Labrum fabricavit Moyses e speculis, quae mulieres ad ostium tabernaculi excubantes obtulerant (Ex, 38, 8); probabiliter hoc (col. Ex. 30, 18; 40, 11) ita comparatum erat, ut in partibus inferioribus epistomia quaedam haberet, quae aperta aquam emitterent. Portabatur juxta LXX Num. 4, 44 et Pentateuchum samaritanum super gestato. Ad altare pertinebant: receptacula ignis, hamulae ad cineres et prunas, pelves ad excipiendum victimarum sanguinem, fuscinulae ad componendos carbones (Ex. 27, 3; 38, 3).

4) In Sancto (Fig. *B*) erat *a)* ante velum secundum altare thymiamatis, ligneum sed auro obductum, unde et altare aureum (Fig. *c*) dictum, in quo quotidie mane et vespere thus[1]) a sacerdotibus Domino incendebatur; erat quadratum 2 cubitos altum, 1 cubitum longum et latum, summitas ejus corona aureola cingebatur et 4 anguli cornuum adinstar eminebant. Sub corona per singula latera annuli aurei erant affixi, per quos vectes immittebantur ad altare portandum. *b)* Ad latus australe hujus altaris collocatum fuit candelabrum (Fig. *d*) ex auro purissimo pondere unius talenti. Ex hastili[2]) ejus per modum stipitis egrediebantur sex rami (calami), quorum singuli uti hastile suas lucernas sustinebant et recurvi ad altitudinem stipitis assurgebant. Lucernae istae lumen suum diffundebant versus altare thymiamatis et mensam propositionis. *c)* Ad latus septentrionale erat mensa propositionis (Fig. *e*), de lignis Setim auro obductis. $1^1/_2$ cubitos alta, 1 cubitum lata, instructa 4 pedibus cum totidem annulis, per quos vectes lignei, auro obducti, inserebantur ad mensam portandam. Tabulam superiorem 2 cubitos longam et 1 cubitum latam terminabat limbus, artificiosis incisis et emblematibus ornatus[3]). Super hac ponebantur panes propositionis vel faciei, qui ibi per 6 dies in alterum sabbatum relinquebantur et, novis appositis, in cibum sacerdotum inserviebant.

1) Thus componebatur e gutta opobalsami, onyche junci odorati, galbano aromatico et thure lucidissimo (Ex. 30, 34).

2) Ornamenta hastilis et calamorum formam nucis amygdalinae, pomorum et liliorum prae se ferebant, hoc ordine, ut infere scyphus appareret, deinde sphaerula, tandem lilium. Accendebantur lucernae a sacerdotibus vespere et mane (Ex. 27, 21. Lev. 24, 3; 1 Sam. 3, 3). Narante Josepho (Ant. III. 8, 3) posteriori tempore tres tantum e 7 lampadibus tota die permanserunt accensae. Confer Tüb. Quartschr. 1857, 238 seq. Per diem sanctuarium recipiebat lumen solare submoto velo.

3) Ex. 25, 23—28; 37, 10—16. Panes vocantur faciei, quia ante faciem Dei continuo in mensa positi erant; recensentur inter sacramenta A. T. et sunt typi Eucharistiae. Numero erant duodecim in forma plana, ex simila, azymi, et seni altrinsecus, thure luci-

dissimo conspersi, disponebantur (Lev. 24, 6—9). Accedebant acetabula, phialae, thuribula et cyathi, in quibus offerebantur libamina, ex auro purissimo (Ex. 25, 29).

5) In Sanctissimo (Fig. *C*) posita erat arca foederis (Fig. *f*), e lignis acaciarum, intus et foris deaurata, in qua tabulae foederis asservabantur, unde et nomen suum traxit[1]). Arcae contiguum erat operculum (Capporeth. Vulg. *propitiatorium*) aureum, quod operiebat arcam[2]), cujus utrumque latus ornabant Cherubini, ex auro ductili, alis operculum tegentibus instructi et mutuo sese respicientes, vultibus reverentiae causa in propitiatorium versis[3]). In arca praeter tabulas foederis asservabantur vas aureum manna plenum, et virga Aaronis[4]) (Heb. 9, 4). Super arca inter alas Cherubinorum apparebat illustre praesentiae divinae symbolum, nubes (Schechina), unde Deus *super Cherubim sedere* dicitur. Sanctissimum soli pontifici, semel in anno, in festo expiationis pervium erat[5]).

1) Arca vocatur *testimonii, testamenti, foederis, arca Domini* (Ex. 25, 22; Dt 10, 8. 1 Sam. 4, 13. Jos. 6, 6), *in qua pones testimonium* (Ex. 25, 21 col. Dt. 9, 9, 11), et erat $2^1/_2$ cubitos longa $1^1/_2$ cub. lata et alta, in 4 angulis habens 4 circulos aureos, quibus inducebantur vectes ad portandam.

2) Operculum vocatur subinde oraculum, quod Deus inde oracula sive responsa pontificibus sciscitantibus ederet.

3) Tota massa Cherubinorum aurea fuit. De forma eorum lis est, nam Scriptura (Ex. 25, 18—22) eam non describit. Probabiliter exhibebant speciem humanam alis instructam. Ezechiel (1, 5 seq.) eos humana specie depingit, ita ut praeter manus humanas et 4 alas, quarum binae corpori tegendo, binae volando inservirent, eis 4 facies adscribat: humanam, leoninam, bovinam, aquilinam, praeterea pedes rectos, plantas pedum instar vituli formatas et universum corpus oculis consitum.

4) Tempore Salomonis praeter tabulas foederis nihil in arca fuit (Reg. 8, 9).

5) Ingressu scilicet ordinario; nam extraordinario saepius Sancta Sanctorum ingrediebatur, quando oraculum erat consulendum.

6) Tabernaculum cum supellectili ab artificibus sapientibus Beseleel et Ooliab infra sex menses confectum est (Ex. 38, 22), nam die prima mensis primi anni secundi post exitum erigebatur (Ex. 40). Aurum in toto opere expensum 29 talentorum et 730 siclorum, et argentum plusquam 300.000 siclorum fuit[1]). Tandem sanctuarium solemniter dedicatum est, nubes operuit tabernaculum et gloria Domini implevit illud.

1) Summatim = 4,285.000 Mk. Accedebant cuprum 70 talentorum et 2400 siclorum, aes 72.000 talentorum et 400 siclorum, nec non aliae pretiosae res et vestes; adhortante enim Moyse Israelitae sponte et mente devota obtulerunt armillas, inaures, annulos, dextralia, vasa aurea, hyacinthum, purpuram, coccum, byssum, pilos caprarum, pelles, argenti aerisque metalla, ligna acaciarum, lapides pretiosos, gemmas, aromata et oleum (Ex. 35). Praeter haec singuli (20 annos nati) sive divites, sive pauperes dimidium sicli (i. e. 10 obolós) in usus tabernaculi offere obligabantur (Ex. 30, 11 seq.); summa hujus tributi erant 100 talenta et 1775 sicli et pro constructione 100 basium et capitum columnarum harumque ornatu impendebatur (Ex. 38, 25). Ex hoc tributo derivatur tributum templi, nempe didrachma (dimidium sicli), a quovis Israelita quotannis in usus templi solvendum (2 Par. 54, 6. Matth. 17, 23).

Sed unde haec dives tabernaculi materia et suppellex? *a)* Uti supra notatum fuit, Israelitae auro, argento et vestibus pretiosis onusti ex Aegypto egressi sunt, quae ob viciniam fodinarum auri et argenti apud Arabes et Indos, unde merces advehebantur, dives erat. Confer Lenormant, Man. d'hist. anc. de l'Or. I. 177. Ausland 1872. n. 63. *b)* Accesserunt

spolia Aegyptiorum, quorum cadavera cum vestibus littori alluerunt undae maris rubri (Sap. 10, 19). *c)* Ipsum desertum suppeditavit lignum, tamarices (tarfah), acacias (schittah) et palmas; *d)* et reliqua facile a mercatoribus Madianitis obtinebant. Aderant mulieres doctae, quae neverant (Ex. 35, 25). Beseleel et Ooliab praeterea spiritu divino, sapientia et intellectu, et omni scientia implebantur ad excogitandum et faciendum opus quodcunque (Ex. 35, 30 sq.).

7) Tentorium sacrum et utensilia ejus, constructa secundum exemplar, quod Deus Moysi in monte monstraverat, symbolicam habebant significationem (Heb. 8, 4); adumbrabant enim res revelationis divinae. De explanatione symbolorum divergunt sententiae; optime tamen tentorium tripartitum consideratur tanquam foederis divini et theocratiae symbolum[1]), in quo idea Jahvae inter Israel habitantis, se revelantis, et preces populi exaudientis exprimitur, ergo centrum religionis, cultus et conventus[2]). Sed docente eodem Apostolo (Heb. 9, 1 seq.; 10, 1 seq.) totum testamentum antiquum et specialiter tentorium sacrum typice Ecclesiam a Christo fundatam, ergo regnum divinum in his terris initiatum et in coelis perficiendum, nec non imaginem hujus regni, nempe ecclesiam christianam lapidibus erectam, adumbrat.[3])

1) Tentorium sacrum symbolum erat theocratiae ejusque bonorum; non erat nisi mons Sinai in parvo, in quo Deus voluntaten et gloriam suam populo revelaverat (Ex. 24, 15). Erat ergo *a)* habitatio, domus, tabernaculum majestatis divinae, in medio populi sui habitantis, quemadmodum ipse promiserat, signum foederis Deum inter et Israel (Ex. 25, 8; 29, 42, 45; Lev. 26, 9, 11). *b)* Tabernaculum testimonii, sanctuarium gratiosae praesentiae Jahvae inter Israelitas (Num. 9, 15 sq.), unde omnis sanctitas egrediebatur; et *c)* tentorium conventus, seu centrum religionis et cultus, in quo Israelitae communionis cum Deo et omnium gratiarum participes fieri queunt (Ex. 28, 45). Cum Deus teste libro Sapientiae (11, 21) *omnia in mensura, et numero et pondere disposuit,* etiam mensuris, numeris et materiae tentorii sacri character symbolicus est impressus. Occurunt autem praeprimis numeri: 3, 4, 7 et 10.

Numeris trinus et signatura Dei; ideo tentorium sacrum, tripartitum erat, tres introitus habuit; Sanctissimum continebat arcam, propitiatorium et thronum Dei, arca foederis tres res, Sanctum candelabrum, mensam et altare. Numerus quaternarius est signatura mundi (quoad 4 partes) et harmoniae; unde Sanctissimum forman cubicam (col. Apoc. 21; 16), repraesentans regnum divinum, Sanctum dupliciter cubicam habuit, praefigurans regnum Dei inter homines fundatum; quadrangula sunt: atrium, altare, mensa, arca; 4 vela, 4 metalla, 4 colores in cortinis et vestibus sacris, 4 aromata in thymiamate et oleo unctionis. Confer Prosperum Aq. de vit. cont. 3, 18. Numerus septenarius (3 + 4) est signatura Dei (3) in mundo (4) se revelantis, vel revelationis et foederis divini atque sanctitatis occurrens in candelabro, tabulis, festis sacris, lustrationibus etc. Numerus denarius est signatura perfectionis, occurrens in variis mensuris tabernaculi, trabium etc. Confer Hieronymum (Jer. c. 32; Joq. 38) et Thomam (I. 2. q. 102. a. 4. resp. ad. obj,). Colores 4 liturgici sunt: *hyacinthus*, tanquam color coeli, est symbolum divinitatis et orginis divinae, *purpura*, signatura majesfatis regiae Jahvae, *carmesinus* vel *coccus*, tanquam color sanguinis et vitae Deum viventem et auctorem vitae, et *byssus* puritatem et sanctitatem indicat, Quoad metalla: aurum gloriam et majestatem domus Dei, argentum puritatem et veritatem, aes et cuprum vasorum in atrio characterem humanum regni divini nec non infirmitatem humanam repraesentant.

2) Atrium erat locus sacer omnibus communis, locus sacrificiorum et purgationis, sine quibus homo ob peccata et infirmitates suas ad Deum accedere nequit. Aderant ibi media reconciliationis hominis cum Deo: altare holocaustorum, quibus homo expia-

batur et Deo tributa gratiarum referebat; erat e terra et lapidibus non sectis constructum ad symbolum, homines non virtute humana, sed vi sacrificiorum sanctificari. Cornua altaris symbola erant omnipotentiae divinae, nec non virtutis et salutis, quae ex altari exoriuntur. Labrum, e cujus aqua sacerdotes, sanctuarium ingredientes, pedes et manus lavabant, indicat requiri a servis Dei puritatem externam et internam, sine qua nemo ad Deum sanctum accedat (Ex. 30, 19—21); lotio haec characterem sacramentalem induit.

In Sancto fungebantur tantum sacerdotes, per quos populus cum Deo uniebatur in commonitorium, ut populus perfecte se Deo tradat eumque colat. In altari thymiamatis suffitus incendebatur, emblema precum et gratiarum actionum, quae ad Deum missae benigne ab eo accipiuntur (Ps. 140, 2; Apoc. 5, 8; 8, 3); ideo hoc incensum populus foris prosequebatur oratione sua (Luc. 1, 10). Candelabrum, uti lux, est symbolum cognitionis divinae, cognitionis Dei Israeli semet manifestantis, ergo medium illuminationis divinae; oleum symbolum est spiritus divini et 7 lucernae septem dona Spiritus sancti designant, quae homini vitam supernaturalem conciliant. Candelabrum totum indigitabat vitam supernaturalem, Deo dicatam per fidem veram et efficacem, simulque typus luminis mundi, Verbi divini erat (Joh. 1, 3; 8, 12; 1 Joh. 1, 5. Is. 10, 17 etc.). Mensa, duodecim panibus pro numero 12 tribuum instructa, continebat sacrificium incruentum purum Antiqui testamenti (typum Eucharistiae), quo Israel gratias Deo rependit pro omnibus cibis et donis terrestribus, quae Jahve ei largitus est, et se atque omnia opera bona fructusque sanctitatis, quae etiam symbolice per panes adumbrantur, ei dedicavit. Tali modo populus foedere junctus coram Deo apparebat tanquam populus precibus, cognitione et illuminatione, atque bonis operibus instructus.

Sanctissimum, propria sedes et habitatio Dei, erat locus obscurus et nebulosus, in symbolum majestatis divinae, quae lucem inaccessibilem inhabitat et quam nullus homo videre potest (1 Tim. 6, 15, 16) ideoque nonnisi pontifici semel in anno pervius, et quidem cum sanguine propitiatorio. In hoc loco sanctissimo erant res sacratissimae: Arca, propter quam condi voluit Deus tabernaculum, ad tabulas vel instrumentum foederis recipiendum, ideo ex auro fabricata, simulque erat scabellum Dei sedentis super propitiatorium, unde et *gloria Israel* dicta (1 Sam. 4, 21), utpote qui gaudebat jure accedendi ad eum. Propitiatorium subter alas Cherubin, quasi ab ipsis portaretur, erat sedes vel thronus Dei (Jer. 17, 12; Ez. 43, 7), unde et propitiatorium dicitur, quasi exinde populo propitiaretur ad preces pontificis. Uti per tabulas sapientia divina, ita per virgam Aaronis potestas regiminis ecclesiastici in familia Aaronitica, et per vas cum manna sustentamentum vitae in regno divino repraesentabantur, vel secundum Thomam per haec tria significabantur tria attributa Dei, scilicet sapientia in tabulis, potentia in virga et bonitas in manna. Propitiatorium quasi portabatur a Cherubinis, Dei ministris obedientibus et concordibus, qui, utpote custodes paradisi, thesaurum divinum custodiunt et Jahven a se gestatum reverenter adorant. Ponebantur ergo in ministerium, non ad cultum, quod Israelitae solum unum Deum colerent. — Introducta fuit adoratio ad Occidentem (nam porta erat ad Orientem) ad excludendam idololatriam, quia gentiles in reverentiam solis ad Orientem adorabant.

3) Sunt variae hypotheses de significatione tabernaculi. *A)* Significationem cosmologicam Philo (de vit. Moys. l. 3), Josephus (Ant. III. 7, 7), Origenes (hom. 9 Ex. n. 4), Clemens Alex. (strom. l. 5), Chrysostomus (serm. in nat. Dom.) tentorio subjiciunt; nam hoc consideratur tanquam symbolum universi (τοῦ κόσμου) — realiter et physice existentis, ita ut Sanctissimum coelum visibile, Sanctum et atrium terram et mare notent, quibuscum consentit Hieronymus (ep. ad. Fab.): *Totus mundus in tabernaculo describitur sacramento.* Juxta s. Thomam (l. 2. q. 102, a. 4. ad 4) in unitate tabernaculi repraesentatur unitas Dei vel unitas Ecclesiae, in Sanctissimo coelum altius spiritualium substantiaram, et in Sancto mundus corporalis, et in velo 4 coloribus distincto 4 elementa designatur, per quae incorporales substantiae nobis velantur. Huic hypothesi obstant, quod *a)* tali symbolizatione templum assimilaretur fanis gentium, et *b)* defectus positivi alicujus fundamenti biblici. Secundum Bähr, qui hanc hypothesin aliquantulum modificavit, tabernaculum est

symbolum universi, quatenus Deus per universi creationem semet revelavit et illud tanquam locum elegit, ubi cum hominibus conversetur.

B) Significationem anthropologicam, pro qua per atrium, Sanctum et Sanctissimum partes hominis: corpus, anima et spiritus repraesententur, post Philonem (2 lib. leg. Alleg.) et Rabbinos defendunt Lutherus (expl. Cant. Manigf.) et Friedrich l. c. Haec opinio vere artificiosa (anatomica) nullo loco s. Scripturae commendatur.

C) Significatio christiano-typica trifaria est: *a)* tabernaculum est typus seu figura Christi, Dei-hominis, Salvatoris generis humani, nam ipse se templum vocat (Joh. 2, 19 seq., col. 2, 11: *et habitavit in nobis*), vel carnis Christi, in qua plenitudo divinitatis corporaliter inhabitavit (Col. 2, 9, col. 1, 19), Christus est tabernaculum, quo intrare et habitare possunt fideles (Heb. 12, 18 seq., Matth. 11, 28) Typicam hanc relationem tabernaculi ad Christum dilucidat s. Thomas (l. c. ad 6): Christus est *propitiatorium* (1 Joh. 2, 2), *arca,* nam corpus ejus de membris purissimis constabat, *deaurata,* utpote plenus sapientia et charitate; *urna aurea* est anima sancta ejus, habens (manna) omnem plenitudinem sanctitatis et divinitatis; *virga,* quia sacerdos in aeternum, *candelabrum* tanquam lux mundi, *tabulae,* qua legislator, *mensa,* ut cibus spiritualis (Joh. 6, 51), *12 panes* sunt Apostoli, ipse *duplex altare,* in quo nos offerimus afflictam carnem et pia desideria. Similiter sentiunt Gregorius Nyss. (de vit Moys.); Cyrillus Alex. (in Joh. 4, 28). Gregorius Magnus (hom. ult. Ezech.), Origenes (Lev. hom. 13) et alii. *b)* Tabernaculum consideratur etiam ut typus Ecclesiae a Christo fundatae (col. 1 Tim. 3, 15. 2 Cor. 6, 16), diverso tamen modo: S. Thomas (l. c. ad 4) et Augustinus (q. 112 in Ex.) putant, in Sanctissimo Novum Testamentum, in Sancto Vetus Testamentum significari. Apte tabernaculum tripartitum Ecclesiam, seu communitatem, qua Deus homines ad salutem ducere decrevit, repraesentat, et quidem atrium Antiquum Testamentum (synagogam, paedagogum in Christum), Sanctum Ecclesiam militantem, et Sanctissimum Ecclesiam triumphantem (Apoc. 13, 6; 15, 5). *c)* Tandem tabernaculum est prototypus templi christiani, quod e tribus pertibus: navi, presbyterio et altari cum tacernaculo (Schäfer, Holzammer), seu melius e nartice (πρόναος), navi et presbyterio (Haneberg) constat, quae in sua significatione tribus tentorii sacri partibus respondent.

D) Significatio moralis. Tandem tabernaculum, tanquam locus centralis totius vitae religiosae Hebraeorum, ethice tres gradus vitae spiritualis adumbrat, sc. atrium cum altari et vase aeneo viam purgativam, Sanctum cum candelabro illuminativam et Sanctissimum cum arca viam unitivam, quae semper ad perfectiora tendunt. Triplici huic gradui etiam utensilia singula correspondent. Ita Bonaventura (brevil. p. 5. c. 6), Thomas (2. 2. q. 24. a. 9.), Haneberg, Sehöpfer.

Confer praeter Archaelogias: Ugolinum Thes. VIII. IX. — Bähr, Symbolik des mosaisch. Kultus. — Friedrich, Symb. d. mos. Stiftshütte, 1841. — Neumann, Stiftshütte in Bild und Wort, 1861. — Riggenbach, Mos. Stiftshütte, 1867. — Welte in Tüb. Quartalschr. 1855, 606. — Meinhold, Lade Jahves, 1900. — W. Lotz. Die Bundeslade, 1901. — Dibelius, Lade Jahves, 1906. — Sevensma, De Ark Gods, Amsterd. 1908.

§. 24. Personae sacrae.

1) Quamvis ante Moysen[1]) sacerdotes quidem essent (Ex. 19, 22), tamen Deus foedere pacto ad cultum rite exercendum pro primogenitis instituit ministros sacros, et quidem tribum Levi[2]), ita ut Aaron ejusque posteri primogeniti ad pontificale, reliqui, qui e stirpe Aaronitica ortum ducebant, ad sacerdotale, et omnes ex eadem tribu Levi ad munus Levitarum assumerentur. Dignitas sacerdotalis igitur erat hereditaria[3]). Omnes ad munus rite obeundum idonei[4]) legitimo ritu consecrabantur, diverso

tamen modo. Levitae aqua lustrationis aspergebantur, dein omnes pilos carnis (i. e. pravas cogitationes) radebant, vestimenta sua lavabant, sacrificia (duos boves in holocaustum et pro peccato) offerebant, et, postquam seniores manus suas super eos posuerunt, ab Aarone in ministerium sacrum recipiebantur, quo facto sacerdotes eos ad altare et portam tentorii duxerunt et reduxerunt in signum, ipsos esse servitio Dei mancipatos (ritus purgationis) Num. 8, 5—22. Vestiti erant, saltem tempore Davidis[5]), cantores et musici, vestimentis byssinis (2 Par. 5, 12). Munus Levitis injunctum erat: sacerdotibus assistere, tabernaculum custodire, arcam Dei et vasa sacra (velamentis obvoluta) portare[6]), ea purgare et detrita resarcire, res necessarias ad oblationes praeparare (excoriando victimas et mactando agnos paschales), thesauros sanctuarii curare, primitias aliasque res a populo oblatas conservare, laudes et hymnos Domino canere ore et instrumentis. Ab anno 25. vitae in ordinem (Num. 8, 24), ab anno 30. vitae (tempore Davidis ab anno 20. col. 1 Par. 23, 24) ad ministerium admissi sunt et expleto 50. ab hoc discesserunt. In adjutorium eis dati sunt servi tabernaculi[7]). qui lignatum et aquatum mittebantur.

1) Utrum munus sacerdotale ante Moysen capitibus Patriarcharum, an primogentis demandatum fuerit, non certo constat. Hieronymus (q. in Gen. 37, 17) refert traditionem Hebraeorum, *primogenitos functos officio sacerdotum et habuisse vestimentum sacerdotale, ante quam Aaron in sacerdotium eligeretur.* Ita Onkelos et Thomas 1. 2. q. 103. ar. 1. Probabiliter caput familiae simul erat sacerdos, in cujus emortui locum primogenitus successit.

2) Pro primogenitis masculis, qui Deo sanctificati (Ex. 13, 2; 34, 19. Lev. 27, 26. Num. 8, 16) ideoque singuli pretio 5 siclorum redimendi erant (Num. 3, 47), substituit Deus tribum Levi. Causae collationis dignitatis sacerdotalis in tribum Levi sunt: zelus ejus religiosus et amor indivisus erga Deum in occidendis idololatris (Ex. 32, 28. Lev. 10, 5), praeprimis vero gratia et electio divina (Num. 18, 6, 7). Insuper *etiam ipsum secundum Aaron sacerdotium tenuem umbra futuri aeterni sacerdotii constitutum est* (Augustinus Civ. D. 17, 6).

3) Hierarchia cum suis tribus gradibus sanctuario tripartito correspondebat. Pontifex tantum unus erat suo tempore hocque munere per totam vitam fungebatur, habebat tamen vicarium, qui ipso impedito munus administrabat. Aaron quatuor habuit filios; cum tamen Nadab et Abiu a Deo exstincti essent, manserunt Eleazar et Ithamar sacerdotes, qui deinceps in ingentem numerum excreverunt, ita ut David eos in 24 classes seu ephemerias divideret, quae alternis per hebdomadem vicibus munere fungebantur (2 Par. 8, 14; 31, 2 etc.) et suos principes habebant. Mansit pontificatus apud Eleazari familiam usque ad Heli pontificem, qui e stirpe Ithamari erat (1 Par. 24, 6). Creduntur illo tempore duo pontifices simul munere hoc (Gabaon et Hierosolymis) perfuncti esse; Salomone rege (3 Reg. 2, 27) dignitas pontificalis ad posteros Eleazari rediit; inde ab anno 153 a. Ch. Syris regnantibus venalis erat, donec Hasmonaei (e familia Eleazari) eam adipiscerentur; tandem Herodes eam pro lubitu contulit et pontifices creavit ac deposuit. Confer Josephum (Ant. XX, 10). — Selden (De success. in pont. I. 1).

4) Sacerdotes et Levitae munere fungi poterant, si ab omnibus defectibus (irregularitatibus) erant immunes; sunt autem defectus corporis i. e. quaecunque maculae corporales (Lev. 21, 17 seq.), quarum Rabbini 142 recensent, defectus aetatis (non infra 20 et non ultra 50 annos Num. 4, 3; 2 Par. 31, 17) et defectus mentis, a quibus immunes esse debuerunt. Praeterea requirebatur, ut sacerdotes et pontifex puriores essent in nuptiis; hinc

sacerdotes mulierem impudicam, vel a marito repudiatam (Lev. 21, 7), aut alienigenam ducere non poterant, et nisi hanc dimitterent, a sacerdotio arcebantur (Esr. 10, 18. Neh. 23, 28), quare a lege Leviratus exemti erant (Lev. 25, 3); item pontifex virginem tantum sibi uxorem adjungere potuit (Lev. 21, 10, 13). Coelibatus tanquam defectus consideratus fuisse videtur, ut putat Haneberg (Rel. Alt. 533). Sacerdotibus, dum munere sacro fungebantur, abstinendum erat ab uxoribus (col. Ex. 19, 15), a vino (Lev. 10, 9), a luctu et contaminatione mortuorum (Lev. 10, 6 col. Matth. 8, 22). Idololatriae rei a sacerdotio excludebantur (4 Reg. 23, 9. Ez. 44, 13). W. Schrank, Babyl. Sühnriten. Lpz. 1908.

5) David Levitas, quorum 38.000 inventi sunt, in quatuor classes divisit: *a)* in ministerium domus Dei 24.000, *b)* praepositos et judices 6000, *c)* janitores 4000 et *d)* cantores 4000, easque (excepta classe secunda) in 24 ordines hebdomadarios (similes sacerdotibus) subdivisit. Cantorum principes erant Asaph, Ethan et Heman, viri non tantum artis musicae periti, sed et spiritu divino pleni ac nonnullorum Psalmorum auctores.

6) Juxta tres filios Levi divisi sunt Levitae in tres familias; singulis diversa onera portanda assignata erant: Caathitis vasa Sanctuarii, Meraritis majores tabernaculi partes (tabulae, columnae, vectes), Gersonitis cortinae, velum. funes etc.

7) Primi vocati sunt ad hoc munus a Josue Gabaonitae, quibus dein Berothitae et Caphiritae additi sunt (Jos. 9, 21—27). Multis Gabaonitarum a Saule occisis, David alios e devotis gentibus in locum eorum suffecit, qui Nathinaei (donati) vocabantur (1 Par. 9, 2), et partim Hierosolymis (Neh. 3, 26), partim in urbibus leviticis habitabant (Es. 2, 70). Baudissin, Die Geschichte d. alttest. Priestertums, 1889. — Hölscher, Die Idee d. Priestertums in Israel, Juda etc. Lpz. 1906.

2) Solemnior erat censecratio vel sanctificatio sacerdotum per Moysen (Ex. 29. Lev. 8). Praemissa lotione, vestibus sacris induebantur et oleo sacro[1]) in fronte ungebantur, dum in pontifice consecrando oleum super caput effundebatur (Ps. 132. 2). Offerebant dein triplex sacrificium[2]) pro peccato. holocaustum et pacificum, quod convivium eucharisticum excipiebat Per septiduum sacrificia ista repetebantur et die octava, oblatis sacrificiis, benedicebant populo atque munus suum adibant. Num hic ritus in omnibus subsequentibus sacerdotibus observatus fuerit, non constat[3]). — Vestimenta, quibus sacerdotes munere fungentes utebantur, erant: *a) feminalia* linea, quae tegebant corpus a renibus usque ad femora ad obtegendam carnem turpitudinis, ne iniquitatis rei moriantur; *b) tunica* byssina manicata, opere textili ad pedes usque descendens; *c) balteus* ope plumarii, qui bis corpus ambiebat super lumbos et sub pectore nectebatur, ita ut extremitates ad talos usque descenderent (signum dignitatis et potestatis), et *d) tiara* byssina, rotunda, i. e. vitta, quae diadematis instar capiti superiori circumvolvebatur. Praeter hoc vestimentum ordinarium pontifici adhuc vestimentum speciale proprium erat: *a) tunica superhumeralis* (Meil). tota hyacinthina, textilis, ad genua usque descendens, capitio, manicis et deorsum malis punicis, mixtis in medio tintinnabulis (12 vel 72) aureis, instructa. *b) Superhumerale* (Ephod) opere polymito. de auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto et bysso retorta, ab humeris ultra dimidiam corporis partem dependens, sine manicis, compositum ex duabus plagulis, in utroque humero per obstrigilla aurea nexis, quae duobus onychinis lapidibus ornabantur; in his nomina 12 tribuum insculpta erant; ne diffluceret, artificioso cingulo sub axillis corpori adstringebatur. *c) Pectorale* vel *rationale judicii* (Choschen), opere polymito juxta texturam super-

humeralis, quadratum, constabat duplici plaga (1/2 cubiti longum et latum), cavum et ornatum erat quatuor ordinibus gemmarum 12, in quibus nomina singularum tribuum erant insculpta. In suis 4 extremitatibus erant 4 circelli aurei; superioribus insertae erant catenulae, quibus cum obstrigillis in humerali aptabatur; inferioribus insertus funiculus hyacinthinus pectorale cum superhumerali jungebat. Pectorale adjuncta (imposita?) erat *sors sacra*, Urim et Thummim (doctrina et veritas), qua oracula fundebantur[1]). *d) Tiara*[5]) cum lamina aurea, quae vittâ hyacinthina illi adnectebatur et inscriptione קֹדֶשׁ לַיהוָה *(Sanctum Jahvae)* ornata erat (Ex. 28; 39), in signum, pontificem peccata populi Deo offerre ad ignoscendum. Etiam in his vestibus causa figuralis[6]) observatur.

1) Oleum sanctum, ex optimis aromatibus, myrrha, cinnamomo, calamo aromatico, cassia, et oleo olivae confectum (Ex. 30, 25), donorum spiritualium exstitit symbolum. Hoc oleo sacro praeter sacerdotes et vasa sacra etiam reges inungebantur.

2) Obtulerunt *a)* vitulum pro peccato, super cujus caput ordinandi manus ponebant; sanguis spargebatur super cornua altaris holocaustorum et reliquus juxta basin effundebatur; adeps, reticulum jecoris et renes super altare adolebantur; *b)* arietem in holocaustum, ad innuendum, se totos divino ministerio esse mancipandos; *c)* alterum arietem tanquam sacrificium eucharisticum. Sanguine hujus extremum auriculae dexterae, pollices manus et pedis dexteri liniebantur, ad significandum, operationem et omnes actiones sacerdotum Deo esse dedicatas, vel *ut*, ait s. Thomas (1. 2. q. 102. a. 5. ad 8), *essent obedientes legi Dei in oblatione sacrificiorum et quod essent solliciti et prompti in executione eorum*, scilicet ut revelationem (aure) reciperent, populo (manu) communicarent et se ipsos sanctificarent atque in praeceptis divinis (pede) ambularent. Reliquus sanguis circa altare fundebatur. Deinde ipsi et vestimenta sacra sanguine et oleo sacro aspergebantur, in memoriam sanguinis agni, per quem fuerant liberati ex Aegypto, adeps, cauda, reticulum jecoris, armus dexter, torta panis, crustula conspersa oleo et laganum azymum in manus super manus eorum ponebantur, in signum, quod accipiebant potestatem, hujusmodi offerendi Domino, elevabantur et super altari incendebantur, excepto pectusculo, quod cessit in partem Moysis. Reliqua caro cum panibus a sacerdotibus in loco sancto comedebatur. Consecratio, qua sacerdotes Deo specialiter consecrabantur et ad servitium divinum peragendum apti et digni fiebant, inter Sacramenta A. T. recensetur et typus est Sacramenti consecrationis (ordinationis) N. T.

3) Quivis pontifex oleo sacro ungebatur et vestibus pontificalibus induebatur, uti ex Lev. 8; Num. 20, 28 et 1 Par. 29, 22 (Sadoc) concludere licet. Probabiliter posteri sacerdotum non amplius consecrabantur, sed tantummodo vestibus sacris induebantur (Num. 20, 26) et sacrificia incruenta consueta obtulerunt (Lev. 6, 14 seq.); congruit traditio hebraica: *Vulgares sacerdotes, ut sanctificarentur, solum in deserto uncti sunt; vi enim primae illius unctionis, qua semel delibuti fuerant patres, sanctitatem adepti sunt.* Smits (prol. de ung. ex. pg. 233); sed secundum Ex. 29, 29 consecratio sacerdotum saltem prioribus temporibus repetita esse videtur. Sacerdotes discalceati suis ministeriis fungi debebant (Ex. 28 col. 3, 5; Ez. 24, 17). Confer Scheidium, Oleum unctionis, 1664. — Ugolinum Thes. XII. 839 de unctione.

4) Quid proprie Urim et Thummim fuerint, nescitur. Quia pontifex his instructus esse debuit, quando ingrediebatur coram Domino (Ex. 28, 30; Lev. 8, 8), per applicationem hujus sortis interna revelatione edocebatur, quid Deus interroganti responsum vellet.

Juxta Philonem, Josephum (Ant. III. 8, 9) aliosque sors sacra materialiter non erat distincta a 12 gemmis, quarum variante splendore Deus pontifici voluntatem suam manifestaverit; ast sors in rationali ponenda dicitur (Ex. 28, 30) et Eccli. 45, 10, 11 expresse distinguintur a gemmis illis. Deus ei se revelare poterat interna revelatione, vel collocutione, quo supposito sors sacra tantum documento erat, pontificem, illa instructum, legitimum esse

internuntium inter Deum et populum. Hanc sententiam commendant omnia responsa divina, data pontificibus consultantibus (Jud, 1, 1; 20, 18, 23, 28. Sam. 10, 22; 23, 11, 12. 2 Sam. 5, 23. col. Num. 27, 21; 1 Sam. 14, 37; 22, 10; 28, 6; 30, 7, 8. 2 Sam. 2, 1; 21, 1). Non licuit autem sacrum hoc oraculum consulere de negotio privato vel levi aliqua de causa, sed de rebus publicis spectantibus ad totius reipublicae et populi salutem. In templo secundo defecit (col. 1 Mach. 4, 44). Simile quoddam ornamentum habebant etiam Aegyptii, apud quos judex supremus sapphirinam veritatis imaginem e collo suspensam gestabat (Gesenius Lex. col. Diodor. l. 48, 75). Huic sorti sacrae correspondent in N. T. charismata Spiritus sancti, per quem Ecclesia infallibilis semper dirigitur. Confer: Bellermann, Urim 1824. — Ugolinum, Thes. XII. 375.

5) Aetate Hasmonaeorum tiara pontificis triplici corona aurea cincta erat, quia sacerdotes hasmonaei simul gaudebant dignitate regali. Josephus, Ant. III, 7. 6. De vestitu sacerdotali confer Braun, et de vestitu pontificali Ugolinum, Thes. 12, 788. Zapletal, Alttest. 55—77. — Sellin, Das israel. Ephod, 1906.

6) Philo et Josephus etiam vestimento sacerdotali significationem cosmologicam subjiciunt, quae retractata fuit a nonnullis Patribus. — Hanoberg (Gesch. 130) in vestibus pontificalibus putat tres vias praefiguratas, per quas sacerdos ducere debet fideles: viam purgativam (in tunica byssina), contemplativam (in tunica hyacinthina) et unitivam (in pectorali et tiara). Secundum s. Thomam (1. 2. q. 102. a. 5 ad 10) indigitantur quatuor virtutes, omnibus ministris necessariae: castitas per femoralia, puritas vitae per lineam tunicam, moderatio discretionis per cingulum, et rectitudo intentionis per tiaram; in pontifice vero lamina aurea significat jugem Dei memoriam in contemplatione, superhumerale, quod supportet infirmitates populi, rationale, quod habeat populum (12 gemmas) in corde et in visceribus, tunica hyacinthina conversationem coelestem per opera perfectionis, tintinnabula doctrinam divinorum, mala punica unitatem fidei et concordiam in bonis moribus. — Per colorem album (byssum, linum), in vestitu sacerdotali praedominantem, puritas et morum integritas sacerdotum significantur. Duplex pontificis vestimentum, quatuor micans coloribus liturgicis, eum tanquam summum sacerdotem et internuntium populi theocratici coram Deo repraesentat.

3) Munus sacerdotum erat triplex: *a)* in Sancto panes propositionis singulis sabbatis conficere, apponere et veteres comedere, quotidie lucernas et thymiama accendere et pontifici ministrare; *b)* in atrio ignem sacrum servare, sacrificium juge cum Mincha offerre, sacrificia immolare, sanguinem spargere, partes certas sacrificiorum movere et elevare, carnem altari imponere et incendere, atque mane post sacrificium juge populo benedicere[1]). *c)* Extra sanctuarium tubas inflare, de mundo et immundo cognoscere, aestimare personas et res, quas quis voverat, vota commutare, vasa custodire, cum Levitis excubias agere, pro populo precari, eum docere et de jure sacro respondere. Pontificis erat, Deum consulere per sortem, in die expiationis ritum peragere, super sacerdotes et Levitas vigilantiam et auctoritatem exercere et sacras res decidere.

1) Benedictionis formula: *Benedicat tibi Dominis et custodiat te — ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui — convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem* (Num. 6, 24—26), quam sacerdos coram altari vel ante portam sanctuarii constitutus loquebatur, non caret mysterio, scilicet innuit mysterium ss. Trinitatis nec non futurae redemptionis, quod populo quotidie meditandum exhibetur; tribuitur Deo benedictio, faciei ejus i. e. Filio miseratio et vultui (Spiritui) pax et gratia.

4) Ministrorum Dei varia erant jura et privilegia, nam *qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt et qui altari deserviunt, cum altari*

participant (1 Cor. 9, 13). Habebant Levitae (tanquam 13. pars populi) decimas partes terrae de frugibus, pomis arborum et pecore (Lev. 27, 30 seq. Num. 18, 21 sep. Dt. 14, 22 seq.), e quibus decimas rursus sacerdotibus distribuebant; porro decimas et primitias manuum, vota, donaria, primogenita boum et ovium, quae Israelitae cum Levitis coram Domino epulabantur (Dt. 12, 6, 17 seq.), et tertio anno decimas ex omnibus, quae nascuntur (Dt. 14, 28; 26, 12). Accesserunt pretium redemptionis primogenitorum masculorum (Ex. 13, 12), partes sacrificiorum (Num. 18, 8), panes propositionis, dona voluntaria, ita ut florente religione reditus eorum simul florerent, non sine Dei providentia. Tandem exemti erant vectigali, tributo et annonis (Esr. 7, 24. Josephus, Ant. III. 12, 4), ita ut abunde provisi essent. Extra servitium eis etiam negotia (levitice impuris exceptis) suscipere licitum erat. Dum Deus ipse esset pars et hereditas Levitarum, non tantum eis est largitus decimas et partes sacrificiorum (Num. 18, 20. Dt. 10, 9; 12. 12), sed et assignavit in habitationem 48 urbes una cum hortis et agris, quae a muris civitatis per circuitum 1000 passuum spatio tenduntur (Num. 35, 2. Jos. 21), quarum 13 urbes cum suburbanis (in tribubus Juda, Benjamin et Simeon, tanquam regionibus sanctuario maxime vicinis), sacerdotibus erant destinatae (Jos. 21, 13—16). Inter urbes Leviticas erant sex urbes refugii vel asyli[1]), in septentrionali, media et australi terrae parte, tum cisjordanensis: Cedes Nephthali, Sichem et Hebron, tum transjordanensis: Gaulon, Ramoth et Bosor (Jos. 20, 7—8. Dt. 4, 41—43), quo stratâ diligenter viâ (Dt. 19, 3) ille in praesidium fugere poterat, qui involuntarie, errore aut casu aliquem occiderat.

1) Privilegio refugii etiam gaudebat altare holocaustorum tabernaculi (Ex. 21, 14) et templi (3 Reg. 1, 50). Profugus, qui urbes has et agros, 1000 passus distantes a muris, assecutus est, a Levitis judicabatur. Si homicidii voluntarii erat reus, cognato occisi tradebatur; qui autem nolebat sanguinem fundere, mansit in urbe refugii securus atque mortuo pontifice, cujus, qua uncti Domini, mors delicta illa quasi expiare censebatur (typus mortis Christi), liber rediit in possessionem suam. Tali modo justitiae aeque ac misericordiae satisfiebat. Haec ergo lex juri talionis (ultioni sanguinis) ubique tunc temporis vigenti invigilabat, ne exorbitaret neve justitia violaretur (Num. 35, 9 seq.; Dt. 19, 1 seq.).

5) Tabernaculo sacro praeter Levitas servierunt etiam quaedam mulieres, quae in ostio tabernaculi excubabant (Ex. 38, 8; 1 Sam. 2, 22), suas cellulas probabiliter prope tabernaculum habebant et voto se Deo consecrabant vel a parentibus consecrabantur. Jam tempore Moysis mulieres Deum colentes, spreta mundi vanitate, specula sua pro labro aeneo conficiendo obtulerant, et orationibus, piis meditationibus ac jejunio (Luc. 2, 37) Deo serviebant et muneribus muliebribus (Ex. 35, 25) fungebantur.

Huic militiae sacrae mulierum etiam filia Jephte associata fuisse creditur. Erant autem virgines, aut viduae. Ideo merito b. V. Maria in templo praesentata fuisse creditur, In A. T. virginitatem in honore fuisse, testantur leges, quod pontifex virginem ducat (Lev. 21, 10 sq. c. Ez. 44, 22), poenae in violatorem et calumniatores virginis decretae (Dt. 22, 28; 22, 13—19), quod sacerdotes ministerio fungentes abstinerent ab uxoribus (Ex. 19, 15; 29, 30, Lev. 8, 33 sq.). Confer Zschokke, Weib im A. T. 1883, pg. 15.

§. 25. Festa sacra.

1) Festa sacra, quibus Jahve in A. T. coli voluit, certis temporibus anni[1]) alligata erant, et quidem e rationibus aut naturalibus seu agrariis, aut historicis, aut religiosis, ut iisdem magnalia redemtionis et ductio Israel semper vivide conservarentur et populus admoneretur, suam vocationem terrestrem (agrariam) et omnem benedictionem dependere a Jahve, Deo foederali. Dividuntur (a variis varie) in illa, *A)* quae numero septenario insistunt: sabbatum, neomeniae, annus sabbaticus et jubilaeus, et in *B)* festa annuaria: Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum[2]) et dies expiationis.

1) Annus Hebraeorum erat lunaris (חֹדֶשׁ = *luna* et *mensis;* confer: *fecit lunam in tempora* Ps. 103, 19; Eccli. 43, 6—8), ita ut nova luna initium et plena luna medium mensis indicaret. Quivis mensis 29—30 dies numerabat, ita ut post aliquot (tres) annos mensis 13. (intercalaris) adderetur, ut annus lunaris anno solari conveniret. Serius praeter hunc annum ecclesiasticum etiam civilem distinguebant. Menses ante exilium simpliciter numerabantur, quamvis nonnulla nomina: Abib pro primo (Ex. 13, 4), Zio pro secundo (3 Reg. 6, 1), Ethanim pro septimo (3 Reg. 8, 2) et Bul pro octavo mense (3 Reg. 6, 38) occurrant. Post exilium babylonicum menses nominibus assyrio-babylonicis sunt insigniti: I/7 Nisan (Martius, Aprilis), II/8 Ijar, III/9 Sivan, IV/10 Thammuz, V/11 Ab, VI/12 Elul, VII/1 Tischri, VIII/2 Marcheschwan, IX/3 Kislev, X/4 Tebeth, XI/5 Schebath, XII/6 Adar et intercalaris Veadar; quamvis et tunc adhuc numerentur (Ag. 1, 1; 2, 1. Zach. 1, 1; 8, 19. Dam. 10, 4. Es. 3, 1). Diem naturalem (ab ortu solis usque ad occasum) in 4 partes, et noctem in 4 vigilias dividebant. G. Sciaparelli-Lüdke, Astronomie im A. T. 1904, 91 sq.

2) Haec tria festa vocantur festa conventuum vel peregrinationis, quia in eis adulti Hebraei cum muneribus ad tabernaculum (templum) convenire tenebantur (Ex. 23, 17; 34, 23; Dt. 16, 16), quo conventu unitas religiosa et nationalis tribuum dispersarum conservabatur et confirmabatur. In itinere Psalmi vel cantica graduum (119—133) decantabantur (Is. 30, 29). His festis praeprimis subjacent rationes historicae et symbolico-typicae.

2) *A)* Quotidie mane et vespere agnus anniculus in holocaustum cum Mincha et libamine offerebatur (Ex: 29, 38. Num. 28, 3 seq.), quocum pugillus similae oleo conspersae et thus, lucernae semper ardentes (Ex. 27. 20) et Mincha pontificis pro sacerdotibus et populo (Lev. 6, 14) erant conjuncta, ita ut ignis nunquam deficeret in altari (Lev. 6, 13), sacrificium juge[1]), quod mane (et probabiliter etiam vespere) benedictio sacerdotalis excipiebat. In celebratione sabbati duo erant praecepta: (negativum) omnes, etiam servi et animalia operibus servilibus abstinere debuerunt (Ex. 20, 8—11), et (positivum) praeter sacrificium juge duo agni anniculi cum Mincha et libamine offerebantur et novi panes propositionis imponebantur. Dies oratione et instructione familiae, hilaritate, conviviis, canticis et quiete jucunda celebrabatur[2]).

1) Holocausto duplici peccata quotidiana populi, die ac nocte commissa, expiabantur simulque in signum, hominis esse, semper Deo venerationem et adorationem exhibere. Sacrificium juge exstitit typus agni immaculati, qui vespere pro nobis immolatus est in cruce, mane offertur in altari et qua Eucharistia semper in altari sese offert.

2) Origo sabbati (שַׁבָּת i. e. *quies*) ab initio mundi est repetenda (Gen. 2, 3); legislatio sinaïtica ejus institutionem jam supponit; *Memento, ut diem sabbati sanctifices* (Ex. 20, 8; 16, 5, 23). Solemnis sabbati quies confessio erat symbolica, Deum creasse omnia (Ex. 20, 11), Israelitas ex Aegypto manu forti duxisse (Dt. 5, 15), eum solum pietate et probitate esse

colendum. Ita non solum signum foederis divini (Ex. 31. 13), sed et remedium erat contra idololatriam et damna animae hominis e labore diuturno (Gen. 3, 19) emergentia. Erat dies Deo sacer (Is. 68, 13), quare Prophetae sanctitatem ejus maxime urgent (Is. 56, 2; 58, 13. Jer. 17, 24. Ez. 20, 16). Profanationi hujus diei supplicium supremum erat decretum (Ex. 35, 2; Num. 15, 32); ideo Israelitae die sabbati non pugnabant (1 Mach. 2, 32) et non plus quam 2000 passum (iter sabbati) progrediebantur (Ex. 16, 29. Act. 1, 12). Dies festus hic (ethice) simul institutus erat in memoriam status originalis et felicitatis protoparentum in paradiso et typice felicitatem aeternam et quietem coelestem (Heb. 4, 9, 10) adumbrabat. Confer Reinke, Beit. VIII. 5. et Österr. Viertsch. 1869, 312. — Meinhold, Sabbat u. Woche im A. T. 1905. — Hehn, Siebenzahl u. Sabbat bei d. Babyloniern u. im A. T. 1907.

3) Ut superstitio gentium, quae lunae sacrificabant, excluderetur et Israelitae recordarentur, Deum mundum gubernare et conservare, praeceptum fuit, ut in Neomeniis (i. e. calendis cujusvis mensis) praeter sacrificium juge Deo offerrentur 2 juvenci, 1 aries, 7 oves in holocaustum et 1 hircus pro peccato, cum ferto et libamine (Num. 28, 11 seq.) et sacerdotes tubis argenteis eas annuntiarent (Num. 10, 10), quo modo chronologiae mensium erat provisum. Quamvis eae non essent proprie dies festivi, tamen Israelitae in eis non operabantur (Am. 8, 5. Is. 1, 13). Neomenia vero mensis septimi[1]), Tischri, quo annus civilis incipiebat, erat dies festivus, quiete sabbatica et sacrificiis multiplicatis celeber (Lev. 23, 24 seq.; Num. 29, 1 seq.), praeterea clangore cornuum annuntiabatur, quare dies clangoris vel memoriale clangoris audiebat.

1) Juxta traditionem rabbinicam dies hic festivus instituebatur in memoriam creationis mundi ac digna praeparatio erat in mox secuturam poenitentiam diei expiationis, ita ut totus hic mensis inter reliquos Deo esset consecratus et solemnis.

4) Uti periodus septem dierum et mensium, ita etiam periodus septem annorum festo i. e. anno sabbatico[1]) erat terminanda. In memoriam, Deum esse dominum terrae, praeceptum fuit vervactum (quies) agrorum, quod sponte crescebat, pauperibus et advenis relinquendum erat; debita non exigebantur (quin tamen plane dimitterentur), quare etiam *annus remissionis* audiebat, et tandem in festo tabernaculorum hujus anni lex universo populo ante sanctuarium praelegebatur (Ex. 23, 10. Lev. 25, 1—7. Dt. 15, 1—11; 31, 10—13). Septenos annos sabbaticos excipiebat annus jubilaeus[2]), i. e. annus quinquagesimus, qui die expiationis a sacerdotibus clangore buccinae indicabatur. Praeter ea, quae in anno sabbatico erant praescripta, omnes agri et domus (in villis et urbibus muro non cinctis) venditae, sine ullo pretio aut compensatione restituebantur, mancipia omnia origine hebraea libertatem recipiebant, debita remittebantur et debitores, in servitutem venditi, libertate donabantur, quare et annus libertatis vocabatur (Lev. 25. 8 seq. Num. 36, 4).

1) Scopus hujus anni festivi primarius erat non physica terrae recreatio, sed Deus voluit Israelitis quietem futuram in memoriam reducere, charitatem et benignitatem erga proximum atque parcimoniam promovere nec non indicare, se esse proprietarium terrae (Lev. 25, 23), et terram quoque hominum quietem participare; ideoque vocabatur *sabbatum magnum* (Lev. 25. 4 heb.). Praeterea servi hebraei anno septimo servitutis gratis egrediebantur liberi (Ex. 21, 2. Dt. 15, 12). Promiserat Deus, se anno sexto fructus trium annorum eis largiturum esse, ne egerent (Lev. 25. 21).

2) Annus festivus hic, die propitiationis incipiens, typus erat anni illius restitutionis in integrum ac refrigerii, quo peccata delerentur, servitus solveretur ac vendita recuperarentur (Is. 61, 1 seq. Heb. 4, 3—10. Act. 3, 20, 21) et typus anni jubilaei ecclesiastici nec non jubilaei aeterni. Clangor tubarum symbolum erat annuntiationis illius novae revelationis divinae ad foedus perficiendum, ideoque festum eodem die annuntiatum, quo peccata omnia expiabantur, apte quietem et pacem subsecuturam designabat. Hac lege provisum erat, ne familiae in paupertatem perpetuam redigerentur, divites latifundia accumularent, simulque institutio haec libertatem populi electi urgebat, fidem in Deum, tanquam supremum terrae dominum, atque fiduciam in ejus providentiam promovebat. *Jobal* clangorem buccinae (Lev. 25, 9) vel jubilum notat, dum alii vocem hanc de syriaco jubolo = *restitutio* (Josephus Ant. III. 12, 3 *libertas*) vel *remissio* (Ez. 46, 17; Lev. 25, 10 Vulg.) derivant, Cf. Schmalzl, Jubeljahr d. a. Hebr. 1889.

5) *B)* Ad festa anniversaria pertinent; *a)* Festum Paschatis, ad recolendam memoriam liberationis Israelitarum ex servitute aegyptiaca et salvationis primogenitorum per transitum angeli exterminatoris institutum, simulque festum veris vel initii messis (Lev. 23, 5 seq.) erat, et propter esum septiduanum azymorum festum Mazzoth (*azymorum* Ex. 12, 15. Lev. 23, 6. Luc. 22, 1) vocatum[1]); celebrabatur cum octava. Praeter agnum paschalem[2]), die 14. Nisan immolatum, per totam octavam[3]) plura sacrificia, eadem, quae in Neomeniis, — et die 16. Nisan agnus cum Mincha et libamine atque manipulus primitiarum hordei in holocaustum offerebantur, quo ritu messis initiabatur (Lev. 23, 9 seq.). Seriori tempore varii adhuc ritus additi sunt[4]).

1) Festum Mazzoth B. Schäfer (Altert.) tanquam festum proprium cum octava considerat.

2) Agnus paschalis die 10. Nisan segregatus, die 14. inter duas vesperas (i. e. ad solis occasum Dt. 16, 6) ante altare mactabatur ejusque sanguis a sacerdotibus ad altare spargebatur; dein agnus duobus baculis transversim perfossus (quasi crucifixus), quin ossa frangerentur, igne assabatur et cum lactucis per levitice mundos (Num. 9, 6; Ex. 12, 48) manducabatur. Unus agnus sufficiebat decem personis (Joseph, Bell. jud. VI. 9, 3). Qui immundi aut in itinere erant, pascha mense secundo, eodem die et ritu, celebrare tenebantur (Num. 9, 6 seq.).

3) Dies primus et ultimus soli erant festivi et quiete sabbatica celebrandi, reliqui conviviis, canticis et musica peragebantur (Lev. 23, 7. Dt. 16, 8). Festum paschale merito dicitur *cultus sempiternus* (Ex. 12, 14, 24), quia typus erat Christi, agni paschalis N. T. pro nobis in cruce immolati (1 Cor. 5, 7), cujus, agni vere immaculati (Is. 53, cui os non frangebatur Joh. 19, 33 seq.), sanguine mundus a morte aeterna et servitute peccati (diaboli) est salvatus; convivium paschale, per quod foedus cum Deo (gratia) renovabatur et confirmabatur, characterem sacramentalem habuit, et typice adumbrat eucharisticum convivium N. T., *quod vetus phase terminat* (Joh. 1, 29; 19. 36. 1 Pet. 1, 19. 1 Cor. 5, 7. Apoc. 7, 3, 14).

4) Seriori tempore in coena hac prius manus lavabantur et paterfamilias benedicebat calici, vino pleno. Postquam omnes stantes de eodem biberunt, paterfamilias iterum manus lavit, cibis benedixit et cum convivis de lactucis comedit, dein historiam exitus (Haggada) narravit, saepius elevando calicem, secunda vice vino implentum, et, recitatis Psalmis 112 et 113 (Hallel), omnes de eodem bibebant. Lotis manibus (et pedibus) mensae accumbebant (col. Luc. 22, 14, 15) et absoluta benedictione azyma cum lactucis, dein agnum paschalem comedebant et tertium »calicem benedictionis« consumebant. Implendo quartum calicem reliqui Psalmi magni Hallel (Ps. 114—117) et Psalmus 136. cantabantur, quo facto, e quarto calice bibebant.

Confer J. Müller, Krit. Versuch üb. Ursprung u. gesch. Entwicklung d. Pesach- u. Mazzothfestes 1883. — R. Schäfer, D. Passah-Mazzothfest 1900. Th. Schärf, Das gott. Jahr b. d. Juden. 1902, 9—35.

6) *b)* A die 16. Nisan numerandae erant septem hebdomades plenae et dies quinquagesimus erat ἡ πεντεκοστή (Act. 2, 1) dies unicus festus, dictus festum hebdomadum vel solemnitas messis; celebrabatur enim in memoriam legis in Sinai datae, et in gratiarum actionem messis paractae. Praeter sacrificia statuta (quae in Paschate) offerebantur duae placentae ex simila nova, fermentatae, quae post motionem a sacerdotibus comedebantur, quare solemnitas messis primitivorum, dies primitivorum vocabatur. Praeterea spontaneae oblationes juxta benedictionem Domini fiebant et viri cum familiis diem hunc conviviis sacris peragebant (Ex. 34, 22. Lev. 23, 15. Dt. 16, 9).

Pentecoste, tanquam festum messis finitae, intime cohaeret cum festo Paschali, tanquam initio messis. Legislationem sinaiticam die 50. egressus ex Aegypto peractam testantur s. Scriptura Ex. 19, 1, 11, effusio spiritus s. in festo Pentecostes, Judaei, Maimonides (More Nov. III. 41): *Festum septimanarum est dies ille, quo lex data fuit*, et ss. Patres, uti s. Augustinus c. Faust. 32, 12: *Pentecosten celebramus, quod futurum etiam per Judaeorum Pascha significatum est, cum 50. die post celebrationem ovis occisae, Moyse digito Dei scriptam legem accepit in monte.* Festum hoc legislationis, foederis pacti primitivorum typus exstitit originis Ecclesiae christianae vel effusionis Spiritus sancti super Apostolos, qui tanquam primitiae Ecclesiae evangelium gentibus praedicarunt (Act. 2, 1 seq.). Grimme, Das israel. Pfingstfest u. d. Plejadenkult. 1907; festum hoc ex antiquo-canaanitico cultu plejadum deducit.

7) *c)* Festum tabernaculorum a die 15. usque 21. mensis Tischri celebrabatur, ita ut dies primus et ultimus tanquam festivi, quiete sabbatica sacri essent, institutum in memoriam itineris Israelitarum per desertum, quare his diebus degebant sub tabernaculis, e ramis et frondibus constructis, inde σκηνοπηγία dictum (Joh. 7, 2), et in gratiarum actionem pro collectione frugum de area et torculari, unde et nomen collectionis frugum tulit. Erat festum maximum vel festum per eminentiam dictum atque cum summa laetitia peragebatur. Offerebantur sacrificia plura, quam in reliquis festis praescripta erant, quibus dein et alii ritus adjuncti sunt (Lev. 23, 34 seq. 39—43. Ex. 23, 16, 13—15).

In hoc festo Israelitae non tam miseriarum et laborum in itinere, sed potius fidei foederalis ac beneficiorum Jahvae recordari debebant, qui *in solitudine magna, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio ac dipsas, et nullae omnio aquae* (Dt. 8, 15), tentoria in protectionem populo suo assignavit. Post exilium additi sunt sequentes ritus: Prima die Judaei manibus ferebant fructus arboris citri seu mali medicae, spatulas palmarum et ramos arborum frondosarum in fasciculos colligatos, quos aliis diebus dumtaxat ad templum gestabant (Lev. 23, 40 seq.). Vesperis primi diei festivi atrium mulierum illuminabatur cum cantu Psalmorum gradualium (119—133) et saltatione; quolibet die festi hujus fiebat circuitus, die autem septimo septies circuierunt altare cum myrtetis et palmis (Lulab) ac conclamatione Hosanna, in memoriam urbis Jerichuntis expugnatae, unde et *dies magnus festivitatis* dictus (Joh. 7, 37). Quotidie mane aqua, ex fonte Siloe hausta, cum vino ad basin altaris effundebatur concomitante cantico Is. 12 et musica, fors in memoriam aquae mirabiliter e petra datae (Dt. 8, 15).

Dies octavus, i. e. 22. Tischri, vocatur clausula festorum omnium in anno ecclesiastico, erat sanctissimus, dies coetus et collectae, quia a populo omnia ad expensas cultus divini necessaria colligebantur; offerebant vitulum, arietem, septem agnos cum Mincha et libaminibus (Lev. 23, 36, Num. 29, 35). Seriori tempore addiderunt Rabbini festivum diem

23. Tischri: gaudium legis, quia eodem praelectio legis finiebatur, et diem 24. sub nomine ligate festum (col. Ps. 118, 27 heb.).

Cum hac festivitate autumnali comparari potest festum autumnale Christianorum, nempe festum omnium Sanctorum, qui sunt fruges spirituales redemptionis collectae in horrea coelestia; in hoc enim festo celebrat Ecclesia victoriam Martyrum (symb. palmae). abnegationes et perfectiones Confessorum (symb. myrtetae), de quorum ventre fluunt flumina aquae vivae, teste Christo (Joh. 7, 38).

8) *d)* Dies expiationum. Quintus ante festum tabernaculorum dies (10. Tischri) erat dies expiationum, sacrosanctus, in quo (a primis vesperis diei 9. usque ad vesperas diei 10. Tischri) omnis labor et cibus erat interdictus, unicus jejunii magni dies (ἡ νηστεία Act. 27, 9). Hoc die pontifex solus liturgiam peragebat, nam totus populus solemniter erat expiandus. Pontifex, qui vigil noctem peregit, mane se lavabat et sacrificium juge absolvebat. Loto altera vice corpore, vestimentum ordinarium byssinum (tanquam piaculare) induebat, vitulum pro peccato et arietem in holocaustum pro se et tota familia sacerdotali, atque duos hircos plane aequales pro peccato, et unum arietem in holocaustum pro populo sumebat; hircorum alterum Jahvae, alterum Azazeli[1]) sorte ante tabernaculum praedestinabat. Confitens peccata sua et domus suae, imponebat manus vitulo eumque immolabat; quo facto cum thuribulo aureo Sanctissimum ingressus, thymiama in illud super prunas ponebat, cujus vapor oraculum operiret. Regressus in atrium, sumebat de sanguine vituli et semel versus propitiatorium et septies versus pavimentum ante arcam digito spargebat. Cum Deo reconciliatus, pontifex in atrium regressus, hircum pro Jahve mactabat et sanguinem ejus in Sanctissimo (quod tertia[2]) vice ingrediebatur) eodem modo, quo prius, spargebat, ut expiaret Sanctissimum ab immunditiis, praevaricationibus et peccatis populi. In Sanctuario sanguine vituli et hirci mixto illiniebat cornua altaris thymiamatis, et septies versus pavimentum ante altare spargebat, ut expiaret peccata in Sanctuario commissa. Idem faciebat in altari holocausti et reliquum sanguinem in basin ejusdem effundebat, quo ritu etiam atrium erat expiatum.

His rite peractis, ambas manus super caput hirci pro Azazel ponebat et, confitens peccata populi, eum (Sündenbock) omnibus peccatis, delictis et inquitatibus filiorum Israel quasi onerabat ac demum homini parato in desertum (dominium diaboli) deducendum (et de rupe praecipitandum) tradebat, in signum, populum esse expiatum a poena peccatorum. Carnes vituli et hirci pro Jahve immolati extra castra concremabantur. In templo pontifex nonnullas orationes et lectiones recitabat. Loto rursus corpore, vestimenta pontificalia induebat, duos arietes pro se et populo in holocaustum offerebat, et adipem priorum sacrificiorum adolebat, ac tandem pro se et populo orabat. Traditione judaica teste ante sacrificium vespertinum plura sacrificia cum Mincha et libamine offerebantur[3]) (Lev. 16; 23, 27 seq. Num. 29, 7 seq. Mischna, tract. Joma).

1) Azazel (LXX ὁ ἀποπομπαῖος i. e. *averruncus*, Vulg. *caper emissarius*) creditur daemon, auctor peccati, desertum inhabitans (Is. 13, 21. Tob. 8, 3. Matth, 12, 43. Luc. 11,

24), cui hircus alter destinatus erat; hic enim reportabat quasi peccata populi diabolo e terminis theocratiae, in testimonium tum satanae influxum ejus non amplius nocere expiatis, tum populo, peccatis onustos in regno divino remanere non posse, sed inde exclusos potestati daemonis et interitui esse tradendos. Hinc viri, qui hircum in desertum abduecebant et carnes extra castra comburebant, vestimenta et corpora sua, ante ingressum in castra, aquis mundare tenebantur. Ambo hirci unum tantum sacrificium pro peccato constituunt, ideo plane aequales erant; per primum mactatum peccata expiabantur, per secundum peccata expiata removebantur et in caput diaboli quasi revolvebantur, quare absurda est assertio, diabolo fuisse sacrificium oblatum. De etymologia nominis Azazel nihil constat; fortasse designat, deum esse fortiorem diabolo (עזאזל) vel עז = capra et אזל = abire. In libro Henoch apocrypho sexies vocatur angelorum apostatarum perniciosissimus. Juxta Talmudem idem est ac Sammael, teste Origine idem ac Lucifer. Alii Azazel habent nomen loci prope Sinai et serius prope castra quo ille hircus mittebatur; cf. Hummelauer, Exod. Lev. 1897, 461.

2) Si Ex. 30, 10 et Heb. 9, 7 pontifex semel tantum Sanctissimum intrasse dicitur, hoc ad annum, non ad diem refertur; nam illo die ter ingrediebatur, imo juxta Talmud quater, quia thuribulum, in Sanctissimo relictum, vespere efferebat.

3) Omnes hujus diei actiones (symbolicae); jejunium, confessio peccatorum a pontifice facta, aspersio sanguinis in Sanctissimo, expiatio omnium partium tabernaculi et populi, caper emissarius cognitionem culpae et poenae nec non necessitatem expiationis universalis supponunt, et desiderium futurae hujus expiationis exprimunt; ingressus in Sanctissimum, soli pontifici licitus, teste Paulo (Heb. 9, 8) indicat, *nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum.* Formalis et externus remissionis peccatorum actus vivide adumbrabat remissionem realem et redemptionem sanguine Christi efficiendam, *qui languores nostros ipse tulit, et dolores nostros portavit* (Is. 53, 4, 5), *qui per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa, ad multorum exhaurienda peccata* (Heb. 9, 12, 28), *et extra portam passus est* (Heb. 13, 11, 12). Hinc pontifex ejusque agendi ratio exstitit typus Christi, quemadmodum crematio carnis extra castra Christum, extra urbem passum, et hircus emissarius Eundem peccata totius mundi portantem et a Judaeis spretum typice adumbrat. Vere ergo dies expiationum vividus typus feriae sextae in Parasceve exstitit.

Res et actiones sacrae.

Huc pertinent *A)* Sacrificia, *B)* Leges munditiei et *C)* reliquae Actiones religiosae.

§. 26. *A)* Sacrificia.

1) Sacrificium est oblatio externa, legitime instituta, qua res aliqua (vel totaliter, vel partialiter) immutatur et destruitur, per ministerium legitimum, ad agnoscendum supremum Dei in omnes res dominium. Homo jam e dictamine rationis et conscientiae vel e naturali devotione movebatur, Deo, tanquam supremo omnium domino, quasdam res sensibiles in signum debitae subjectionis et honoris offerre, unde sacrificiorum oblatio ad jus naturae pertinet[1]); nihilominus tamen, quia sacrificia omnia non tantum symbolicam, sed et typicam significationem habebant, credendum est, quod homines ex instinctu divino, quasi ex privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui et conveniens esset interiori cultui et etiam congrueret ad significandum Christi mysteria[2]). Sacrificia Hebraeorum ex divina institutione repetuntur.

1) Secundum s. Thomam 2. 2. q. 85. a. 1. et Suarez de sacr. disp. 73, sect. 8 *Jure naturae praeceptum est, colere Deum cultu externo. Probatur 1) ex usu omnium gentium; nam omnes eo modo, quo Deum cognoscunt, illum colunt aliquo externo cultu; ergo signum est, id fieri naturali ratione dictante. 2) Quia, cum homo a Deo habuit non solum animam, sed etiam corpus, non solum anima, sed etiam corpore tenetur eum colere, non quidem, quia Deus sensibili aliquo signo indigeat, ut mentis nostrae affectum cognoscat, sed ut nos totos et non solum animas, sed etiam corpora subjiciamus.* Requiruntur ergo *a)* actio externa, qua actus internus exprimitur; *b)* immutatio vel destructio rei ad agnoscendum dominium Dei absolutum sive occidatur, sive camburatur, sive frangatur, sive comedatur res (Thomas 2. 2. q. 85. ar 3.), quia hac totalis subjectio hominis sub Deo indicatur. Modus hujus destructionis per Deum ipsum erat determinandus. Sacrificio triplex character impressus est: latreuticus, eucharisticus et impetratorius, cui post lapsum quartus, sc. propitiatorius accessit; homo enim per peccatum a Deo avulsus Deum sibi reconciliare eumque propitium habere, atque mortem, quam per peccatum contraxerat, avertere conabatur. Quamvis sacrificia A. T. realem expiationem non efficerent, tamen necessitatem expiationis futurae, per Messiam praestandae, et vicariae satisfactionis docebant nec non desiderium ejusdem excitabant (Rom. 5, 20; 7, 8. Gal. 3, 10 seq.).

2) Thomas 1. 2. q. 103. ar. 1.

2) Sacrificia ratione materiae dividuntur in cruenta et incruenta[1]). Cruenta vocantur illa, quae ex animalibus domesticis fiebant et sine sanguinis effusione offerri non poterant. Ordinatim erant: boves, oves, arietes, agni, hirci, hoedi (in quibusdam sacrificiis etiam femellae), interdum volucres, uti: turtures et columbae, omnes sine macula. Sacrificiorum incruentorum materia duplicis generis erat: solida, ut frumentum (hordeum et triticum in granis, spicis et manipulis), farina, simila, panes, sal, thus = *Mincha,* et fluida: vinum et oleum = *libamen,* quod per effusionem offerebatur[2]).

1) Nomen generale sacrificium erat קָרְבָּן = δῶρον, Vulg. *oblatio, sacrificium et hostia.* אִשֶּׁה designat sacrificium, quod igne cremabatur, excludit ergo libamina. Nomen Sebach adhibetur de sacrificiis cruentis *(hostia),* et Mincha (Vulg. *oblatio sacrificii*) de sacrificiis incruentis.

2) Non admittebantur omnia animalia munda, v. g. ferae et pisces, sed tantum domestica, quae non sine opera humana aluntur et quorum caro homini ad esum erat concessa, nec omnes fruges, quae speciali cultura non egent, v. g. ficus, poma etc., sed id, cui comparando homo labore insudat quodque ab ipso comeditur; offerendo enim tales res humana concupiscentia reprimebatur et abstiuentiâ sanabatur, atque offerens confessionem debilitatis propriae ac desiderium auxilii vitaeque spiritualis impetrandae externe manifestabat. — Singulae hostiae a quavis macula corporis liberae, nec octo diebus juniores (quia tunc nondum plane consistentes erant), ergo in aetate perfecta esse debuerunt. Agni et hoedi plerumque anniculi eligebantur (Lev. 22, 21—27), quare ante mactationem a Levitis explorabantur; nam Deo optima, quae habuit homo, offerenda erant. Haec integritas physicae hostiae symbolum esse debuit integritatis spiritualis, quam offerens anhelabat, ac typus hostiae immaculatae et perfectissimae N. T. Hac ex causa ab altari exclusa erant: fermentum, tanquam symbolum corruptionis (Luc. 12, 1; Gal. 5, 9. 1 Cor. 5, 6, 7); et mel (Lev. 2, 11) *tum, quia consueverat offerri in sacrificiis idolorum, tum etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem et voluptatem.* Thomas 1. 2. q. 102. a. 3. ad 10. Item sacrificia humana vetita erant (Dt. 12, 31).

3) Ritus sacrificandi cruenta sacrificia in lege specialiter erat determinatus et quinque actus comprehendebat: *a)* Oblaturus victimam ducebat in atrium tabernaculi (templi), capite ejus ad sanctuarii januam verso (Lev.

1, 3; 4, 14), in testimonium, nonnisi a Deo sperandam esse expiationem[1]). *b)* Manum suam capiti victimae imponebat[2]), quo peccans juri suo in istud animal renuntiabat et symbolice victimam in sui locum substituebat, atque peccata sua et poenam promeritam in eam quasi (non realiter) transferebat, quo typice spem futurae satisfactionis realis simul prodebat. *c)* Offerens ipse victimam (in parte altaris septentrionali Lev. 1, 11) mactabat[3]) (hostiae publicae vero a Levitis mactabantur), qua mactatione idea satisfactionis vicariae maxime exprimebatur. *d)* Sanguis victimae effusus a sacerdote (vicario Jahvae et mediatore inter Jahven et populum) in cratere excipiebatur, in signum acceptationis ejusdem e parte Dei, et pro diversis sacrificiis vel ad altare holocausti ejusque cornua, vel ad cornua altaris thymiamatis, vel versus velum Sanctissimi, vel in propitiatorium spargebatur[4]) et reliquus ad basim altaris effundebatur. *e)* Hostiae excoriabantur, dissecabantur, et carnes (quarumdam agitabantur[5]) cum elevatione et) aut totaliter, aut partialiter a sacerdote igne sacro concremabantur[6]); reliqua caro, quae in nonnullis sacrificiis non erat comburenda, sacerdotibus cedebat vel in convivium convertebatur.

1) Sacrificia offerri non poterant nisi in loco sacro, praeterquam quod Deus vel Angelus Dei alio in loco sacrificium offerri pustulaverat (Jud. 2, 5; 6, 20; 13, 16). Hoc praecepto populum ab idololatria praecavere voluit. Introductio hostiae simul typus introductionis Christi in mundum exstitit col. Ps. 39, 7.

2) Manus imponebantur omnibus sacrificiis privatis holocaustorum, pro peccato et eucharisticis, et publicis pro peccato, non vero sacrificiis publicis holocaustorum et eucharisticis, et quidem: nec sacrificio jugi, nec agno paschali, decimis, primogenitis, nec columbis, nec sacrificiis a gentibus oblatis. Cum impositione manuum juxta traditionem judaicam confessio peccatorum erat conjuncta: *Obsecro, Domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc et illud ... feci, nunc autem poenitentiam ago, sitque haec expiatio mea.* Hostia innocens, pro peccatore symbolice substituta et morti tradita, simul typice praefigurabat Christum ejusque sacrificium, in quo seipsum substitutione reali Deo in victimam obtulit tanquam agnus immaculatus, qui nostros languores tulit et propter nostra peccata et scelera vulneratus et attritus est (Is. 53, 4, 5).

3) Principalis actus sacrificii est mactatio et effusio sanguinis, qua satisfactio vicaria maxime exprimitur et propterea ab offerente (qui victimam mactabat) et a sacerdote (qui sanguinem excipiebat) simul peragebatur. Effuso scilicet victimae sanguine animal vivere cessavit ejusque vita pro vita hominis rei tunc substituebatur. Rationem ipsa lex adducit: *Quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit;* in textu heb.: *nam sanguis expiat per animam* i. e. vi animae in sanguine constantis (Lev. 17, 11). Sanguis enim tanquam sedes vel principium vitae (Thomas I. 2. q. 102 a. 3: *Sanguis est maxime necessarius ad vitam, ratione cujus dicitur anima esse in sanguine*) et concupiscentiae consideratur (Virgilius eum vocat *animam purpuream* Aen. 9, 348), ideo statuitur poena in originem peccati primariam, teste Paulo: *Sine sanguinis effusione non fit remissio* (Heb. 9, 22). Tali modo anima (sanguis) victimae vicario modo congruenter pro anima hominis est expiationis medium. Ratio altera eaque typica docetur a s. Thoma: *Per occisionem animalium significatur etiam occisio Christi;* qui ergo istum actum in fide et spe in futurum Christi sacrificium peregit, anticipando fructus hujus satisfactionis vicariae realis percepit. Effusio sanguinis actus latreuticus simul et propitiatorius erat. Hinc esus sanguinis, utpote Deo sacrosancti, vetitus erat Israelitis.

4) Cum ergo effusio, non vero sparsio sanguinis, uti Protestantes docent, forma est sacrificii, sparsio sanguinis nonnisi liturgica explicatio et actus solemnior est ejus, quod in sanguine effundendo jam erat factum. Quia ergo in sacrificiis principaliter agitur de hoc, ut per mortem hostiae vicariam reus liberaretur a morte, expiatio efficitur, cum in occisione sanguis effunditur et eo ipso vita hostiis piacularibus aufertur; per aspersionem autem sanguinis mors vicaria Deo praesentatur et expiatio ipsa solemnizatur. Ideo *Christus non in manufacta sancta introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (Heb. 9, 24), *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum* (Rom. 3, 25).

5) Agitatio i. e. תְּנוּפָה *(demissio)* est motio carnis versus 4 mundi plagas in signum crucis, et cum elevatione תְּרוּמָה conjuncta erat (Ex. 29, 24. Lev. 8, 27, 28), quo actu symbolico exprimebatur desiderium, ut Deus, universi mundi Dominus, oblationem acceptaret, et *viva nobis Christi Domini patientis imago objicitur ac crux ea adumbratur, in quam generis humani victima illa pacifica sublata est, quam veteres victimae omnes praenuntiabant.* Smits, Proleg. in Lev. 1763, 366.

6) Combustio carnium est principaliter actus latreuticus, quo homo se totum Deo tradebat et intentio interna sacrificantis vivide exprimebatur. Simulque eo, quod carnes igne comburebantur, Deus signo externo manifestabat, se hostias benigne acceptare tanquam *in odorem suavitatis*, quare carnes etiam *cibus Domini* appellantur (Lev. 3, 11, 16; 21, 6, 8, 17, 21, 22). Unde explicatur, quare victima fuerit comburenda igne sacro, qui holocaustum primum Aaronis devoravit (Lev. 9, 24) et semper in altari holocaustorum alebatur. Combustione typice praenotabatur passio et exinanitio totius vitae Christi.

4) Sacrificia cruenta dividuntur *a)* in holocausta, quae integra[1]) super altari concremabantur: requirebatur materia nobilior, ideo nonnisi victima mascula ad holocaustum erat idonea, cujus sanguis per altaris circuitum a sacerdote fundebatur (Lev. 1, 5. 11). Erant latreutica et propitiatoria, antiquissima, praecipua, frequentissima et etiam a gentibus offerri poterant.

1) Quoniam holocausta (עֹלָה, LXX ὁλοκαύτωμα, Vulg. *holocaustum*) tota concremabantur, excepta pelle, quam habuit sacerdos (Lev. 7, 8), ideo et Kalil *(Ganzopfer)* vocantur. Primo imponebatur altari adeps, dein carnes et intestina cum pedibus lota. Talia erant: sacrificium juge et sacrificia in festis praescripta, plerumque aliis sacrificiis praemittebantur, v. g. in consecratione sacerdotum, dimissione Naziraeorum, purificatione puerperarum et leprosorum. Offerri poterant praeter tauros, vitulos, arietes, agnos, hircos, etiam propter paupertatem offerentium columbae, quae retorto ad collum capite, sanguine effuso, et vesicula plumisque remotis, in ascellis confringebantur (deletio figurae corporis) et adolebantur (Lev. 1, 3—17). *Holocaustum offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius et amorem bonitatis ejus . . . et totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur, totum hominem et omnia, quae ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta et ei esse offerenda.* Thomas (1. 2. q. 102. a. 3. ad 8); hinc nihil ex eo comedebatur.

5) *b)* Sacrificia expiatoria, et quidem tum *pro peccato* (Chattath = *Sündopfer*), tum *pro delicto* (Ascham = *Schuldopfer*), legislationi mosaicae propria, instituta erant pro peccatis (levibus et gravibus) per ignorantiam vel errorem (Lev. 4, 2), negligentiam (Num. 5, 6) aut infirmitatem commissis (quae odium et praemeditatam rebellionem contra Deum excludunt), vel pro certis circumstantiis, quae cum improbitate humana cohaerent[1]), cum hoc tamen discrimine, quod sacrificia pro delicto[2]) violationem foederis vel juris proximorum supponunt ideoque satisfactionem praestandam involvunt. Utrique speciei commune erat, quod tantum praescriptae partes concremebantur,

reliqua caro autem vel in usum sacerdotum cedebat (Lev. 4 et 5) vel extra castra comburebatur, quodque utrique deerant fertum et libamen.

1) Sacrificia pro peccato, et quidem *a)* publica praescripta erant in Neomeniis (Num. 28, 15), Paschate (Num. 28, 22), Pentecoste (28, 30), die 1. Tischri (29, 5) et die expiationum (29, 11. Lev. 16, 5) hircus pro populo; — *b)* privata et quidem: α) peccato personali excluso, in purificatione puerperae (par turturum Lev. 12, 6, 8), leprosorum (agnus Lev. 14, 20), fluxu seminis (2 turtures aut 2 pulli columbae Lev. 15, 14) et sanguinis laborantium (Lev. 15, 29), in termino voti expleti (agnus anniculus Num. 6, 14) et in contaminatione Naziraei (columba Num. 6, 10), quae a debilitate humana oriuntur et testantur, naturam humanam peccato esse infectam. β) Peccato involuntario commisso: si sacerdos vel populus (vitulus Lev. 4, 14), vel princeps (hircus 4, 23) aut Israelita (capra 4, 28) praeceptum divinum transgressus est, si in testimonio ferendo ignorantiam praetendit (Lev. 5, 1), vel voti jurejurando confirmati oblitus est (agna vel 2 turtures 5, 4, 6).

Quoad ritum distingunntur! α) quorum sanguis altari thymiamatis illiniebatur et caro extra sanctuarium concremabatur, nam peccatis quasi onusta ideoque impura erat, et β) quorum sanguis ad altare externum spargebatur et caro, adipe excepto, a sacerdotibus comedebatur. Ad α) pertinent sacrificium pontificis in die expiationum, et sacrificia pro speciali peccato sacerdotis vel populi. Sparso sanguine altari imponebantur adipes, ambo renes, reticulum jecoris et cauda crassa ovium et adolebantur. Ad β) pertinent sacrificia pro peccato principum et populi. Actus principalis erat comestio carnis sacrosanctae, a sacerdotibus facta in atrio tabernaculi, *ut portent iniquitatem multitudinis et rogent pro ea in conspectu Domini* (Lev. 10, 17); cum hac ergo carne peccata poenitentium quasi in se recipiebant eaque comedendo carnem expiabant. *Altera pars cedebat in usum sacerdotum, significandum quod expiatio peccatorum fit a Deo per ministerium sacerdotum, nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis; tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in usum sacerdotum venire ea, quae pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret; et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur, ac si non offeretur.* Thomas l. c.

2) Sacrificia pro delicto in sequentibus sex casibus praescripta erant: *a)* si quis per errorem res Deo devotas arripuit (Lev. 5, 15), *b)* si rem alienam (depositam, perditam, furto ablatam) sibi sumpsit (Lev. 6, 1 seq.), in quibus duobus casibus restitutio rei erat praescripta, adjecta quinta valoris parte; *c)* si coierit cum ancilla alterius, quam non solverat, adjecta castigatione, *d)* si aliquid lege prohibitum per ignorantiam fecit et peccati reus intellexit iniquitatem (Lev. 5, 17—19). Reus horum delictorum, quae culpam moralem supponunt, arietem immolare debuit. *e)* Leprosus sanatus autem et *f)* Naziraeus contaminatus agnum offerebant. — Materia ergo horum sacrificiorum, quae singuli tantum offerre poterant, nonnisi ex hostiis masculinis sumebatur. Sanguis per circuitum altaris fundebatur, adeps adolebatur et caro in usum sacerdotum cedebat; praeterea incruenta non addebantur.

Quia sacrificia haec pro istis delictis offerebantur, quibus jura Jahvae vel proximi violabantur, satisfactio aut realis, aut aequivalens, aut compensativa (castigatio), a peccatore praestanda, pertinet ad essentiam eorum; nam etiam lepra, quae tanquam symbolum et poena peccati leprosum e communitate theocratica excludebat, violationi foederis aequiparabatur, cui satisfieri oportebat, et Naziraeus se contaminando tempus Deo dedicatum eripiebat ideoque expiare debebat.

6) *c)* Sacrificia pacifica (Schelamin, LXX θυσία σωτηρίου, Vulg. *hostia pacificorum*) erant aut eucharistica, pro gratiarum actione, aut impetratoria, pro beneficio impetrando, aut votiva ex voto. Admittebantur victimae omnes idoneae; ritus sparsionis sanguinis et combustionis adipum idem erat, quem praescripsit lex in sacrificiis expiatoriis. Caro vero, exceptis pectusculo

et armo dextero, quae in usum sacerdotum cedebant, ab offerentibus in convivium sacrum convertebatur (Lev. 3, 1—17; 7, 11 seq. 19, 5—8; 22, 29).

Pectusculum et armus dexter in manibus offerentis agitabantur et elevabantur; armum sacerdos immolans recipiebat, pectusculum in usum sacerdotum cedebat, et quia ambae partes non erat sacrosanctae, ideo extra templum in loco mundo (etiam a familia) comedi poterant (Lev. 10, 14). *Per hoc significabatur, quod sacerdoti erat necessaria sapientia cordis ad instruendum populum, quod significabatur per pectus, quod est tegumentum cordis, et etiam fortitudo ad sustentandum defectus, quae significabatur per armum dextrum.* Thomas l. c. Carnes reliquas offerens ad convivium vertebat, ad quod in loco sanctuarii (intra urbem) institutum pauperes, viduae, pupilli, mancipia invitabantur — *epulari coram Domino* (Dt. 12, 12; 14, 26). Caro sacrificii eucharistici eodem die comedenda, illa sacrificiorum ex voto et impetratoriorum etiam altero die comedi poterat, semper tamen a levitice mundis, reliqua igne absumenda erat (Lev. 7, 15 seq.). Accedebant sacrificia incruenta, imo panes fermentati in usum convivii. Carnes sacrificiorum publicorum in festo Pentecostes totae cedebant in usum sacerdotum (Lev. 23, 19, 20). Comestio seu participatio carnis hostiarum (sacramentum) e parte offerentium majorem accessum ad Deum indicat, ideoque altiorem integritatem et puritatem flagitabat; nam hic esus erat participatio mensae Jahvae, in qua offerens erat hospes Dei, simulque tessera unionis cum Deo, quare cum laetitia huic convivio accumbere debebant (Dt. 12, 18) omnes convivae levitice mundi, quo symbolice et typice unio et consociatio cum Deo spiritualis et sacramentalis praeparabatur et significabatur, quae locum habet in Eucharistia Novi Testamenti, in qua Christus totum suum corpus non tantum sacerdotibus, sed et omnibus fidelibus communicat (1 Cor. 10, 16), quaeque principaliter sacrificium pacificum seu eucharisticum est.

7) *d)* Inter sacrificia specialia pertinent: α) sacrificium in pangendo foedere Dei cum Israel oblatum[1]). Altari et 12 titulis erectis, Israelitae offerebant holocausta et victimas pacificas (vitulos): dimidiam partem sanguinis misit Moyses in crateras et residuum fudit super altare: dein praelegit verba legis et, postquam populus se eis obediturum promisit, respergebat sanguinem in volumen legis et in populum, dicens: *Hic est sanguis foederis, quod Dominus pepigit vobiscum super cunctis sermonibus his* (Ex. 24, 3—8). β) In purificatione leprosi etiam speciale sacrificium duarum mundarum avium (Vulg. passerum[2]) erat praescriptum sub certo ritu (Lev. 14, 1—32), et γ) Sacrificium vaccae rufae[3]), cujus combustae cinis admiscebatur aquae lustrali (Num. 19).

1) Sacrificia holocaustorum significant totalem resignationem populi in voluntatem divinam, pacifica perpetuam unionem foederalem, sanguis sparsus, tanquam medium unionis, in volumine legis quasi sigillum hujus solemnis professionis est, et sparsus super populum tessera gratiarum divinarum, et in altari effusus memoriale exstitit promissionis Dei, quod ipse populo suo auxilium sit largiturus. Praeprimis autem sacrificium hoc typus erat sacrificii cruenti Christi in cruce peracti, cujus sanguine totus mundus abluitur, sanctificatur et cum Deo unitur (Heb. 9, 11—28).

2) Unus passer mactabatur, cujus sanguis in vas fictile, aquis vivis plenum, fluebat; alterum vivum sacerdos cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo tingebat in sanguine passeris immolati, quo aspergebat septies leprosum mundandum; et dimisit passerem vivum in agrum. Vestimentis et corpore lotis et omnibus pilis corporis rasis, leprosus die octavo duos agnos (in holocaustum et pro delicto), ovem anniculam pro peccato cum Mincha obtulit; sanguine sacrificii pro delicto liniebat sacerdos auriculam dexteram et pollices manus dexterae et pedis ejus, mittebat sextarium olei in manum suam sinistram, in eo digitum dexterum tingebat, aspergebat septies coram Domino, tangebat cum oleo jam recensitas partes corporis a lepra mundati, atque reliquum super caput ejus effundebat; quo facto mundatus in plenum altaris

consortium recipiebatur. Immundities leprosi, qui quasi mortuum theocratiae membrum exstitit, sanguine passeris immolati delebatur, et in symbolum recuperatae salutis et libertatis civilis alter passer, sanguine primi mundatus, ad nidum dimittebatur. Per reliqua sacrificia mundatus rursum in communionem theocraticam introducebatur; in hunc finem totum ejus corpus hucusque mortuum ungebatur; sacrificium pro peccato propter immunditiem corporalem, quae est effectus peccati, offerebatur et cum holocausto Deum denuo colere incepit mundatus. Thomas 1. 2. seq. 102, ar. 5 ad 7.

3) Vacca rufa, integra immaculata, quae jugum non portavit, a sacerdote extra castra vel urbem mactabatur, sanguis ejus septies versus tabernaculum spargebatur, et dein totum animal (cum pelle et fimo) una cum ligno cedrino (symbolo incorruptionis), hyssopo (symbolo purgationis) et cocco bis tincto (symbolo vitae) concremabatur, cinis a viro mundo colligebatur atque in loco puro extra castra asservabatur, ut serviret in aquam aspersionis vel lustrationis pro illis, qui cadaver tetigerant. Sacerdos immolans et homo, cineres colligens et portans, immundi erant usque ad vesperam, quia vacca pro peccato combusta est. Hostia haec, tanquam remedium contra infectionem mortis, jam in genere (feminino, utpote pariente), in colore rubro (vitae), proprietatibus et rebus adjectis, ergo in toto suo habitu, proprietates, vigoris vitae et lustrationem efficiendam manifestat. Teste s. Paulo sacrificium vaccae rufae est typus Christi extra portam in cruce passi (Heb. 13, 12): *Si cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (Heb. 9, 13, 14). Aqua lustrationis consequenter est typus aquae baptismalis. Thomas l. c. ad 5.

8) Sicut materia sacrificiorum cruentorum e productis rei pecuariae, ita materia incruentorum e vegetabilibus agriculturae desumebatur, non tantum in signum, populum fructus terrae a Domino accipere et in iis panem quotidianum Deo offerre, sed et in symbolum, se fructus spirituales i. e. opera bona ferre et offerre oportere. Pars rerum solidarum in altari concremabatur (Askarah, Vulg. *memoriale*), reliqua in usum sacerdotum cedebant; vinum ad basim effundebatur[1]). Erant autem sacrificia incruenta aut propria, aut additamenta cruentorum[2]).

1) Materia eligebatur e rebus, cibo, potui, condimento et medicamento inservientibus: *Ea, quae in usum hominis veniunt de terrae nascentibus, vel sunt in cibum, et de his offerebatur panis; vel sunt in potum, et de his offerebatur vinum; vel sunt in condimentum, et de his offerebatur oleum et sal; vel sunt in medicamentum, et de his offerebatur thus. Per panem autem figuratur caro Christi, per vinum sanguis ejus, oleum figurat gratiam Christi, sal scientiam, thus orationem.* Thomas (1. 2. q. 102. ar. 4. ad 13). Panes azymi, de simila, conspersi oleo, vel oleo liti (lagana) coquebantur in clibano, vel conspersi oleo de sartagine erant et minutatim dividebantur, vel oleo conspersi de craticula erant. Vinum rubrum (*sanguis uvae* Eccl. 50, 16) in fundamento altaris effundebatur vel libabatur (inde *libamen* dictum). Oleum aut fundebatur, aut conspergebatur, aut liniebatur in panes, aut cum farina subigebatur. In altari concremabatur pugillus plenus similae et olei et unus panis *in odorem suavitatis Domino*; reliqua Mincha cedebat in usum sacerdotis, qui in loco sancto eam comedebat. In omnibus sacrificiis sal nunquam deerat; et totum thus (in symbolum orationis) adolebatur. Combustione »memorialis« et thuris sacrificium incruentum erat latreuticum, effusione vini propitiatorium.

2) Sacrificia incruenta (farina, oleum et vinum) holocaustis, atque insuper panes pacificis addebantur, non vero expiatoriis; erantque aut publica, uti mincha in sacrificio jugi, in sacrificiis sabbaticis et festivis; aut privata, uti mincha leprosorum, Naziraeorum et Levitarum, quae typice adumbrant, sacrificium eucharisticum N. T. non separandum esse a sacrificio crucis. — Sacrificia incruenta erant sacrificia vera, propria, quae Eucharistiam

N. T. imprimis praefigurabant, et quidem *a)* in Sanctuario offerenda: panes propositionis, thymiama quotidianum, lucerna semper ardens (quae consumptione olei fit sacrificium); *b)* in atrio: Mincha in consecratione Levitarum et sacerdotum, sacrificium zelotypiae, sacrificia voluntaria, sacrificium quotidianum, a sacerdote mane et vespere offerendum, scil. pugillus similae oleo conspersae et thus super similam, quod comburebatur, in signum muneris praecipui sacerdotalis, scilicet sacrificandi Deo sacrificia externa et interna, quo simul nexus sacerdotii cum sacrificio eucharistico N. T. typice adumbrabutur; et sacrificia pro peccato incruenta, quae (similae partem ephi decimam) pauperes offerre poterant. Confer Lev. 2, 5, 11 seq. 6, 14 seq. 7, 9, 10.

9) Sacrificiorum efficacia, de cujus natura disputant Theologi, in diversis sacrificiis erat diversa; potest autem triplex[1]) efficacia distingui: *a)* Sacramentalis[2]), quatenus efficiebant ex opere operato emundationem cernis et legalem justitiam in theocratico-civili ordine, ita ut sacrificiis mundatus ad cultum divinum idoneus fieret (justitia legalis). *b)* Symbolica[3]), quatenus sacrificium externum erat symbolum sacrificii interni spiritualis, rectae intentionis, fidei, adorationis, contritionis et poenitentiae, et cum his affectibus unitum, Deo gratum et acceptabile erat; et *c)* typica[3]), quatenus (juxta sententiam communiorum) sacrificium (expiatorium) offerentem, qui per fidem cum Christo pro nobis passo, cujus typus erat victima, conjungebatur, ex fide Christi, ergo ex opere operantis, non autem ex opere operato[4]) expiabat i. e. peccata ejus revera remittebat[5]) et delebat (momentum negativum), eumque justificabat[6]) i. e. justitiam internam ei conferebat (momentum positivum). Tali modo sacrificia distinguuntur a Sacramentis Ecclesiae[7]), quae gratiam, quam significant, ex opere operato continent atque operantur.

1) Hanc triplicem efficaciam sacrificiorum innuit s. Thomas: *Sacrificia offerebantur tum ad excludendam idololatriam, tum ad significandum debitum ordinem mentis humanae in Deum, tum etiam ad figurandum mysterium redemtionis humanae per Christum* (1. 2. q. 101. a. 2. col. q. 102. a. 2).

2) Erant multae immunditiae leges statutae, quae quidem culpam ethicam non involvebant, sed tantum relationem hominis ad communitatem theocraticam respiciebant et ad cultum divinum non idoneum faciebant; hae sacrificiis oblatis tollebantur. *Erat in vetere lege aliqua immunditia corporalis, quae tollebat idoneitatem ad cultum divinum. Ab hac igitur immunditia caeremoniae V. L. habebant virtutem emundandi, quia hujusmodi caeremoniae erant quaedam remvdia adhibita ex ordinationi legis ad tollendas pvaedictas immunditias ex statuto legis inductas.* (Thomas (1. 2. q. 103. a. 2), Scopus harum legum erat, obedientiam Israelitarum exercere, in eis conscientiam naturae humanae lapsae et necessitatem expiationis realis per Christum praestandae excitare. In hac significatione prophetica sacrificia non erant vacua.

3) Sacrificia mere externa non placebant Deo, sed tantum, quatenus erant symbola rectae intentionis et virtutum, quia omnibus sacrificiis subest idea, hominem peccato esse infectum ideoque morte dignum. Intentiones specialibus sacrificiis expressae erant: adoratio Dei, aut fides, aut spes, aut gratiarum actio etc., quae proprie Deo erant acceptae et sine quibus sacrificia erant inania. Quum ergo actus externi referebantur ad interiorem mentis devotionem, offerentes ad justificationis gratiam disponebant et praeparabant. Ideo prophetae non tam sacrificia, quam rectam intentionem, internum sacrificium urgent: *Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victima,* ait Samuel ad Saulem (1 Sam. 15, 22). *Holocaustis non delectaberis, Sacrificium Deo spiritus contributatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non*

despicies (Ps, 50, 18, 10), *Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta* (Os. 6, 6) col. Is. 1, 11—17. Jer. 6, 20. Mich. 6, 7 seq. Similiter ss. Patres: Augustinus (Civ. D. 10, 5): *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum i. e. sacrum signum est.* Thomas 2. 2, q. 85. a. 2.): *Significat sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo, secundum illud: Sacrificium Deo spiritus contribulatus . . . In oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris, sed significatio, qua hoc fit in honorem summi rectoris totius universi.*

4) Sacrificia per se et natura sua, seu ex opere operato Israelitas non justificasse probant verba prophetarum: *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* (Mich. 6, 6, 7 col. Is. 40, 16) et s. Paulus, qui diserte ait: *Impossibile est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata* (Heb. 10, 4), atque sacrificiis characterem tantum temporalem et carnalem tribuit: *Munera et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis* (Heb. 9, 9, 10), ideoque contraponit sanguini hircorum, qui sanctificat ad emundationem carnis, sanguinem Christi, qui *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (Heb. 9, 13, 14), sacrificia vocat *infirma et egena elementa* (Gal. 4, 9); insuper tunc mors Christi superflua fuisset (Gal. 2, 21). Hanc fidem in Christum postulat idem Apostolus Heb. 11. 4 seq. 8, 3; 7, 11; Gal. 2, 21; 3, 22 seq. — Justificabant autem sacrificia A. T. cum fide et spe in Messiam conjuncta. Remissio peccatorum et gratia sanctificans donabantur iis, qui adjuti per gratiam actibus fidei, spei et charitatis inserebantur in Christum reparatorem futurum, itaque tanquam membra capitis Christi futuri subnumerabantur semini mulieris triumphatori atque accensebantur Ecclesiae fidelium, ad quorum sanctificationem merita adhuc futura Christi capitis e sua misericordi promissione acceptavit Deus. Tali modo genus humanum convenienter ad futurum Salvatorem praeparabatur et ordinabatur. Sacrificia ergo A. T. futurum sacrificium Christi adumbrabant et jam per hanc futurorum umbram non poterant non aliquatenus de vi sui antitypi participare. Ita etiam ss. Patres; v. g. Augustinus (q. 25. in Num.): *Quae sacrificia, si per se ipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi; si autem res ipsae, quarum haec sacramenta (i. e. sacra signa) sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum,* et (c. 2. ep. Pel. 1, 7): *Dicimus vel ante legem, vel tempore V. T. a peccatis fuisse liberatos, non virtute propria . . . sed liberatos esse per sanguinem ipsius redemptoris, qui est unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* — Chrysostomus (fest. sang. Chr.): *Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, non eo, quod sanguis est, sed quia dominici sanguinis per eum demonstrabatur exemplum.* — Thomas (1. 2. q. 103. a. 2): *Poterat mens fidelium tempore legis per fidem conjungi Christo incarnato et passo, et ita ex fide Christi justificabantur, cujus fidei quaedam protestatio erat hujusmodi ceremoniarum observatio, in quantum erant figura Christi. Et ideo pro peccatis offerebantur sacrificia quaedam in vetere lege, non quia ipsa sacrificia a peccato mundarent, sed quia erant quaedam protestationes fidei, quae a peccato mundabat. Et hoc etiam ipsa Lex innuit ex modo loquendi. Dicitur enim Lev. 4. et 5., quod in oblatione pro peccato orabit pro eo sacerdos et dimittetur ei, quasi peccatum dimittatur non vi sacrificiorum, sed ex fide et devotione offerentium.* Quapropter Concilium Tridentinum (ses. 6. de just. cp. 1) declaravit: *Nec gentes per viam naturae, nec Judaei quidem per ipsam etiam literam Legis Moysi a peccato et potestate diaboli liberari aut surgere poterant.*

5) Admitti nequit opinio plurium Protestantium (Bähr, Riehm St. u. Kr. 1877. 31. Keil), expiationem (כִּפֶּר) per sacrificia effectam constitisse in eo, quod peccata cooperirentur vel tegerentur tantum, quo peccator contra iram divinam custodiretur (Delitzsch), vel peccatum tectum e conspectu Dei removeretur, itaque poenam divinam non amplius provocaret; nam כִּפֶּר expiare = purificare, sanctificare (Lev. 8, 15, 16, 18, 19; Ez. 43, 20, 26. 2 Par. 29, 24); cf. vocem assyriacam kuppuru = abstergere sc. a sordibus. Phrases parallelae sunt: *peccatum abstergere* (Jer. 18, 23), *portare* (Lev. 10, 17), *auferre* (Dt. 2. 8, 9), *mundare*

(Is. 6, 7), *projicere in profundum maris* (Mich. 7, 19). Confer Augustinum (en. 2 in Ps. 31. n. 9): *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Nec hic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. Quid enim erat Dei, videre peccata nisi punire peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur; Averte faciem a peccatis meis.* Confer Scholz, Heil. Altert. II. Bd. p. 143, J. Hehn, Sünde u. Erlösung nach bibl. und babyl. Anschauung 1903. — W. Staerk, Sünde u. Gnade nach d. Vorstellung d. ält. Judent. 1905. — J. Herrmann, D. Idee der Sühne im A. T. 1905. — J. Köberle, Sünde u. Gnade im relig. Leben Israel 1905. — Fr. Bennewitz, Die Sünde im alt. Israel 1907. — Peccata per expiationem vere auferri et tolli, testantur verba Davidis: *Peccavi, aufer iniquitatem servi* (1 Par. 21, 8), Dei ipsius: *Delevi ut nubem iniquitates tuas* (Is. 44, 22), Psalmistae: *Longe fecit a nobis iniquitates nostras* (Ps. 102. 12), variae imagines (Os. 5, 13. Jer. 30, 12—17. Is. 30, 26; Ez. 24, 6 seq.), v. g. lotionis et dealbationis (Ps, 50, 8; Lev. 16, 16, 19; Num. 5, 3. Jer. 2, 23. Is. 1, 16—18), mutationis vestium (Zach. 3, 4, 5), dimissio hirci die expiationis in desertum.

6) Sacrificia expiatum non tantum mundum a peccati macula, sed et sanctificatum, Deo reconciliatum, gratum et acceptum reddebant. Hoc probant: Jesus sacerdos induitur festivis mutatoriis (Zach. 3, 4, 5), verba Jeremiae (33, 7, 8), quod expiatio vitam denuo indit homini (Is. 55, 3), expiatum favor Dei prosequitur (Lev. 1, 4), peccator Dei filius efficitur (Os. 1, 10), epulae sacrae, de quibus participantes erant commensales Dei, verba ipsius legis (Lev. 1, 3, 4). Non obstat, quod defuncti pii Israelitae in limbo Patrum exclusi manserint a vita gloriae; nam ad hoc impedimentum removendum, quod erat per reatum totius humanae naturae, fides singulorum, per quam quidem a peccato personali purgabantur, minime sufficiebat, sed pretium sanguinis Christi, Salvatoris omnium, requirebatur, ut ipse in sanguine Testamenti sui *emitteret vinctos suos de lacu* (Zach. 9, 11), et *ascendens in altum captivam duceret captivitatem* (Eph. 4, 8).

7) A pluribus ss. Patribus (Justino dial. c. Tryph. n. 19, 23. Ambrosio de Abrah. 1, 4; de Sacr. 1. 4; Hieronymo Gal. 1, 3; Augustino in Ps. 72; c. Faust. 19, 13; Cyrillo Alex. in Jul. 10, Theodoreto q. 67, 68 in Gen., Joanne Dam. de fid. or. 4, 10, 14, 26, Gregorio M. l. 4 Mor. c. 2. 3, Isidoro q. in Gen. c. 13, Beda in Luc. 1, 2, Bernardo, serm. 3 de circ., serm. 2 de assump. Virg., Ruperto in Gen. l. 5. c. 33), Scholasticis et Conciliis quaedam ceremoniae religiosae Hebraeorum vocantur Sacramenta, et quidem merito. Sacramenta A. T. erant signa rei sacrae (legalis sanctificationis), quam practice et efficaciter significabant, simulque typi gratiae per Christum conferendae. Ista signa autem erant visibilia, nempe actus sine verbis, ritus religiosi a Deo determinati, qui carnem tantum sanctificabant, seu legalem vel leviticam sanctificationem efficiebant (Heb. 9, 13), ideoque animae characterem indelebilem non imprimebant, et quidem erant signa rememorativa, quae beneficia divina Israelitis in memoriam revocabant, demonstrativa, quatenus leviticam sanctificationem ipso actu collatam demonstrabant, et prognostica, quatenus messianae redemptionis pignora existebant.

Plerumque (col. Thoma 1. 2. q. 102. a. 5.) sex Sacramenta A. T. numerantur: circumcisio, esus agni paschalis, variae lustrationes, consecratio sacerdotum, oblatio victimarum et esus panum propositionis ac aliorum, quae sacerdotum usibus erant deputata. Quaedam eorum pertinebant *a)* commuuiter ad populum, *b)* quaedam specialiter ad ministros, et quidem sanctificatio aut incipiebat, aut augebatur, aut amissa reparabatur.

ad *a)* Sanctificatio theocratica incipiebat in circummcisione, conservabatur et augebatur esu agni paschalis et victimarum eucharist., et amissa per peccata levitica restituebatur lustrationibus. ad *b)* Sacerdotibus specialiter conferebatur sanctificatio per consecrationem, augebatur comestione panum propositionis et carnium sacrificalium, amissa vero restituebatur per lotiones et sacrificia. Sacramenta mortuorum (circumcisio et lustrationes) conferebant justitiam primam, reliqua vivorum justitiam secundam. Quamvis Sacramenta legalia in multis

conveniant cum Sacramentis N. T., tamen discrimen essentiale internum (praeter diversitatem ceremoniarum) inter utraque locum habet; erant enim illa tantum signa seu figurae, non causae gratiae. Discrimen sic edisserit decretum pro Armenis (in Conc. Florentino vide Denziger, Ench. n. 590): *Sacramenta N. L. multum a sacramentis differunt antiquae Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt,* confer et Concilium Tridentinum ses. 7. can. 2. 4. 6. (Ench. n. 727); ideoque ea in N. T. erant abroganda, ut definivit decretum pro Jacobitis (Ench. n. 603). *In Sacramentis A. T.,* observat Franzelin (tr. de sacr. in gen. thes. I. Rom. 1873) *duplex erat significatio diversa duplicis sanctificationis, significatio δεικτική et efficax sanctificationis legalis in praesenti, et significatio prophetica sanctificationis theologicae in futuro. Sacramenta A. T. ad hunc effectum tunc valebant, si cum viva fide in futurum Messiam et vera animi dispositione peragebantur, et tunc erant digna praeparatio ad justificationem.*

Congruentia institutionis Sacramentorum A. T. repetitur *a)* e natura hominis lapsa; erant enim remedia contra ignorantiam, superbiam et inordinatam concupiscentiam, effectus peccati; *b)* e vocatione Israel tanquam populi Deo specialiter consecrati, e quo prodiret Messias; et *c)* e relatione naturae ad oeconomiam divinam salutis. Obligabantur ad ea recipienda Judaei tantum, et quidem non singuli ad singula, sed conditionatim ad quaedem eorum.

Confer praeter Archaeologias: V. Thalhofer, Unb. Opfer d. mos. Kultus. 1848. Opfer d. A. u. N. Bundes, 1870. G. Karch, Mos. Opfer, 1854. Stöckl, Opfer nach s. Wesen u. Geschichte, 1861. Tosi, Über das Opfer, Öst. Vierteljschr. 1872, 481; S. Schmalzl, Die Sakramente des A. T. im allg. Eichst. 1883. Riehm, Begriff der Sühne im A. T. St. u. Krit. 1877. Musil, Arab. Pet. III. enarrat multa sacrificia Arabum nomadum.

§. 27. *B)* Leges munditiei.

a) Lustrationes sacrae.

1) Jahve, utpote sanctus, voluit, ut Israel ubique et semper sanctum se exhiberet, ideo praescripsit leviticas lustrationes propter quosdam habitus et functiones corporales, quae hominem legaliter contaminabant et ad certum tempus a consortio cultus (i. e. ingressu in domum Dei, ab omni actu cultus publici, ab esu carnium sacrificalium), imo a societate arcebant. Sic religio Israelitam non tantum ad aras, sed etiam ad focos comitabatur. Discernuntur autem immunditiae[1]) cadaveris, leprae et functionum partium genitalium vel eorum, quae ad vitam hominis sexualem et ad mortem pertinent, quia haec e peccato originali orta erant et in his praeprimis effectus peccati se manifestant. Lustrationes hae (sacramenta) remedia quasi erant ad tollendas praedictas immunditias ex statuto Legis inductas; restituebant enim ex opere operato munditiem leviticam (non moralem), conscientiam culpae et poenae acuebant et desiderium futurae redemptionis excitabant[2]). Immunditiae erant aut leves, quae lotione simplici, aut graves, quae lotione cum cinere vaccae rufae, imo et sacrificiis erant mundandae.

1) Quamvis tales immunditiae saepius peccatum personale non supponant, tamen sunt effectus peccati, quo natura lapsa erat infecta; uti mors (cadaver), tanquam stipendium peccati (Rom. 6, 23), lepra, imago mortis, et genitalia, per quae in generando mors corporalis et spiritualis propagatur. Quaedam res, si tangerentur v. g. morticinum, hominem ejusque vestimenta, aliae, uti cadaver humanum, totam domum contaminabant, ita ut im-

mundus immunditiam suam etiam propagaret. In quibusdam casibus homo erat immundus usque ad vesperam, in aliis per longius tempus.

2) Praescripsit Moyses has leges (partim jam antea observatas Gen. 31, 35), ut studium puritatis internae Hebraeorum promoveret, ita ut cum reverentia ad cultum divinum accederent, ut sanitati consuleret, mores redderet mansuetiores, eos ab ethnicismo secerneret atque a periculo seductionis in idololatriam removeret. Lustrationes erant typi Sacramenti poenitentiae N. T.

2) Cadaver humanum per septiduum contaminabat domum, in qua mortuus jacebat, homines ingressos, omnia vasa aperta (Num. 19, 14 seq.) et universas res per contactum cadaveris (Num. 31, 20 seq.); similiter is qui ossa vel sepulcrum tetigerat, immundus erat (Num. 19, 16), et immunditiam propagabat ad omnia, quae tangebat. Lustranda erant aquâ lustrationis, qua die tertio et septimo aspergebantur (Num. 19, 17 seq.).

Contaminatio per cadaver humanum erat maxima, quia in morte corporis effectus peccati maxime elucet; ideo requirebatur aqua viva mixta cum cinere vaccae rufae (quasi cinis lixivius) in die tertio et septimo propter sanctitatem horum numerorum; qui (etiam advena) negligebat hunc ritum, exscindendus erat de ecclesia (Num. 19, 20). Qui morticina tangebat, immundus erat usque ad vesperam et se (atque vestimenta) lavare debuit; morticinum octo reptilium immundorum non tantum hominem, idem tangentem, sed et vasa et vestimenta, super quae cecidit, contaminabat usque ad vesperam, quae lavanda (vel confringenda) erant (Lev. 11, 24 seq.). Bestiae mactatae non contaminabant. Contaminatio per tactum morticini minor erat, quia mors animalium non erat immediatus effectus peccati.

3) Lepra, dissolutio et corruptio organismi humani, mortisque praenuncia (Lev. 13, 14), a societate humana leprosum excludebat; leprosus mundatus speciali ritu et sacrificio a sacerdote recipiendus erat (Lev. 14). Etiam lepra in aedibus (Lev. 14, 34), et in vestimentis lineis vel laneis (Lev. 13, 47) a sacerdote mundanda erat, vel aspersione vel destructione rerum.

Quatuor species leprae distinguuntur: *a)* Elephantiasis i. e. lenta articulationum destructio, *b)* lepra alba, *c)* nigra et *d)* rubra. Lepra benignior remediis adhibitis sanari poterat, malignior immedicabilis erat et contagiosa (Lev. cp. 13 et 14). Nomine leprae etiam maculae coloris vestium aut domorum vocantur per aequivocationem; erant probabiliter lichenes vel formationes plantarum, quae muros corrodebant. Confer Sommer, Bibl. Abhandl. I. 220.

4) Functiones genitalium aut normales aut morbidae, utpote quae cum coitu, generatione et concupiscentia cohaerent, contaminabant, et quidem: effusio seminis[1]), fluxus seminis et sanguinis[2]), atque puerperium[3]).

1) Effusio seminis, sive pollutio, sive in coitu, immundum reddebat virum (et uxorem vestimentaque) usque ad vesperam, quae immunditia a sacris arcebat et lotione tollebatur (Lev. 15, 16), qua re polygamia arceretur cf. Musil l. c.

2) Fluxus seminis crudi vi morbi in vasis debilitatis virum (et omnia contacta usque ad vesperam) contaminabat; si sanatus fuerat, septem dies post emundationem numerabat, et, lotis vestibus et corpore aqua via, die octavo duos pullos columbarum offerebat (Lev. 15, 2 seq.). — Menstruatio feminam septem diebus (et omnia contacta usque ad vesperam) immundam faciebat. Qui coierit inscie cum menstrua, septem diebus immundus erat, sciens autem morte plectebatur (Lev. 15, 19 seq.), probabiliter ob periculum luis venereae. Mulier, quae fluxum sanguinis patitur, immunda erat durante passione et purganda, ut vir, fluxu seminis laborans (Lev. 15, 25 seq.).

3) Puerpera, quae peperit masculum, 7 diebus (si feminam, 14 diebus) immunda erat, et dein adhuc 33 diebus (si feminam, 66 diebus) in sanguine purificationis suae manebat, quo tempore sanctum tangere aut sanctuarium ingredi prohibebatur. Elapso tempore agnum anniculum in holocaustum et pullum columbae pro peccato (pauper tantum duos turtures) in templo offerebat et a sacerdote mundabatur (Lev. 12.).

b) Leges convivales.

1) Etiam nutrimentum Israelitarum legi subordinatum erat. Per leges convivales Deus inter mundum et immundum distinxit Lev. 11.[1]); immunda et omnia Deo sacrata[2]) comedere prohibuit, tum propter reverentiam Deo exhibendam, tum, ut Israel suae electionis prae gentibus ac vocationis suae continuo memor esset, se sanctum et purum Deo, cujus erat pars, exhiberet, ne vias ethnicorum ambularet, sed recordaretur[3]), totum mundum in maligno positum (1 Joh. 5, 19), maledictioni subjectum esse, ingemiscere, parturire atque revelationem filiorum expectare (Rom. 8, 18 seq.).

1) Immunda erant: *a)* quadrupedia (rapacia), quae ungulam integram non dividunt nec ruminant, et quae super manus ambulant, uti camelus, asinus, sus, lepus, ursus, felis etc.; *b)* reptilia omnia (exceptis 4 speciebus locustarum), quae gradiuntur super quatuor pedes nec habent longiora retro crura; *c)* aquatilia, quae pennulas et squammas non habent (pisces anguinosi); *d)* nonnullae (24) species avium, praeprimis, quae carne vescuntur, uti aquila, milvus, vultur, corvi et aliae: struthio, noctua, accipiter, cignus, vespertilio etc. (Lev. 11. Dt. 14), breviter ergo animantia, quae in se jam typum peccati et corruptionis repraesentant; *e)* morticinum erat etiam caro munda non rite secta, quae advenis vendebatur, bestiae lapidatae (Ex. 21, 28), carnes a bestiis laceratae vel praegustatae (Ex. 22, 31 trefah), caro hoedi cocta in lacte matris (Ex. 23, 19) ob quandam sympathiam vel humanitatem cf. J. Döller, Z. Theol. u. Glaube I. 379 seq., cibus et potus in vase non cooperto, in loco morientis vel mortui exstante (Num. 19, 15), et omne, quod sacrificio idolorum destinabatur (idolothyta. Act. 15, 29). Distinctio animalium mundorum et immundorum in lege naturae jam vigens (Gen. 7, 2, 3), verisimiliter ab Adamo repetitur, unde universalitas ejusdem inter gentes explicatur. Ceterum Judaei carnem animalis comedere poterant, dummodo hoc legitime mactatum erat.

2) Deo sacra erant: adeps (bovis, agni et caprae), sanguis animalium, primitiae messis; poma lignorum anno quarto a plantatione Deo sanctificanda erant; nam priorum trium annorum fructus (alias praeamati) erant immundi (Lev. 19, 23 seq.) — en analogiam legis paradisi! Esus adipis et sanguinis morte damnabatur. Ob pietatem (Gen. 32, 32) Israelitae nervum ischiadicum non comedebant.

3) Leges convivales Israelitarum non sunt repetendae a religione gentium, nec institutae ob causas medicinales vel diaeteticas, quia nonnulla animalia sunt aut insalubria, aut ad comedendum minus apta, aut taedium naturale excitant (uti putant Rationalistae), nec latae, per quas sanitati animae consuleret Deus (Josephus et Rabbini), sed a Deo praescriptae ob finem religiosum, et quidem non tam ob momentum symbolico-asceticum, ut essent admonitio allegorica ad evitanda vitiorum mala ac sequenda virtutum bona (Philo, Irenaeus haer. 5, 8, schola Alexandrina, Augustinus c. Faust. 6, 7; 16, 30; 30, 5 col. s. Thoma sum 2. 2. q. 102. a. 6), quam ob rationes positivas, nempe *a)* ut electio Israel e gentibus ejusque dignitas sacerdotalis continuo memoraretur; *b)* ut Israel a gentibus separaretur earumque spurcitias et superstitionem sedulo caveret: *Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis. Separate ergo et vos mundum ab immundo, ne polluatis animas vestras in pecore . . . Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a ceteris gentibus, ut essetis mei* (Lev. 20, 24 seq.); et *c)* ut spiritualem

immunditiem (peccatum) vitaret, atque ad sanctitatem informaretur et consequenter apte ad Christi adventum praepararetur (Thomas 1. 2. q. 98. a. 4). Confer leges ecclesiasticas de abstinentia. Discrimine inter Judaeos et gentiles in Ecclesia christiana sublato, etiam leges convivales sunt abolitae (Col. 2, 16, 17. Act. 10, 13 seq.). A. Wiener, Jüd. Speisegesetze. 1895.

2) Praecipua alimenta erant: panis[1]), terrae fructus, carnes et mel[2]); potus: aqua, lac, vinum, sicera[3]). Principalis refectio erat sub vespere (coena). Convivae ad mensam vel assidebant, vel in lectulis accumbebant[4]).

1) Panis conficiebatur a mulieribus e frumento et e farina hordeacea. Frumentum in singulis familiis molebatur parva molâ. Haec duobus rotundis lapidibus constabat, quorum superior in orbem volvebatur, ita ut grana inter lapides posita tererentur, et quidem ope manubrii, aut ab asinis in orbem circumducti (mola asinaria), aut a servis et ancillis moti Ex. 11, 5. Jud. 16, 21). Quandoque panes sub cinere (subcinericii) coquebantur.

2) Mel apum erat aut silvestre, aut industria ex apum cultura comparatum; et adhiberi solebat tum in cibum, tum ad dapes condiendas.

3) Sicera (שֵׁכָר) generatim erat liquor inebrians ex granis hordei fermentatis aut ex dactylis palmarum aliisque fructibus paratus, quo abstinebant sacerdotes ministerio fungentes, Naziraei et Rechabitae, de quibus consule Jer. 35. Ex vino et sicera parabatur acetum, quod aqua mixtum potui inserviebat (Num. 6, 3. Ruth. 2, 14).

4) Prima refectio sumebatur circa meridiem. Ante cibum preces fundere et coenâ peracta gratias Deo agere solebant.

Circa mensam appositi erant lectuli generatim tres, quorum singuli rursus tres homines (triclinium) capiebant. In his singuli discumbebant super latus sinistrum reclinati et pedibus extra mensam versus terram demissis (Joh. 21, 20). Lectus medius honoratiori convivae cedebatur. Hebraei cibos e patella in os inferebant manu vel digitis, unde orta consuetudo, manus lavandi ante et post mensam. Inter coenandum amoenis colloquiis et honestae laetitiae iudulgebant, praesertim post vini haustum (inebriari). Cf. F. Kortleitner, Archaeolog. bibl. summarium 1906, 224 seq.

§. 28. *C)* Reliquae actiones religiosae.

1) Vota, quae pia sensa fovent et religionem promovent, Moyses ex antiqua consuetudine (Gen. 28, 20) ad religionis exercitium retinuit eorumque obligationem inculcavit, nequaquam vero ad ea vovenda excitavit (Dt. 23, 21 seq.), imo res, quas quis spoponderat, redimere fas erat[1]) (Lev. 27). Vota erant aut positiva, quibus res, animal vel persona Deo consecrabatur[2]), aut negativa, quae in abstinentia a rebus licitis consistebant. uti votum Naziraeatus[3]). Etiam jejunium noverat Lex antiqua[4]).

1) Exceptis animalibus, ad oblationem idoneis et anathematizatis. Deo voveri non poterat, quod ei de jure debitum erat, uti primitiae, decimae, porro merces prostibuli (Dt. 23, 18) et hostia debilis (Mal. 1, 14). Pater vota filiae, et maritus vota uxoris irritare poterat, si statim, ut audierit, contradixit (Num. 30). Frequentiam votorum confirmant Gen. 31, 13. Jud. 11, 30; Jon. 1, 16. Nah. 1, 15; Ps. 65, 13. 2 Sam. 15, 8.

2) Animalia devota, si ad sacrificandum erant idonea, offerebantur; seclusa vero ab altari vendebantur a sacerdotibus. Pecuniae agri et domus devotae cedebant sacro tabernaculo vel templo, nisi agri ante annum jubileum redemti fuissent. Homines devoti fiebant servi tabernaculi aut templi, nisi redimerentur. (Ackermann, Arch.).

3) Vir et femina speciali modo Deo se consecrare poterant (unde Nazir i. e. *dedicatus, consecratus*) eo, quod a vino, omni inebrianti potu et ab eo, quidquid de uva expri-

mitur (ab uvis recentibus et siccis, aceto), a quacunque contaminatione per cadavera abstinerent, et caesariem (symbolum incrementi virtutum et vigoris) non raderent. Naziraeus, etiam inopinate contaminatus per mortuum, die septimo purgationis caput radere et die octavo duos turtures in holocaustum et pro peccato, atque agnum pro delicto offerre, et tali modo mundatus votum denuo inchoare debuit, ita ut dies priores non numerarentur. Tempore voti elapso, agnum in holocaustum, ovem pro peccato (involuntarie commisso), arietem tanquam sacrificium eucharisticum et canistrum panum azymorum, oleo conspersorum, et lagana uncta oleo ac libamina singulorum obtulit; coma ejus ante ostium tabernaculi amputata cum sacrificio pacifico concremabatur (Num. 6). Naziraeatus votum erat aut temporarium (30 dierum), aut perpetuum. Interdum parentes filios (nondum natos) Deo vovebant, v. g. Samuelem (1 Sam. 1, 11), Samsonem (Jud. 13), Joannem Baptistam. Naziraei, a mundo ejusque deliciis separati et specialiter Deo consecrati, magna fruebantur apud populum auctoritate, hinc periculo instante eorum intercessio implorabatur (1 Mach. 3, 49). Naziraeatus typus rei monachicae exstitit.

4) Praeter jejunium in die expiationum lege praescriptum (Lev. 16, 29; 23, 27) nonnunquam in publicis calamitatibus ad Deum placandum jejunium fuit decretum (Jud. 20, 26; 1 Sam. 7, 6; 31, 13. Bar. 1, 5. Joel 1, 14. 2 Par. 20, 3. 1 Mach. 3, 47. Judith 4, 8), nam jejunio affligebatur anima (Esr. 9, 5. Ps. 34, 13). Tempore postexilico jejunarunt Judaei die 17. Thammuz in memoriam Jerusalem per Chaldaeos expugnatae (Zach. 8, 19 col. Jer. 39, 2), die 9. mensis Ab ob templi concremationem (Zach. 7, 3, 5), die 3. Tischri ob occisionem Godoliae (Zach. 7, 5 col. 4 Reg. 25, 25. Jer. 41, seq.) et die 10. Tebeth propter obsidionem Jerusalem (Zach. 8, 19 col. Jer. 39, 1; 4 Reg. 25, 1) Singuli etiam in dolore, luctu et in rebus adversis jejunabant. Jejunio plerumque signa externa erant juncta: cilicium, scissio tunicae, sparsio cineris super ceput (2 Sam. 13, 19; 3 Reg. 21, 27. Jon. 3, 5).

2) Voto cognatum erat jusjurandum[1]), cui plerumque imprecatio aut execratio erat adjuncta. Perjurium erat vetitum et expiari debuit (Lev. 6, 1. seq.). Praeoptata erat benedictio[2]) patris moribundi, e contra timebatur execratio, qua justitia et ira divina (ut in Psalmis maledictoriis) in vindictam provocabatur (Gen. 9, 25; 27, 12). Inter execrationes maxime eminet anathema[3]), a quo diversa est excommunicatio.

1) Nonnullis in casibus jusjurandum lege praescriptum erat (Ex. 22, 8. Lev. 5, 4; 6, 3; Reg. 8, 31). Formulae jurisjurandi erant: *Vivit Dominus, sit Dominus inter me et te, haec faciat Dominus, si* (hoc facio aut non facio), *sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei etc.* Hebraei jurabant elevata manu quoque per civitates et loca sacra, uti per Hebron, Silo, Jerusalem, etiam per se ipsum vel per vitam alterius. Jurare in diis, Baal (Jer. 5, 7; 12, 16), in delicto Samariae, i. e. vitulo aureo (Am. 8, 14), vetitum erat. Pharisaei jurabant per coelum, terram, caput, templum, aurum templi, quem abusum Christus carpebat (Matth. 5, 34; 23, 16, 18). Proprietates jurisjurandi notat Jeremias (4, 1): *Jurabis in veritate, et judicio, et justitia.* Juramentum Domini erat fundamentum omnium institutionum moralium in A. T. Ch. J. Happel, Der Eid im A. T. 1893.

2) Lex mosaica jus benedicendi nec paternum, nec regium (3 Reg. 8, 55) coarctabat; et sacerdotes speciali benedicendi facultate (Num. 6, 3 seq.) instruxit, cui Deus benedictionem suam adjungendam promisit.

3) Anathemate (cherem) homines pertinaciter scelesti, animalia et res justitiae divinae devovebantur, et tali modo devota physice vel civiliter erant destruenda (Lev. 27, 28); idem nonnisi jussu divino a magistratu infligebatur hominibus, populis et urbibus, qui Deum oderant, vel idololatris. Variae autem sunt ejusdem species: *a)* Israelitae Molocho immolantes occidebantur (Ex. 22, 20). *b)* Si urbs diis alienis servierat, incolae et pecora deleri et supellectilia succendi debuerunt (Dt. 13, 13 seq.). *c)* Anathema decretum erat contra urbes Chanaan, quarum (Jericho) incolae cum animantibus percutiendi, res pre-

tiosae in thesauris sacris reponendae erant (Dt. 20, 16; Jos. 6, 17 sep.); in nonnullis urbibus, uti Amorrhaeorum, tantum homines occidebantur, pecora et supellex cedebant in usum victorum (Dt. 2, 34 seq.; 3, 6 seq. col. Jos. 8, 2). Amalecitarum anathemazitorum homines et pecora (1 Sam. 15, 3), Madianitarum viri et mulieres tantum (Num, 31. 7 seq.) percutiebantur. Tempore postexilio Judaei inobedientes vel res theocraticas contemnentes (Es. 10, 8) per synagogam aut plane, aut per 30 dies, e communitate excludebantur vel excommunicabantur (col. Joh. 9, 34).

3) In memoriam, Deum esse dominum terrae promissae, et Israelitas esse colonos et advenas (Lev. 25, 23), praecepit Moyses, ut primitiae frugum[1]), primogenita hominum et pecoris[2]), atque decimae[3]) Jahvae sanctificarentur.

1) Primitiae frumenti, vini, olei, ficum, malogranatorum, mellis et lanarum ex ovium tonsione Deo sacrae (Ec. 23, 19. Dt. 8, 8; 18, 4), sub certo ritu et cum professione praescripta sacerdotibus tradebantur et quidem ad renovandam quotannis Dei creatoris et benefactoris memoriam (Dt. 26, 2 seq. Num 18, 12). Poma lignorum anno quarto tanquam »laudabilia Domino« cedebant in usum sacerdotum (Lev. 19, 23). In altero Paschatis manipulus et festo Pentecostes duo panes fermentati tauquam primitiae messis offerebantur. (Secundum Musil, Arabes nomades hucusque primitias »coram domino sistunt«.)

2) In memoriam plagae decimae, Aegypto inflictae, et salvationis Israelitarum omnia primogenita ex hominibus et pecoribus erant Deo consecrata (Ex. 13, 2; Num. 3, 13; 18, 15); et quidem *a)* primogenita masculina de hominibus redimenda erant quinque siclis argenteis, quia proprie sacerdotio destinata erant (Num. 18, 16); *b)* primogenita munda atque integra e pecoribus immolanda erant in sacrificia pacifica, si autem non immolabantur, et *c)* primogenita immunda redimenda erant (Lev. 27, 27).

3) *a)* Decimae frugum et pomorum arborum, bovis, ovis et caprae Levitis tradendae erant, ast et redimi poterant (Lev. 27, 30, 31; Num. 18, 21). *b)* Decima pars harum decimarum a Levitis tradebatur sacerdotibus. *c)* Decimae frumenti, olei et vini, primogenita de armentis et ovibus quotannis in loco sacro in convivium convertebantur, ast et redimi poterant (Dt. 14, 23 seq.). *d)* Anno tertio decimae de omnibus, quae nascuntur, adhibendae erant in convivium, ad quod Levitae, pauperes et advenae invitabantur — decimae pauperum (Dt. 14, 18, 29. Tob. I, 7). Usum decimarum antimosaicum testatur Gen. 14, 20. — Praeterea omnes Israelitae, etiam in diaspora viventes, ab anno 20. vitae dimidium sicli in usum templi dare obligabantur (Ex. 30, 12, col. 2 Par, 24, 6 — didrachma Matth. 16, 23). Alii diversas de decimis leges diversis temporibus attribuunt statuentes, illas leges non simul, sed diverso tempore in usu fuisse. Cf. Hoberg, Moses u. d. Pentateuch, 1905, 60—68.

Leges judiciales.

§. 29. Instituta politica et civilia.

1) Praeter leges ceremoniales Deus per Moysen etiam leges judiciales dedit, ad ordinandum populi statum secundum justitiam et aequitatem, quae in quatuor classes[1]) dividi possunt. Cum respublica Hebraeorum fuerit theocratica, ex modo regiminis, sub quo vixerunt Israelitae, horum jus et conditio civilis essentialiter differebant a gentilibus. Potestas principum non erat dominorum arbitrariorum, sed vicariorum et ministrorum Dei; nam magistratus legibus divinis erat plane subjectus, atque judicia nomine divino, et quidem secundum has leges, exercebat[2]). Postquam Moyses, internuncius Dei et populi,

mortuus est, postestas ejus in pontificem, tanquam vicarium Jahvae, transiit; Josue non erat nisi dux designatus ad terram Chanaan expugnandam et dividendam.

1) Thomas (1. 2. q. 104. a. 4): *Quadruplex ordo in aliquo populo inveniri potest: unus quidem principum populi ad subditos; alius subditorum ad invicem; tertius eorum qui sunt de populo, ad extraneos; quartus ad domesticos.* Judicialia V. T. praecepta Christo veniente evacuata sunt; vim obligandi e paedagogica institutione divina vel humana habuerunt.

2) Dt. 12, 32; 17, 9, 11. Ps. 71, 2; 2 Par. 19, 6.

2) Moyses, Jethronis suasu, ad negotia levia tractanda e singulis tribubus, generationibus et familiis principes elegit (Ex. 18, 25), qui una cum Levitis (Dt. 17. 9) judicium ferrent. Hi senatum loci, et in unum congregati (seniores) comitia constituebant atque totum populum repraesentabant. Crimen religiosum (peccatum) a judice propter regimen theocraticum poenis, lege statutis, puniebatur[1]. Judicium publice (voce) habebatur in portis (Dt. 16, 18), et fere semper (2 vel 3) testes adhibebantur (Dt. 19, 15). Vetus lex Israelitas maxime per temporales promissiones et comminationes Deo adstringebat, quin tamen spirituales excluderet[2]).

1) Ita idololatria (Dt. 17, 2) et seductio ad eam (Dt. 13), hariolatio (Lev. 20, 6), praestigiatio (Ex. 22, 18), auguratio (Lev. 19, 26), blasphemia (Lev. 19, 26), violatio sabbati (Ex. 31: 14), incestus (Lev. 20, 11), adulterium (Dt. 22, 21), violatio reverentiae erga parentes (Dt. 21, 18), aliarumque legum ceremonialium transgressio intenta (Lev. 19, 8, 16. Ex. 30, 33, 38) capite lucebantur.

2) Is. 1, 23. Jer. 5, 28. Zech. 7, 9.

3) Cives theocratiae gaudebant speciali tutela Dei tanquam vindicis afflictorum. Hebraeorum reipublicae cives censebantur: *a)* qui utroque parente nati erant Hebraei et circumcidebantur; *b)* qui alterutro parente hebraeo orti, religionem hebraicam profitebantur[1]); *c)* proselyti, qui ceremonias (purificationes, comestionem agni paschalis etc. Ex. 12, 48) cum circumcisione accipiebant, exceptis iis, qui tantum habitare inter Hebraeos permittebantur.

1) Num. 11, 4. Jos. 8, 35, Lev. 25, 47. Act. 16, 1. 2 Tim. 1, 5.

4) Inter leges, quae relationem concivium ad invicem determinant, pertinet *a)* lex agraria[1]), cujus vigore terra, a Deo proprietario Patriarchis promissa, inter Israelitas uti heredes et colonos aequali modo erat distribuenda (Num. 26, 53, 54). *b)* Saluti et vitae civium consuluerunt varia supplicia vel poenae[2]). *c)* Bonis fortunae prospexit Deus per alias utiles leges[3]). *d)* Avaritiam possessorum et depravationem agrorum praecavit vervactum, anno sabbatico praeceptum.

1) Cuivis Israelitae proprius erat ager, unde suos sustentaret, atque familiae (primogenito) ita erat hereditarius, ut nemini liceret, eum in perpetuum vendere vel emere; nam anno jubilaeo gratis erat restituendus domino. Moyses consuetudinem, agrorum terminos lapidibus signandi in legem convertit et anathematizavit eos, qui terminos clam dimovere conarentur (Dt. 19, 14; 27, 17). Nowack, Die sog. Probleme in Israel u. deren Bedeutung f. d. relig. Entwicklung dieses Volkes. Straßb. 1892. Buhl, D. soz. Verhältnisse der Israeliten, Berl. 1899. Musil p. 293.

2) Poenae erant variae: *a)* mortis, et quidem lapidatio; ita ut testes primos lapides in reum projicerent (Dt. 13, 9, 10); vel percussio cum gladio (Dt. 13, 15.

Num. 25, 7), statuta in 18 crimina (v. g. idololatrium Dt. 17, 2 seq., violationem sabbati Num. 15, 35. blasphemiam Lev. 24, 16, omissionem circumcisionis Gen. 17, 14, celebrationis Paschatis Num. 9, 13, esum sanguinis etc.), cum quo supplico nonnunquam, quasi ad augendam poenam, concrematio (Lev. 20, 14; 21, 9), vel suspensio cadaveris erat conjuncta (Dt. 12, 33), et poena ignis statuta contra eos, qui matrem uxoris suae sibi in matrimonium copularent (Lev. 20, 14) et contra filiam sacerdotis in fornicationem lapsam (Lev. 21, 9). Reliqua supplicia in A. T. obvia: concidi in frusta (1 Sam. 15, 33), distendi (2 Mach. 6, 19. Heb. 11, 35), serrari (1 Sam. 12, 31. Heb. 11, 37), vivum concremari in camino ignis (Dan. 3, 20), originis erant extraneae. — *b)* Poenae corporales, et quidem flagellatio (pro 207 delictis statuta) cum virga vel flagellis; reus ad summum 40 seu 39 plagis verberabatur (Dt. 25, 2, 3; 2 Cor. 11, 24). *c)* Excommunicatio, vel excisio e populo atque privatio bonorum et jurium spiritualium (Esd. 10, 8), quae erat poena gravissima. *d)* Supplicium talionis, vi cujus vita pro vita, oculus pro oculo etc. reddebatur (Ex. 21, 23—25; Lev. 24, 20), necessarium erat ad potentiorum insolentiam et inferiorum rebellionem reprimendam; leviores laesiones lytro (Ex. 21, 19), compensatione, dimissione servi caesi, servitute vel aliis satisfactionis modis redimi poterant (Ex. 21, 25 seq.). Cum hoc supplicio cohaeret ultio sanguinis, vi cujus executio supplicii, in homicidam statuta (Gen. 9. 6), devolvebatur in fratrem aut proximum cognatum (Goël Lev. 25, 48, 49); hoc antiquissimum jus, ubique receptum, Moyses servavit quidem, ast abusum ejus praecavit, assignando asyla vel urbes refugii homicidis involuntariis; *e)* Celerrima justitiae executio carceres superfluos quidem faciebat, sed nonnunquam damnati ibi includebantur (Lev. 24, 12); tempore postexilico carceres etiam poenae instar adhibebantur (Jer. 37, 15. Esr. 7, 26) et quidem aut in portis (Jer. 20, 2) aut in atriis palatii (Jer. 32, 2; 37, 20). *f)* Dominus, de tauro cornupeta monitus, si hominem liberum interemisset, pretium solvere debuit. Ceterum in lege divina frequenter ultio prohibetur et oblivio injuriarum commendatur (Lev. 10, 17; 19, 18). Musil p. 334 seq.

3) Lege vetitum erat, ab Hebraeis usuram accipere pro mutua pecunia (Ex. 22, 15; Dt. 23, 19, 20); item ne debita anno sabbatico exigerentur (Dt. 15. 1), ne pignus petens, quidquid arrideret (v. g. mola, vestimentum), sumeret (Dt. 24. 10 seq.), ne merces indigenti denegaretur (Dt. 24, 14), ne pondera diversa (majus et minus) haberentur (Dt. 25, 13). Praecepit insuper Deus, ut in mutuo consortio studia caritatis, utpote Deo grata, prosequerentur, v. g. surdo non maledicendum, caeco offendiculum non ponendum, spicilegium, remanentes ex collectione olivas et racemos pauperibus relinquendos, pecora errantia ad dominum suum reducenda (Ex. 23, 3, 4. Lev. 19, 14. Dt. 22, 1, 2). Causa est, quia et ipsi, quum Aegyptiis servierint, eos erga se liberales et humanos esse optaverint. Hejčl, Alttest. Zinsverbot im Lichte d. ethnologischen Jurisprudenz u. d. altorient. Zinswesens. Frb. 1907.

5) Theocratia induxit maximam separationem Judaeorum a gentibus, tum a idololatriam cavendam et exstirpandam, tum ad mores ethnicos et idololatricos evitandos; ideo separationis hujus sensus animis Hebraeorum frequenter inculcabatur (Ex. 19. 5; 23. 32. Lev. 20. 24; Dt. 7, 5). Huc spectant: *a)* Ciborum discrimen lege constitutum, ob quod Judaei et ethnici a mutuo congressu et convictu penitus abstinere debebant. *b)* Morum et rituum differentia[1]). *c)* Lex agraria, vi cujus Deus populum totum rei agrariae addixit et mercaturam cum exteris coarctavit, eo magis, quia Palaestina omnia ad victum necessaria subministrabat. *d)* Vetitum foedera cum gentibus pangendi[2]), *e)* connubia cum filiabus gentium ineundi[3]). — Omnes Israelitae exceptis Levitis ut milites ab anno 20. usque ad 50. servire debebant. Instante bello exempti erant: *a)* qui domum aedificabant, *b)* qui

plantaverat vineam atque ex ea fructum nondum perceperat, *c)* qui sponsam nondum in domum deduxerat et *d)* omnes formidolosi[4]).

1) V. g. praecepta de non arando bove et asino simul praejunctis, de non induenda veste, quae lino et lana texeretur (Dt. 22, 10, 11), de non serendis in agro diversis seminibus (Lev. 19, 19).

2) Propter periculum subversionis, perfidiae et scandali (Ex. 34, 12; 2 Par. 16, 7), unde prophetae perpetuo in foedera cum gentibus invehuntur (Is. 30, 2; 31, 1. Os. 5, 13; 7, 11).

3) Duo postrema vetita tantum gentes Chanaan (Dt. 7, 1) et Amalecitas concernebant. Alios vero peregrinos, inter Hebraeos habitantes, lex officiis humanitatis et clementiae prosequendos statuebat, si excipias Ammonitas, Moabitas propter vitium animi et obstinationem, eunuchos et de scorto natos (Mamzer seu spurios usque ad 10. generationem col. Dt. 23, 2 in abominationem fornicationis), qui nunquam (Dt. 23, 1 seq.), et Edomitas atque Aegyptios, qui post tertiam generationem (Dt. 23, 8) jure civitatis et religionis donari poterant, et quidem Edomitas propter consanguinitatem et Aegyptios propter hospitalitatem Israelitis exhibitam.

4) Cf. Schegg, Bibl. Arch. II. pg. 702.

6) Ad vitam socialem et commercium agendum pertinent pondera, nummi et mensurae. Ante exilium babylonicum pondera tantum occurrunt. post reditum autem praeter pondera[1]) etiam nummos proprios[2]) et aliarum gentium nummos[3]) usu receperunt Judaei. Mensurae sunt aut longitudinis ad distantias metiendas[1]), aut cavae ad rerum quantitatem definiendam, quae rursus sunt aridorum[5]) vel liquidorum[6]). Hebraeis bona fides in emptione et venditione inculcatur[7]).

1) Pondera i. e. aurum et argentum in parvas massas divisa, in bilance appendebantur et ope lapillorum in altera lance eorum pondus definiebatur; hinc emptores et venditores istos lapillos in marsupio gestare solebant (Dt. 25, 13—15). Ad fraudes cavendas moduli uniuscujusque ponderis in tabernaculo (templo) asservabantur, juxta quos sacerdotes alia pondera et mensuras exigerent, unde pondera »sanctuarii«, vel »juxta mensuram templi« vocantur (Ex. 30, 13. Lev. 27, 25. Num. 3, 47; 8, 16).

2) Primus inter Hebraeos princeps, qui monetum cudebat, erat Simon Machabaeus, cui Antiochus Sidetes, rex Syriae, anno 138 ante Chr. hanc facultatem concessit. In s. Scriptura adducuntur talentum, mina, schekel et gera (pondera et nummi).

a) Gera ex cupro (obolus Num. 8, 26. Lev. 27, 25) = $^1/_{20}$ drachmae = 12 Pfen., quorum 20 = 1 siclo. *b)* Schekel (siclus i. e. pondus) valebat juxta Josephum (Ant. II 8, 9) 4 drachmas atticas. Erat autem aureus siclus = 16·37 gr. = 45 Mark; et argenteus (sanctus) = 14·55 gr. = $2^1/_2$ Mk.; siclus communis aliquantulum deterioratus fuit. *c)* Mina aurea qua pondus = 100 siclis persicis vel 50 hebraicis = 2250 Mk.; argentea vero 50 argenteis (à $2^1/_2$ Mk. = 125 Mk.). Mina pondere suo 60 siclos sanctos valebat. *d)* Talentum (kikkar) erat juxta pondus = 60 minis i. e. (60 × 60) 3600 siclis, aut juxta valorem suum = 60 minis i. e. (60 × 50) = 3000 siclis; hinc talentum aureum = 59·110 kilg. = 135.000 Mk., et argenteum = 43·650 kg. = 7500 Mk.

3) Daricus (Darkemon), nummus Persarum (Vulg. mox solidus, mox drachma Esr. 2, 69. Neh. 7, 70) aureus = 20 drachmis argenteis = 20 Mk. E nummis graecis occurrit stater et quidem aureus = 2 drachmis et 20 drachmis atticis argenteis; quinque stateres efficiebant 1 minam, 300 vero valebant talentum. Stater argenteus = 4 atticis drachmis. Romanorum denarius argenteus (= 3·090 gr. = 68 Pfen.) continebat 10 assaria aenea; denarius aureus = 25 denariis argenteis. Assarium ex aere = 5 Pfen. dividebatur in quinarium ($^1/_5$) et quadrantem (= $1^1/_5$ Pfen.); nummus minimus erat lepton (i. e. minutum)

$= {}^1/_2$ Pfen. Cf. M. Levy, Gesch. d. jüd. Münzen 1862. — Madden, Coins of the Jews. Lond. 1881.

4) Mensuras longitudinis omnes fere gentes e corpore humano desumpserunt, uti ex nominibus earum apparet; mensurae autem apud diversas gentes non parum inter se differunt; quem valorem apud Hebraeos praecise habuerint, non ita certo constat. Mensura normalis Hebraeis inserviebat cubitus (ammah) i. e. spatium intercedens inter cubitum (Ellbogen) et extremitatem digiti medii. Cubitus communis (ammah) = 2 spithamis (zereth vel palmis majoribus) = 6 palmis minoribus (tophah) = 24 digitis = 0·4839 met., major autem seu regius cubitus (babylon.) = 0·525 met. Spithama (spatium inter extremitates pollicis et digiti minimi manus expansae) = 241·95 millm., palma = 80·65 mm. et digitus = 20·1625 mm.

Calamus (kaneh) = 6 cubitis = 2 met. 903 mm.

Iter diei = 160 stadiis romanis. Stadium (a Graecis et Romanis accepta mensura) = $^1/_8$ milliarii = $^1/_5$ milliari geographici = $^1/_{40}$ mill. germanici = 3 minutis.

Milliarium romanum aequabat 1000 passus romanos = 8 stadiis = 24 minutis = $^1/_5$ milliarii germanici.

Leuca = 24 stadiis = 3 milliariis. Iter sabbati i. e. spatium itineris, quod percurrere licebat die Sabbati, secundum Talmudistas = 2000 cubitorum spatio.

5) Similiter valor absolutus aliarum mensurarum praecise et certo determinari nequit. *A)* Rebus aridis metiendis inserviebat Chomer (corus) = 10 Epha (i. e. modius Ez. 45, 11, 14 = 30 Seah (i. e. satum Gen. 18, 6. Jud. 6, 19) = 100 Gomor (Ex. 16, 16) = 180 Kab (cabus 4 Reg. 6, 25). Cabus secundum Rabbinos continuit 24 ova gallina. Pugillus (komez Lev. 2, 2; 5, 12 etc.) erat mensura parva non bene definita.

6) *B)* Liquorum mensurae erant: Chomer = 10 Bath (batus vel cadus Ez. 45, 11, qui correspondet Ephae). Batus continebat 3 Schalisch (Is. 50, 12. Ps. 79, 6) = 6 Hin (cujus etiam dimidia et quarta pars commemoratur Num. 15, 4. Ex. 29, 40) = 72 Log (sextariis). Juxta opinionem plurium Chomer (corus) capiebat 393·1 litra, Epha (Bath) 39·31, Seah 13·103, Hin 6·5653, Omer 3·931, Kab 2·1884, Log. 0·547 litra. Modius, mensura romana, erat mensura ordinaria pro frumento; amphora continebat 3 modios vel 48 sextarios. Cf. Zuckermann, D. jüd. Maßsystem u. s. Beziehungen z. griech. u. römischen, 1867. — J. Brandis, Münz-, Maß- u. Gewichtswesen in Vorderasien, 1886. — C. F. Lehmann, D. altbabyl. Maß- u. Gewichtssystem, 1893.

7) Praecipit Deus, ut omnis iniquitas in pondere et mensura vitetur, justa et aequa sint pondera (Lev. 19, 35 sq.), nec habeantur diversa, majus et minus (Dt. 25, 13. Prov. 20, 10. Ez. 45, 10), nam »statera dolosa est abominatio apud Dominum« (Prov. 11, 1; 20, 23). Mercaturae occasio fuit per festa conventuum. Praeprimis Salomon mercaturam fovit navigatione in Ophir (Arabiam) et Tartessum.

§. 30. Convictus domesticus.

1) Lex primaeva de matrimonio monogamico ante diluvium jam per bigamiam Lamechi violata fuit, et connubiis Patriarcharum, licet sanctis, non plena suberat perfectio. Antiquas consuetudines circa matrimonium, saepe imperfectas, lex mosaica ob rei difficultatem, timorem graviorum malorum et pravum gentium exemplum quidem retinuit, ast legibus specialibus circumsepsit[1]), ita ut conjugium Hebraeorum omnibus Orientalium conjugiis praestaret[2]). Sponsam filiis et sponsum filiabus parentes seligebant. Nuptias praecedebant sponsalitia, dos et dona parentibus praestanda. Aliquo tempore elapso, nuptiae modo solemni et publico celebrabantur[3]).

1) V. g. Lex regia de non multiplicandis regi uxoribus (Dt. 17, 17), leges de una eademque virgine hebraea ducenda a pontifice (Lev. 21, 13), de non ducendis quibusdam consanguineis (Lev. 18; 20). Hebraei in uxorem ducere poterant hebraeam (exceptis consanguineis et affinibus Lev. 18 adductis), vel peregrinam (exceptis gentibus anathematizatis), quam tamen religionem hebraicam profiteri oportuit. Ad honestatem nuptiarum fovendam plura praecepta sunt contra meretrices, seductores mulierum et puellas ante nuptias virginitatem simulantes.

2) Generatim monogamia inter Hebraeos praevaluit (Isaac, Joseph, Moyses, Isaias, Ezechiel etc.) et magnis celebratur elogiis (Prov. 11, 16; 12, 4; 14, 1; 19, 4; 21, 9; 31, 10. Eccli. 25, 1; 8, 19; 21, 1, 2, 14. Eccl. 9, 9).

3) Uxores hebraeae non emebantur, sed pretium datum solummodo dos erat vel donum sponsalitium. Confer Zschokke, D. Weib im A. T. 1883, pg. 56. Quia sponsalia sunt matrimonii stipulatio, ideo sponsus et sponsa saepe maritus et uxor nominantur (Gen. 29, 21. Dt. 20, 7; 22, 23, 24). Inter spousalia et nuptias plerumque intervallum 10—12 mensium fuit (Gen. 24, 55; Jud. 14, 7, 8). Convivio nuptiali peracto fiebat deductio in conclave nuptiale, unde absolutae sunt nuptiae (Jer. 7, 34. Bar. 2, 23), festivitas autem tota hebdomade continuabatur. Sponso e legis beneficio concessa erat annua vacatio ab omni re militari vel munere civili (Dt. 20, 7). Vigente polygamia concubinae erant uxores legitimae, ast sine consuetis solemnitatibus ductae, quasi secundi ordinis, ideoque juribus uxorum gaudebant. Cf. Th. Engert, Ehe u. Familienrecht d. Hebr. 1905. Musil, Arab. Pet. III. 173 seq. — Wilke, D. Frauenideal u. d. Schätzung des Weibes im A. T. 1907. — Löhr, Stellung d. Weibes zur Jahve-Religion u. Kult. 1908.

2) Filiae heredes secundum legem (Num. 36, 6) nubere non poterant, nisi viris contribulibus patris sui, ne bona avita a tribu distraherentur. Praeterea Moyses antiquam consuetudinem (Gen. 38, 8) retinuit, vi cujus frater vel proximus cognatus mortui improlis superstitem uxorem ducebat ad suscitandum semen fratri suo; primus ex hoc matrimonio vel leviratu natus filius genealogiae defuncti inserebatur ac in hereditate ejus succedebat, simulque legislator poenam statuit [1]) in eos, qui illud inire recusarent (Dt. 25, 5 seq.).

1) Vidua calceum ei de pede coram urbis senatu detraxit et in faciem ejus spuit verbis: *sic fiat viro, qui non aedificat domum fratri suo.* Calceamenti (symbolum potestatis) solutione et extractione symbolice cessio dominii et conditio servilis significabatur; talis indignus reputabatur, qui versaretur inter ingenuos (calceatos), eo quod fratris uxore aeque ac haereditate et familia se abdicaret. Erat publica ignominia, qua conjugium recusari potuit et sic libertati matrimonii consulebatur. Usus hic introductus fuisse videtur ob desiderium prolium, ob probrum sterilitatis viduarum auferendum, familiae hereditatem conservandam et nomen defuncti posteritatis memoriae transmittendum. Extra hunc casum erat illicitum fratri, uxorem ducere e viduis defuncti fratris (Lev. 20, 21). Confer Selden, De success. in bona def. 1712. — Benary, De Heb. leviratu 1835. — Redslob, Die Leviratsehe 1836. — Zschokke, D. Weib im A. T., pg. 125.

3) Adulterium, i. e. concubitus cum nupta vel desponsata, supplicio capitis in utroque peccante puniebatur [1]). Ad sanctitatem matrimonio conciliandam spectabat lex de zelotypia, vel exploratio mulieris de adulterio suspectae, vi cujus maritus uxori deferebat jusjurandum purgatorium per aquas amaras, subsequente in ream quasi per manum divinam mortis poenâ [2]). Vinculum matrimonii contracti dissolvebatur morte conjugis et ob duritiem cordis Judaeorum (Matth. 19, 8) libello repudii [3]).

1) Uxor vel sponsa adultera lapidabatur (Lev. 20, 10. Dt. 22, 22); si autem erat filia sacerdotis, comburenda erat (Lev. 21, 9).

2) Maritus uxorem suspectam cum ferto hordeaceo ad sacerdotem ducebat, qui manibus mulieris, detracto de facie peplo, fertum imponebat et aquas, cum pulvere sanctuarii mixtas (propter effectum *amaras* dictas), tenens, eam solemni formula execrationis, quam ipsa confirmare debebat, adjurabat, istasque diras in schedula scribebat, quas delebat aquis, mox a muliere (sacrificio oblato) bibendis: Ex his nihil mali patiebatur, si innocens esset mulier, alias vehementissimis torquebatur doloribus intestinis, ut ejus venter intumesceret et, si superviveret, ad liberos procreandos inepta redderetur (Num. 5, 11—31). Hac ratione Deus se vindicem fidei conjugalis ostendebat simulque cautum est, ne mariti uxores, culpae expertes, occiderent, vel dimitterent; insuper medium erat ad clandestina adulteria praecavenda, et occulta detegenda. Docent Talmudici (Sota 9), hoc juramentum 40 annis ante eversionem Jerosolymae abrogatum fuisse, eo quod viri ipsi se adulteriis contaminassent (Joh. 8, 3—9), Deusque ritui efficaciam suam negaret, si mariti ejusdem criminis, ac uxores, rei essent (col. Joh. 8, 3—9). Cf. poenas adulterorum apud Musil 207 seq.

3) Lex mosaica licentiam mariti eatenus restrinxit, ut repudium nonnisi libello scripto esset ratum, *ut mora interveniente, et consilio scribarum dissuadente, vir a proposito repudiandi desisteret* (Augustinus, c. Faust. 19, 26). Rationem dissolvendi matrimonii lex enuntiavit verbis: *Si invenerit (vir) in ea nuditatem rei* עֶרְוַת דָּבָר (Dt. 24. 1 seq.), de quorum significatione discrepant doctores judaei; nam schola Hillelis contendebat, quamlibet, etiam minimam, causam marito ad repudium sufficere, schola Schammai vero statuebat, requiri adulterium vel rem lascivam (Matih. 19, 1 seq.). Mulier repudiata, quae alteri nupserit, vetita manebat priori marito, etsi secundae nuptiae, sive morte sive repudio solutae fuissent, quia mulier (priori viro) polluta et abominabilis per concubitum cum altero viro facta est coram Jahve. Hac ratione levitas conjuges repudiandi reprimebatur et fides secundo repudiatae mulieris matrimonio stabiliebatur. Confer Zschokke, Weib im A. T. §. 11. Musil 211 seq.

4) Parentum erat, filios nutrire et in lege divina artibusque instruere. Primogeniti a sacerdotio redimendi erant, in fratres auctoritate pollebant, duplicem hereditatis portionem (Dt. 21, 15—17) et paternam benedictionem percipiebant[1]). Ad familiam pertinebant servi et ancillae[2]), origine sive gentiles sive Israelitae. Servitutem, antiquissimis jam temporibus introductam, Moyses legibus mitigavit[3]), ita ut servorum conditio apud Hebraeos prae reliquis gentibus esset melior.

1) Filiabus, nisi in defectu fratrum, nihil de jure cedebat; filii concubinarum non aequalem hereditatis portionem habebant, sed ad patris arbitrium aliquid tanquam ex legato accipiebant.

2) Servi fiebant: *a)* Nati e contubernio servili vel domi nati, qui semper peculium heri manebat, etiamsi pater libertate donatus fuisset; *b)* bello capti (Dt. 20, 13; 21, 10), qui inde mancipia (manu capti) dicebantur; *c)* qui, augustiis pressi, vendedant suam libertatem (Ex. 21, 2; Lev. 25, 39, 47), vel a dominis alteri vendebantur (Num. 31, 18, 35); *d)* qui ob crimina servituti damnabantur, v. g. ob plagium (Ex, 21, 16), furtum (Ex. 22. 3), vel debita.

3) Sic lex statuit: *a)* ut omnes servi hebraeae originis anno jubilaeo dimittantur (Lev. 25, 39); *b)* ut servi hebraei sex annis tantum serviant et anno septimo manumittantur una cum uxore, quam ante servitutem duxerant (Ex. 21, 4); *c)* ut redimi possint, soluto pretio pro residuis usque ad septimum annum servitiis (Lev. 27, 47); *d)* ut omnes servi sabbato et aliis festis e labore immunes quiescant (Ex. 20, 10); *e)* ut per circumcisionem in communionem recipiantur; *f)* ut ad convivium ex secundis decimis instituendum vocentur; *g)* ut non crudeliter tractentur; servus quocunque membro ab hero laesus, ipso facto libertatem nanciscebatur (Ex. 21, 20—27); *h)* ut servi ex aliis populis ad Hebraeos profugi,

humaniter excipiantur (Dt. 23, 15, 16); *i)* ut dominus ancillarum matrimonium provideat, nisi ipse eas pellices habere vel filio tradere mallet (Ex. 21, 8). Ratio hujus humanitatis traditur Dt. 15, 15: *Memento, quod et ipse servieris in terra Aegypti et liberavit te Dominus Deus tuus.* Quodsi servus oblatam libertatem recusaret, perforatione auris in perpetuam servitutem coaptabatur (Ex. 21, 5. Dt. 15, 17).

Confer Mieg, Conditiones servi heb. 1735. — Mielziner, Verhältnisse d. Sklaven bei den Heb. 1857. — Zschokke, Weib im A. T. §. 13. — Musil S. 227. — J. Winter, Stellung d. Sklaven bei den Juden nach talm. Quellen 1886. — Cornill, D. A. T. u. d. Humanität. Leipz. 1895.

5) Hebraei simplici vestitu utebantur. Materia vestium praecipua erant animalium pelles, linum et lana[1]), quae seorsim texebantur. Erant autem vestes interiores[2]) et exteriores[3]) atque varia mulierum ornamenta[4]).

1) Materia principalis erat byssus i. e. textura e lino purissimo varii coloris. In magno pretio erant vestes coloris coccinei, praeprimis e cocco bis tincto. Nonnunquam plures colores eidem vesti inducebantur acu vel opere textili = vestis polymita (Gen. 37, 3).

2) Tunica = linteum corpori circumdatum, usque ad talos pertingens. Hac sola tunica indutus homo dicitur nudus (Job. 24, 7, 10). Cingula ex lino et corio confecta adstringebant tunicam ad lumbos, ne ambulantem impediret in operando et in itinere faciendo, ac apud divites pretiosa erant. In cingulo gerebant pecuniam (Matth. 10, 9) et saepe atramentarium cum calamis ad scribendum (Ez. 9, 2).

3) Vestis talaris laxior varii coloris et pallium super ceteras vestes gestatum in forma quadrangulari (Dt. 22. 12) erat. Capitis tegumentum olim nullum fuisse videtur; serius coeperunt caput panno circumligare (tiara). Mulieres (non ancillae) peplo utebantur. Praeterea Hebraei barbam et comam colebant. Pedum tegumenta erant sandalia, quae loris pedi alligabantur et domi deponebatur, atque calcei.

4) Enumeratio habetur Is. cp. 3. Insuper fuco vultum pingebant et oculos stibio (fusci coloris) linire solebant ad gratiam addendam (4 Reg. 9, 30. Jer. 4, 30. Ez. 23, 40). Confer Hartmann, Hebräerin am Putztische, 3 Bde. Musil 159.

6) Ceremoniae sepulcrales. Pater moribundus domui praecipiebat i. e. testamentum declarabat; mortui oculus claudebant filii et amici (Gen. 46, 4). Cadaver aquâ lotum sindone involvebatur et cito post mortem in sepulcro[1]) deponebatur. Luctus variis signis externis manifestabatur, et in solatium convivium instituebatur[2]).

1) Sepulcra i. e. speluncae e saxis excisae, vel cryptae subterraneae, constabant e pluribus cubiculis, invicem junctis, et lapide ad ostium angustum admoto claudebantur; erant aut publica (regum, judicum, prophetarum), aut privata (Josue, Joseph de Arimathaea) diversi generis, aut tumuli *(Senkgräber)*, quibus cadavera immittebantur *(Schiebgräber)*, aut supra quae cadaver locabatur *(Bank- oder Aufleggräber)*, aut in quibus cadaver ponebatur *(Trog- oder Einleggräber)*. Confer Tobler; Golgatha 217. Nonnunquam monumenta sepulcralia desuper erigebantur (Gen. 35, 20; 1 Mach. 13, 27). Non sepeliri, sed in agrum projici in praedam ferarum (*sepultura asini* Jer. 22, 19), maximum opprobrium erat (3 Reg. 13, 22; 4 Reg. 9, 35. Jer. 7, 33). Musil 421 seq.

2) Signa luctus erant: vestes lacerare, capillos et barbam evellere vel radere (Is. 15, 2), pulverem vel cinerem coelum versus aut in caput spargere, manus complodere, pectus et femora percutere, pede supplodere; faciem autem unguibus laniare, incidere, vel stigmata facere, vititum erat (Lev. 19, 28; Dt. 14, 1); porro jejunare, vino abstinere, epulas evitare (2 Sam. 1, 12; 3, 35). Cognati mortuos lugebant septem diebus (1 Sam. 31, 13. Eccli. 22, 13), insigniores populus luctu 30 dierum prosequebatur (Dt. 34, 8). Non raro lamentatrices vocabantur, quae lamenta assumerent (Jer. 9, 17 seq.), lessus vel carmina lugubria componebantur (2 Sam. 1, 17 seq.). Antiquo tempore lugentibus ad consolandum

panis dolorum et calix consolationis dabantur (Jer. 16, 7. Os. 9, 4 col. 2 Sam. 3, 35), seriori tempore amicis convivium instituebatur (Josephus Ant. XVII. 8. 4). Tempore Machabaeorum etiam sacrificia pro defunctis offerebantur (2 Mach. 12, 43). Confer: Geier, De Ebraeorum luctu 1683. — Grundt, Die Trauergebräuche d. Heb. 1868. — Frey, D. altisrael. Totentrauer, Dorp. 1898.

§. 31. Commoratio in deserto.

1) Monte Sinai relicto, Israelitae castra prima locarunt in Tabeera (incensio), ubi Deus ob murmur populi extrema castrorum incendio vastavit. Cum paulo post mannae pertaesi, Moysis precibus, ingenti coturnicum copia reficerentur, voraces plaga a Deo percussi sunt, unde locus ille nomen Kibrot Hattaawa (speculcra concupiscentiae) traxit (Num. 11). Interea in statione Haseroth Maria et Aaron fratris auctoritatem propter uxorem ejus cuschaeam[1]) minuere studebant, a Deo autem, Moysen servum fidelissimum declarante et justificante, increpati sunt, et Maria leprâ septem dierum percussa est, quare populus Haseroth haesit, donec ipsa sanata esset (Num. 12). Inde discesserunt Cades (Barnea) in deserto Pharan, ad limen terrae Chanaan, e qua mansione Moyses 12 speculatores Chanaan perlustratum misit. Quum 40 diebus elapsis exploratores regressi populum concitarent, quem Caleb et Josue compescere studebant, Deus, Moyse precante placatus quidem, ast obmurmurantibus obstans, omnes numeratos a 20 annis et supra, qui, utpote testes miraculorum in Aegypto, propter incredulitatem (Heb. 3, 18) gravius erant puniendi, praeter Josue et Caleb ab ingressu terrae sanctae exclusit et 40 annis in solitudine horrida vagos fore praedixit. Cum inobedientes nunc in Chanaan ascendere tentarent, ab Amalecitis et Amorrhaeis ab Arad ad Horma usque sunt rejecti (Num. 13). Interea Core Levita, Dathan et Abiron (e tribu Ruben) cum Hon et 250 principibus, aegre ferentes, quod omnes honores duobus fratribus traditi fuissent, seditionem (contra theocratiam) moverunt et a dehiscente terra cum familiis suis devorati, ceteri autem 14.700 seditiosi igne consumti sunt (Num. 16). Subsecuta est nova sacerdotii Aaronitici confirmatio per miraculum germinantis[2]) virgae Aaronis amygdalinae, quae dein in signum (sacerdotii aeterni Zach. 6) in arca foederis asservabatur (Num. 17).

1) Probabiliter Sephora ipsa erat, quae Cusaea vocatur nam inter Madianitas etiam Cuschaei (Aethiopes) habitabant (col. Hab. 3, 7. Ps. 67, 32). Matrimoninm Moysis cum uxore e gentibus universalismum praeparare destinatum erat; ideo convicium Aaronis et Mariae supponit animum angustum, gentes omnino excludentem, qui contra divinam oeconomiam erat (Ex. 34, 16).

2) Miraculum amygdali, folia, flores et poma producentis, indicat characterem supernaturalem sacerdotii Aaronitici; inde virga illa miraculosa typus est crucis Christi: *Arbor una nobilis, silva talem nulla profert, fronde, flore, germine,* et Mariae Virginis, florem (Christum) parturientis (Aug).

2) Sequuntur nunc 38 anni commorationis Israelitarum in deserto, cum antea usque ad adventum in Cades duos fere annos itineris jam absolverant. Hoc tempore praeter leges de libamine, primitiis, fimbriis (Num. 15), officium et proventus sacerdotum (Num. 18), ritus purgationis per aquam lustrantem

(ep. 19). nihil in ss. Literis refertur. Foedus enim theocraticum erat suspensum, signum ejusdem, circumcisio, negligebatur (Jos. 5, 5), festa (excepto Sabbato Num. 15, 32) et sacrificia cessabant (Am. 5, 25), nihilominus tamen Jahve rejectos et dispersos manna cibavit et aqua potavit[1]). Mense primo anni 40. ab exitu iterum ad Cades (Num. 20, 1)[2]) venerunt, ubi Maria[3]) mortua et sepulta est. Interea cuncta fere generatio reprobata erat emortua ac nova progenies enata, cui murmuranti Deus miraculose aquam e petra dedit, mediante Moyse, qui una cum Aaron diffidentiam[4]) quamdam in Dei potentiam ibi (Me Meribah = aqua contradictionis) prodidit (Dt. 1, 37. Ps. 105, 33), et proin decreto divino ab introitu in terram promissam exclusus est Quum cognati Edomitae ac Moabitae transitum per ditiones suas Israelitis denegarent, hi fines illorum, quos debellare noluerunt (Dt. 2, 5; 23, 7), circumire decreverunt; ideo iter per vallem Arabah prosecuti, castra posuerunt juxta montem Hor, ubi Aaron (1525—1402) 123 annos natus, defunctus ac successorem in pontificatu Eleazarum filium nactus est (Num. 20). Post victoriam, ibidem vel paulo post de rege Arad Chananaeorum (in parte septentrionali deserti Juda Jud. 1, 16) reportatam, ad mare rubrum (sinum aelaniticum) deflexerunt et in hoc itinere (probabiliter in Salmona Num. 33, 41) Deus in Israelitas obtrectantes serpentes ignitos flatuque adurentes (Saraf) immisit, attonitis vero et animo poenitentibus Moyses serpentem aeneum[5]) pro signo elevare imperavit, ut percussi cum fide eum aspicientes convalescerent (Num. 21).

1) Pro hac periodo commerationis in deserto illustranda confer Dt. 8, 2—6; Jos. 5, 4—9; 24, 14, 23. Ps. 77, 32 seq. Ez. 20, 18. Am. 5, 25, 26. Act. 7, 41. Dt. 29, 5: *Quadraginta annis* (per desertum) *non sunt attrita vestimenta eorum, nec calceamenta pedum vetustate consumta sunt.*

2) Non duplex Cades distinguendum, sed Israelitas in eodem loco (Cades Barnea) bis (Num. 20, 1 et 32, 8) castrametatos fuisse, putant plures docti. Katholik 1867. 312. Tübing. Quartalsch. 1873. 351. Cades locus castrorum principalis mansit (Dt. 1, 46), dum singulae tribus in deserto vagabantur, quas Moyses illo longo tempore cum sanctuario visitavit. E separatione hac Israelitarum a sanctuario explicatur eorum cultus idolorum (Molochi) in deserto (Ez. 20, 25, 26). Hoc Cades Rowlands (1842, quem geographi recentiores sequuntur) in Ain Kudes in profundissima valle in confinio orientali deserti Tih se invenisse credit, quod confirmatur per H. Clay Trumbull (Kadesch Barnea N. York 1884), qui tres fontes in valle fertili Kadis, Ain el-Kaderât et Ain el-Kasême visitavit. Z. D. P. V. 1885, 182 seq., dum Robinson idem in plaga occidentali planitiei El-Arabah (Ain el-Waibeh, III, 139) et Raumer (Pal. 483) in Ain Hasb situm fuisse putant. Nomen originale loci hujus fuisse videtur En-Mispat (fons judicii vel sedes oraculi = Barnea), ita ut nomen Cades in Gen. 14, 7 proeeptice positum et in nomen hoc mutatum fuisse videatur, quando ibi Jahve judicio nomen suum sanctificaverat (= Cades. Num. 20, 13). Cf. etiam Köhler, Lehrbuch der Bibl. Gesch. A. T. I. p. 299 seq. — Musil, qui Ain Kades ter visitavit et accurate descripsit (Edom I. p. 176 seq.).

3) S. Gregorius Nys. (de virg. cp. 6), Ambrosius (de virg. et ep. 82) Mariam virginem mansisse censent; nam semper dicitur simpliciter soror Aaronis Ex. 15, 20 etc. E contra Josephus (Aat. III, 2, 4) narrat, eam nuptam fuisse Hur. Ex. 24, 14.

4) Moyses populum tam rebellem et Deum irritantem judicavit indignum hoc miraculo ac proinde dubitavit, an Deus id facturus esset, ideo bis percussit saxum; qua incredulitate

gloriae Dei detrahebat (Num. 27, 14, Dt. 1, 37; 3, 26; 4, 21; 32, 51); sed peccatum hoc, quamvis non grave, tamen erat puniendum in illis, qui internuntii erant Jahvae apud populum.

5) Serpens aeneus (cupreus), typus erat Christi patientis et in cruce exaltati, teste ipso interprete Christo (Joh. 3, 14); sicut enim serpens, instrumentum mortis, in ligno exaltatus, illis, qui cum fide (Sap. 16, 7) illum aspiciebant, factus est instrumentum vitae: sic Christus, factus pro nobis maledictum (Gal. 3, 13), et in similitudine carnis peccati apparens (Rom. 8, 3), portavit peccata nostra (2 Cor. 5, 21) in corpore suo super lignum (1 Pet. 2, 24), crucique affixus exstitit omnibus obtemperantibus causa salutis aeternae (Heb. 5, 9). Antiquis (Aegyptiis) serpens (Aesculapius cum serpente) erat symbolum salutis (*signum habentes salutis . . . qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.* Sap. 16, 6, 7), de veneno enim serpentis conficiebatur salubre antidotum. — Serpentem hunc aeneum Israelitae secum duxerunt eique serius cultum divinum exhibuerunt, donec Ezechias (an. 727) eum confregerit 4 Reg. 18, 4.

§. 32. Occupatio regionis transjordanensis.

1) Versus plagam Idumaeae orientalem iter prosecuti, Israelitae pervenerunt ad Abarim montes et in terram Moabitarum[1]), quibus uti Edomitis, tanquam cognatis, erat parcendum. Fluvio Arnone trajecto, in ditione Amorrhaeorum substiterunt. Cum Sehon, eorum rex, transitum pacifice concedere nollet, gladio ipse cum exercitu a filliis Israel percussus, ac universa terra ejus ab Arnon usque ad Jaboc, quam ante Moabitis eripuerat, est subjecta. Similia Og, rex Basan, qui populum Dei lacessere audebat, in Edrai est passus (Num. 21). Tandem mansionem 42. ultimam fecerunt in campestribus Moab, a facie Jericho urbis trans Jordanem. Balac, Moabitarum rex, cum Madianitis contra Israel foedere junctus, de felici pugnae exitu desperans. Balaam[2]) hariolum ex Pethor legatis bis missis, arcessivit, ut Israelitis malediceret. Deus, quum impium proficiscentis animum nosset, angelum viam ei intercludentem misit, quem asina, cui insidebat non vero magus vidit; caesa et humi jacens asina, vi divina, humanas profert voces[3]) eumque increpat; tunc Deus Balaamo oculos aperuit, ut videret angelum ipsum increpantem, ab eodem ad iter continuandum dimittitur, ut ea tantum, quae Dominus praecepisset, loquatur (Num. 22).

1) Moab (nunc Kerek, a Kerak metropoli nominata) extenditur a Wady Bilad el Hasa in austro usque ad Wady el Modscheb cum fluvio Arnone septentrionem versus, cum urbibus Ar, Kir Moab (Kerek), Rabbath-Moab, Dibon (Dhiban) et Aroër (Jos. 13, 25). A fluvio Hesbân ad Jacobum (Wady Zerka) terra appellabatur Gilead, tempore Romanorum Peraea, nunc el Belka, cum metropoli Rabbath-Ammon, ac tempore Moysis inhabitata erat ab Amorrhaeis, qui, Sehon rege, habitatores priores Moabitas et Ammonitas depulcrant, unde regio haec in Pentateucho etiam Arbot-Moab appellatur. Tractus, a Jacobo usque ad Hermonem montem sese extendens, Basan, serius Hauran vocabatur, cum urbibus Astarot et Edrai, ac Amorrhaeis, Og regnante, erat subjectus. Colebant autem Moabitae idolum Chamos, cui s. Hieronymus Baal Peor, Movers Molochum Ammonitarum aequat, et alterum Baal Peor e genere priaporum, ideoque Moab populus Chamos (Num. 21, 29; Jer. 48, 46) appellatur, et cum eo conjunctum Aschtar. Confer: Nöldeke, Die Inschrift d. Königs Mesa, Kiel 1870. Non sine Dei voluntate (Dt. 2; 32, 8) gentes hae: Amalecitae, Madianitae, Edomitae, Moabitae et Ammonitae, Israelitis cognatae, terram sanctam circumdabant; si populum Dei protegendo missionem ejus adjuvissent, participaturae essent benedictionem et salutem inde orituram, qua tamen adipiscenda, hostiliter contra Israel agentes, indignae evaserunt. Cf. Musil, Moab.

2) Nonnulli sancti Patres et plurimi recentiores interpretes putant, Balaam (heb. Bileam) verum Jahvae prophetam fuisse et, cupiditate munerum allectum, pseudoprophetam evasisse (Hieronymus q. h. in Gen., Augustinus, q. 48 in Num., l. 1. ad Simpl. a. 9; Theodoretus, q. 39 et 42 Num.), dum communior sententia (Philo, q. Deus im., de mig. Abr., Origenes Num. h. 13, Cyrillus Alex. l. 4 et 6. de ad. in spir., Ambrosius ep. 50. 1. cl.) eum hariolum declarant. Cf. Wobersin, Die Echtheit der Bil'amsprüche. Gütersloh 1900. Verisimiliter ipse magnus gentilis de miraculis, in Aegypto et deserto a Deo patratis, certior factus ac convictus, cultum Jahvae est amplexus, non tamen, ut videtur, ex toto corde (syncretista, cui similis Simon Magus N. T.), quia mercedem iniquitatis amabat (2 Pet. 2, 15. ep. Jud. 11). Invitatio Balaci occasio exstitit, eum in discrimen inducendi: persuasus quidem de Jahve potentia, ei resistere audebat, quin praeoptatum successum haberet. Eum domi jam correptum Deus rursus in via per asinam monere et a pernicie salvare voluit, in quam tamen, avaritiâ et ambitione seductus, ruebat. Pethor (Φαθουρά) identificatur cum Pitru, urbe in loco sita, quo Sagur in Euphratem influit, vel quaeritur prope »rivum Aegypti« in finibus septentrionalibus Arabiae. Cf. Cheyne, Encyclop. bibl. Lond. 1902, III. 368 seq. Hommel, Aufsätze p. 33 et 288.

3) Asina loquens (confer serpentem loquentem in paradiso) exegetas acatholicos maxime vexabat; plures enim eventum hunc Balaamo in visione tantum obvium fuisse, vel Balaamum in cogitatione tantum cum asina esse locutum putant; ast factum historicum testantur tum decisae circumstantiae (v. 22, 28), tum s. Petrus, qui diserte (2 Pet. 2, 16) edicit, mutum animal, hominis voce loquens, prohibuisse prophetae insipientiam; Deus enim linguam et palatum asinae in verba gubernavit, quin haec ratione instructa fuisset. Usus est Deus voce asinae, tum quia congrue bruta mens per brutum animal docetur, tum ut castigaretur vanitas auguris, qui ruditum asinae et garritum avium quasi omnia profutura, quae significarent, observare solebat. Confer Reinke, Beit. IV. 205.

2) Balaam, a rege Moabitarum honorifice exceptus, super excelsa Baal ducitur, unde extremam partem castrorum Israel videre poterat. Deo movente, ast invitus, pro diris auspicata praenuntians, in summitatem montis Phasga, et inde ad verticem montis Phogor (Peor) ducitur, ubi rursus loco infaustorum fausta praedixit[1]). imo divino percitus spiritu, sermonem de Messia venturo orditur: *Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*[2]) (Num. 24. 17). Privatus muneribus promissis, Balaam regi consilium nefarium dedit, ut per blandas Moabitarum et Madianitarum mulierum consuetudines Israelitas ad idolum Beelphegor colendum induceret. Phinees vero, Eleazari pontificis filius, pro Deo zelans, fornicatores peremit[3]), Madianitas proelio vicit eosque cum 5 principibus et Balaam (Num. 31, 8) trucidavit ac totam regionem subegit, quas ob res feliciter gestas ipsi familiaeque ejus sacerdotium pactum est aeternum (Num. 23—25).

1) Praedictio et benedictio Balaami, coram Moabitis et Madianitis factae, Israelitis solatio esse debuerunt, eo magis, quum provenirent a propheta non indigena, sed peregrino eoque adversario; intuitu Messiae ex Israel orituri huic maledicere nequit, sed benedicere cogitur; altera ex parte haec verba gentes admonebant, eas in foedere cum Israel tantum salutem suam invenire posse. De loco, ubi prophetabat et de altaribus lapideis cf. Musil l. c. 267 seq.

2) Pro Seth legendum est Ammon. Alii Seth aequant cum Scheeth = Schaon i. e. tumultu, ita ut Moab et Seth synonymice se correspondeant, sicut Jacob et Israel. Balaam praedicit gloriam Israel a suo tempore usque ad tempora messiana in graviorib us momentis, delineat fata gentium (interitum Moab Ammon, Edom, Amalec, Cinaeorum, Assur et Macedoniorum)

et in eo momento, quo Israel terram promissam occupaturus est, intuetur Messiam regem, qui victoriam super omnes gentes et ethnicismum reportabit. Virga vel sceptrum (rex) de Israel consurgens, non tam David est, qui Moabitas subjugavit (2 Reg. 8, 2) ad tempus tantum, sed potius Christus, cujus typum gessit David, nam ille est stella ex Jacob, non modo, sed serius oritura, quam tres Magi in Oriente viderunt: *vidimus stellam* Ejus, ajunt (Matth. 2, 2), qui advolantes ad praesepe Domini gentiles omnes repraesentabant. Alibi etiam Christus *lumen Israel* (Is. 60, 1), *stella matutina* (Apoc. 22, 16), *Lucifer* (2 Pet. 1, 19), *lumen ad revelationem gentium* (Luc. 2, 32) nominatur. Quo tempore ergo sceptrum Juda terrestre auferetur, novum sceptrum spirituale *Orientis ex alto* (Luc. 1, 78) incipiet. Tali modo hoc vaticinium clarius patet prioribus. Sine dubio haec verba vatis gentilis late dispersa sunt inter gentiles; et eo majoris momenti apparent, quia testimonium gentile de electione divina populi Israel suppeditabant. Probabiliter Balaam transiit inde ad Israelitas et spe lucri eis vaticinia sua edita aperuit, sed spe delusus ad Madianitas se contulit. Confer Reinke, Beit. IV. 177. Tübing. Quartals. 1844; 474; 1860, 654; 1872, 625. Fourrière, Balaam et la Mythologie, 1892. Wobersin l. c.

3) Seductione ad idololatriam subsecutaque poenâ — 24.000 hominum plagâ occidebantur — Israelitae moniti sunt, quanta pericula ethnicismus ipsis pararet, simulque inde severa mandata divina, Chananaeos exstirpandi, explicare ac cognoscere valebant.

3) Post haec Moyses jussu divino novam conscriptionem (601, 730 virorum Num. 26) instituit, leges latas repetiit vel copiosius exposuit, promissa ac minas addidit, de populo sollicitus, Josuam ducem populi constituit et inauguravit, regionem transjordanensem inter tribus Ruben (partem australem), dimidiam Manasse (septentrionalem) et Gad (mediam) distribuit hac conditione, ut armati pergerent ante tribus ad Chanaan expugnandam (Num. 32). Mortem instantem praevidens, foedus renovavit, populum sermone paterno commonefecit, ut beneficiorum, ipsis collatorum, memores, sancte observarent leges, et perillustre vaticinium de munere Messiae prophetico edidit[1]): *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies* (Dt. 18, 15). Deinde canticum ultimum (Dt. 32), in quo futuros populi eventus praedixit, recitavit, tandem benedictione singulis tribubus[2]) impertita, in qua, respiciens verba Jacob (Gen. 49), fata eis annuntiavit, in monte Nebo[3]) ascendit et terram promissam contemplatus, ibi integro corporis robore diem supremum obiit, 120 annos natus, cujus corpus Deus ipse (ministerio angelorum) in valle terrae Moab contra Phogor sepelivit, loco hominibus incognito[4]). Mortuum fleverunt Israelitae 30 diebus (Dt. 34).

1) Verba illa in genere tractant de prophetis A. T., quos Deus successive post Moysen Hebraeis submisit, ne scilicet hariolos gentium consulant, in specie tamen de Christo capite prophetarum, uti patet ex colloquio Christi cum muliere Samaritana (Joh. 4, 19; nam Samaritani nonnisi Pentateuchum tanquam librum sacrum agnoverant), et ex Joh. 1, 45; 5, 45—47. Act. 3, 22 seq.; 7, 37. Moyses, salvator populi e servitute Aegyptiaca, fundator foederis inter Deum et populum, legislator, dux et educator populi electi atque propheta, erat typus Christi; nam praeter Christum, in quo vaticinium hoc summum nactum est implementum, non surrexit propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Deus *facie ad faciem* (Dt. 34, 10). Ideo Christus saepe in N. T. (Luc. 7, 16; Joh. 6, 14; Heb. 1, 2) ὁ προφήτης, propheta per excellentiam appellatur. Ad munus Messiae regium, quod Jacob et Balaam vaticinati sunt, nunc munus propheticum accedit. Confer Reinke, Beit. IV. 289. — Bade, Christologie I. 30.

2) Excepta tribu Simeon, quae aut in tribu Levi erat inclusa, aut omittebatur, quia scelus suum antiquum altero auxerat; nam Zabri, qui cum Cozbi, filia principis Madian, fornicatus est in publicum scandalum, erat princeps de tribu Simeon (Num. 25, 14).

3) Nebo est aut vertex septentrionalis Abarim montium, aut vertex (en-Neba) montis Phasga. Cf. Musil l. c. 334 seq.

4) Moyses, homo Dei (Dt. 33, 1), dilectus Deo et hominibus (Eccli. 45, 1), fidelis Jahvae servus, legislator, propheta (Hos. 12, 13. Dt. 18, 15 col. Sap. 11, 1; Act. 7, 35 seq.), poeta (Ps. 89. Ex. 15, 1 seq. Dt. 32, 1 seq.) et scriptor, dignus erat, qui summis laudibus honoraretur (Josephus, Ant. IV. 8, 49). Fides in Jahven invicta (Heb. 11, 23 seq.), fiducia, pietas, obedientia, fortitudo animi, lenitas, zelus theocraticus, amor erga populum, humilitas ac justitia sunt virtutes in eo maxime praelucentes. Ipse, non quidem morbo, sed jussu divino (ad os Domini i. e. in osculo ejus Dt. 34, 5) est mortuus; voluit tamen Deus, ut sepulcrum ejus occultum maneret, vel potius transtulit corpus ejus in paradisum (Clemens Alex. strom. l. 1, Hilarius in Matth. 20, Ambrosius de Cain 1, 2, Hieronymus in Am. c. 8., Isidorus), ne Hebraei, utpote proclives ad idololatriam, corpus ducis et legislatoris sui velut numen vel divinum quidquam colerent (Chrysostomus hom. 5 in Matth., Theodoretus, q. 45 in Dt., Procopius in Dt.), aut ne computresceret corpus ejus, sed uti corpora Henochi et Eliae (Matth. 17, 3) conservaretur, unde et altercatio Michaelis cum diabolo, qui vellet Moysis sepulcrum patere et cognitum manere Judaeis, explicanda est (Jud. ep. 9). Moyses in vita et morte sua typus Christi exstitit. Colitur memoria ejus in martyrologio romano die 4. Septembris. Confer Martin, Harmonie des A. u. N. T. 1877. De perfectione vitae ejus confer Gregorium Nyss., De vita Moysis, Calmetum, Diss. de M. obit. et sep., H. Weiß, Moses u. s. Volk. Frb. 1885. — P. Volz, Mose. Beitrag zur Untersuchung üb. d. Ursprünge d. israelit. Religion. Tüb. 1907. — Buchholz, Das Leben Mosis, d. Mannes Gottes, 1908. — Nickel, A. T. im Lichte der altorient. Forschungen II: Moses u. s. Werk, 1909.

§. 33. Pentateuchus.

1) Quinque libri[1]) Moysis ab Hebraeis תּוֹרָה *lex* vel סֵפֶר הַתּוֹרָה *liber legis*, a Graecis ὁ νόμος (Matth. 5, 17. Luc. 2, 22) vel ἡ πεντάτευχος (βίβλος) nominantur, cui latine Pentateuchus respondet. Singulos libros Hebraei more suo a prima voce, Graeci et Latini respectu argumenti Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium apellarunt. Describunt evolutionem revelationis divinae a mundo creato usque ad occupationem terrae Chanaan[2]).

1) Totius operis in quinque libros divisio, quae ex argumento et scopo ejusdem patet, antiquissimo tempore facta est. Philo de Abr. 1, migr. Ab. 3, Cornely, Int. spec. I, 5, eam Moysi, Kaulen, Vigouroux Manuel bibl. I. 262, Schrader Alexandrinis, Dillmann, Gen., Esrae, Bleek-Wellhausen, Kuenen ultimo redactori attribuunt. Argumentum principale est Lex divinitus lata, quae non systematice, sed historice refertur. Genesis est prologus, qui narrat facta antiquiora revelationis divinae tanquam praeambula legislationis, subsequentes tres tractant de legislatione ipsa et factis, quae immediate cum illa cohaerent, et Deuteronomium quasi epilogus institutionem et confirmationem Legis enarrat.

2) Genesis orditur a creatione mundi et pertexit (in 50 capitibus) res sacras usque ad mortem Joseph. Praemissa creationis historia (1, 1—2, 3), materia in 10 sectiones (Toledoth) dividitur: 1) historiam coeli et terrae (2, 4—4, 26), 2) historiam Adae (5, 1—6, 8), 3) historiam Noe (6, 9—9, 29), 4) historiam filiorum Noe (10, 1—11, 9) = historia universalis; 5) historiam Semi (11, 10—26), 6) Thare (11, 27—25, 11), 7) Ismaelis (25, 12—18), 8) Isaaci et familiae ejus (25, 19—35, 29), 9) Esavi (36, 1—43) et 10) Jacobi (37, 1—50 cp.) = historia specialis populi Israel. Exodus accurate describit in 40 cap. exitum populi ex

Aegypto, legislationem sinaiticam et promulgationem legum principalium. Leviticus in 27 capp. agit de legibus ad cultum pertinentibus, de sacrificiis, sacerdotio et festis sacris. Liber Numerorum, incipiens a conscriptione Israelitarum, continuat historiam populi post digressionem a monte Sinai usque ad occupationem regionis transjordanensis, intertextis variis legibus (1—36). Deuteronomium (δευτερονόμιον i. e. recapitulatio et explanatio legis (vel lex populi) explanat leges generales jam latas et claudit novissimis Moysis (1—34).

2) Auctor nequaquam historiam universalem mundi, nec accuratam historiam populi sui, sed historiam fundationis divinae oeconomiae salutis describere intendit[1]). Ordo et organica rerum relatio testantur de uno auctore, qui in brevibus intervallis facta literis mandavit[2]).

1) Ideo auctor plura et longa intervalla temporis silentio premit (ita ut lacunae quasi oriantur) vel paucis verbis notat, ubi naturalis tantum evolutio locum habuit; v. g. historiam generis humani a filiis Protoparentum ad diluvium, a Noe usque ad dispersionem gentium, commorationem Israelitarum in Aegypto et post reprobationem in deserto. E contra facta theocratica, lapsum, vaticinia messiana, diluvium, dispersionem gentium, historiam Patriarcharum, exitum et legislationem sinaiticam fusius tractat. Inde explicatur, quare nonnullae graves res repetantur vel accuratius describantur. Intendit auctor praeprimis quatuor res populo suo inculcare, nempe: separationem et sanctificationem populi prae gentibus, terram jam Patriarchis promissam, in qua Israel munus divinitus collatum adimplere possit, dignitatem et auctoritatem totius legis, praesertim ceremonialium, quae eos manuducerent, et spem in futurum semen Abrahae vel Messiam, quem vaticinia clare adumbrant. Antequam Moyses populum dilectum dimittat in limine terrae sanctae, praeprimis leges principales recapitulando observationem earum suis mandat, nonnullas respectu ad terram Chanaan modificat et supplet; ideo eas non in ordine chronologico, sed scopo paraenetico convenienter refert. Ob scopum suum non tam stricte historicum, quam theocraticum, auctor non accuratam chronologiam tradidit, sed eam eatenus respexit, quatenus evolutioni rerum narrandae conveniens vel necessaria erat. Praeterea materia tam organice componitur, ut priores partes praeparent relationes sequentes (Gen. 10, 21 et 11, 14; 22, 23 col. 24), et posteriora dicta magis evolvant, explicent et suppleant antecedentia (Gen. 4, 25 col. 2, 18; 15, 7 c. 12, 6; 22, 19 col. 21, 23; Ex. 2, 24. c. Gen. 15, 17 etc. Keil, Einleitg. §. 32).

2) Pentateuchum essentialiter esse opus unius auctoris, testantur; *a)* ratio narrandi; quamvis enim nonnulla prolixius, alia brevius tractentur, ordo tamen rerum continuus observatur, tum ab initio, tum in medio singulorum librorum. Insuper ea imprimis efferuntur, quae Legem spectant. Tituli et conclusiones, quae sparsim in Pentateucho inveniuntur (Gen. 2, 4; 5, 1; 6, 9; Lev. 13, 59 etc.), distinguendis singulis partibus inserviunt et recte suum locum occupant. Deuteronomium cum prioribus libris unum volumen constituisse, exinde patet, quod universae plagae Aegypti, quae in Exodo narrantur, *in volumine legis hujus scriptae* dicantur (Dt. 28, 60, 61). *b)* Character linguisticus: occurrunt in Pentateucho variae proprietates et archaismi, tum in vocabulis (אָבִיב Dt. 16, 1) tum in formis et significationibus, v. g. ponitur הוּא pro genere feminino הִיא 195ies in Pentateucho, 26ies in Deuteronomio. Si nihilominus in Deuteronomio diversitas styli observetur isque in reliquis libris non semper uniformiter fluat, haec magnam partem ex speciali argumento et charactere paraenetico libri Deuteronomii, qui leges refert, et in aliis libris e rebus diversis relatis explicatur, prout narrandi ratio historica, rhetorica, poetica etc. secum ferebat. Deinde Moyses aliter qua vir juvenis, aliter qua senex scripsit, aliter in narrando, aliter in exhortando vel increpando, aliter in describendis legibus loqui debuit. Si rursus altera ex parte lingua Pentateuchi parum differt ab illa, qua usi sunt Prophetae, haec circumstantia e majori stabilitate linguae semiticae est repetenda, quae per multa secula mutationibus gravioribus non fuit obnoxia, sed quodammodo invariabilis fluebat. Confer Neteler, Studien über die Echtheit des Pentateuchs, 1867.

3) Argumenta tum interna[1]), tum externa[2]) probant, Pentateuchum saltem quoad praecipuas partes conceptum esse tempore, quod fluebat a commoratione Israelitarum in Aegypto usque ad occupationem instantem terrae Chanaan.

1) Auctor prodit *a)* accuratam cognitionem rerum et geographiae Aegypti atque peninsulae sinaiticae; sic. v. g. urbes Heliopolis (Gen. 41, 45), Phitom, Ramesses Ex. 1, 11) Socoth et Etham (13, 20), Phihahiroth (14, 2), Gessen (Gen. 46, 28) tanquam notae simpliciter referuntur, imo stationes in Num. 33 nude tantum enumerantur, memoriae sublevandae causa; e contra Chanaan taoquam terra Israelitis incognita describitur, uti: *Hebron in terra Chanaan* (Gen. 23, 2, 19), *Salem urbem Sichimorum, quae est in terra Chanaan* (Gen. 33, 18), Garizim et Ebal (Dt. 11, 30), imo (Gen. 13, 10; Num. 13, 23. Dt. 11, 10) auctor loca terrae Chanaan describit more aegyptio. Praeterea libenter in libro Genesi facta, quae in singulis locis tempore Patriarcharum contigerant, efferuntur, ut Istraelitae, amore Patrum ducti, istam terram tam venerabilem anhelent v. g. *Bethel* Gen. 12, 8, *Moria* 22, 14, *Machpela* 23, 19. *Horma* Num. 14, 45 etc. *b)* Auctor leges refert absque ordine systematico, prout nempe ferebantur, et cum annotatione eventuum, qui eis ferendis occasionem dederunt; quod probat, leges statim, quando edebantur, fuisse scriptas (Lev. 4, 11, 12; 16, 10, 27 etc.). *c)* Dum in Genesi nonnisi facta principaliora referuntur, quae traditio ad posteros propagaverat, in reliquis libris saepe minutissimae res, uti accurata chronologia (Ex. 15, 22; 19, 1—3; 40, 15. Lev. 9, 1. Dt. 1, 3, confer Ranke, Untersuchung über d. Pentat. I. 36), numerus fontium et palmarum in Elim (Ex. 15, 27), munera specialia ab Israelitis oblata (Num. 7) et alia adnotantur. *d)* Multae leges supponunt populum adhuc in castris et in deserto degentem, et aliae Israelitas Chanaan nondum ingressos (Lev. 4, 2, 12; 13, 46; 14, 3, 8; 16, 27, 28; 17, 3; 24, 14, 23; 25, 2. Num. 15, 2, 35, 36; 19, 3. Dt. 6, 1—19; 7, 1—5; 23. 10 seq.). Tandem *e)* multae voces aegyptiae, explicatione non additâ, in textu hebraico inveniuntur, quae produnt auctorem hujus linguae peritissimum. Confer Vigouroux, La Bible II. l. 5. c. 13. Cf. traditiones tribuum arab. apud. Musil III. p. 70 seq.

2) Non solummodo analogia aliarum gentium, quae leges suas scriptas habebant, sed etiam accurata notitia legum, jam ex primis temporibus Hebraeis nota, monstrant, leges mox post promulgationem etiam literis mandatas fuisse; nam lex fundamentum erat status populi politici, civilis et religiosi; sic leges non tantum cognitae, sed et observatae narrantur. v. g. de sacerdotio et officio Levitarum (1 Sam, 6, 15; 1 Par. 15, 2), de festis et sacrificiis (1 Sam. 1, 3, 21; 2, 15), de urbibus refugii (1 Sam. 22, 18, 19; 3 Reg. 2, 28), praescripta de Naziraeis. Confer Herbst, Einleitg. II. 1 seq. Cornely l. c. 49 seq. Huc spectant frequentes reminiscentiae et citationes literales e lege, uti 1 Sam. 2, 13 col. Dt. 18, 3; 1 Sam. 15 col. Ex. 17, 8, ita ut ante hos libros Pentateuchus conscriptus sit. Oratio Salomonis in dedicatione templi (3 Reg. 8 et 2 Par. 5, 2 seq.) commentarium quasi constituit legis, praeprimis Lev. 26 et Dt. 28. Prophetae tam saepe ad Pentateuchum et legem provocant, ex ipso materiam vaticiniorum suorum hauriunt. Confer Hengstenberg, Beit. II. 48. Tandem tota literatura sacra poëtica Pentateucho nititur; in Psalmis (88, 102—105) celebrantur facta, beneficia et promissiones, quae in Pentateucho recitantur. Proverbia Salomonis non sunt nisi fructus reflexionis de revelatione divina in lege factae v. g. Prov. 8, 22 col. Gen. 1; Prov. 31, 3 col. Dt. 17, 17. Diserte Deus per Osee prophetam (8, 12) loquitur: *Scripsi* (hebr.) *eis multiplices leges meas.*

4) Specialiter Moyses tanquam auctor praecipuarum Pentateuchi partium confirmatur per argumenta interna[1]) et externa[2]).

1) *a)* Auctor quatuor posteriorum librorum Pentateuchi eventus, sermones et leges refert, tanquam omnium testis praesens; plura narrat, quae Moyses solus (Ex. 3; 33) expertus est; plura tam exacte et cum minutissimis circumstantiis personarum, locorum et temporis, quin unquam recentiora admisceantur aut ullus anachronismus appareat, describuntur, ut

solus scriptor coaevus ea scribere potuerit. Ast nemo tam aptus erat, quam Moyses, in omni scientia Aegyptiorum eruditus (Ex. 2, 10. Act. 7, 22), unde et explices vocabula aegyptia (Gen. 45, 45. Dt. 22, 11). Hi tamen libri supponunt Genesin tanquam introductionem necessariam ideoque arctissime cum hoc primo libro cohaerent; initium enim Exodi est quasi continuatio ultimi Geneseos capitis, imo saepius ad facta ibi relata reflectunt (Ex. 13, 19; 31, 17; Num. 26, 19. Dt. 29, 23). *b)* In nonnullis libris Moyses diserte tanquam scriptor Pentateuchi notatur. Sic ait Dominus ad Moysen (Ex. 17, 14): *Scribe hoc in monimentum in libro* הַסֵּפֶר, ergo in libro certo et jam existente. Quod Moyses hoc mandatum divinum revera sit executus, testantur Ex. 24, 4: *Scripsit Moyses universos sermones Domini;* 34, 27: *Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus.* Teste Num. 33, 1 seq. scripsit Moyses mansiones in deserto. Leges a Moyse scriptas supponunt Dt. 17, 18; 28, 58; 29, 19, 20 *(volumen legis);* 30, 10, sub quo volumine, uti e toto contextu et praeprimis e Dt. 29, 21 patet, priores libri Pentateuchi sunt intelligendi. *Scripsit etiam Moyses legem hanc (Deuteronomium) et tradidit eam sacerdotibus . . . et canticum* (Dt. 31, 9, 22). Ita et ipse ait: *Scripsit Moyses verba legis hujus in volumine atque complevit* (Dt. 31, 24), e quibus verbis nullum dubium restare videtur, quin Moyses Pentateuchum conscripserit. Si ergo mentio fit *legis,* quam explanavit Moyses (Dt. 1, 5), *universae legis,* quam proposuit Moyses (Dt. 4, 8), *exemplaris legis* (Dt. 17, 18) et *voluminis legis* (Dt. 28, 58, 61), sub eadem Pentateuchus eousque a Moyse conscriptus intelligi debet.

2) Accedunt argumenta externa, et quidem: *a)* constans traditio Judaeorum, qui legem (Pentateuchum) semper Moysi auctori vindicant. Sic jam libri Josue auctor, unus ex illis, qui Jordanem trunsierunt (5, 1), meminit voluminis *legis Moysis* (1, 7, 8; 8, 30—35; 23, 6). David provocat ad *praecepta, sicut scriptum est in lege Moysi* (3 Reg. 2, 3. col. 4 Reg. 14, 6). Tempore exilico Moyses pariter qua auctor Pentateuchi consideratur: *quae scripta sunt in lege Moysi* (Bar. 2, 2; Dan. 9, 11, 13), maxime vero tempore postexilico, uti testantur phrases: *lex Moysi* (2 Par. 23, 18; 31, 3. Esr. 3, 2. Neh. 10, 34), *liber legis Moysi* (2 Par. 25, 4), *liber Moysi* (2 Par. 35, 12. Esr. 6, 18), *volumen Moysi* (Neh. 13, 1), *liber legis Domini per manum Moysi* (2 Par. 34, 14). *Liber vitae et testamentum Altissimi . . . legem mandavit Moyses, hereditatem domui Jacob* (Eccli. 24, 32, 33). Auctor 2 Mach. 7, 6 canticum Dt. 32, 36 Moysi tribuit. Congruit Josephus (Ant. XVII. 6, 3): *Quae Moyses Deo docente et suggerente scripta reliquit,* et Philo (de vita Moys. II, 8; III, 39), qui Moysi etiam Deut. 34 tanquam prophetice scriptum attribuit. Talmud, Bab. bath. fol. 14, 2. Hac in re nec Pharisaei, nec Sadducaei discedunt (Matth. 22, 24. Marc. 12, 19. Luc. 20, 28). Samaritani, qui Pentateuchum et lacinias libri Josue tantum receperunt, illum Moysi auctori tribuunt eumque plurimi habebant. *b)* Traditio christiana. α) Christus saepe provocat ad leges tanquam a Moyse latas (Matth. 19, 8. Marc. 1, 44; 7, 10; 10, 3; Luc. 5, 14), *librum Moysi* (Marc. 12, 26), *habent Moysen et prophetas* (Luc. 16, 29), *legistis in libro Moysi* (Marc. 12, 26), *necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi* (Luc. 24, 44), et: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?* (Joh. 5, 46, 47). β) Eandem sententiam tenuerunt Apostoli. Paulus suadebat Judaeis de Jesu *ex lege Moysi et prophetis* (Act. 28, 23), Jacobus ait, *Moysen* (Pentateuchum) in synagogis per omne sabbatum *legi* (Act. 15, 21 col. 2 Cor. 3, 15); Philippus dicit de Jesu; *Quem scripsit Moyses in lege et prophetae* (Joh. 1, 45); ipsi generatim ad Pentateuchum tanquam librum Moysi provocant (Luc. 24, 27; Act. 3, 22; 26, 22; Rom. 5, 13, 14; 10, 5, 19. Apoc. 15, 3). *c)* Moysen tanquam auctorem Pentateuchi nominant ss. Patres. *d)* Similiter Moysen tanquam legislatorem salutant scriptores ethnici: Maneto (Josephus l. 1 c. Ap.: *Politiam et leges composuit eis sacerdos quidam Moyses*), Chaeremon, Diodorus Siculus (l. 1. Bibl.: *Apud Hebraeos quidam Moyses exstitit, qui leges eisdem reliquit, quas a Deo Jao se accepisse dicebat,* Strabo (l. 16. hist.), Tacitus (hist. 5, 4: *Moyses novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit*), Juvenalis (sat. 14). Confer Huetium, Demonst. evang. prop. IV. cap. 2 seq.

5) Si Moysen auctorem Pentateuchi habemus, nihil impedit, quominus statuamus, ipsum scriptis et fontibus non solum antiquioribus sed etiam coaevis esse usum[1]), ac serius non parva quaedam additamenta et glossas supplementi vel explicationis causa fuisse adjecta.[2])

1) Descriptio diluvii (Gen. 6, 9 seq.) tam accurata conclusionem admittit, Moysen eam hausisse ex fonte antiquo. Idem dicendum de variis genealogiis, In Genesi obviis (5, 1 seq., 11, 10 etc.); de partibus poeticis (Gen. 4, 23; 49, 1. Num. 23, 7). Citat porro *librum bellorum Domini* (Num. 21, 14), qui probabiliter erat collectio canticorum apud populum vulgatorum illo tempore. Usus est computo Ithamari (Ex. 38, 21).

2) Quamvis Josephus (Ant. IV, 9), Philo et Origenes (c. Cels. 2, 54) et ultimum Deuteronomii caput Moysi tribuant, tamen contrarium patet e Dt. 31, 24: Moyses *complevit* volumen; probabiliter ultima capita inde a Dt. 31, 25 Josue concepit (col. 32, 44) et Pentateucho, ut historiam Moysis absolveret, adjecit.

6) Sententia de conceptione Pentateuchi Mosaica usque ad saeculum XVIII. fere nunquam[1]) in dubium est vocata, donec Rationalistae, ut mythicam interpretandi rationem fulcirent, eum Moysi abjudicarent et a juniore, imo a pluribus auctoribus, diverso tempore viventibus, concinnatum esse praetenderent. Provocata fuit haec lis quaestione circa fontes libri Geneseos. Hinc enatae sunt variae hypotheses: *a)* erant qui autumarent, Pentateuchum (Genesin) constare e duobus documentis originariis *(Urkunden-Hypothese)*, quae de usu nominis Elohim (elohisticum) et Jahve (jahvisticum) denominantur et a Moyse vel a redactore coaevo, reliquis superadditis, in unum volumen redacta fuerint.[2]) *b)* Quoniam vero usus nominum Dei diversorum ex argumentis internis clare evincebatur, alii Pentateuchum ortum fuisse putant e variis fragmentis *(Fragmenten-Hypothese)*, successu temporis in unum compactis.[3]) *c)* Paulo post hypothesis documentorum transformata fuit in illam, quae in prioribus quatuor Pentateuchi libris archetypum quoddam seu documentum primitivum elohisticum tanquam fundamentum supponit, quod dein supplementis (praeprimis jehovistico) a pluribus auctoribus auctum atque completum fuerit (Ergänzungs-Hypothese), cui tandem alius auctor Deuteronomium adjunxerit.[4]) *d)* Recentissime enata est hypothesis pure rationalistica, seu theoria evolutionistica, quae omnia elementa supernaturalia et pragmatismum religiosum a Pentateucho (et reliquis libris sacris) explodit eumque compositum venditat e variis fontibus diverso tempore conscriptis, qui ope »criticae sublimioris« (mere negativae) anatomice secernuntur. Supponunt hi critici, res longe recentiores, praecipue ceremoniales et legales, sub specie antiquitatis in libros priores fuisse interpolatas et intrusas, ita ut Pentateuchus tanquam opus fictionis, a fraudatoribus compilatum, appareat.[5])

1) Omissis Ptolomaei gnostici, Celsi et Juliani aggressionibus, primus inter christianos adversarius fuit Carlstadt (Libellus de can. Script. 1520), qui conceptionem Pentateuchi mosaicam in dubium vocavit, et A. Masius (Com. in Josue 1574), qui Pentateuchum Moyse juniorem asseruit, quibus accessit catholicus R. Simon (C. Or. Histoire crit. d. vieux T. 1685 I. 2), qui Moysen integri Pentateuchi auctorem non fuisse ostendere conatur.

2) J. Astruc (Conjectures sur les mémoires orig. etc. Brux. 1753) primus librum Geneseos constare defendit e duobus documentis majoribus et 10 minoribus, quibus Moyses

in opere suo scribendo sit usus. Eum secutus est J. G. Eichhorn (Einl. in A. T. 1790 II. 211 seq.), qui Gen. 1. — Ex. 2 e duobus documentis compositum, facta vero reliquorum Pentateuchi librorum, a Moyse conscripta et ab ipso vel coaevo auctore in praesentem Pentateuchum redacta credit. Ilgen et Hupfeld (Quell. d. Genes. 1853) insuper tertium fontem (elohisticum) statuunt.

3) Auctor hujus hypothesis erat J. S. Vater Comm. über d. Pentateuch. 1802, cui tantum A. Hartmann (1831) adhaesit.

4) Dissidia criticorum de numero et antiquitate singulorum documentorum et auctorum jam clare manifestam reddunt improbabilitatem hujus hypotheseos multum variatae. Wette, Lengerke admittunt 3, Schrader, Graf 4, Dillmann 5, Nöldecke 6, Knobel 8, Ewald 11—12 auctores, qui archetypum scripserint. Ab his Deuteronomium tanquam pars Pentateuchi recentissima defenditur, quae juxta Knobel, Graf, Lengerke tempore Josiae regis, secundum Ewald, Riehm, Bleek tempore Manassis regis scripta sit.

Ad hypothesin suam firmandam argumenta externa afferre non valent critici; argumenta vero interna, ab eis allata, conjecturis tantum nituntur.

5) Haec hypothesis excogitata fuit a W. de Wette, qui legislationem mosaicam exilio babylonico antiquiorem esse in dubium vocavit; George, Vatke, qui Deuteronomium legislatione librorum intermediorum praecesisse docuerunt; Graf, Kuenen (hist. k. Einl. in Büch. d. A. T. von Weber, Leipzig 1885), Kayser (Jahrb. f. prot. Theol. VII. 327 et Theol. d. A. T.), inprimis vero a Reuss (La Bible, Paris 1879. Gesch. d. hl. Schrift A. T. 1881), Cornill (Einl. in A. T. 1892) et Wellhausen (Comp. d. Hexat, 1889, Proleg. z. Geschichte Is. 1883, Abriß d. Gesch. Israels u. Juda 1884), qui vario quidem modo Hexateuchum e variis fontibus compositum (seculum 7. inter et Alexandrum M. regem) defendunt; et quidem *a)* e fonte elohistico (*E* Gen. 4, 25; 20—22; 28; 31; 32; 37; 39—50), *b)* e fonte jahvistico (*J* in quo nomen Jahve et usus pronominis anokhi praevalent). *c)* Ex utroque enatus est tempore aureo ante exilium assyriacum liber historicus jahvisticus *(JE). d)* Accessit Deuteronomium *(Dt.)* tempore Josiae regis brevi ante annum 621, quod *e)* cum libro praecedente JE. conjungebantur (probabiliter inter an. 606 et 588). *f)* Codex sacerdotum vel codificatio legum ceremonialium (*PC.* Ex. 25—40. Lev. integer liber, Num. 1—10; 15—19; 25—36, ubi praevalet usus pronom. »ani«), qui a plurimis tanquam fons recentissimus habetur e tempore postexilio. Hic una cum JE. (cujus partes historicae illis PC. parallelae sunt), et *Dt. g)* in unum opus sub Esra coaluit. Tandem omnes istae partes una cum recentissimis additamentis in praesentem Pentateuchum redactae sunt a legisperitis Nehemiam inter et Alexandrum M. (Confer Wellhausen, Skizzen und Vorarbeiten 1885. II. Heft). Juxta systema Wellhausenii Esras et Nehemias Pentateuchum terminarunt; Reuss praetendit, codicem sacerdotalem cum reliquis partibus in Hexateuchum ante Alexandri M. aetatem fuisse coujunctum; imo ipse Delitzsch (Luth. Zeitschr. 1880, 1882) dubitat, an seculo 3. ante Ch. Pentateuchus jam omnino fuerit terminatus, et Seinecke (Gesch. d. Volk. Is. 1884) originem Pentateuchi medio seculo 2. a. Ch. adscribit. Tali ratione Pentateuchus charactere suo supernaturali exuitur, et exinde deducuntur corollaria: Libri canonici quoad maximam partem sunt libri a falsatoribus adulterati variis interpolationibus, fictionibus et recensionibus; relationes biblicae de paradiso et diluvio non sunt nisi mythi (ethici), Patriarchae vero personificationes variorum populorum, Jeremias (col. 8, 8) et Malachias apparent qua fraudatores, documenta codicis sacerdotalis tanquam mera figmenta, et vaticinia messiana nonnisi somnia fanatica. Sed haec hypothesis artificiosa solido fundamento objectivo caret ejusque »critica sublimior« licentiam effraenem sibi arrogat, textui traditionali vim infert, ad varias fictiones transfugit et diserte ad hoc tendit, ut quodcunque elementum supernaturale e Pentateucho expellatur.

Dum autem prior criticorum schola Deuteronomium tanquam juniorem Pentateuchi partem habet, altera codicem sacerdotalem ejusdem recentissimam partem defendit; nam hic non antiqui regni Israel, sed recentioris secietatis religiosae Judaeorum post exilium legislationem continere dicitur, quia status ille religiosus, qui in codice sacerdotali praescri-

bitur, nonnisi tempori Esrae conveniat. Negligunt autem critici hanc circumstantiam, quod Israel post longas minas et poenas divinas tandem in exilio ad recipiscentiam sit adductus. Difficultates adversariorum desumuntur

a) ex loco cultus publici; incognitam enim fuisse in tota historia israelitica unitatem loci cultus, ajunt critici; nam in libris historicis et propheticis nullum vestigium tabernaculi tanquam sanctuarii centralis inveniri; in JE. sermonem tantum esse de altaribus cultus excelsorum, cultum a Josia rege demum institutum fuisse, codicem sacerdotalem tabernaculum velut imaginem templi considerare et in initium historiae israesit. scopo suo convenienter reponere. — Attamen historiam tabernaculi foederis ab itinere in deserto usque ad templi aedificationem contexere possumus. Fabrica ejus in deserto accurate describitur in Silo, uti Mischna tradit (Seb. 14, 6), erat structura lapidum inferius, et aulaea superius, hinc recte domus Dei vocatur (Judic. 18, 31; 19, 18; 1 Sam 2. 3). Cum aedificium, arcâ privatum, penitus periret, altare cum vasis sacris in Nobe, deinde in Gabaon translatum eorumque causa similia aedificia sunt extructa (cf. 1 Sam, 21; 10). Hi omnes loci ad codicem sacrum pertinere falso a criticis praetenduntur. Tabernaculorum foederis autem usque ad templi fabricam erat centrum cultus. Sunt quidem tres leges circa unitatem loci latae, quae tribus epochis historiae isr. correspondent; lex sacrificandi in omnibus locis, in quibus Deus se revelaverit (Ex. 20, 24), valuit usque ad exstructum tabernaculum; lex mactandi coram tabernaculo (Lev. 17, 3 seq.) in solo deserto viguit; ingressuris in Palaestinam omni in loco mactare permittitur (Dt. 12, 15) usque ad templi exstructionem; nam ante Salomonem Deus sibi non elegit habitaculum fixum (3 Reg. 8, 16, 29). Ordinarie a Moyse usque ad Samuelem in uno tantum loco sacrificabatur, nam tempore Josue tabernaculum erat centrum religiosum (Jos. 18, 1, 8, 10; 19, 21); in aliis locis nonnisi permittente Jahve sacrificia offerebantur. Si lex haec inde a Samuele usque ad Salomonem accurate observata non fuerit, ratio est, quia tabernaculum et arca inde separata frequenter locum mutaverunt et duo pontifices tunc aderant, unde quaedam incertitudo exorta est. Templo exstructo mons Sion exstitit centrum religiosum, uti ex Psalmis et Prophetis videre licet; cultus excelsorum, ubi grassaretur, a pluribus regibus abrogatus et a prophetis tanquam illegitismus damnatus fuit.

b) A sacrificiis; urgent differentiam inter partes jehovisticas, in quibus de sacrificiis Patriarcharum est sermo, et *PC.* ab Esra confectum, qui nullum ante Moysen sacrificium commemorat et ex prophetis probare student, nullos ritus sacrificiorum a Moyse fuisse praescriptos. — Ast prophetae sacrificia in se non damnant, sed tantum actum mere externum vituperant. Si objiciunt, antiquitus sacrificia pacificorum, in PC. vero holocausta et sacrificia expiatoria praevalere, quae antiquitus fuerint incognita, inspicere juvabit Ps. 39, 17; Os. 4, 8; Is, 53, 10.

c) Ex festis praeceptis, in quibus PC. cum historia pugnare asseritur. Sacrorum festorum tria tantum, ajunt critici, in JE. et Dt. occurrunt: Pascha (quod ante Josiam non sit celebratum col. 4 Reg. 23, 21), Pentecoste et festum tabernaculorum (quod sit praecipuum), quorum (si ultimum excipias) pauca tantum vestigia in libris historicis et propheticis inveniantur. Insuper festa illa fuisse videntur origine sua agraria, quae in PC. characterem religiosum induerint. Dies expiationis enatus dicitur e festis exilicis, sabbatum tanquam festum lunare, annus jubilaeus et sabbaticus in exilio demum iniroducti feruntur. Festum Paschatis cohaerere venditatur cum sacrificiis primogeniturae (Ex. 34, 18 seq.), nam primum in Dt. qua historicum commemoratur, fors quia festum vernale et exitus ex Aegypto fortuito coinciderunt. — Ast omnia haec argumenta sunt ex silentio. Character historicus Paschatis respectu ad exitum et redemptionem Israel, jam in antiquissimis fontibus clare exprimitur (col. Jos. 5, 10; 2 Par. 30, 1).

d) A sacerdotibus et Levitis. In historia antiqua fingunt adversarii, nullum discrimen exstitisse inter clericos et laicos; nec sacerdotium per Moysen fuisse institutum. In majoribus tantum sanctuariis sacerdotes inveniri dicuntur: tempore regum sacerdotes fuisse leguntur ministri regii, et immediate ante exilium enatum est discrimen inter sacerdotes et Levitas, quod Ezechiel occasione reformationis, a Josia rege institutae, sanxerit. Levitas

nil commune habere cum antiqua tribu Levi, quae interierit (Gen. 49, 7), et sensim in Juda ordinem hereditarium constituisse, ita ut nomen hoc evaserit gentile. Sacerdotes genus suum non ab Aarone, qui nunquam vixerit, sed a Sadoc (tempore Davidis) derivare, et pontificium ante exilium non exstitisse; cum enim tempore postexilico pontifici concredita fuerit reipublicae administratio, tunc enatam esse hierocratiam, quam PC. in tempus mosaicum reponit. — Ast tota historia docet, a Moyse usque ad exilium sacerdotes semper fuisse a laicis distinctos, et munus sacerdotale in familia Aaronis hereditarium, uti genealogia familiarum sacerdotalium (1 Par. 6) clare demonstrant. Critici miro hoc figmento sacerdotes excelsorum et regios sacerdotes Israel confundunt atque idolatriam cultui Jahvae plane aequiparant. Tribus Levi minime periit, utique autem dispersa fuit; insuper Levi tanquam nomen gentile adducitur Gen. 49, 5—7, Dt. 33, 8—11 et Ezechiel (42, 13; 43, 19) discrimen inter sacerdotes et Levitas jam supponit. Falso supponitur pontifex fuisse tantum rex pontificalis. Hierarchicam sacerdotum differentiam agnoscunt insuper libri historici et prophetici (Jer. 19, 1; 20, 1; 29, 25, 26).

Praeterea a schola criticorum recentissima negatur existentia Patriarcharum, qui non sint nisi prototypi ideales populi Israel. Tanquam fundamentum fabularum de Patriarchis considerantur genealogiae, quasi ossa, quae in parte JE. carne exornantur. Ad has poeticas factorum historicorum transscriptiones accedere dicunt mythos de cultu variis coloribus exornatos. Haec omnia in PC. purificantur, qui ad hoc tendit, ut foedera Dei cum Patriarchis tanquam praeambula foederis mosaici describantur. Israelem antiquitus ortum esse dicunt e 7 tribubus (filiis Leae et Joseph), quae dein cum reliquis cognatis peninsulae Sinae et Palaestinae gentibus in unum populum coaluerint. Juxta hos criticos legislatio sinaitica in PC. contenta, quae non est nisi productum ideale postexilicum, cum suis adjunctis (figmentis) in historiam quasi intruditur et tali modo theocratia ex antiqua historia Israel eliminatur. Ut tandem de lege quid referamus, praetendunt, quod lex scripta antiquo tempore non exstiterit, sed solummodo lex oralis; nam Deuteronomium a Josia inventum (anno 621) primus et unicus liber legis fuisse videtur. Ezechiel primus fuisse creditur, qui ritus antiquos (cq. 40—48) literis mandarit, qui dein in PC. in systema redigerentur et ab Esra absolverentur. Tali modo etiam possibilitas legis scriptae, imo ipsius decalogi impugnatur, in hunc finem, ut Pragmatismus religiosus e libris sacris expellatur, qui non sit nisi figmentum a prophetis excogitatum, in PC. collectum et exinde in priores Pentateuchi libros fraudulenter translatum atque interpolatum.

Hanc hypothesin impugnarunt: Flunk, Z. f. kath. Theol. Innsb. 1885. 472. 595 seq. J. Selbst, Zur Orientierung über Methode und Ergebn. der neuesten Pentateuchkritik im Katholik 1877. 57 Bd. a. 337. 449. 561 pg. seq. J. König, Alter u. Entstehungsw. d. Pentat. (Rektoratsrede) Frb. 1884. Vigouroux, Les livres saints et la crit. rat. Par. 1887. tom. 2 et 3. Cornely, Introd. spec. I. pg. 97—154. Schöpfer, Gesch. d. A. T. 216 seq. Schanz, Apologie 2. Bd. — E protestanticis Bredencamp, Gesetz u. Proph. 1881. Böhl, Zum Gesetz u. Zeugn. 1883. Roos, Die Geschichtl. des Pentat. 1883. Naumann, Wellhausens Methode krit. beleuchtet. 1885. Finsler, Darst. u. Krit. der Wellh. Ans. v. Relg. u. Gesch. d. A. T. 1887. Marti, J. f. prot. Theol. VI. 127. 309 sq. Schumann, Die Wellh. Pentateuchtheorie 1892. Hommel, Die altisr. Überlieferung in schriftl. Beleuchtung. Einsprache gegen die Aufstellungen der modernen Pentateuchkritik München 1897. — P. Hildebrand Höpfl, O. B., Die höhere Bibelkritik. 2. ed. Paderborn 1905. — Kley, Pentateuchfrage 1904. — Hoberg, Moses u. d. Pentateuch. Bibl. Stud. 1905. — B. Jakob, Pentateuch 1905. — Klostermann, Pentateuch 1907. — A. Schulz, Doppelberichte im Pentateuch (Bibl. Stud. 1908). — W. Engelkemper, Heiligtum u. Opferstätten in d. Gesetzen d. Pent. Paderb. 1908. — Eerdmanns, Alttest. Studien I. Komposition d. Gen. 1908. — P. Karge, Gesch. d. Bundesgedankens im A. T. 1909.

7) Cum critici acatholici tali modo non tantum Pentateuchum sed totam quoque Sacram Scripturam privaturi essent auctoritate divina, nostro tempore etiam viri docti catholici arti criticae saniori innixi in hanc rem

inquisiverunt, uti Vetter, v. Hummelauer (S. J.) aliique. Quoad Pentateuchum Hummelauer haec comprobat: Legum collectionem Deut. 12, 1 usque ad 26, 15 esse »legem regni«, quam Samuel coram Domino reposuerit (1. Sam. 10, 25). Hanc legum collectionem, quam Hummelauer merito clavem Deuteronomii vocat, sicut Deuteronomium totius Pentateuchi clavem appellat, respondere demonstrat non tempori Mosaico, sed temporibus Judicum, praesertim Samuelis prophetae. Provocat imprimis 1. ad legem de decimis (Deut. 14, 22 seq.; 12, 11, 17; 15, 19 seq.; cf. 16, 19), quae revera alia est a lege Num. 18 lata; 2. ad Deut. 23, 2 (3), ubi ‚mamzer', quos teste Zach. 9, 6 Azoti cives, ergo Philistaeos, esse constat, »inter nationes Hebraeis infensissimas et speciali ratione abhorrendas recensentur«; 3. ad legem de loco offerendi victimas Deut. 12. Hoc caput constare comprobat Hummelauer »lege breviore v. 2—7, quam re Mosaicam esse lubenter concedimus, tribusque novellis 8—19. 20—28. 29—32. Porro v. 8 novellarius in persona Moysis producens sermonem: *Non facietis,* inquit, *sicut omnia, quae nos fecimus hic hodie, unusquisque quod rectum videtur in oculis suis* (cf. Jud. 17, 6; 21, 24!). Cui expressioni v. 25. opponitur altera faciendi, quod rectum est in oculis Jahvae. Describit igitur novellarius eam sui temporis (»hic hodie«) rerum conditionem, ut in iis, quae locum cultus Jahvae spectarent, faceret unusquisque quod sibi placeret, effrena obtineret licentia, ubilibet et sane etiam a quibuslibet offerentur sacrificia Jahvae. Imo novellarius scribens pronomen ‚nos' se ipsum quodammodo includit, declarat haec fieri hic hodie a seipso, sin minus consentiente, at certe permittente vel tolerante vel non repugnante. Atqui his certe non describitur rerum conditio, quae erat extrema Moysis vita, sed aliquando post Moysen«. His aliisque huiusmodi bene consideratis haud immerito concludit Hummelauer, Deut. 12, 1—26, 15 esse collectaneum legibus Exodi et Numerorum tempore Judicum comparatum et a Samuele ‚Thorae Mosis' insertum, i. e. esse ‚legem regni', de qua 1 Sam. 10, 25 sit sermo, ergo esse non posse »Deuteronomium primogenium (Ur-Deuteronomium)«, uti Wellhausen fabuletur.

Hac clavi usus Hummelauer in introductione Commentarii sui in Deuteronomium (Parisiis 1901) sagaciter inquirens in Pentateuchi compositionem ad has pervenit conclusiones:

1. *Thoram* (Deut. 5—11; 28, 1—29, 1) *scripsit Moyses.* Id explicite affirmatur Deut. 31, 9, manifeste confirmatur factis Josue et Samuelis.

2. *Thorae a Moyse scriptae inseruit Samuel suum iudicium reyni* (»Königsrecht«), *quod totum habes 12, 1—26, 15; inseruerat ante ipsum Josue verba sua, quorum fragmentum haberi videtur 26, 16—27, 26.*

3. *Hanc thoram, Samuelis scripto auctam, reperit Helcias Josia rege.*

4. *Non sola haec thora, sed omnia scripta aevi Mosaici aevo Esdrae conspiciebantur in unum pentateuchum coadunata, qui pentateuchus tum et deinceps thora vocabatur.*

5. *Testimonia quaedam antiqua, comparata pluribus scripturae textibus et imprimis facto Helciae, suggerunt, aliquando regum aevo libros sacros excidisse summa illa reverentia, qua antea habebantur, imo impiorum regum persecutiones esse expertos.*

6. *Deuteronomium constat tribus documentis Mosaicis, in narrationem libri bipartiti* (i. e. acta in monte Sinai, quae primum claudebantur clausula Lev. 26, 45, et acta in terra

Moab, quae claudebantur clausula Num. 36, 13, quaeque originetenus fuerunt copiosiora quam nunc sunt) *immissis.* Librum bipartitum habes Ex. 1, 1— Deut. 1, 3; 31, 14—34. 12. Immissa est paraenesis thorae (prior) Deut. 1, 6—4, 40; thora Deut. 5—11; 28, 1—29, 1; historia foederis restituti Deut. 29, 2—31, 13.

7. *Ea lex, quae nomen nacta est ‚thora' κατ' ἐξοχήν, est pentalogus* (Moysis) *Deut. 6. 1—7, 11.*

8. *Haec thora est pars verborum foederis* (29, 1), *quorum altera pars sunt benedictiones et maledictiones Deut.* 28, 1, 29, 1.

9. *Liber thorae, quem Moyses tradidit sacerdotibus, praeter verba foederis habebat praeambulum Deut. 5 et paraenesin thorae (alteram) 7, 12—11, 32.*

10. *Quod vero huius libri antiquissima apographa attinet, potuere ea praeterea habere aut paraenesin thorae (priorem) aut historiam foederis aut utramque, atque nihilominus thorae nomine appellari.*

11. *Leges Mosaicae non erant absolute immutabiles.* Admittebant *augmenta,* cum Josue et Samuel earum legum sacratissimam thoram suis auxerint additamentis. Admittebant *mutationes.* Non mutabantur neque mutari poterant quinque illa thorae in pentalogo mandata; neque . . . mutabantur leges libri foederis prioris (Ex. 21—23, itemque Ex. 34): duo foederum documenta, foederis inquam tam Sinaitici quam Moabitici, non mutabantur. Reliquarum legum plures a Samuele in collectaneo (Deut. 12, 1—26, 15) sunt mutatae.

12. *Lex Mosaica erat lex non mortua, sed viva,* non litera tantum, sed litera spiritu animata. Erat sc. lex credita *prophetis,* qui aevo iudicum pauciores, mox aevo regum plurimi fuere. Quorum officium princeps nequaquam erat futura praenuntiare, sed Moysis legislatoris opus continuare et perficere, foedus per Moysen datum conservare, explicare, et novum foedus per Christum dandum, praeparare . . .

13. *Pentateuchus non, qualis nunc est, e Moysis calamo fluxit, sed e pluribus scriptis Mosaicis coaluit.*

14. *Haec scripta non integra in manus eorum pervenerunt, qui Pentateuchum congesserunt, sed plus minus defigurata, discerpta, resarta.*

15. *Pentateuchi textus noster est textus plurimo et arduo negotio restitutus estque ut textus restitutus a nobis explicandus* (Cf. suspirium restitutoris 29, 29 [28]: »Obscuritates [textus] Jahvae Deo nostro commendatas habeo; quae clara sunt, data sunt nobis et filiis nostris in aevum, ut faciamus omnia verba thorae huius«!).

16. *Scripta aevi Mosaici (Genesis et scripta supra dicta) tandem in unum pentateuchum congesta sunt aut per Esdram (?) aut universim per Judaeos Babylone degentes aut in quibusdam apographis vel ante destructam urbem.*

17. *Hunc pentateuchum Esdra superstite Manasses detulit ad Samaritanos.*

18. *Postquam scripta illa, disjecta primum et defigurata, in unum tandem coaluere pentateuchum, defecere prophetae vivae thorae interpretes, litera mortua thorae facta Judaeis intolerabile onus viam stravit novae legi novoque foederi per Messiam sanciendis.«*

Ergo Pentateuchus »Mosaicus« est: primum materia, qui totus sit de actis Moysis; etiam origine, cujus omnes partes Moyse superstite scriptae primum fuere sive ab ipso Moyse sive eo iubente et approbante. Verum est Judaicae traditionis axioma: »Moyses scripsit librum suum«, verum eo sensu, quo illud a Judaeis statuebatur, qui non criticum de libro ferebant iudicium, sed quae a maioribus tradita acceperant, profitebantur« [1]).

Pont. Commisio biblica de Mosaica authentia Pentateuchi sequens votum a Pontifice approbatum (27. Jun. 1906) edidit:

1. Critica argumenta non tanti ponderis sunt, affirmare, Libros hos non Moysen habere auctoren, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos.

2. Non est tenendum, Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; admitti potest hypothesis, eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen, ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, ac tandem opus hac ratione confectum ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum ipsiusmet nomine vulgaretur.

3. Concedit, Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit.

4. Salvo Ecclesiae judicio affirmative consentit, salva substantiali Mosaica authentia et integritate Pentateuchi admitti posse tam longo seculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysis mortem vel ab auctore inspirato apposita vel glossas et explicationes textui interjectas, vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas, mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et judicare.

1) Cf. Biblische Studien VI, 12 ubi idem auctor eandem materiam breviter tractat et Hoberg quoque de eadem re agit. Cf. etiam Theologische Quartalschrift (Ravensburg 1899), vol. 81, pag. 512 seq.: Vetter, Die Zeugnisse der vorexilischen Propheten über den Pentateuch. I. Amos, II. Hoseas (vol. 82, pag. 187 seq.).

8) Axiopistia vel veritas historica Pentateuchi e circumstantiis et charactere auctoris, nec non e rerum narratarum indole evincitur; nam *a)* Moyses omnia, quae scripsit, apprime scire potuit[1]), et *b)* veritatem eorum, quae scivit, scribere voluit[2]). Nec critica, nec scientiae profanae, recentissimo tempore evolutae, solidis argumentis veritatem historicam dictorum concutere potuerunt[3]).

1) Moyses, in aula regia bene educatus et eruditus, accurate cognoscere potuit, quae initio Exodi de servitute Israelitarum narravit; quae autem in quatuor reliquis libris retulit, vel ab ipso sunt gesta, vel ipso vidente ac teste contigerunt. Argumentum Geneseos hausit e traditione continua, praeprimis in familiis Patriarcharum conservata. Haec autem eo facilius integra et illibata conservari potuit, quo *a)* pauciores generationes vel membra intermedia ob longaevitatem Patriarcharum hoc aevum impleverunt; Adam enim vidit Mathusala, hic Semun, qui novit Jacob conversantem cum illis, qui Moysen viderant; *b)* quo pauciora facta complectitur eaque gravissima et naturâ sua omnibus nota. Domesticae traditioni addenda est traditio aliarum gentium (Chaldaeorum et Aegyptiorum), quam Hebraei ignorare non poterant. Ceterum monumenta, uti: turris babelica, altaria a Patriarchis erecta, spelunca Abrahae, arbores memorabiles, genealogiae, carmina et ejusmodi Moysi praesto erant, ad narrationem suam instruendam. Aug. (Conf. 12, 23): *Discedant a me omnes, qui ea, quae falsa sunt, Moysen dixisse arbitrantur.*

2) Quod Moyses veritatem excluso omni dolo revera scripserit, patet *a)* ex ipsius charactere severo et sincero; narrat quidem miracula a se patrata, quae ipsi gloriam conciliare valebant, simul tamen se nonnisi Dei instrumentum confitetur, et maculus imperfectionesque proprias minime reticet (Ex. 3, 11, 4, 10–14. Num. 20, 12; 27, 14. Dt. 32, 48). Ubique, tum in vita, tum in sermone ejus, optimi et candidi viri effigies se offert, eximius morum candor, egregia pietas, studium virtutis invictum, summa patientia et charitas. *b)* E

stylo simplici, aperto et modestiae pleno. Pauca tantum refert de prima mundi aetate, qua in re differt Genesis a mythologicis gentium libris, qui eo magis fabulis abundant, quo antiquiora narrant. Miracula quidem multa adducit, ast haec contra veritatem historicam non militant, imo in oeconomia divina A. T. sunt fundata; revelatio enim divina miraculis carere nequit. Ceterum miracula biblica toto coelo differunt a prodigiis librorum ethnicorum; nam illa Deo digna sunt, ejusque naturae spirituali conveniunt, ac sanctitati respondent, dum prodigia gentilium absurdas deorum metamorphoses involvunt. *c)* E testimonio Israelitarum coaevorum, qui horum eventuum erant testes et reliqua a majoribus tradita didicerant, erant enim facta publica; hinc ad eorum testimonium confidenter appellat. Quum porro Moyses leges duras et observatu difficiles ipsis imposuerit, transgressores morte mulctaverit, vitia reprehenderit, quis dicet, Israelitas jugum impostoris cum tanta obedientia toleraturos fuisse?

3) Supra jam vidimus, quod scientiae tum archaeologicae, tum historicae, tum geographicae, tum linguisticae, et effossiones assyriae, aegyptiae, palaestinenses relationes biblicas non tantum non evertunt, sed confirmant. Haec omnia in Bibliis narrata inter mythos relegare, vanum est. Si enim mythorum patroni provocant ad analogiam omnium populorum, qui suam mythicam aetatem habuerunt, observandum est, libros sacros Hebraeorum longe differre a libris ejusmodi generis aliorum populorum; nam *a)* si spectes res divinas, omnes gentilium narrationes antiquissimae ordiuntur a polytheismo, deos et deas in modum crassum repraesentant, rixas, bella etc. inter eos exponunt; libri vero sacri A. T. a monotheismo progrediuntur, Deum unum, spiritualem repraesentant etc. *b)* Quoad originem rerum, libri profani absurdas cosmogonias et geogonias somniant, quae e corrupta sensim traditione originali explicantur, civitatum, principum origines a deo quodam derivant, dum in Libris sacris A. T. creatio mundi et inventio rerum novarum artiumque simplicissime describuntur. *c)* Relate ad res physicas, superstitio gentium solem, astra, flumina etc. a diis inhabitata et animata fingunt, astra tanquam numina colit, homines defunctos inter sidera collocat, dum Libri sacri omnia in gloriam Dei et ad hominum salutem creata esse docent et omnes species idololatriae impugnant.

9) Pentateuchus in divina oeconomia salutis evolvenda gravissimi est momenti; nam *a)* non tantum unicus fons est historiae sacrae antiquissimae, sed et eventus, facta et leges enarrat, quae sunt quasi fundamentum totius divinae oeconomiae in Antiquo Testamento[1]) et attentionem omnium merentur. *b)* In ipso latent semina et germina futurae salutis, paulatim evolvenda et enucleanda[2]).

1) Pretii inaestimabilis sunt relatio, quamvis brevissima, creationis, historia lapsus Protoparentum, promissio redemptionis eis facta, diluvium, dispersio gentium, electio populi Israel, legislatio, leges a Deo latae, in quibus fundabatur tota respublica hebraica et cultus. Insuper Pentateuchus radix et basis subsequentis literaturae, historiae, prophetiae et poësis exstitit. Liber Genesis, qui creatione coeli et terrae orditur, et canonem sacrae Scripturae aperit, correspondet Apocalypsi, quae novum coelum novamque terram (creandam in fine hujus seculi) prophetizat et canonem claudit.

2) Huc spectant multi typi, praeprimis in historia et cultu populi Israel obvii, et vaticinia messiana (Gen. 3, 15; 9, 26, 27; 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 14; 49, 8—12. Num. 24, 14—20. Dt. 18, 15, 18, 19), superius explicata. Ecclesia catholica ex Pentateucho multas lectiones in Breviarium et Missale romanum desumpsit. Confer Schenz Einl., p. 68.

Commentarii: 1. In Genesin: Th. Lamy 1883. — Hummelauer 1895. — Tapphorn, Gen. 1895. — Neteler 1905. — Hoberg, Gen. 2. ed. 1908.

Acath. Fr. Delitzsch 1887. — Goßrau 1887. — Holzinger-Marti 1898. — Dillmann-Ryssel 1898. — Driver Lond. 1904. — Strack 1905.

2. In Exodum: Hummelauer 1897. — Acath.: Strack 1894. — Holzinger-Marti 1900. — Baentsch-Nowack 1903.

3. In Leviticum: Hummelauer 1897. — Acath.: Strack 1904. — Holzinger-Marti 1900. — Baentsch-Nowack 1903.

4. In Numeri: Hummelauer 1899. — Acath.: Strack 1894. — Holzinger-Marti 1903. — Baentsch-Nowack 1903.

5. In Deuteronomium: Hummelauer 1901. — Acath.: Oettli (Strack) 1893. — Bertholet-Marti 1899. — Steuernagel-Nowack 1900.

Articulus secundus.

A Josua usque ad exilium babylonicum (1452—588).

Caput primum.

A Josua usque a Samuelem (1452—1071).

§. 34. Chanaan.

1) Terra, ab Israelitis expugnanda et inhabitanda (Dt. 32, 8, 8), appellatur כְּנַעַן [1]) (LXX: Χαναάν, Vulg. Chanaan), terra Hebraeorum (Gen. 40, 15) de Hebraeis incolis, terra Israel (Jud. 19, 29; Ez. 7, 2; Matth. 2, 20), vel filiorum Israel (Jos. 11, 22), et nomine provinciae (Philistaeae) ad totam regionem translato Palaestina (פְּלֶשֶׁת Gen. 10, 14 = Παλαιστίνη Philo et Jos. Fl.), terra Jahvae (Lev. 25, 23; Os. 9, 3), terra sancta (Zach. 2, 12; Sap. 12, 3; 2 Mach. 1, 7), tam Judaeis quam Christianis [2]), terra repromissionis (Heb. 11, 9), quam juraverat Dominus Patriarchis (Gen. 15, 18; 50, 23), et qua talis hereditas Israel (Jud. 20, 6; Ps. 134, 12), post exilium Judaea vel terra Juda (Neh. 5, 14; Judith 4, 1) de tribu principali (Esr. 1, 3, 5; 6, 14; Neh. 11, 4 seq.).

1) Nomen Chanaan nonnulli (Lengerke, Movers) explicant per terram depressam (col. Gen. 15, 19. Ex. 3, 8), melius vero plerique ab uno filiorum Chami sc. Chanaan (Gen. 10, 6) derivant. Olim complectebatur Phoeniciam (Is. 23, 11; Math. 15, 21, 22) et Philistaeam (Soph. 2, 5).

2) *Quam terram merito sanctam diximus, in qua non est etiam passus pedis, quem non illustraverit et sanctificaverit vel corpus, vel umbra Salvatoris, vel gloriosa praesentia s. Dei genitricis, vel amplectendus Apostolorum commeatus, vel Martyrum sanguis effusus.* Urbanus II, in concilio Claram. anno 1095.

2) Terra haec, quae diversis temporibus diversos habuit limites, quorum antiquissimi jam Gen. 10, 19 nominantur, per Jordanem fluvium in duas partes erat divisa: in regionem cisjordanensem (occidentalem), quae proprie erat terra promissionis (Num. 34, 1—12), et transjordanensem (orientalem); inter 31^0—$33^1/_4{}^0$ latit. bor. et 52^0—$54^1/_2{}^0$ longit. orient. sita, habet longitudinem maximam a septentrione meridiem versus 34 milliariorum et latidudinem 18—19 mill. germanic., ita ut tota superficies circa 500 milliaria quadrata complectatur. Utraque per Jordanem [1]) divisa regio praeprimis vero cisjordanensis [2]), montosa est, calce et basalte praedominantibus, et vallibus pascuisque abundat.

1) Jordanes יַרְדֵּן i. e. *descendens* (Gen. 13, 10, 11), nunc Ordon, a fontibus usque ad mare galilaeum et inde Śeriat el-Kebir *(potatorium magnum)* nominatus, solus in Palaestina fluminis nomen meretur. Oritur ad pedem montani Antilibani, et quidem e 3 fontibus: *a)* Panias (Banias vel Caesarea Philippi 329 met. alto), *b)* fontibus Dan, qui apud Dan (Tell el-Kady) scaturiunt et paulo post cum superiori fonte uniuntur, et *c)* fonte Hasbeiyae (Hasbany 520 met. alto) septentrionali, qui per rivos Hermonis auctus et cum utroque fonte unitus, lacum exiguum et palustrem Merom (Jos. 11, 5; a Josepho, B. J. III, 10, 7 Samochonitis, nunc Bahr el Huleh nominatum, et 2 met. altum super aequor maris medit.) influit; ipse lacus $2^1/_2$ horas longus, unam latus, lutosus, piscibus abundans, aestate vero non raro exsiccatus est, Spatio $2^1/_2$ horarum emenso, Jordanes prope Juliada (Tellanihye) lacum Galilaeum (Matth. 4, 18) ingreditur, qui et lacus Tiberiadis (Joh. 6, 1), Genesareth (Luc. 5, 1), vel Cenereth (Num. 34, 11; Dt. 3, 17) de urbe Cenereth (in tribu Nephtali Jos. 19, 35), nunc Bahr et Tabarieh vocatur, circa 3 mill. longus, $1^1/_2$ mill. latus est; aequor ejus jam 208 met. est depressius mari mediterraneo; aqua potabilis, clara est et piscibus abundat, ac coelum hujus regionis vere est tropicum. Jordanes inde egressus per solitudinem (13 milliar.) = El Ghor (cf. nomen terrae Gari in epistolis Amarnens. Z. D. P. V. 1907, 120) μέγα πεδίον (Jos. Fl.) percurrit, donec variis inflexuris ac cataractis 27 majoribus et circa 80 minoribus superatis, 393·8 met. infra aequor maris medit. in mare mortuum se praecipitet. Jordanis ripae inde a lacu Genesareth juncis. arundinibus, tamariscis aliisque arundinetis sunt consitae. Recipit vero torrentes ab occidente, qui e montibus Ephraim descendunt hodieque vocantur Wady el-Fara et Wady el-Kelt, ab oriente Hieromacem (hodie Yarmuk vel Scheriat el-Menadire) e Batanaea, Carith (Wady Jabîs) et Jacobum et montibus Gilead excurrentes. Jordanes, tempore verno pluviis auctus, super alveos effertur et magna cum celeritate fluit; aquae enim libramentum, quod in partibus superioribus est majus, appropinquando vero mari mortuo sensim decrescit, a fonte Hasbeiyae ad mare mortuum continet ultra 900 metra. In montibus (Libani) et valle Jordanis depressa Palaestina conjungit maximas formationis terrae contrarietates ideoque etiam coelum diversum est.

2) Duae Libani *(albi)* series, per Jordanem divisae, parallele per Palaestinam decurrunt a Syria usque ad desertum Arabiae et quidem, regionem transjordanensem Antilibanus (Dschebel eś-Śurky) cum Hermon magno (Dschebel eś-Śeikh, 2759 met. alto, i. e. Baal Hermon Jud. 3, 3), cujus tractus ab Hermon ex adverso Galilaeae ad fluvium Hieromax (Jarmuk = Śeriat el-Mandhur) montanum Gilead appellatur, quod excipit Abarim, Dt. 32, 49, cujus pars septentrionalis nomen Pisga (Phasga, Dt. 34, 1), cum vertice Nebo (Num. 33, 47), sortita est et tandem huic junguntur montes Seir seu Edom. Libanus, qui cum Antilibano, ipsi opposito, in Syria planitiem Coelesyriam (El Bekaa) includit, per totam regionem cisjordanensem percurrit, et per montes Amorrhaeorum (Dt. 1, 7) conjunctus est cum montano Sinai (Gal. 4, 25). Regio haec montosa diversae altitudinis est, planitiebus utroque latere limitatur, et quidem ab occidente ad mare mediterraneum: Saron et Sephela fertilissimis, quae irrigantur fluviis: Zerka (crocodilorum), Cison (Mukatta) prope Carmelum (3 Reg. 18, 40), Canah (Nahr el Kasab i. e. vallis arundineti Jos. 16, 8), Rubin prope Jaffa, ab austro Besor (1 Sam. 30, 9) fluvio terminali versus Aegyptum i. e. torrente Aegypti, hodie en-Nahr), ab oriente vero planitie Jordanis (El-Ghor = Αὐλων) et per juga Carmeli (Dschebel Mar Elias) et Gilboa in duas partes dividitur, quarum septentrionalis montana Galilaeae cum montibus Nephthali complectitur, ac sensim in planitiem magnam et fertilem Jezrael (ab urbe ejusdem nominis Jos. 17, 16 vocatam) vel Esdrelon (Judith 1, 8, nunc Merdsch Ibn Amer) decurrit, quae a monte Thabor et Hermon minori (Dschebel ed-Duhy) terminatur, australis autem pars comprehendit montana Samaritana cum montibus Garizim et Ebal, montana Ephraim et Juda cum verticibus Olivarum, Neby Samwil et Quarantania, quae montana usque ad montem Halak in confinibus Idumaeae et mare mortuum sub nomine desertorum Engaddi, Maon, Thecua etc. se extendunt atque cavernis abundant.

3) Chanaan divinae oeconomiae in populo electo evolvendae physice et ethice erat aptissima. *a)* Physice: Parva quidem ambitu[1]), fertilitate[2]) tamen omnibus rebus ad vitam necessariis instructa, et ab omnibus circumjacentibus regionibus situ naturali (mari mediterraneo ad occidentem, deserto ad orientem ac meridiem, et montibus ad septentrionem) seclusa, Particularismo judaico quam maxime conveniebat; alterâ vero e parte centrum viarum publicarum, media[3]) inter gentes excultas et umbilicus terrae (tunc cognitae: Asiae, Africae et Europae) erat (Ez. 5, 5; Ps. 73, 12 col. Rom. 10, 18), e quo scopus ultimus divinae oeconomiae A. T., salus ac praeconium evangelii, facile in omnes mundi plagas (universalismus) propagari potuit. *b)* Apta erat illa terra etiam ethice respectu incolarum; regionem enim, tunc temporis idololatria abominabili maxime foedatam, Jahve assignavit Israelitis, ut hi, muneris sui theocratici memores, e zelo pio idololatriam exstirparent, propagationem ejus impedirent, cultum Jahvae ibi stabilirent talique modo gloriam et victoriam Dei de falsis idolis Chanaan (uti antea in Aegypto, et postea in Babylonia) promoverent, nec non in ruderibus numinum eorum salutem corporalem et spiritualem conderent (Sap. 12, 3—7). Si Israel consilium et mandatum divinum presse mandasset executioni, nil ei ab his gentibus fuisset timendum[4]).

1) Hieronymus (ep. 129. ad Dard.): *Pudet dicere latitudinem terrae repromissionis, ne ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur.*

2) Solum Palaestinae, agriculturae et rei pecuariae aptissimum, fertilitatem suam pro maxima parte e benedictione divina *i.* e. rore ac pluvia coeli repetebat (Dt. 11, 11 seq.), quin labor et industria humana fuissent superflua; nihilominus tamen injuriis coeli et plagis (pesti, terrae motibus, locustis, vento Samum) erat expositum, imo multis in locis vestigia clara tum benedictionis (v. g. in planitiebus Genesareth et Jerichuntis), tum maledictionis ac judicii divini (v. g. mare mortuum, Sodoma col. Dt. 29. 22) prae se ferebat, in signum, populum tamdiu benedictione divina esse gravisurum, quamdiu, quiete terram colendo et mandatis divinis obediendo, munere suo, fidem foederalem et revelationes divinas integras servandi, rite fungeretur, inobedientiem autem nequaquam a pernicie fore immunem. Coelum praeterea nec nimis calidum, nec nimis frigidum, evolutioni intellectuali conferebat. Coeli status vel tempestas Palaestinae pro diversitate locorum quidem diversa, sed generatim non adeo mutabilis est. Possunt autem duae anni partes distingui: tempus pluviae et caloris. Pluvia prima vel autumnalis, quae incipit in fine mensis Octobris, et serotina vel vernalis, quae cadit mense Martio, ad fecunditatem agrorum prorsus necessaria est. A dimidio Decembris incipit hiems; nives quidem rarae, exceptis in montibus, vix per diem durant, ast aquilo gelidus vehemens est et viae fiunt lubricae; tonitrua, fulgura et grandines vehementes sunt, quae plane cessant a medio Aprili usque ad dimidium Septembris, tempore caloris, quo nec nebula conspicitur, terra nonnisi rore humectatur et ex defectu pluviae fontes et rivi exarescunt, ita ut facies regionis sit squalida. Sementis altero dimidio Octobris inchoat. Profert autem Palaestina omnia genera frumenti: triticum, hordeum, speltam atque cerealia; e non cerealibus plantis colebantur cucumis, melo, colocyntha, allium, bdellium, anethum, mentha. Segetes in partibus australibus et in locis planis circa dimidium Aprilis, in borealibus et montanis tribus hebdomadibus posthac maturescunt. Tempus messis, quod a Paschate usque ad Pentecosten extendebatur, erat festivum et hilare. Frumentum in area aut baculis excutiebatur, aut ungulis boum subjiciebatur ac dein in horreis vel cellulis subterraneis aut in vasis conservabatur. Fertilitatem terrae Chanaan ipse Moyses describit. *Dominus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque et fontium: terram*

frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus, et malogranata et oliveta nascuntur, terram olei ac mellis . . . et rerum omnium abundantia perfrueris; cujus lapides ferrum sunt et de montibus ejus aeris metalla fodiuntur (Dt. 8, 7 seq.; 11, 9 seq. 32. 13). Prae ceteris a vino celebrantur montana Engaddi, valles Eschkol et Sorek; nonnullae vites in magnam excrescunt altitudinem et crassitudinem (Ez. 19, 11). Vindemia, quae prima jam Augusto incipit, laetissimum tempus erat atque canticis celebrabatur; uvae plerumque a viris calcabantur et mustum in utribus, amphoris et doliis asservabatur. Oleae sunt optimae indolis et praestantissimum oleum praebent, quod ad unctiones, lucernas alendas, cibos et sacrificium adhibebatur. Ficus non minus frequentes triplicem fructum: praecocem aestivalem (caricam) et hiemalem proferunt. Fertilissima arbor est sycomorus, moro similis, semper virens, quae septies per annum large profert fructus, qui non maturescunt, nisi ungue vel ferro vellicentur. Balsamum arbor, cujus succus odorifer et salubris est, in Gilead, vicinia Jerichuntis et Engaddi, colebatur. Palmae, in vallibus et planitiebus crescentes, magnos botros dactilorum proferunt. Accedunt pistacia, nerium oleander, lentiscus, astragalus, cistus, cyprus, myrtus, punica granatum, citrus, storax, morus, amygdalus. Agri et horti variis floribus: liliis, rosis, amomeis, hyssopo etc. consiti erant. Inter arbores silvestres commemorantur cypressus, cedrus (Libani), quercus, terebinthus, ceratonia siliqua, platanus, acacia, tamarix, populus. Numerosa agmina apium producebant mel optimum, unde proverbialis illa dictio trita; *terra fluens lacte et melle.* Lacus Genesareth pisces innumeros alebat Confer Schegg, Bibl. Arch. I. 45 sed. Musil, Arab. Pet. III. p. 2, 6, 293. J. Wimmer, Palästina m. s. Pflanzen- und Tierwelt. Köln 1902. — Fonck, Bibl. Flora. Frb. 1900.

Palaestina non tantum frumentum et arbores frugiferas producebat, sed et pecudes magno in numero alebat; et quidem pecudes minores: oves et capras, quarum caro, lac et lana pretiosa erant; ex pellibus caprinis parabantur utres; et majores: boves, qui optima pascua in Basan et Saron habebant, vaccas, quarum lac in alimentum et potum adhibebatur, asinos, qui variis usibus apti, olim magni aestimabantur, camelos ad transportanda omnis generis onera. Equos Salomon magno numero ex Aegypto adducebat. Musil l. c. III, p. 253 seq.

3) Ez. 5, 5: *Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam et in circuitu ejus terras.* Huc observat s. Hieronymus: *In medio gentium posita est (Jerusalem), ut, qui notus erat in Judaea Deus, et in Israel magnum nomen ejus, omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla.* Propter hunc situm Palaestina perpetua litium Asiam inter et Aegyptum erat materia, et frequentes populorum migrationes ibi locum habuerunt.

4) Per hunc situm et nexum cum gentibus una e parte Israelitis patefactae sunt divitiae materiales illarum, vicissim autem gentibus aditus ad regnum divinum ac cognitio Jahvae parabatur. Circumdederunt populum theocraticum proxime gentes minores non tantum in munimentum contra monarchias gentiles Asiae et Africae, sed etiam, ne, pugna ac dissidiis minime cessantibus, Israelitarum vita religiosa ac spiritualis languesceret, verum eo magis evolveretur.

4) Incolae Chanaan antiquissimi, juxta sententiam probabiliorem[1]), erant *A)* **Semitae,** a Lud, filio Semi (Gen. 10, 22) descendentes, quorum lingua ibi vernacula est facta, et divisi sunt in: *a)* Rephaim i. e. Gigantes, quibus adnumerandi sunt Emim (Gen. 14, 5, pulsi a Moabitis), Susim vel Sammesumim (Gen. 14, 5 pulsi ab Amorrhaeis Dt. 2, 20), Enacim (Dt. 9, 2), Avim (deleti a Josue 11, 21; 13, 3). *b)* Horrhaeos vel Chorraeos i. e. troglodytas (Gen. 14, 6) in monte Seir (qui pulsi sunt ab Edomitis Dt. 2, 12, 22). Praeter hos etiam Amalecitae (Gen. 14, 7; Num. 24, 20), Cinaei (Num. 24, 21), Cenezaei (Gem 15. 19) et Cedmonaei (Gen. 15, 19) adducuntur. Hi populi omnes, quos nonnulli autochthones (Gen. 6, 4)

habent, a Chananaeis prorsus sunt distincti, nec in tabula ethnographica (Gen. 19, 15—18) occurunt.

Praeter hos incolas Semitas vel sub iisdem etiam *B)* **Chamitae**, descendentes e Chamo per Chanaan (11 populi teste Gen. 10, 15—19), terram hanc occuparunt ibique sedes fixerunt, et quidem jam ante Abraham, linguam incolarum semiticam adoptarunt ac generaliter Chananaei (Χαναναῖοι Gen. 10, 18; 12, 6 etc.) vocantur. Hi omnes non unum populum nec unicam civitatem constituebant, sed in tribus independentes, quibus reguli (31 juxta Jos. 12, 9—24) praeerant, dividebantur[2]) urbesque inhabitabant (Dt. 6, 10, 11; Jos. 24, 13).

His accesserunt *C)* **Philistaei** (Chamitae)[3]), qui urbes Asdod, Gaza, Accaron, Geth et Ascalon incolebant, regibus subjecti (Num. 21, 1; Dt. 7, 24) ac culti idolorum specialium erant dediti, quamvis non plane desierint inter eos vestigia monotheismi (v. g. Melchisedech).

Hos tandem subsecuta est immigratio *D)* posterorum Thare (Gen. 11, 25) i. e. **Terachitae** (Semitae) iique Hebraei ex Abraham, et populi cognati: Ismaelitae, Edomitae, Moabitae, Ammonitae et ceteri. Hebraeis in Aegypto degentibus, gentes chananaeae invalescebant, urbes munitas tenebant, bellicam rationem non ignorabant (Dt. 3, 5; Jos. 17, 16), culturâ, mercaturâ, agriculturaque excellebant (Dt. 6, 10, 11; 8, 7—9), nec minus tamen idololatriâ cum vitiis conjunctis ac cultu obscoeno exorbitabant, quare Deus justus eas Israelitiis penitus delendas[4]) tradidit. Quoniam autem Israelitae mandato divino non plane sunt obsecuti, iisdem parcendo[5]) (Jud. 1), imo cum iis se commiscendo (Jud. 3, 6; 14, 2), facile explicantur effectus hujus tolerantiae illegitimae: defectus Israelitarum a theocratia, idololatria, fornicationes aliaque vitia, bella continua et ejusmodi plura.

1) Delitzsch, Knobel, Kiepert, Ritter, Kurtz — contradicunt Movers, Lepsius, Keil, Hengstenberg, Raumer, qui Chananaeos autochthones terrae Chanaan habent.

2) Pertinent ad illos: Sidonii (Gen. 10, 16 probabiliter Phoenices Graecorum i. e. *purpurei*). Aracaei, Sinaei, Aradaei, Samaraei et Amathaei, qui regiones terrae Chanaan septentrionales occuparunt, dum reliqui: Hethaei (Chittim) circa Hebronem (Gen. 23, 3 seq.; Num. 13, 30), cf. J. Döller, D. Hethiter in »Kultur« 1903, 389, Girgesaei cis Jordanem (Dt. 7, 1), Amorrhaei (Emorim) tempore Abrahae jam (Gen. 14, 7, 13) circa Hebronem et in montibus (Dt. 1, 7, 19, 20) ad latus occidentale maris mortui (Num. 13, 30) habitabant, Hevaei ad fines boreales (Gen. 34, 2; Jos. 11, 3) et Jebusaei Hierosolymis (Jebus col. Jos. 15, 8, 63) sedes occuparunt, quibus duo adhuc accedunt: Pherezaei circa Bethel, Ai et Sichem (Gen. 13, 3) et Chananaei sensu strictiori, qui circa mare et Jordanem (Num. 13, 30; Jos. 5, 1; 11, 3) habitarunt. Hae Chananaeae gentes, certo saltem Phoenices (Xvã) secundum opinionem plurium, qui nituntur Herodoto (I. 1; VII. 89), Strabone (l. 1 pg. 42) et s. Justino (l. 18 cp. 3), e sinu arabico seu persico, quo temporibus antiquissimis ex Babylonia (unde cognatio linguarum chananaeae, hebraicae et assyrio-babylonicae explicatur, col. Schrader Keilinschrift. 384) advenientes, sedes fixerant, in Palaestinam (oram phoeniciam) immigraverunt et linguam suam chamiticam cum semitica mutarunt, vel potius semiticam, quae in Babylonia usque ad sinum persicum erat usitata, retinuerunt. De Phoenicibus confer Movers, Phönizier, II. Bd. 1841 seq. — Döller, Stud. 118 seq. — Pietschmann, Gesch. d. Phönizier. Berl. 1889. — Landau, Phönizien. Lpz. 1901.

3) Philistaei (פְּלִשְׁתִּים, LXX: Φυλιστιείμ; Jud. 3, 31: Ἀλλόφυλοι. Vulg. Philistiim i. e. *emigrantes*, Josephus: Παλαιστινοί), ex Mizraim per Casluchim ex orientali parte Deltae (Gen. 10, 14) originem trahentes, in Palaestinam immigraverunt et dein tempore, quod fluebat inde ab Abraham usque ad Moysen, per Cretim (Caphthorim) sibi cognatos, ex insula Creta advenientes, aucti (Dt. 2, 23; Jer. 47, 4; Am. 9, 7), Avim pulsis, in tractu australi litus maris mediterranei sibi acquisierunt (Gen. 21, 34; Ex. 13, 17). Philistaei ejiciendi, non autem delendi erant ab Israelitis (Jos. 13, 2, 3; Jud. 3, 1—3). Odium Israelitarum in Philistaeos patet ex Eccli. 50, 27, 28. Interitum eorum prophetarunt Jes. 14, 29; Jer. 47; Ez. 25, 15; Am. 1, 6—8; Soph. 2, 4—7; Zach. 9, 5—7. Deleto regno Juda probabiliter etiam regnum confoederatum Philistaeorum est deletum. Confer Stark, Gaza u. die phil. Küste. Jena 1852; Ritter, Erdk. XVI. 1868; Hannecker, Die Philister. (Eichstädt. Progr.) 1872.

4) Non tam jure humano, quam divino, Israelitae occuparunt terram Chanaan omnesque gentes, eam incolentes, deleverunt; iterata enim vice (Ex. 23, 31—33; 33, 1, 2; 34, 11—16; Num. 33, 51—56; Dt. 7, 1—10, 16—26; 20, 16—18; Jos. 6, 17, 18 etc.) ejectionem deletionemque Chananaeorum praeceperat Deus et quidem, *a)* ut justitiae ipsius ob idololatriam, scelera turpia (Lev. 18, 27. Dt. 12, 31), sacrificia innocentium infantium oblata (Sap. 12, 5 seq.) et corruptionem moralem exorbitantem satisfieret; iniquitates enim eorum in facie maris mortui, vindictam divinam perpetuo testantis, jam erant completae (Gen. 15, 13 seq.; Dt. 9, 4, 5; Sap. 12, 10 seq.): *Partibus judicans dabas locum poenitentiae, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio; nec timens aliquem, veniam dabas peccatis eorum.* Chananaeis minime deerant correctionis media et adminicula: interitus Pentapolis, persona ac gerendi ratio Melchisedechi, tam longa conversatio Abrahae ac Patriarcharum in eorum terra, plagae et bestiae saevae a Deo immissae (Sap. 12, 8 seq.) et ejusmodi (*dans tempus et locum, per quae mutari possint a malitia* Sap. 12, 20); noluerunt autem correctioni locum dare, quin in idololatria adjunctisque vitiis eo magis obdurati sunt. Israelitae ergo mandatis divinis obsequi tenebantur, imo utpote executores justitiae divinae vindicantis (Ps. 43, 3, 4) benevolentiam sibi conciliarunt: Eos pessimos *perdere voluisti per manus parentum nostrorum, ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quae tibi omnium charior est terra* (Sap. 12, 6). *b)* Voluit praeterea Deus praecavere, ne populus suus cum gentibus cohabitando corrumperetur (Dt. 20, 18), simulque eum, justitiam divinam edoctum, ab hac abominatione gentili deterrere intendit, ne similia ei contingerent (Lev. 18, 3; Dt. 8, 19, 20; 12, 29—31 etc.). Quod ergo in Chananaeos decretum est in poenam vindictamque, hoc cessit in Israelitarum gratiam (Dt. 9, 5, 6); nam saepius (Gen. 12, 7; 13, 15; 15, 18 etc.) promiserat, imo juraverat Jahve, se daturum seu donaturum esse non ex meritis Israel, sed ex pura gratia terram hanc semini promisso. Praeterea promisit Deus benedictiones, si Israelitae mandatum divinum exequerentur, minatur autem poenas negligentibus. *c)* Insuper Patriarchae nonnullas partes jure acquisierant, coluerant, in sepulturam destinaverant, quin exeuntes jus hoc abdicassent. Conveniebat quam maxime dari terram hanc Israelitis, quorum patres eam per altaria erecta et sacrificia oblata Jahvae sanctificaverant, ut regio, idololatriâ pessima foedata, per eos cultui veri Dei redderetur (Sap. 12, 7). Judicium hoc divinum in Chananaeos, ab Israelitis executioni mandatum, modo quidem (mediate scilicet per Israelitas tanquam instrumenta Jahvae), non vero re a catastropha Sodomae et Gomorrhae (a Deo immediate eversarum) erat diversum, in eoque simul maledictio Noae, in Chami filium minimum (Chanaan) ejusque posteros prolata, manifestabatur. Ceterum Chananaei paulatim erant exterminandi (Jos. 24, 12. Sap. 12, 8 seq.). Confer Augustinum, l. 22. c. Faust. 72—79; Nicolaum Serarium, l. Jos. quaest. 2, in cp. 6; — Reinke, Beit. I. 171: Über d. Recht der Israel. an Chanaan; — Hengstb., Beit. III, 471—507.

5) Multi ex eis, qui non sunt deleti, emigraverant partim in Phoeniciam, partim in Africam. Confer Procopium, De bello Vand. II, 10; Augustinum, qui (ep. ad Rom.) rusticos

prope Hipponem Chananaeos esse refert. Alii remanserant, qui minante Deo (Num. 33, 55; Jos. 23, 13) *facti sunt clavi in oculis et lanceae in lateribus Israelitarum.* Mentio itaque fit serius adhuc Amorrhaeorum (1 Sam. 7, 14; 2 Sam. 21, 2). Salomon reliquias populorum chananaeorum tributarias fecit (3 Reg. 9, 20, 21); imo post exilium nonnullae gentium illarum adhuc superstites erant (Esr. 9, 1, 2; cp. 20 etc.).

Quia Hebraei eadem fere lingua, qua Chananaei, utebantur, improbabileque est, hos ab illis eam adoptasse, critici recentiores (contradicente Gen. 10) Chananaeos Semitis adnumerant; ast nil impedit, quominus assumamus, Hebraeos (Patriarchas), Chanaan ingressos, linguam ibi usualem ac suae cognatam (cf. Gen. 31, 47, ubi Laban aramaice et Jacob hebraice loquentes introducuntur) recepisse, quare Hebraeorum lingua etiam lingua Chanaan (Jes. 19, 18) appellatur. Cf. Macalister-Hashagen, Streiflichter z. bibl. Geschichte aus der altpal. Stadt Geser, 1907. — Vincent, Canaan d'après l'exploration récente. Par. 1907.

§. 35. Josue occupat et dividit terram Chanaan.

1) Josue, filius Nun e tribu Ephraim[1]), minister, discipulus et comes Moysis, testis miraculorum omnium inde ab exitu, a Deo et Moyse in ducem Israelitarum sublectus fuit, quia virtutibus et zelo theocratico excellebat. Moyses eum jam ducem contra Amalecitas miserat (Ex. 17, 10), secum in Sinai montem receperat (Ex. 24, 13; 32, 17), in exploranda regione Chanaan fidelem invenerat (Num. 14, 6), impositione manuum in munere suo confirmaverat (Num. 27, 18), imo quacunque usus erat occasione, ut eum populo qua talem repraesentaret (Num. 32, 12, 28; 34, 17; Dt. 1, 38; 3, 21 etc.). Deus ipse eum dotibus necessariis ac promissis in munere fungendo inauguravit et confortavit (Jos. 1, 1 seq.). Obtigerat autem eidem officium[2]), terram Chanaan expugnandi expugnatamque Israelitis distribuendi.

1) Tribus Ephraim e Josue nacta est magnam inter reliquas tribus auctoritatem, quae utique etiam e meritis Joseph patriarchae deducenda est; nihilominus tribus Juda, quae in Caleb erat repraesentata (Num. 13, 7), mox dein principatum vindicare coepit (Jos. 14, 6; 15, 17). Josue, mandato divino munitus, ergo in nomine Domini, utpote possessoris universae terrae, Chanaan expugnandam aggreditur, et Deus ipse miraculis, ubique factis, ac mandatis suis manifeste bellum theocraticum nomine suo gestum declaravit.

2) Josue sensu proprio non erat successor Moysis, sed hoc inferior; ideo semper post pontificem ponitur (Num. 34, 17. Jos. 14, 1; 17, 4; 19, 51), dum Moyses semper ante Aaronem locum tenuit.

2) Josue clam e valle Setim Jerichuntem duos exploratores misit, qui per Rahab[1]) meretricem, postquam Jahvem Deum verum cognovit, salvantur eamque de sua suorumque sorte certam fecerunt; die 10. mensis primi (Nisan) anno 41. ab exitu elapso (1452 a. Ch.) Israelitas (una cum viris armatis $2^1/_2$ tribuum transjordanensium) trans Jordanem, aquis hibernis abundantem, modo miraculoso (Ps. 113, 3. Hab. 3, 8) arcâ praegestatâ duxit (Kasr el-Jehud), 12 lapides, ex alveo sumptos, in fluvio Jordane ac Galgalis[2]) in monumentum (quasi in primam terrae hujus dedicationem) erexit, circumcisionis ritum (foedere suspenso per 38 annos omissum) in nova generatione restituit Paschaque celebravit. Comedentibus de frugibus terrae manna defecit. Eadem manus divina, quae Israelitas per Jordanem duxerat, etiam

urbem primam munitam Jerichuntem (clavem terrae Chanaan) tradidit Josuae, visione principis exercituum Domini confortato, idque non sine prodigiis[3]) (Cap. 2—5). Urbe capta, incolae (anathemate percussi, tanquam primitiae Chananaeorum) deleti sunt, servatâ tantum ex pacto Rahab fideli (cum familia), quae a Salmon, principe tribus Juda, in matrimonium ducta, instar primitiarum gentium genealogiae Christi inserta fuit (Matth. 1, 5). Jerichuntis (ut urbis munitae) reaedificatorem Josue anathemate[4]) notandum censuit (Cap. 6). Ad expugnandam urbem Hai Hebraei festinantes, ob crimen Achan[5]) avari, caesi sunt, hoc vero expiato sine labore urbe sunt potiti. Josue, memor mandati divini (Dt. 11, 29; 27, 4), populum dimidiatum ad montes Garizim et Ebal[6]) duxit, ubi benedictiones ac maledictiones recitari, Deo altare erigi ac legem lapidibus incidi jussit (Cap. 7, 8).

1) Rahab *meretrix* vocatur, quia deae Astarte sacra, quam vocem Josephus (Ant. V. 1, 2), Paraphrasta aliique *tabernariam* interpretantur (fors utrumque conjungere licet). Ipsa partim ex miraculis et prodigiis, partim ex Dei illustratione cognovit, idola Chananaeorum esse deos falsos, et solum Deum Hebraeorum esse Deum verum (ait enim: *Dominus (Jahve) enim Deus vester ipse est Deus in coelo sursum, et in terra deorsum* 2, 11 col. Heb. 11, 31), ideoque in eum credidit, speravit et poenitens peccatorum suorum veniam ab eo flagitavit, et ex operibus justificata est (Jac. 2, 25). Ipsa experta est verbum divinum Dt. 20, 10 seq. pronuntiatum. Funiculus coccineus, qui signum erat domus hujus salvandae, typus exstitit passionis dominicae, per quam homines ab interitu salvantur. Confer Zschokke, Bibl. Frauen §. 14.

2) De situ hujus loci nunc Tell Dscheldschul cf. Zschokke, Beit. zur westl. Jordans'au. Jerus. 1866. 27.

3) Miracula, in ingressu Chanaan post Moysen a Josue vi divina patrata, Israelitis testimonio esse oportuit, Jahven esse Deum, idolis gentium longe potentiorem et dominum universae terrae, nec defuturum eis auxilium divinum in expugnada illa terra, ideo fidem (Heb. 11, 30) ac fiduciam augebant, simulque monito erant, bellum, ab Israelitis, per circumcisionem et solemnitates paschales sanctificatis (sicut in exitu ex Aegypto) et Deo obtemperantibus, susceptum, non esse commune, sed theocraticum, ex voluntate ac justitia Dei, scelere Chananaeorum ulciscentis, gestum, qua re arrogantiam et superbiam Israelitarum praecaveret. Expugnationem Jerichuntis (miraculo negato) modo naturali explicare audebant Rationalistae more consueto, et quidem assumpto terrae motu (Michaelis, Hezel — Jahn), vel suffossione muri, vel expugnatione repentina (Ditmar, Bauer, Hartmann, Maurer, Ewald), vel inter mythos (Gramberg) relegant.

4) Anathema, quod Josue in restauratorem urbis Jerichuntis, muris cinctae (Jos. 6, 26, 27), imprecatus est, impletum fuit in filiis Hiel, Achab rege (3 Reg. 16, 34). Urbs Jericho in viciniis antiquae aedificata, a Bacchide, Syrorum duce, munita (1 Mach. 9, 50), ab Herode, qui ibi mortuus est, ornata et tandem a Romanis anno 70. p. Ch. diruta fuit; rursus (tertia vice) aedificata, seculo IV. sedes episcopalis evasit et expeditionum cruciatarum tempore ecclesiae ss. Sepulcri D. n. J. Ch. Hierosolymis adjuncta fuit; nunc est Tell es-Sultan, non multum distans a Riha, vico a 200 circiter incolis Ghowarinis inhabitato. Robinson, Pal. II, 523; Zschokke, Beit. 37. De effosionibus in Jericho cf. Nr. 39, Mitteilungen der. D. Orientges. 1908.

5) Crimine Achan, qui de anathemate pallium coccineum, 200 argenti siclos et laminam auream furatus erat, totus populus pollutus fuit (imputatio civilis), quod patet e republica Hebraeorum bene ordinata et e natura criminis (spoliationis thesauri sacri), quo foedus violabatur, cui invigilando et servando tum populus universus, tum singuli erant obstricti, et nonnisi exciso violatore (cum familia criminis participe) expiabantur, honor Jahvae irato restituebatur ac totus Israel timore salutari replebatur.

6) Garizim et Ebal montes in montanis Ephraim vallem formant, in qua sita erat urbs Sichem, nunc Naplusa vocata. Josue in monte Ebal legem (Deuteronomium vel Dt. 27, vel decalogum, vel legalem Pentateuchi partem) ingentibus lapidibus calce oblitis lucide insculpi, aram ad foedus Dei cum Israel renovandum in monte Ebal (cod. samar. in Garizim) erigi, et sacrificium eucharisticum in gratiarum actionem pro possessione terrae occupatae offerri jussit. Sacerdotes, seniores et judices, in utroque arcae et arae latere collocati, facie ad orientem versa, prius versus Garizim illas 12 benedictiones pronuntiabant, et postea, ad latus montis Ebal conversi, 12 maledictiones (Dt. 27), quas singulas populus, respondendo »Amen«, ratas habuit. Tali modo uterque mons cum lapidibus, lege ornatis, in medio terrae promissae, posteris perpetuo illas benedictiones et maledictiones, cum observatione vel transgressione legis cunjunctas, in memoriam revocavit.

3) Regibus gentium vicinarum contra Israelitas conspirantibus, Gabaonitae[1]), saluti consulentes, Josuam, artificioso mendacio circumventum, ad amicitiam secum paciscendam callide induxerunt. Fraude detecta, ob promissae impunitatis jusjurandum salvati quidem, ast perpetuo tabernaculi servitio sunt addicti (Cap. 9). Quum Adonisedec, Hierosolymorum rex, cum aliis quatuor chananaeis regibus defectionem Gabaonitarum vindicare vellet, Josue, Deo pro Israelitis pugnante, eos fugavit; gladiis Israelitarum, magis vero lapidum imbre seu procella grandinis inusitatae magnitudinis, Josue orante (Eccli. 46, 6), de coelo missa, hostes ceciderunt. Die jam ad vesperam declinante, Josue, in persequendo hostes indefessus, oravit[2]): *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon!* et steterunt sol et luna, donec Israel inimicos suos ultus esset. Regibus 5 in urbe Maceda peremtis, integra fere australis pars terrae Chanaan est capta, cui anno sequente plaga septentrionalis, victis hujus regibus 31 (Cap. 12 numeratis), fuit adjecta[3]) (Cap. 10—12).

1) Gabaon vel Gibeon (nunc El-Dschib) 40—50 stadia distat Hierosolymis et ab Hevaeis inhabitata fuit, quorum ditio Israelitis erat promissa (Ex. 3, 8, 17; 13, 5).

2) Josue, fide excellens ac missionis suae memor, precibus suis effecit, ut Deus, voci hominis obediens, diem spatio horarum 24 vel 12 *(stetit sol in medio coeli et non festinavit occumbere spatio unius diei* Jos. 10, 13, *una dies facta est quasi duo* Eccli. 46, 5) prolongaverit, ita ut nec antea, ne postea tam longus dies fuerit — profecto dignus, ut in libro Justorum (10, 13) adnotaretur, e quo citat auctor libri Josue, quemadmodum produnt lingua poëtica et rhythmus horum verborum (V. 12—14). Liber ille probabiliter collectio erat carminum bellorum sacrorum (2 Sam. 1, 18), vel continuatio libri bellorum Domini (Num. 21, 14), qui in deserto conceptus et dein factis excellenter gestis auctus est. Ceterum Josuam de solis motu et statione secundum vulgarem dicendi rationem locutum esse, constat. Quanam ratione Deus talem prolongationem diei effecerit, num impediendo telluris motum, non patet; probabiliter fuit opticum phaenomenon a divina potentia productum, quare mirum non est, si extra Palaestinam observatum non fuerit, nec in historia commemoratum; quidquid vero (juxta Reinke, Beitr. VIII. 229 parelion) fuerit, Deus utpote universi (ideoque et siderum) conditor et Dominus, efficere potuit, ut lux diurna (sicut tenebrae in Aegypto, reductio umbrae in horologio decem gradibus 4 Reg. 20, 10 seq.; Jes. 38, 8 et obscuratio solis in morte Christi) produceretur et nulla exinde in cursu solis et astrorum perturbatio oriretur. Miraculum, fide (Marc. 11, 23, 24) patratum, defendunt praeter Hab. 3, 11; Eccli. 46, 5; Josephus Fl., Ant. V, 1, 17, omnes fere ss. Patres et catholici interpretes (cf. Reinke, l. c. 222). Protestantium nonnulli putant, solem et lunam non stetisse, sed Josuam per modum optantis rogasse, ut ante subeuntem noctem hostes penitus funderet, alii vero

omnem miraculi vim eludere et depellere conantur. Confer Calmetum, Diss. ad Jos. 10, 12. — A. Masium, Jos. imper. hist. com. cp. 10. — Reinke, Beitr. VIII. 213. — Tübing. Quart. 1864, 413. — Matthes, Z. f. alttest. Wissensch. 1909, 259 seq.

3) Hac expeditione Josue regionem non tam expugnavit, quam potius raptim armata manu percurrit, ut victor necessarium cunctis incuteret timorem; perfectam autem expugnationem, veluti spicilegium, propriae singularum tribuum virtuti relinquebat.

4) Septimo (14, 7, 10) ab ingressu in Chanaan anno (1446) Josue Galgalis (Dschildschilia) jussu divino regiones cisjordanenses occupatas — transjordanenses enim, et quidem ab Arnon usque ad oram septentrionalem maris mortui Ruben, terram septentrionalem dimidia tribus Manasse, mediam autem interjacentem regionem tribus Gad acceperant Cap. 13 — praeter regiones maritimas Philistaeorum et urbes, quas Chananaei adhuc possederunt, sorte (Num. 26, 52—56; 33, 54) inter reliquas 9 tribus et dimidiam Manasse divisit (Cap. 15—20); et quidem vicinias urbis Hebron Calebo in praemium optatum (Num. 14, 24, ut auxilio divino fretus Enacim depelleret col. Eccli. 46, 9—12) concessit (Cap. 14), tribui Juda prae ceteris latissimam partem meridionalem, mare mortuum inter et mediterraneum cum 125 urbibus (Cap. 15), terram mediam fertilem, Jordane et mari mediterraneo interclusam, tribui Ephraim (Cap. 16), adjacentem tractum borealem dimidiae Manasse (Cap. 17) assignavit. Dein tabernaculum e Galgalis in Silo (Schilo, ubi ultra 300 annos mansit — nunc Seilum) transtulit et ceteras tribus ignavas ursit, ut regiones adhuc occupandas[1]) dividerent. Tribui Benjamin regio inter Juda et Ephraim sita cum 14 urbibus contigit (Cap. 18). Simeon terram et urbes suas majori ex parte a portione tribus Juda, et quidem plagam occidentalem et australem accepit; Zabulon regionem a mari galilaeo ad Carmelum usque est sortita; tribus Issachar hereditatem suam inter Zabulon, Manasse, Ephraim et transjordanensem Gad, cum fertilibus planitiebus Jezrael et Saron est nacta, dum Nephtali regiones boreales usque ad radices Libani, et Aser occidentalem plagam, a Carmelo usque Phoeniciam se extendentem, acquirebant; tandem Dan tractum parvum maritimum, per Ephraim, Benjamin et Juda limitatum, recepit[2]) — congruenter ergo benedictionibus Jacob et Moysis. Josuae duci possessio Thimnathseres in monte Ephraim est donata (Cap. 19).

1) Noluit enim Deus omnes omnino Chananaeos uno momento, sed paulatim ac per partes (col. Ex. 23, 29, 30; Dt. 7, 22) exstirpari, ne regiones, ab incolis desertae, a feris infestarentur (cf. 4 Reg. 17, 25), utque obedientia Israelitarum exploraretur ac statim hostes praesto essent ad Israelitas inobedientes castigandos et corrigendos. Zelus vero Israelitarum occupatis locis principalioribus mox imminui coepisse videtur, quia quietem praeferebant bellis contra Chananaeos continuandis. Praeprimis hoc valet de tribu Ephraim (16, 10), quae serius a regno legitimo et cultu divino deflectebat.

2) Tribus Levi nullum singularem tractum, sed 48 urbes illas, per reliquas tribus dispersas, obtinuit (cp. 21), ut tali modo simul custodes religionis et tanquam juris divini gnari, judices populi existerent.

5) Distributione terrae facta, Josue tribus transjordanenses, postquam obedientiam, fidem et perseverantiam earum in munere explendo (Num. 32) laudavit, cum opulenta praeda ad sedes suas redire jussit. Ad ripas Jor-

danis venientes altare erexerunt, non ut cultui theocratico, quemadmodum ceterae tribu falso putabant, derogarent (col. Lev. 17, 8 seq.; Dt. 12, 4 seq.), sed in testimonium unitatis politicae et religiosae, per Jordanem intermedium minime disruptae nec disrumpendae (Cap. 22). Munere (occupatione et divitione terrae promissae) functus, Josue, mortem praesentiens, comitia et dein populum universum in Sichem[1]) convocavit, Dei beneficia, ipsis collata, enumeravit, ut dignitatem populi sublimen urgeret, et optionem ei dedit eligendi, quem colere vellent. Populo, qui Jahven sibi Deum elegit, respondit; *Testes et vos, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei . . . auferte deos alienos de medio vestri*, talique modo foedus cum Deo renovavit, et, ne hujus rei memoria periret, ingentem lapidem sub quercu prope Sichem in monimentum erexit et verba foederis hujus in volumine legis Domini scripsit, ut Israelitae duplicis obligationis: fidem theocraticam Jahvae illibatam servandi et idololatriam abominandi ac debellandi, memores forent. Tandem Josue[2]), 110 annos natus, e vivis excessit et in possessione sua Thimnathseres[3]) sepultus est.

1) In loco, quo Abraham jam altare erexerat, Jacob domum olim ab idolis purgaverat (Gen. 35, 2, 4) etiam Josue foedus sinaiticum renovavit.

2) Josue in nomine, charactere et munere suo typus erat Christi. Zelo theocratico, severitate cum clementia juncta, obedientia erga mandata divina, stricta animi rectitudine ac justitia, fideque excelluit, dignus itaque, ut populum per Jordanem in terram promissam et quietem introduceret, praesignificans illum Jesum, qui per aquas baptismatis requiem aeternam (Heb. 4, 8, 9) praestitit. Josue, *maximus in salutem electorum Dei*, executus est contra Chananaeos bella ac judicia divina, quibus victoriae et judicia Christi typice adumbrantur; quare jam a Siracide (46, 1—10) summis laudibus honoratur. *Jesus Nave*, ait Hieronymus (ep. ad Paulin.), *typum Domini, non solum gestis, verum etiam nomine praefert. Transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia Ecclesiae coelestisque Jerusalem spiritualia regna describit.* Colitur Calendis Septembris in martyrologio romano. Hoc historiae Israelitarum tempus recte aevum theocratiae aureum dici meretur; zelus theocraticus, fides et pietas erga Deum, stricta observatio legis, detestatio idololatriae etc. perbene primo vitae et charitatis christianae seculo (apostolico) comparantur.

3) Nunc Tebne audit. Confer de sepulcro ejus Zschokke, Beitr. l. c. 76.

§. 36. Liber Josue.

1) Liber Josue continuat historiam revelationis divinae a morte Moysis[1]), et quidem enarrat occupationem terrae Chanaan (1—12), distributionem terrae occupatae (13—22), et ultima gesta Josue (23—24); prosequitur ergo historiam Pentateuchi, non autem unum librum cum hoc constituit[2]). Finis sacri auctoris in scribendo hoc libro erat, demonstrare, quomodo Jahve in expugnatione et divisione terrae fidelem se manifestaverit[3]).

1) Complectitur liber Josue historiam ultra 40 annorum; nam sex annis in occupanda terra consumptis, Josue tenuit principatum (c. 23, 1) multo tempore, i. e. annis circiter 26 (Clemens Alex., Strom. I. 21), vel 27 (Theophilus ad aut. 3, 24), vel 30 (Eusebius, Praep. ev. 10, 14) et, cum etiam mors Eleazari adjungitur, addi possunt circiter decem anni.

2) Liber Josue minime est pars Pentateuchi, cum eo Hexateuchum constituens ab eoque tardius separatus, quemadmodum multi Protestantes defendunt, sed proprius et integer liber est, a Pentateucho diversus. Diversitatem libri Josue a Pentateucho testantur: *a)* argumentum libri undique aequaliter dispositum et tripartitum. *b)* Diversus character linguisticus, scilicet defectus archaismorum in Pentateucho obviorum, diversa scribendi ratio, praeprimis in nominibus propriis, et stylus.

Recentiores critici hypotheses, de Pentateucho concipiendo propositas, etiam libro Josue applicare conantur eumque ex diversis partibus, quae diversis temporibus conscriptae sint, compositum esse autumant, ut Bleek-Wellhausen, Einl. 25. Wellhausen, Comp. des Hexat. 1885, 116 seq. Reuß, Gesch. l. c. 368 seq. Contradictiones notatae non sunt nisi apparentes; nam si Josue omnes regionis urbes cepisse dicitur (11, 16 seq.), ei non contradicit enumeratio tractuum nondum expugnatorum (13, 1 seq.), potius illud supplet. Expugnatio urbium, v. g. Hebron et Dabir (10, 36, 38; 11, 21), non impedit, quominus hae serius a Chananaeis iterum occupatae sint (14, 12; 15, 14—17). Si denique regio tribui distributa fuit, inde non sequitur, eam revera jam fuisse occupatam (15, 45 col. 13, 3); nam in sortitione regiones non tantum occupatae, sed etiam occupandae distribuebantur. Urgent, quod omnes tribus, Josue duce, Chananaeos debellaverint (Jos. 1—11) et rursus dein (17, 14) singulae tribus solae territorium suum expugnare debuerint — sed prima Josue incursio distinguenda est ab ipsa occupatione. Statui religioso bene ordinato non obstat, quod Josue in quosdam violatores Legis invehatur (24, 23) et in Sichem, urbe antiqua, populum congreget. Confer Himpel, Selbständigkeit, Einheit und Glaubwürdigkeit des Buches Josue. Tüb. Quart. 1864, 1865, 1867.

3) In prima parte ea dumtaxat facta narrantur, in quibus miraculosa Dei providentia clarius se manifestavit; idem finis e verbis Josue 21, 41, 23, 16 elucet.

2) De auctore libri Josue dissentiunt quidem docti; argumenta autem interna probant, eum conceptum fuisse a Josue, cujus praeclara gesta narrat, et unde nomen est sortitus[1]). Attamen non multo post mortem Josue liber nonnullis additamentis auctus et in praesentem formam redactus est[2]).

1) Alii, catholici quoque auctores, ut Hummelauer, Gigot, Rösch (Die hl. Schriften d. A. T. 1908) putant, librum scriptum esse ab ignoto auctore, qui annalibus et diversis documentis e tempore Josue usus fuerit quique post Josue, sed ante Davidem vixerit. In quo casu liber Josue (sicuti libri Samuel) a persona principali nomen accepisset. Librum ante Salomonem, imo Saulem regem, fuisse conscriptum, inde patet, quod Chananaei in Gazer habitasse dicuntur (16, 10), unde Pharao, Salomone regnante, eos expulit (3 Reg. 9, 16); quod castellum Jebusitae adhuc occuparunt (15, 63), nam David eis hoc eripuit (2 Sam. 5, 6); quod Gabaonitae servi templi fuerunt, cui servitio tempore Saulis non amplius erant addicti (2 Sam. 21): imo tempore auctoris Caleb et Rahab adhuc vixerunt (6, 25). Porro nullum est dubium, quin auctor rerum gestarum testis ocularis fuerit; nam accurate nonnulla gesta narrat cum minutis circumstantiis, bene versatus est in rebus, quae occupationi terrae Chanaan praeibant, ipse novit antiqua nomina urbium (Baala 15, 9, Cariath Senna v. 49, Cariath Baal 15, 60, Luz 16, 2; 18, 13), quae serius in alia sunt mutata, ac plerumque in persona prima (5, 1 heb.: *donec transiissemus in terram, quam juravit nobis*) loquitur (conf. heb. 15, 4: *his erit vobis finis*). Josue terram describi jussit (18, 1—9), et *scripsit omnia verba haec in volumine legis Domini* (24, 26), quae nonnisi (col. Dt. 31, 24) de nostro libro sunt intelligenda; nam ipse velut appendix vel conclusio libri Legis (Pentateuchi) habendus est. Tandem frequentes Pentateuchi allusiones docent auctorem Moysi perfamiliarem. — Josuam auctorem hujus libri esse, docet traditio judaica (Talmud, Bab. bathra 14 *b*) et christiana: *Jesus Nave edidit librum suum* (Isidorus de eccl. off. 1, 12). Siracides (46, 1) nominat Josuam *successorem Moysi in prophetis*, quae verba nihil aliud edicunt, quam Josuam concepisse librum suum (a Judaeis inter libros propheticos relatum), quemad-

modum Moyses Pentateuchum conscripserat. Liber Josue quidem nulla vaticinia messiana continet, sed multis gestis et personis character typicus est impressus.

2) Partes a Josue non conscriptae sunt: 24, 29—33, ubi mors Eleazari narratur; facta 15, 13—19 et 19, 47, quae secundum librum Judicum 1, 8—16 et 18, 27 tempore post mortem Josue contigisse a nonnullis (Kaulen, Clair, Keil) creduntur, ab aliis vero (Cornely l. c. 196) tempori Josue adscribuntur; nonnullae glossae, uti 14, 15 et 24, 29, ubi Josue *servus Domini* appellatur, quo titulo alias Moyses tantum honoratur (1, 1, 13, 15; 8, 31, 33 etc.), nam Josue ipse plerumque qua *filius Nun* (1, 1; 2, 1, 23; 6, 6 etc.) atque *minister Moysis* (1, 1) introducitur. Ex 24, 23 col. v. 31 concludere licet, unum e senioribus, qui post Josue vixerunt et omnia opera Dei in Israel viderunt, paulo post mortem Eleazari librum Josue additamentis ampliasse. Non improbabiliter hoc Phinees, filius Eleazari, fecit.

3) Liber Josue fide dignus est; nam Josue refert facta publica, quae ipse et totus populus expertus est; ideo scriptores sacri saepe ad res ibi narratas provocant, et Judaei jam antiquissimo tempore eum inter libros canonicos receperunt[1]). Simplex narrandi ratio et tota materia pro axiopistia militant[2]).

1) Praeter quod Josue e propria experientia narravit, usus est aliis fontibus, v. g. volumine conscriptionis terrae (18, 9), et aliis monumentis (4, 9; 5, 9; 7, 26; 8, 29; 10, 27; 24, 27). Scriptores sacri saepe retractant facta e libro Josue (Jud. 18, 31. 2 Sam. 21, 2. 3 Reg. 14, 24; 16, 34; 4 Reg. 21. 2. Ps. 113, 3. Eccli. 46, 1—12. Mich. 6, 5. Act. 7, 45). Multa nomina geographica, partim obscura, per assyriaca et aegyptiaca monumenta confirmantur, uti probant Ménant, Le Syllabaire assyrien. Par. 1859. — Schrader, Keilinschriften l. c. — Brugsch, Geogr. Inschriften altägypt. Denkmäler. Leipz. 1858. II. T. — Vigouroux, Bible III, 5 seq.

2) Nonnullis contraria videbatur gerendi ratio Israelitarum contra Chananaeos, quam supra pg. 162 jam elucidavimus. Adducuntur quidem varia miracula — ast sine his et speciali auxilio divino Israelitae Chanaan minime expugnassent (col. Num. 13, 31 seq. Jos. 16, 10; 18, 3). His prodigiis divinis animus Israelitarum confortabatur et contumacia Chananaeorum frangebatur (5, 1; 10, 1). Miracula ista initio tantum, quo erant necessaria, patrantur, uti in introitu terrae, occupatione primae munitissimae urbis et in primo proelio contra reges Chananaeos.

4) Textus hebraicus libri Josue quoad nomina et numeros saepe corruptus est, et critica extremum expurgandi laborem adhibere debet[1]). Exstat etiam Samaritanorum Chronicon, cui titulus est liber Josue[2]).

1) Confer Kaulen, Einleitg. A. T. pg. 175 seq.

2) Exstat Lugduni Batavorum Chronicon Samaritanum, arabice conscriptum (editum a. G. Juynboll 1878), diversum tamen a nostro libro, quod in 47 captibus enarrat ultimos eventus sub Moyse (1—12), historiam Josuae, multis fabulis (samaritanis) inspersam (13—38), et nonnulla facta ex historia populi Israel usque ad obsessionem urbis Jerusalem Adriano imperante (anno 136). Chronicon hoc, quod seculo XIII. p. Ch. in Aegypto conscriptum est, fluebat ex antiqua (seculo tertio ante Ch.) recensione Samaritana.

Commentarii: Hummelauer 1903. — Acath. Oettli (Strack) 1893, Holzinger-Marti 1901. — Steuernagel-Nowack 1903.

§. 37. Cultus idolorum.

1) Dum populus Israel fidem in unum Deum et revelationem divinam integram servavit, reliquae gentes varia idola colebant[1]), eis templa erigebant[2]), cumque hoc cultu varia vitia conjungebant[3]). Ne populus electus

idololatria gentium pollueretur. Deus cultum idolorum Israelitis severissime interdixit[4]).

1) Idololatria ex peccato originem duxit (Rom. 1, 21; Eph. 4, 17) et cum fornicatione aliisque malis in intimo nexu erat (Sap. 14, 12 seq.); *supervacuitas enim hominum haec advenit in orbem terrarum* (Sap. 14, 14). Sunt autem variae idololatriae formae: *a)* Apotheosis hominum. Pater in luctu filii, cito sibi rapti, fecit sibi imaginem et illum, qui homo mortuus erat, nunc tanquam deum colere coepit; hic error interveniente tempore tanquam lex sacrabatur; item subditi imaginem regis, quem honorare volebant, eximia artificis diligentia fecerunt, ut illum tanquam praesentem colerent (Sap. 14, 15 seq.). Opera ergo manuum humanarum tanquam deos colere, infimus est gradus idololatriae (Sap. 13, 10 seq.). *b)* Apotheosis naturae; homines enim ignem, aërem, gyrum stellarum, aquam, solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt, specie vel utilitate eorum delectati (Sap. 13, 1 seq.) *c)* Apotheosis animalium, cujus variae causae referuntur; α) quia saepe dii, ut se servarent, in animalia sese transmutaverint, cujus gratia varia animalium genera hominibus colenda praeceperint. β) Propter utilitatem, quam plurima eorum praebent. γ) Quia juxta fidem Aegyptiorem animae defunctorum in corpora animalium transirent. δ) Propter rationem symbolicam, quia in ipsis imagines potentiae deorum suspicabantur, et ε) propter rationem zodiacam, nam animalia tanquam incarnationes deorum habebant. Ceterum in idololatria influxus daemoniacus se manifestat, ideo dii gentium *daemones* vocantur (Bar. 4, 7. Ps. 106, 37. Dt. 32, 17. Is. 65, 11. 1 Cor. 10, 20 etc.). Secundum s. Thomam (2. 2. q. 94. a. 4) causa dispositiva idololatriae fuit ex parte hominis, naturae defectus, vel per ignorantiam intellectus, vel per inordinationem affectus, consummativa autem ejus causa fuerunt daemones. Cf. Musil l. c. p. 319.

2) In Antiquo Testamento quidem varia templa Dagonis in urbe Gaza (Jud. 16, 23), deae Astarte in terra Philistaeorum (1 Sam. 31, 10), dei Baal in Samaria (3 Reg. 16, 32) et Jerusalem 4 Reg. 11, 18), Beli in Babylonia (Dan. 1, 2) et alia adducuntur, non autem describuntur. Architectura, columnis, imaginibus in parietibus depictis, et inscriptionibus excelluerunt templa Aegyptiorum, quae hodie adhuc admirationem excitant; templa Babyloniae ex lateribus, et Phoenicum e lapidibus quadratis ingentibus constructa erant. — Idola deorum erant aut imagines depictae, aut simulacra fictilia (Zelamim et Azabim), quae rursus distinguuntur in pesel *(sculptile)* et nesech (*conflatile* col. Is. 48, 5). Pesilim fabricata erant ex ligno (Is. 40, 20), ideo pure ligna vocantur (Is. 44, 19), nonnunquam laminis aureis vel argenteis vestita (Dt. 7, 25. Is. 30, 22), vel ex lapide (Mich. 1, 7), vel ex metallis (Is. 40, 19). Conflatilia ex aere vel aliis metallis erant fusa. Non raro variis coloribus depicta (Sap. 13, 14), vel vestimentis pretiosis vestita erant (Bar. 6, 10, 11, 57). Ironice dii gentium vocantur argentei, aurei, lignei, lignum, lapis, opus manuum hominum (Is. 37, 19), qui non vident, non audiunt, non intelligunt (Is. 44, 9. Sap. 15, 15 seq.), comburuntur, portantur ideoque sunt nihilum, non Deus, vanitates, ventus et inanitas (Is. 41, 29), cinis, mendacium (Is. 44, 20); ideo stultitia idololatriae tam saepe urgetur. Gentiles idola sua non tantum adorabant, sed iis et vota et varia sacrificia, imo humana, obtulerunt. Templa semitica apud Musil Edom. 1. p. 142.

3) Auctore libri Sapientiae (14, 12) teste *initium fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitae est.* Vitia cum idololatria nexa erant: prostitutio, fornicatio, etiam relicto naturali usu, nec non variae iniquitates, quas enumerat Apostolus (Rom. 1, 26—32), castratio, mutatio vestium (Dt. 22, 5), calvities, magia, praeprimis apud Aegyptios, veneficia (4 Reg. 9, 22), auguratio (Is. 2, 6), belomantia (Ez. 21, 21), divinationes, praestigiae, necromantia (Dt. 18, 10, 11), exstispicium (Ez. 21, 21) et alia hujusmodi, quae res Israelitas carnales maxime attrahebant.

4) Sacra Scriptura utitur variis vocabulis ad designandum idololatriae cultum: *Ire post deos alienos* (Dt. 6, 14), *deos timere, adorare, sequi* (3 Reg. 9, 9), *iis servire, fornicari, adulterare.* Idola vocantur *abominatio Dei* (Dt. 7, 25), *immunditia* (2 Par. 29, 16), *tentatio ani-*

mabus hominum, et muscipula pedibus insipientium (Sap. 14, 11). Idololatria polluit Israelitas (Ez. 20, 7) et loca sacra, excitat iram et aemulationem Jahvae (Dt. 4, 24; 32, 16, 21), provocat furorem et poenam divinam (Dt. 6, 15). Deus cultum idolorum variis sub poenis, calamitatibus, dispersione et deletione, quas minitatus est (Ex. 20, 3 seq. Lev. 19, 4. Dt. 6, 14; 7, 16; 8, 19 seq. 11, 16; 28, 15; 30, 7; 31, 16 seq.), imo supplicio mortis (Ex. 20, 4; 22, 19. Dt. 4, 15—18; 5, 8 etc.) interdixit; etiam seductio ad idololatriam erat crimen capitale (Dt. 13, 2 seq.; 18, 20), et ne Israelitae seducerentur, Chananaei exstirpandi erant.

2) Patriarchae, deficiente speciali cultus loco, libenter in locis, ubi Deus eis apparuerat, praeprimis in collibus et montibus sacrificia obtulerant. Tabernaculo sacro erecto, vetitum erat Israelitis, in excelsis (*Bamoth*) altaria aedificare et Deo sacrificia offerre (Dt. 12, 13), quia gentiles ibi diis suis libenter sacrificare solebant (Dt. 12, 2. Is. 57, 7), et quidem ad evitandum seductionis periculum. Licet Deus comminatus fuisset se excelsa eorum destructurum esse (Lev. 26, 30), tamen Israelitae etiam, postquam templum Jerosolymae est erectum, a cultu excelsorum non desistebant.

Cultus excelsorum proprie non erat cultus idololatricus, sed cultus Jahvae in excelsis; sic populus aedificavit altare Ramae tempore Samuelis (1 Sam. 9, 12 seq.); tempore Salomonis populus immolabat in excelsis, *non enim erat aedificatum templum Domini* (3 Reg. 3, 2); imo ipse Salomon, pius adhuc rex, in Gabaon, excelso maximo immolavit (3 Reg. 3, 4). Hoc ergo vetitum divinum praeprimis tempora post aedificationem templi respiciebat. Quod Israelitae etiam tunc non plane destiterunt a cultu excelsorum, explicatur partim e majori plurium incolarum e templum jerosolymitano distantia, partim ex aliis rerum circumstantiis (praeprimis regni Israel). Cultus iste principaliter in regno Israel vigebat — Jeroboam jam fana in excelsis erexit (3 Reg. 13, 32), et durabat usque ad interitum hujus regni (4 Reg. 17, 9, 29, 32 col. 2 Par 33. 17); attamen nec regnum Juda mansit immune, sed cultus excelsorum, paucis intervallis exceptis, sub regibus impiis usque ad tempora Ezechielis (Cap. 16) observabatur. Magna excelsa semitica vide apud Musil l. c. p. 80, 98 seq.

3) Ad similitudines et imagines, quas, ut adorarent, construere Israelitae severe prohibebantur, pertinet cultus vitulorum. Jam in monte Sinai Aaron, populo instigante, vitulum conflatilem ex auro formari curavit, quem Israelitae tanquam Deum adoraverunt, qui eos ex Aegypto eduxerit (Ex. 42). Hunc cultum Israelitae sine dubio ab Aegyptiis didicerant, qui Apim sacrum habebant. Cultus vitulorum restitutus est a Jeroboamo, qui, ex Aegypto redux, duos vitulos aureos in Dan et Bethel erexit[1]), ne Israelitae, templum jerosolymitanum visitantes, ad domum David converterentur (3 Reg, 12, 19 seq.). Probabiliter huc etiam spectant Teraphim[2]), ex Chaldaea importati, penates in specie humana, quibus vis augurandi adscribebatur.

1) Apis, qui in Aegypto sacer habebatur et in templo magnifico alebatur, erat bos niger cum certis lineamentis (tanquam symbolum propagationis, vitae et fertilitatis), et etiam mortuus tanquam Serapis divinis honoribus fruebatur. Jeroboam, auctor schismatis politici, exstitit simul auctor schismatis religiosi, restituendo hunc cultum vitulorum in urbibus, ad septentrionem et austrum regni sui sitis, quae jam antiquitus tanquam urbes sacrae honorabantur, et aedificando eis templa, in quibus etiam sacrificia offerebantur (3 Reg. 12, 33 et 4 Reg. 23, 15), non quidem per sacerdotes leviticos, sed de novissimis populi electos, qui et sacerdotes excelsorum vocantur (3 Reg, 13, 2, 33). Licet Israelitae non proprie vitulum, sed Jahvem sub specie vituli coluerint, tamen hic cultus illegitimus tanquam peccatum, magnum carpebatur (3 Reg. 12, 30; Am. 3, 14. Mich. 1, 5, 13), et pii Israelitae vitulos hos

qua *deos alienos* (3 Reg. 14, 9), *vanitates* (3 Reg. 16, 13, 26), pure *vitulos* (3 Reg. 12. 32. Hos. 13, 2) abominabantur; quare Bethel simpliciter Beth-Aven *(domus iniquitatis)* audiebat. Viguit hic cultus, qui tanquam aversio a Jahve considerabatur (2 Par. 13, 10), usque ad interitum regni Israel, et causa exstitit deportationis incolarum ejusdem (3 Reg. 14, 15. 4 Reg. 17, 7. Jer. 48, 13).

2) Teraphim, quae vox a LXX aut retinetur (Jud. 17), aut per idolum vertitur, erant humanae figurae vel statuae et quasi Penates (dii domestici), a quibus oracula petebant. Rachel furata est Teraphim patris sui (Gen. 31, 19), quos Jacob in Sichem infodit (Jen. 35, 4). Michas sibi Ephod ot Teraphim fecit (Jud, 17, 5) et cultum specialem illegitimum introduxit. Etiam Michol, uxor Davidis, tales Teraphim possedit (1 Sam. 19, 13); Josias quidem eos removit (4 Reg. 23, 24), sed tempore Zachariae rursus adducunter et inter causas ruinae regni apparent (10, 1 seq.).

4) Gravissimis sub poenis Israelitis interdicta erat idololatria, sensu strictiori, i. e. cultus naturae ejusque virium (gignentium, conservantium et destruentium). Huc pertinent idola principalia Chananaeorum; Baalim[1]) deus solis, lucis et vitae, atque Aschera vel Astarte[2]), dea lunae et fertilitatis, quibus alia[3]) accedebant.

1) Idolum Chananaeorum commune erat Baal (הַבַּעַל = *dominus*), apud Syros Bel = Βῆλος nominatum, deus sidereus sc. solis (Baal Chamman), qui calorem et fertilitatem terrae subministrat, et qua talis apparet Baal tanquam principium masculinum lucis et vitae physicae (ergo creans, gignens et conservans), et relate ad radios solis urentes, principium destruens. Tanquam simulacra Baalis adducuntur: columnae soli sacrae *(Chammanim)* lapideae vel ligneae, quae in aris Baalis stabant (2 Par. 34, 4) et nonnunquam cum statuis Astartes erant conjunctae, et Mazzeboth i. e. lapides in monumenta erecti, vel obelisci ex lapide aut ligno, in formam coni (phalli). Servitio Baalis addicti erant sacerdotes magno in numero (3 Reg. 18, 19, 22), qui sacrificia ei offerebant. Huic cultui Israelitae maxime, et quidem inde a tempore Judicum, dediti erant. Ceterum Baal variis in locis et prae vario respectu, quo colebatur, varia recepit nomina, unde Baalim in plurali. Mazzeboth vide apud Musil Moab 27, Edom. II, 97.

a) Baal-Zebub, deus muscarum, quas tanquam symbola aestatis (solis) produxerit, in Accaron, urbe philistaea, colebatur, quem quasi oraculum Ochozias rex consuluit (4 Reg. 1). Simulacrum hoc, utpote a muscis maxime foedatum, ansam dedit, principem daemoniorum hoc nomine Beelzebub (Matth. 12, 24) designandi.

b) Baal-Peor (Beelphegor) erat idolum Moabitarum, quod in urbe moabitica Beeth-Peor colebatur et in cujus honorem mulieres et virgines prostituebant, ideoque secundum Origenem et Hieronymum idolum turpitudinis erat, cui adhaeserunt Israelitae, in campestribus Moab degentes (Num. 25. Hos. 9, 10).

c) Idolum principale Moabitarum erat Chamos, deus solis et belli, cui Mesa rex Moab primogenitum filium obtulit (4 Reg. 3, 27) et Salomon in monte Oliveti (offensionis) fanum aedificavit (3 Reg. 11, 7).

d) Molocho, a quo Milcom (Melchom), idolum Ammonitarum, non differt, Chananaei liberos immolarunt, quare cultus ejus sub poena lapidationis Israelitis erat prohibitus (Lev. 18, 21; 20, 2. Dt. 12, 31). Nihilominus Israelitae in valle Ben Hinnom (Thophet) filios et filias per ignem ei consecrabant et tympanis sonantibus clamorem infantium supprimere conabantur. Erat autem Moloch manifestatio Baalis (Jer. 19. 5; 32, 35), tanquam dei solis, respectu habito ad radios ejus in aestate urentes, ergo deus ignis. Cf. Döller, Stud. 326 seq. — E. Mader, Menschenopfer d. alt. Hebräer u. d. benachbarten Völker. Frb. 1909. — Kortleitner, De Hebr. ante exil. babyl. monotheismo. Oen. 1910, 132 seq.

e) Baal Melkart vel Heracles, i. e. deus solis coelum circumcurrens, in templo urbis Tyri et in coloniis Phoenicum colebatur sub symbolis columnarum ingentium. Proprietati solis, cujus calor hieme minuitur et vere crescere incipit, exprimendae inservit festum con-

cremationis et resurrectionis Heraclis; accedebant certamina, quae singulis lustris Tyri in honorem Heraclis instituebantur.

f) In urbe phoenicia Byblo, ad fluvium Adonidem sita, et in insula Cypro colebatur Tammuz, a Graecis Adonis appellatus, juvenis formosissimus, qui amore Baaltis (Aphroditae) captus, hujus maritum occidit, sed ipse, ab aprino dente exstinctus, ab amasia sua vagabunda lacrymis perpetuis plangitur. In festo, ad honorem Adonidis instituto, mulieres Adonidem (Ez. 8, 14) interfectum plangebant et resuscitatum gaudio prosequebantur. Huic Adonidis cultui subjiciebantur variae significationes: α) tellurica, vi cujus Adonis est symbolum frugum terrae; quae secundum Hieronymum (Ez. 8) in seminibus renascuntur; vel β) solaris; sol enim tempore hiberno se quasi abscondit et tempore verno iterum splendens fertilitatem terrae resuscitat.

g) Idolum urbium Philistaeorum erat Dagon cum capite manibusque hominum, reliquo corpore piscem referens (1 Sam. 5, 1 seq.), qui in templis v. g. Gazae colebatur, tanquam symbolum aquae terram fructificantis, cui deus Dakan Assyriorum et in Babylonia dii Ea et Anu respondebant.

2) Baali conjuncta erat *a)* Aschera (אֲשֵׁרָה, quae vox varie: *erecta*, vel *socia*, vel *felix* i. e. dea fortunae vertitur), cujus simulacrum i. e. columna cylindrata, virgae virili recipiendae apta, vel lignum frondosum, praeprimis cupressus, super colles vel in lucis sacris colebatur, et (ut Scholz l. c. 250 probat) ab Astarte non diversa fuisse videtur; Aschera igitur credebatur Baalis uxor, principium concipiens vel femininum, ζῳογόνος θεά, mater vitae (Aphrodite), cujus cultus erat obscoenus et venereus; nam mancipati ei erant viri effeminati, vel hieroduli (Kedeschim), et meretrices sacerdotes (Kedeschoth, confer vestales virgines romanas), quae in honorem deae pudicitiam prostituebant; questus meretricius (col. Dt. 23, 18) in aerarium templi referri solebat. Teste Herodoto (1, 199) quaevis mulier babylonia semel in templo deae Mylittae (Aschera) pudicitiam prostituebat; funibus circumdatae (in signum, quod huic deae adhuc sint alligatae), et ossa olivarum succendentes (Bar. 6, 42) sedent in via et cuivis transeunti, qui nummum in sinum ejus projecerat, clamando: »Age in nomine deae Mylittae!« se tradunt. Idem fecerunt mulieres phoeniciae, punicae et Bybli in honorem deae Aphrodite. Israel *super omnem montem excelsum et sub omni ligno frondoso fornicata est* (Jer. 3, 6; 4 Reg. 16, 4 etc.). Josias non tantum Ascheram combussit, sed et aediculas effeminatorum in domo Domini destruxit (4 Reg. 23, 4 seq.). Idolum zeli, quod vidit Ezechiel (8, 3), probabiliter erat idolum Ascherae. Cf. Torge, Aschera u. Astarte. Lpz. 1902. Sententia Herodoti, quamque feminam in Babylonia se prostituisse, fundatur in falsa informatione. Cf. Kohler u. Peiser, Hammurabis Gesetz. Lpz. 1904.

b) Ex Assyria cultus deae Istar (stella, Venus, Urania) translatus fuit in Phoeniciam (Sidon) ejusque colonias et Chanaan, quae ibi Astarte (עַשְׁתֹּרֶת) vocabatur, dea coelestis virgo, regina coeli, dea Veneris sidereae vel dea luna (Urania) creditur, et qua talis deo solis erat adjuncta. Depingebatur qua vacca, vel in specie humana cum capite taurino, cujus cornua plerumque tanquam cornua lunae habentur. Ob ista cornua (symbolum potentiae et potestatis) etiam Astaroth-Karnaim *(cornuta)* audiebat. Astartae, tanquam deae fertilitatis, aqua (ideo domina maris), murex brandaris (ideo in concha marina Aphrodite purpurissa portata depingitur, et eam Phoenices purpuraii venerebantur) et cupressus fastigiata, semper virens, palmae, rosae rubri coloris et malogranatum (symbolum amoris et fertilitatis) sacra erant. Nomen Astarte varie: *fortis, socia, fertilis, stella* explicatur; probabiliter autem ex voce Istar i. e. *lucifera* vel *stella matutina* derivatum est. Israelitae paulo post mortem Josue Astarte colere coeperunt (Jud. 2, 13; 10, 6). Tempore Jeremiae reginae coeli mulieres placentas, quae formam cornutam habebant, et libamina offerebant, quare ab ipso increpantur (7, 18; 44, 15 seq.).

3) *a)* Syri coluerunt in urbe Carnion deam Atargatis i. e. Istar, deam fortunae (2 Mach. 12, 26), cui Derceto, in urbe Ascalon culta, respondet; cogitabatur uxor Dagonis, nam simulacrum ejus exhibebat faciem femininam et corpus pisci simile. Apparet tanquam dea lunae (uti Astarte), domina terrae, maris et aëris, quare templa in honorem ejus ad ripas

lacuum et fluminum erigebantur. Ei columbae erant sacrae et ipsa, quasi dea fertilitatis (Venus), impudentissime (Hierapoli) colebatur. Ex Syria iste cultus in Graeciam transmigravit.

b) A Babyloniis et Assyriis colebatur Bel, cui templum principale Babylone erat erectum (Jer. 51, 44), et quidem in ruderibus turris babelicae (Birs Nimrud), quod teste inscriptione, recentissime inventa, a Nebucadnezare restauratum fuit. Creditur Bel fuisse conditor (Nimrod) Babylonis et inter deos relatus, imo princeps deorum et demiurgus universi colebatur. Praeter eum venerabantur Babylonii (Assyrii) qua deum Merodach (Maraduk Jer. 50, 2) tanquam deum solis (Jovem), regem coeli et terrae, nec non deum belli; Nabo (Is. 46, 1), filium Beli, prophetam, tanquam deum scripturae et eloquentiae, qui cum tiara et sceptro depingebatur et templum suum primarium Borsippae habuit: Quis sub Nisroch, quem Sanherib colebat, intelligendus sit, eruditi non conveniunt. Alii habent eum Nusku, alii Marduk, alii Nimrod. Cf. Döller, Stud. 319 seq. Nergel Cuthae in Babylonia (4 Reg. 17, 30) heroem vel deum bellorum et victoriarum, qui daemones debellavit; symbola ejus erant ingentes leones cum capite humano et alis, qut (Nirgalli) introitum templorum et palatiorum ornabant. In urbe Hamath ad Orontem colebatur Asima (4 Reg. 17, 30) probabiliter = deus phoenicius Eschmun. Sepharvaim erat sedes cultus deorum Adramelech et Anamelech (4 Reg. 17, 31), de quibus diversae sententiae existunt col. Döller, Stud. 301 seq. Prior (Adar) erat deus solis, qui tenebras depellit (Saturnus); symbolum ejus erat taurus, facie humana et alis instructus. De altero divergunt. Lenormant Anamelech (Anunit) tanquam uxorem dei Adramelech habet, dum alii eum Anu-Malik, unum ex tribus primariis diis assyrio-babylonicis, credunt. Tandem adducit Isaias (65, 11) deos Gad et Meni, quibus lectisternia parabantur. Gad est numen fortunae, et Meni deus fati, ergo dii minores.

Israelitis cultus sidereus, i. e. adoratio solis, lunae et siderum sub supplicio mortis erat prohibitus (Dt. 4, 19; 17, 3 seq.); erat autem iste cultus vel idololatricus, prout sidera sub symbolis, aut Sabaeismus, prout sine imaginibus tanquam auctores et rectores omnium rerum colebantur. Priori cultui Israelitae, teste Amoso (5, 25 seq.), jam in deserto erant dediti et ingressi Chanaan, cultum ibi jam invenerunt, uti nomina Beth-Semes in tribu Juda (Jos. 15, 10) et in tribu Issachar (Jos. 19, 22), Ain-Semes prope Bethaniam (Jos. 15, 7), et alia testantur. Seriori tempore, imo tempore Ezechiae adolebant incensum Soli, Lunae, et duodecim signis, et omni militiae coeli (4 Reg. 13, 5). Erigebantur in planis tectis altaria, ubi adorabant (Soph. 1, 5), incensum adolebant (Jer. 19, 13) et sacrificia astris offerebant (4 Reg. 23, 12), quare Jeremias (8, 2) eis poenam, idololatriae aequivalentem, minatur.

Confer Döllinger, Heidentum 395. — Movers, Untersuchungen über d. Religion u. Gottheit d. Phönizier 1841. — Haneberg, Relig. Altertümer. — P. Scholz, Götzendienst und Zauberwesen bei d. alt. Hebräern 1877. — Duncker, Geschichte des Altertums 1. B. — E. Fischer, Heidentum und Offenbarung 1878. — F. Lenormant, Magie und Wahrsagekunst der Chaldäer. Jena 1878. — Schrader, Keilschriften u. A. T. 3. Aufl. — Lagrange, Études sur les religions sémitiques. Parisiis 1903. — Kortleitner, De polytheismo universo et quibusdam ejus formis apud Heb. et finitim. gentes usitatis. Innsb. 1908. — De cultu et superstitione Arabum cf. A. Musil, Arab. Pet. III.

§. 38. Aetas Judicum (1412—1051).

1) Historia hujus aetatis (360 circiter annorum) narrat, quomodo Israel sub regimine pontificum debilium (1 Par. 6. 50 seq.) a Jahve saepe ad idololatriam et impietatem defecerit, Chananaeos debellare neglexerit, quin et consuetudinem vitae cum his inierit, qua fides moresque eorum corrumpebantur. Ideo Deus ipsos hostibus plectendos et dura servitute opprimendos tradidit, poenitentibus tamen et emendatis heroes suscitavit judices, qui eos liberarent. Generaliter haec erat aetas pugnae theocratiae cum idololatria

chananaea. Unitas et harmonia politica singularum tribuum, invicem se obtrectantium, deficiente duce communi et elanguescente studio religioso et nationali, dissolutae sunt, ad summum tribus foederationem tantum inierunt. Accessit degeneratio sacerdotum et Levitarum, qui, victum necessarium quaerentes (Jud. 17, 7, 8. 1 Sam. 2, 36), auctoritate carebant et a gratia aliorum dependebant. Praeter has vicissitudines defectionis et subsecutae poenae, a Deo in testimonium veritatis minarum suarum immissae, aevum illud nequaquam prorsus carebat intervallis tranquillis[1]), in quibus lex observabatur et populus statu rerum pacifico gaudebat, uti e libro Ruth patet.

1) Centrum religionis quidem erat tabernaculum, Silunte erectum (Jos. 18), non tamen exclusive, nam etiam Bethele (Jud. 19, 18) et Masphae (20, 1) sacra fiebant. Nec defuerunt exempla vitae religiosae, orationis, votorum (11, 30), naziraeatus et mentis theocraticae, quamvis rara, in singulis (judicibus) atque modo imperfecto (8, 16). Unitatem nationalem, sensim labentem, conservabant quodammodo comitia; in rebus autem gravioribus Jahve, consultus per Ephod pontificium, voluntatem suam manifestabat (20, 27). Conferas priora christianae religionis secula. Schenz, Einl. 110 seq.

2) Quamdiu Josue et seniores, qui miracula Dei noverant, vivebant (1452—1412), Israel Jahvae serviebat; sequens autem generatio inobediens et lassa (Jud. 2, 10) partim victis parcendo, partim vectigalia imponendo, ab impia gente delenda desistebat. A Jahve per angelum suum moniti, lacrymis (unde locus nomen Bochim traxit) et sacrificiis Deum placare studuerunt, paulo post tamen cum Baal Astaroth (2, 13) aliisque diis alienis fornicati sunt, imo cum gentibus contra mandatum divinum connubia inierunt (3, 6), ideoque Deus criminosos in manus hostium tradidit, misericordia vero et gemitu afflictorum motus, Judices[1]) suscitavit, qui eos a caede vastantium liberarent. Juda divinitus ordinato duce, bellum contra Chananaeos continuatum et Adonibesek, rex Besek, devictus mutilatusque est. Dum tribus Juda et Simeon montana urbesque suas (vallibus exceptis) occupabant, Caleb, promissi sui memor, in urbe Hebron Enacim divincebat et Benjamin urbem inferiorem Jerusalem occupabat, quin tamen Jebusitas e castello (urbe superiore) depellere valeret; reliquae vero tribus paulo post mortem Josue ab impia gente delenda, tributo contentae, desistebant. His temporibus, quibus dissolutio fidei morumque initium cepit, et unusquisque, quod sibi rectum videbatur, fecit, a Micha Ephraimita idololatria in familia sua invecta, et dein in tribu Dan publice stabilita est, atque accidit infandum scelus (Sodomitarum instar), ab incolis urbis Gibea (Benjaminitis) in uxore Levitae Ephrataei perpetratum; et quum reliquae tribus, ut crimen illud expiarent, bellum eis inferrent, tota fere tribus Benjamin deleta est. Iis, qui superstites erant, per fraudes procuratae sunt uxores (Cap. 19—21).

1) Judices (שׁוֹפְטִים a שָׁפַט *judicare*, LXX κριταί) erant belliduces divinitus excitati, ac magistratus extraordinarius ad Israelitas e servitute liberandos, ad negotia belli pacisque gerenda, idololatriam arcendam atque ad lites, in populo exortas, dirimendas. Non erant reges, sed tantum politiae praefecti vel summus magistratus ad Israelem (non integrum, sed ad tribus singulas aut plures) judicandum et dirigendum, hinc sine apparatu regio imperabant, nec tributa legesve imponebant condebantve, nec dignitas eorum erat hereditaria; non enim

perpetuo succedebant, sed necessitate cogente suscitabantur, et quidem aut expressa Dei vocatione (v. g. Gedeon), aut praesumpta, ob praeclara gesta (Othoniel, Aod etc.), aut ob prodigiosas animae et corporis dotes (Samson, Samuel) qua judices constituebantur, quibus virtutibus magna ex parte auctoritas eorum nitebatur. Munere functi plerumque domi vitam privatam degebant (8, 2, 9) nihilominus tamen auctoritate judiciali fruebantur; *non enim erant* (teste Siracide 46, 13 seq.) *aversi a Domino, nec corrupto corde, sed memoria eorum erat in benedictione, quia (Heb. 11, 32—34) per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, fortes facti sunt in bello et castra exterorum everterunt.* Respectu nominis et partim muneris, judicibus Israelitarum correspondebant juxta nonnullos δικασταί Tyriorum (Jos., c. Ap. I, 21) et Suffetes Carthaginiensium, qui summis poenis magistrabant (Liv. 28, 37). Duces hi extraordinarii populo occasionem dederunt, desiderandi ac petendi principem stabilem, nempe regem. Vigouroux, Bible III, 2. p.

3) Primus judicum erat 1) Othoniel (Athniel). Calebi frater natu minor et gener (Jos. 15, 17 seq.), qui debellavit Chusan Rasathaim[1]) (Aram Naharaim T. H. — Vulg. Mesopotamiae) regem, sub cujus jugo Israelitae 8 annis (1412—1403) gemuerant. Annis 40 (1403—1364) tranquille praeterlapsis, quum praevaricati ab Eglon (II. Moabitarum) rege 18 annis (1363—1345) dure tractarentur, 2) Aod (Ehud) judex, rege occiso et Jerichunte occupata, hostes attrivit, ac terra quievit dein per 80 (1345—1265) annos. 3) Samgar[2]) 600 Philistaeos, qui prima vice Israelitas aggredi conabantur percussit vomere (Jud. 3). Contra Jabin (III. Chanaan) regem, qui 20 (1265—1245) annis Israelitas, septentrionales regiones inhabitantes, vehementer oppresserat, electus est vindex 4) Barac cum 5) Debbora (Debora) prophetissa[3]) quae hunc cum exercitu e tribubus Nephthali, Issachar et Zabulon congregato, contra Sisaram, Jabini ducem, ejusque 900 currus falcatos misit; exercitu Chananaeorum fugato, Sisara in domo Jahel (Jaël), uxoris Chinaeae, ab hac clavo percutitur[4]) (Cap. 4). Victoriam partam Debbora et Barac epinicio[5]) (Cap. 5) celebrarunt. Talis femina utique erat digna, quae (sub palma sedens) populum judicaret (4, 4); quievit autem terra 40 annis (1245—1205).

1) Non fundamento carere videntur conjectura Lagrange (Le Livre des Juges. Par. 1903), pro Aran legendum esse Edom et conjectura N. Schlögl (Lit. b. XII, 521). Rischathaim corruptum esse ex Rosch Etham. (Princeps Ethamic urbis Sela col. Num. 24, 21; 49, 16.)

2) Samgar in vetere latina historia (apud Lagarde, Septuaginta Stud. Gött. 1892, II. 5 seq.) vocatur oppressor, cui in ss. Bibliis nomen est Jabin. Non immerito Lagrange l. c. historiae illi innixus pro nomine Jabin, quod ex libro Josue desumtum esse videtur, nomen Samgar substituit, quem in urbe Kadesch ad Orontem regnasse, nomen autem judicis, qui vocetur Samgar, fuisse Samma (Samera) asserit.

3) Debbora, quae a nonnullis immerito Joannae, virgini Aurelianae (Jeanne d'Arc), comparatur, non ipsa bellum gessit, sed comitabatur Barac, qui eam prophetissam consulendi gratia secum habere voluit. Haec Barac judicis petitio aliquem fidei ac fiduciae in Deo collocandae defectum testatur; ideo ipse plenae gloriae bellicae particeps non est factus, quod Debbora praedixerat verbis: *Hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara* (5, 9). Durante bello imber ac grando (Jos., Ant. V, 6, 4 col. Jud. 5, 20) hostes vexarunt, quod phaenomenon, in momento pugnae apparens, characterem miraculosum (a Debbora praedictum) non minuit sed confortat.

4) Factum Jahel a nonnullis acatholicis improbatur ipsaque perfidiae accusatur. — Ast quoniam a Debbora (5, 24—27: *benedicta inter mulieres Jahel*), imo a Patribus (Augu-

stino, c. Faust 12, 32, *quid est ista mulier, plena fiducia, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiae, cruce Christi regnum diaboli perimens*) celebratur, factum ejus alio sub respectu considerandum est; momento ipso, quo Sisara tabernaculum ejus ingressus est, ipsa quidem eum tueri fors intenderat, dein autem pugna theocratica cognita et antiquae cum populo Dei amicitiae memor, hostem communem dolo, cuivis in bello licito, imo etiam divinitus excitata, de medio tollere sibi proposuit. Intentione (laudabili) ejus commendata, eam tamen non ab omni culpa in electione mediorum absolvendam esse censent alii. Bene attendendum est, factum Jahel minime ab auctore inspirato celebrari, sed hunc tantum carmen Debborae et Barac, in quo Jahel laudatur, referre. Ceterum Debbora et Jahel veritatem verbi s. Pauli (1 Cor. 1, 27): *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, testantur. Jahel imprimis typus mulieris fortis (Prov. 31, 10), caput serpentis conterentis, consideratur a s. Bernardo (hom. 2. sup. Missus) et Nic. Lyrano. De Debbora et Jahel confer Zschokke, Bibl. Frauen §. 16. De jure hospitii cf. Musil l. c. 351.

5) Carmen in 3 partes dividitur, quarum singulae ternas strophas continent; analogum est canticum Ex. 15. Confer commentarios monographicos: Hieronymi com. in cant. Deb. — E. H. Hollmann, Lips. 1818. — Kalkar, Quaest. bibl. spec. I. 1835. — Kemink, Ultraj. 1840. — Herder, Geist. d. heb. Poes. II, 235. — J. v. Gumbach, Alt. Stud. Heidelb. 1852. 1—138. — Zapletal, Deboralied. Freib. 1905. — Rießler, Bibl. Z. 1909, 260 seq.

4) Israelitae, quarta vice ad idola reversi, a (IV.) Madianitis 7 annos (1205—1198) ita vexabantur, ut in cavernis et speluncis montium se absconderent, conversis autem Dominus per angelum suum excitavit 6) Gedeonem (Gideonem) 1198—1158 judicem[1]); hic sub quercu in Ephra, frumenta in torculari excutiens, a Malach Jahve salutatur, sacrificio (vel dono) oblato aram Baalis et Ascherae evertit (unde *Jerobaal* dictus) et, duplici prodigioso signo a Deo obtento (Cap. 6), cum 300 viris electis, hostes novo bellandi genere fudit, ut victoriâ, a parvo exercitu reportata, gloria Dei manifestaretur (Cap. 7). Parta tam insigni victoria dignitatem regiam, sibi ac posteris suis oblatam, fortiter recusavit, ex inauribus autem ipsi datis (1700 siclorum) Ephod confici curavit, ut sacerdos accersitus sacra faceret et Jahvem pro ipso consuleret, quod serius populo Israel causa exitii fuit. Gedeone judice terra annis 40 quievit (Cap. 8). Patre mortuo (7) Abimelech filius (1158—1155) regem in Sichem se proclamari jussit et omnes (70) fratres super unum lapidem occidit, praeter minimum Joatham, qui Sichemitas fabulâ, in monte Garizim de rhamno (quam ligna regem constituerant, postquam oliva, ficus et vitis illam dignitatem renuerunt 9, 7—21) propositâ, impii facinoris reprehendit. Bello civili exorto, Sichemitae maximam partem ab Abimelech vindice delentur, qui dein fragmine molae, a muliere de turri dejectae, trucidatur (Cap. 9). Postquam (8) Thola tribus cisjordanenses 23 annis (1155—1132), et 9) Jair (1132—1110) transjordanenses 22 annis judicaverunt, Israelitae orientales, denuo ad idola redeuntes (Cap. 10), ab (V.) Ammonitis 18 (1110—1092) annis dure tractabantur, donec liberati sint per 10) Jephte judicem electum (1092—1086), qui Ammonitas fugavit; ast votum, ante bellum factum, filiam ei eripuit[2]) (Cap. 11). Ephraimitas, qui victoriae, a Jephte relatae, invidentes tumultuabantur, proelio coërcuit. Post judicatum ejus sexennem Israelitas judicarunt 11) Abesan 7 annis (1086—1079), 12) Ahialon 10 annis (1079—1069) et 13) Abdon 8 annis (1069—1061) (Cap. 12).

1) Gedeon, de statu humili judex constitutus, cum parva manu hostes innumeros et cultores Baalis fugans, ac honorem Jahvae zelans, typus est Christi. Ipso duce respublica summum fortunae gradum illa judicum aetate est nacta. Ros. miraculose in vellus lanae descendens, secundum ss. Patres typus est Christi, desursum descendentis (Jes. 45. 8) in uterum Virginis, innuente Ps. 71, 6: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram* (confer ant. 2. Vesp. et Laud. fest. circumc. Dom.). Conf. Hummelauer, Com. Jud. p. 155. Secundum nonnulos Patres vellus, in area rore (symbolo gratiae divinae) humefactum, significat Israel, medium inter gentes constitutum et a Deo beneficiis cumulatum; altero signo nobis repraesentatur gens judaica post evangelium (tanquam vellus aridum) a Deo destituta, cum interim gentes, quae antea aridae i. e. a Deo quasi derelictae languebant, beneficiis coelestibus irrigarentur.

2) Voverat Jephte, Ammonitas debellaturus; *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino . . . occurrit autem ei unigenita filia sua . . . cui,* duobus mensibus concessis, ut ploraret virginitatem, *fecit, sicut voverat* (Jud. 11, 30—40) Veteres interpretes; Paraphrastes, Syrus, Flavius (Ant. V, 9), plurimi ss. Patres; Epiphanius (haer. 55), Ambrosius (de off. 3, 12), Hieronymus (in Jer. 7), Theodoretus (q. 20 in Jud.), Chrysostomus (hom. 14 ad Ant.). Augustinus (q. in Hept. l. 8, 49 seq.), Gregorius Naz. (carm. l. 2, 94 hist.), et Thomas (2. 2. q. 88. a. 2) cum Scholasticis, quos haud pauci catholici Serarius, Tirinus, Calmetus (dis. de vot. Jephte), Vigouroux, Hummelauer, Zapletal et catholici sequebantur, putant, Jephte judicem filiam revera mactatam in holocaustum obtulisse, memorem voti sui, quod improspecte vovisset; cogitasse quidem sacrificium humanum, minime tamen filiam; pro re appellant consternationem patris, visâ filiâ v. 35, resignationem virginis v. 36 etc.; ceterum factum hoc ex circumstantiis temporis minus theocratici, e charactere Jephte bellicoso rudique, quamvis ingenuo, dijudicaudum esse monent; non placet quidem sacrificium, quia contra legem adeoque abominabile erat, utique autem animus offerentis pretiosissimum (Hieronymus, in Jer. 8), quod in terris erat, nempe unicam filiam, qua in re factum Abrahae, Isaacum immolantis, ei praeluceret. Simili modo Saul putavit juramentum a se emissum omnino observandum esse et nonnisi a populo impeditus est, quominus filium Jonathan occideret. Verba: »ipsa virum non cognovit,« minime virginitatem tanquam impletionem voti demonstrant, sed exaggerationem sacrificii continent. Accedit, quod minime probari potest, mulieres in loco sacro servientes virgines fuisse. Tota antiquitas usque ad saec. XII. voti impletionem de sacrificio cruento intellexit; cf. Zapletal, Atltest. 78—98. Contra hanc sententiam nonnulli diversa opponunt: sacrificia humana, tanquam abominationes Domino, severe erant interdicta; suppositio, Jephte fuisse rudem et irreligiosum conciliari nequit cum dictis (11, 15 seq.) de prudentia et religione ejus, homo irreligiosus votum non vovet; incredibile porro est, sacerdotes et Levitas, voti ejus gnaros, sacrificium humanum admisisse, imo cooperatos fuisse, et festum annuum ad tale factum abominabile celebrandum tolerasse. Tandem s. Scriptura, quae alibi errores et peccata carpit, v. g. usum Ephod Gedeonis, nullibi reprobat, e contrario laudare videtur (?) hoc factum Jephte. — Unde probabilior videtur sententia recentiorum (Lyranus, Stollberg, Reinke, Scholz, Ubaldi, Cornely, Holzammer, Schäfer, Gottesm. 14 seq., Hengstenberg, Clericus, Cassel, Auberlen, Keil, Kimchi, Weiß etc.), qui filiam Jephte, virginem perpetuam, coetui mulierum, tabernaculo servientium, a patre sacratam defendunt, cui sententiae favent: textus hebraicus v. 31.: *sit Jahvae* (sc. consecratum) *et offeram in holocaustum*, planctus virginitatis (v. 39), explicatio ipsius auctoris (v. 39 convenienter cum LXX). *Et fecit ei, sicut voverat, et ipsa virum non cognovit* quae verba gratis adjecta fuissent, si filia mactata fuisset et festum quotannis institutum, in quo filiae Israel filiam Jephte plangebant, vel potius (juxta hebraicum) praedicabant, nempe animum ejus heroicum celebrando et eam consolando. Jephte ergo loco sacrifici cruenti, quod voverat, substituit aliud incruentum i. e. virginitatem filiae perpetuam, quam societati virginum (Deo consecratarum) dedicavit. Haec oblatio non minus grave sacrificium (spirituale) erat, quam holocaustum; nam pater privabatur filia here-

ditaria, quae, voto virginitatis obstricta, civiliter quasi erat mortua, ideoque et spe propagationis familiae et nominis sui. Ceterum Lex (Ex. 13, 1, 13. Num. 18, 15 seq. Lev. 27) jam substitutionem sacrificiorum noverat. Tali ratione laus, huic viro tributa (Eccli. 46, 13; Heb. 11, 32), jure explicari potest. Attamen utrum Jephte revera filiam suam immolaverit necne, est quaestio historica, argumentis historicis decernenda. Praeeuntibus s. Augustino l. c. Chrysostomo (hom. de Jephte), Thoma, Hugone a. S. Victore, Cornelio, etc. alii Jephte typum Christi ac in sacrificio filiae suae typum Ecclesiae, persecutiones patientis, aspiciebant; nullis tamen valoris est comparatio hujus facti biblici cum immolatione Iphigeniae (= Ἰεφτι γενεία) per Agamemnonem (Euripides, Iphig. Taur. 17, seq.), quamvis in hac fabula mactatio vera filiae desit, nam Diana impii sacrificii mactationem suffectâ cervâ impedivisse fertur, et cum mytho de Idomeneo, qui victor rediens filium suum immolavit (Servius ad Virg. Aeneid. 3, 121; 11, 264). Analogice dea Artemis propter virginitatem suam celebratur. Secundum Philonem nomen filiae Jephte erat Seilam.

Confer Reinke, Beit. I, 419 (424 literatura); — Tübinger Quart. 1842. 608; 1853. 602; 1869. 533. — Theol. Stud. u. Krit. 1860. Zschokke, Bibl. Frauen §. 17. H. Weiss, d. Gelübde Jephtes 1907.

5) Eodem tempore etiam Israelitae cisjordanenses sicut transjordanenses denuo praevaricati, 40 annis (1111—1071) per (VI.) Philistaeos premebantur. Judicavit eos (et post Jairum etiam transjordanenses) 14) Heli pontifex de stirpe Ithamaris (1131—1091), quo non scelesto quidem, ast incurio zelique divini experte) gubernante calamitosus erat civitatis status; praeprimis duo ipsius filii, Ophni et Phinees, sacrilegiis infames, Dei iram in populum concitarunt (1 Sam. 2). His temporibus Anna[1]), mulier sterilis viri Elcana, oratione obtinuit filium Samuelem *(exauditum Dei)* vel potius *Nomen ejus* (Jahvae) *Deus,* quem naziraeum perpetuum (voti hujus vim ac gratiam, quamvis imperfectam, jam e Samsone noscens) sponte vovit atque, postquam victimas obtulit et Deum benignum carmine magnifico celebravit, ad tabernaculum Siluntinum in perpetuum ministerium Jahvae dedicavit. Samuel, singulari animi vi (supplementum quasi Samsonis) insignitus et secretorum divinorum fide dignatus, restaurator ac reformator populi et theocratiae evasit. Ei, in tabernaculo dormienti, Dominus sententiam in Heli, ob nimiam ejus in filios avaros et impudicos indulgentiam, et in omnes Israelitas decretam denunciavit (Cap. 3). Bello cum Philistaeis exorto, arca in castra deportata capitur[2]), 34.000 Hebraeorum una cum filiis Heli occiduntur et Heli ipse certior factus subito exstinguitur.

1) De characterc hujus mulieris piae ejusdemque aemulae Phenennae, confer Zschokke, Bibl. Frauen §. 21. Canticum ejus (1 S. 2. 1—10), cantico Magnificat (Luc. 1, 40—55) b. Mariae Virginis simillimum, est propheticum, et quidem messianum. Sicut primus pontifex Melchisedech typus Christi pontificis fuit, et Moyses propheta primus vaticinatus est de hujus munere prophetico, sic etiam initio regni instituendi dignitas regia praedicitur verbis; *Dominum formidabunt adversarii ejus . . . et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui* (v. 10 col. Luc. 1, 46—55, 69, 70). Confer Bade, Christ. I, 142. — Reinke, Beit. IV. 411. Zapletal, Alttest. 99—112. — Samuel, e stirpe levitica (Caath) oriundus (cf. I Sam. 1, 1 col. 1 Par. 6, 26—28), puer jam typum Christi gessit (col. 1 Sam. 3, 19 col. Luc. 2, 40, 52).

2) Amissio arcae, tanquam sedis et oraculi Jahvae, erat maxima jactura ac poena Israelitarum, honori tamen divino inter gentes promovendo inserviit; Philistaei enim, gravissimis calamitatibus pressi (Cap. 5), arcam remiserunt Bethsames, a quo loco, quum non-

nulli urbis incolae, eam negligentes, essent percussi, translata est in domum Abinadab (Levitae) in Gabaa prope Cariathiarim in tribu Juda (Cap. 6).

6) Heli mortuo et arca a Philistaeis remissa Israelitis vindicandis destinatur 15) Samson[1]) (Simson) e sterili matre natus, ab infantia voto nazaretus perpetui (mandato divino) consecratus[1]) ideoque ingentibus corporis viribus divinitus ornatus (Cap. 13). Amore puellae ductus, in via leunculum captum manibus dilaceravit et postquam petitum inde aenigma: *de comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo,* a convivis perfidiâ uxoris solutum est, spiritu Domini actus, 30 Ascalonitas occidit eorumque vestes ablatas eis dedit (Cap. 14). Injuriam sibi illatam ulturus, 300 vulpes, in quarum caudis junctis faces ligaverat, in segetes Philistaeorum misit. A viris e tribu Juda traditus, Samson 1000 Philistaeos maxillâ asini Ramath-Lechi interemit ex ejusque dente molari scaturientibus aquis sitim restinxit (Cap. 15), et Gazae ab oppidanis custoditus, ambas portae valvas, cum postibus suis avulsas, ad verticem montis (Muntar) humeris suis portavit. Paulo post amore Dalilae capitur, cujus blanditiis mollitus, primo comâ sua voto dicata, et dein oculis orbatus est. Confortatus fide in Deum, postquam coma rursus crevit, hostes (circiter 3000) mole templi Dagonis, cujus columnas prehenderat, oppressit, suo sepultus triumpho; judicaverat autem Israelem 20 annis (1091—1071) (Cap. 16). Quo defuncto 16) Samuel, fidelis Domini propheta, universum populum judicavit annos circiter 20[2]) (1071—1051).

1) Samson nunquam qua dux totius populi apparet, quamvis saepius a spiritu divino actus esse feratur (14, 6, 19; 16. 28), ulciscendo autem iniurias privatas revera populi sui (imo moriens Dei ipsius) vindicem egit; nam ipse quaesivit etiam in matrimonio suo occasionem contra Philistaeos (14, 4), et incepit liberare (13, 5) Israel de manu Philistaeorum, quos David demum conterere poterat (Eccli. 47, 8). Quod Samson plene non liberaret Israelem, tum ejusdem libido ac Naziraeatus inde laesus, tum populi discordia in causa erant Repraesentavit autem charactere suo naturali Israelem κατὰ σάρκα (ad idola conversum), divino spiritu repletus et ut naziraeus Israelem κατὰ πνεῦμα, Deus per vitam et facta Samsonis docere voluit Israelem tantum in unione cum Deo (theocraticum) praevalere hostibus, ablata autem sanctitate per cultum idolorum deficere ideoque eum pudore affectum ad meliora provocare intendit. Fortitudo Samsoni supernaturaliter erat indita, sed cum pacto, quod votum suum stricte observaret; non erat effectus comae, sed coma servata erat conditio externa vel signum Naziraeatus servatique pacti divini. Ideo, cum poenitentiam egerit et regulam vitamque Naziraeatus servaverit, Deo reconciliatus, coma paullatim crescente, donum fortitudinis recuperavit. Samson se occidendo non peccavit; nam *a)* directe intendebat Philistaeos occidere, se vero permissive eadem clade, quam evadere non poterat; *b)* non privatam tantum ultionem agebat, sed, qua judex et vindex populi, eam ad Dei honorem et reipublicae bonum referebat; *c)* a Deo supernaturaliter adjuvabatur et *d)* quia morte sua, qua emit vitam civium, expiabat maculas suas. Quia Samson a s. Paulo (Heb. 11, 32) viris A. T. fide plenis adnumeratur, jam multi Patres et scriptores (Bernardus, De praec. et disp. cp. 3, Augustinus, C. D. 11, 26, Serarius, Quaest. 31, 32, Bonfrerius, in Jud. 16) characterem ejus moralem defendere studuerunt. Ceterum facta ejus ex odio contra Philistaeos, populi sui hostes, ideoque mediate e zelo theocratico, Israelem salvandi, explicanda sunt, quin tamen ipse in mediis ad finem obtinendum selectis felix fuerit. Samson, spiritu divino repletus et moriendo hostes vincens, typus Christi est, consentientibus s. Augustino (serm. 364 al. 107. de temp.); s. Ambrosio (ep. 19 n. 32), s. Paulino (ep. 40), s. Ephraemo (orat. in mulier. imp.), cavendum tamen, ne in singulis ejusdem vitae momentis typum Christi quaerere

studeas. Quamvis factis heroicis Samsonis aequiparari soleant facinora mira Herculis graeci, tamen illum huic aut Herculi Phoenicum aut heroi solis comparare, ideoque narrationem biblicam inter mythos relegare (G. Roskoff, Die Simsonsage u. d. Heraklesmythus. Lpz. 1860), vanum est. Nonnullis placuit opinio, facta Samsonis, per Philistaeos aut Phoenices inter Graecos divulgata, per hosce suis mythis applicata fuisse. Cf. Zapletal, Bibl. Samson 1906.

2) De chronologia Judicum cf. Köhler, Lehrb. d. Bibl. Geschichte A. T. II. 1. p. 35. seq. et infra tabulam synchronisticam. F. Meyer, D. Proph. Samuel. Berl. 1905.

§. 39. Liber Judicum.

1) Liber dispescitur in: *a)* introductionem (1, 1—3, 7, in qua prospectus status politici terrae Chanaan ante aevum Judicum et momenta interna evolutionis populi et revelationis divinae proponuntur; *b)* in historiam rerum principalium ab obitu Josuae usque ad mortem Samsonis[1]) (3, 8—16), ad illustrandam veritatem, fata populi accurate respondere relationi ejusdem ad Deum et legem[2]); *c)* et appendicem (17—21), continentem quaedam facta singularia, quae paulo post mortem Josuae contingerunt[3]) et characteri hujus aevi depingendo (17, 6; 21, 24) inserviunt.

1) Non fit mentio in libro Judicum neque Heli, qui proprie non erat judex heros, nec Samuelis, quia cum hoc novum aevum incipit; nam operatio Samuelis praeprimis munere prophetico absolvebatur: praeterea neuter in persona expeditionem bellicam suscepit.

2) Scopus libri vere theocraticus est; exhibet enim illustre documentum foederis et providentiae Dei, qui populum obedientem beneficiis cumulavit, idololatria autem et peccatis degenerantem paternis castigationibus ad meliorem frugem revocavit; hinc ex historia Israel selegit auctor illa tantum facta, quae justitiam divinam maxime illustrant. Augustinus (CD. 18. 13; 16, 43): *Temporibus Judicum, sicut se habebant et peccata populi et misericordia Dei, alternaverunt prospera et adversa bellorum.*

3) Enarratur introductio idololatriae in tribu Ephraim per Michae Ephod (17), Danitarum expeditio, et urbis Lais expugnatio ac lapsus in idololatriam (18), tribus Benjamin stuprum (19), excidium (20) atque restauratio (21).

2) Auctor libri ignotus est; verisimiliter opus primis annis regni Saulis conceptum fuit a Samuele, qui, praeter traditionem oralem, variis fontibus et scriptis (coaevis) fide dignis fideliter usus, materiam scopo suo convenientem collegit.

Unum eundemque auctorem totius libri requirunt stylus et scopus. Hausit auctor materiam e variis fontibus, qui jam ex variis linguisticis proprietatibus cognoscuntur; sic v. g. canticum Debborae continet archaismos; in historia Gedeonis saepe (6, 17; 7, 12; 8, 26) שׁ pro אֲשֶׁר usurpatur, et phrasis: *spiritus Domini induit Gedeonem* (6, 34), collata cum: *irruit spiritus Domini in Samson* (14, 6, 19; 15, 14). Praesto ipsi erant probabiliter annales et scripta coaeva v. g. parabola Joathami, quae substantialiter immutata in suum opus transsumpsit, et varia monumenta: locus Bochim (2, 5). palma Debborae (4, 5). Ramath Lechi (15, 17) et alia. Idem auctor praemisit introductionem et adjunxit appendicem; utraque enim scopo libri convenit; demto exordio truncus acephalus remaneret. Quod autem facta, in appendice relata, historiae libri continuae non inseruerit, sed in limine adjecerit, e peculiari eorum charactere relate ad argumentum libri est explicandum; sunt enim quaedam prolixiores illustrationes status politici et religiosi de aevo Judicum. Saule regnante librum conscriptum fuisse, patet *a)* ex nota (1, 21), Jebusaeos cum Benjaminitis in Jerusalem habitasse usque in praesentem diem, nam David eos ex castello Jebus expulit (2 Sam. 5, 6); *b)* e loquendi modo: *in diebus illis non erat rex in Israel, et unusquisque, quod sibi rectum videbatur, facie-*

bat (17, 6; 18, 1, 31; 21, 24), quod supponit, tempore auctoris in Israel jam fuisse introductum regnum cujus beneficiis populus fruebatur, quod autem nonnisi primis annis regiminis Saulis obtinuit; *c)* exinde, quia non fit mentio nec Heli nec Samuelis. Recte itaque Talmud (Bab. bathra 14 b), plerique Rabbinorum, traditio christiana (Isidorus, De eccl. off. 1, 12) et plurimi docti catholici (Herbst-Welte, Kaulen, Vigouroux, Clair, Cornely, Hummelauer) Samuelem auctorem libri Judicum designant. — Quidam conscriptionem libri reponere volunt in tempus post coeptum exilium assyriacum, provocantes ad 18, 30, ubi de captivitate sermo est; attamen sub hac non captivitas assyriaca, sed captura arcae per Philistaeos (1 Sam. 4, 21. Ps. 77, 60, 61), vel aliud factum ignotum intelligi debet. Moderni critici more suo varios libri auctores statuunt, provocantes ad contradictiones, diversas sententias religiosas diversamque dictionem, quas ibi invenisse videntur. Has difficultates diluit Cornely l. c. I 215 seq.

3) Fides historica ex argumentis tum externis, tum internis evincitur[1]); hinc Judaei ejus divinitatem semper agnoverunt et librum in canone suo numerarunt[2]); Ecclesia autem statim ab initio eum inter protocanonicos recensuit. Versio Vulgatae a textu hebraico saepius dissonat, quia s. Hieronymus hunc liberius vertit[3]).

1) Liber noster intime cohaeret cum literatura hebraica; nam supponit facta plura, in Pentateucho et libro Josue relata (2, 1—3, 15; 11, 13 seq.; 13, 5; 20, 26), et argumentum libri Judicum rursus in aliis libris adducitur (1 Sam. 12, 9—11; 2 Sam. 11, 21: Neh. 9, 27; Ps. 77, 56; 82, 10 seq.; 105, 34 seq.; Is. 9, 4; 10, 26. Act. 13, 20; Heb. 11, 32 seq.). Expugnatio urbium Philistaeorum 1, 18 non excludit earum posteriorem amissionem (3, 3); occupatio urbis Jerusalem (1, 8) non postulat plenariam incolarum caedem (v. 21). Absurda est criticorum objectio, qua artificioso quodam nexu religioso auctor historiam adulterasse accusatur, quippe quae eundem semper in orbem (idololatria, oppressio, poenitentia, liberatio, quies) circumagatur. Alias difficultates vide apud Herbst II. 1. §. 30. Liber quidem multa facta mirabilia adducit, quae autem non sunt incredibilia, nisi eis, qui negant, miracula a Deo fieri posse, et ex circumstantiis illius aevi explicari debent. Ceterum textus etiam quibusdam mendis laborat. Kaulen, Einleitung, 183.

2) Siracides (46, 13—15) judices celebrat, Psalmistae (Ps. 82, 10; 105, 34—46) singula facta narrata commemorant, Isaias (9, 4; 10, 26 col. Jud. 7, 22, 25) Madianitarum cladem in memoriam revocat. Omnes hi auctoritatem libri hujus canonicam supponunt. Canonicitati ejus non obest, quod nonnulla fideliter narrat (Jahel, Samsonis), quae legibus moralibus non consentiunt, nam ea non approbat auctor.

3) Sic v. g. nomina quaedam propria explicat (1, 11, 17; 10, 4; 12, 6 etc.), vel unam vocem hebraicam duabus reddidit latinis synonymis (4, 21; 6, 11; 7, 21; 8, 11 etc.), vel addit alia, ut sensum reddat, clariorem (2, 18, 19; 7, 11; 9, 25 etc.) cf. Hummelauer l. c. — Comment: Hummelauer 1888. — Neteler, B. d. Richter, 1900. — Lagrange, Par. 1903. — Acath.: Oettli (Strack), 1893. — Budde-Marti 1897. — Nowack 1900. — G. Moore. Edinb. 1903.

§. 40. Liber Ruth.

1) Liber (4 capitibus) gesta Ruth Moabitidis complectitur. Elimelech, vir Bethlemita, cum uxore Noemi et duobus filiis (Mahalon et Chelion) famis causa in terram Moab migravit. Defuncto patre filii ejus duxerunt uxores moabiticas, Orpham et Ruth. Noemi, filiis orbata, una cum Ruth, indivulsa fidei et vitae comite, in Bethlehem rediit, ubi haec, colligendo spicas socrui providebat ejusdemque suasu (prospero rerum successu) jure leviratus Booz

nupsit, atque ei filium Obed, avum Davidis, peperit. Historia haec tempore Judicum[1]) contigit et veluti appendicula libri Judicum est.

1) Sub quo judice (1, 1) haec historia contigerit, divergunt interpretes; alii putant sub Samsone, alii Gedeone, alii (Lamy) Aod, alii (Josephus Ant. V. 9, 1 et Herbst) Heli judice. Plerique Judaeorum olim librum Ruth cum libro Judicum, cujus appendix est, conjungebant, ut constat ex Josepho, qui 22 libros canonicos A. T. numerat, ex Origene (Euseb. hist. eccl. 6, 25), Cyrillo Hieros. (Cat. 4, 36) et Hieronymo (Prol. gal.): *In eundem librum (Judicum) compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta narratur ejus historia.* Ast Melito (Euseb. h. eccl. 4, 26) et Athanasius (Ep. fest. 39) adducunt: Κριταὶ Ῥούθ, et Concilium Hippenense, Canones apost. (85.), Epiphanius (De pond. et mens. 22): τῶν Κριτῶν ἓν, τῆς Ῥοὺθ ἓν. Tempore LXX interpretum liber Ruth inter libros historicos collocatus apparet, serius autem inter hagiographa et specialiter inter Megilloth (cum Cantico Lamentationibus, Ecclesiaste et Esther) recensebatur, utpote in solemnitatibus Pentecostes praelegendus. A Talmud inter Kethubim primo loco ponitur, prologi instar ad subsequentem librum Psalmorum Davidis (Fürst, Kanon 1868, 63). Recte in LXX, Vulgata et recentioribus versionibus locum inter librum Judicum et libros Samuelis occupat; nam factum ad tempora Judicum pertinet et quodammodo hunc librum supplet, docendo, pietatem et fidem ipsos idololatras in Deum adducere, dum e contra appendix libri Judicum (17—21) narravit, quo idololatria et discordia populum adduxerint, simul tamen exordium est librorum Samuelis et historiae Davidis vestibulum.

2) Scopus libri, uti e fine ejus patet, primarius erat, Davidis regis et Christi, e Davide progeniti, prosapiam explicare[1]), nec non religionem majorum ejus urgere, simulque ostendere, quomodo etiam gentiles, fidei (1, 16: *populus tuus populus meus et Deus tuus Deus meus*) et patrocinio Jahvae (2, 12: *sub cujus confugisti alis*) se committentes atque morum gravitate excellentes, gratiae divinae participes fierent[2]).

1) Auctor in fine libri paucis deducit prosapiam a Phares, filio Judae, usque ad ipsum Davidem, qua usus est Matthaeus (1, 5). Cum enim tota Scriptura Christum tanquam finem spectet, per quem benedicendae sunt omnes gentes, voluit jam generis seriem indicare, ut eum, quum advenisset, homines possent agnoscere. Sine dubio auctor etiam prosapiam Davidis (Ruth) contra incriminationes asseclarum Saulis defendere voluit. Docente Hummelauer finis primarius libri est laus pietatis.

2) Ruth Moabitis mirabili Dei providentia ad populum electum adducta, tam praeclaris virtutibus excellit, ut merito inter avias et progenitrices Davidis et Christi in genealogia recenseatur. Implantatio harum mulierum, origine ethnicarum (Thamar, Rahab), prosapiae electae superbiam nationalem Israelitarum flectere eisque in memoriam revocare debuit Abrahae promissum: in semine ejus omnes generationes terrae esse benedicendas, nobisque, ut ait Hieronymus, persuadere, Christum non esse dedignatum, e peccatoribus nasci, qui ad peccata delenda venerat. De charactere eximio mulierum Noemi et Ruth confer Zschokke. Bibl. Frauen §. 20. De typico et ethico libri charactere confer Schenz, Einl. p. 117.

3) A quonam auctore aut quonam tempore conscriptus fuerit liber Ruth, non constat. Ex fine libri, in quo Davidis mentio ingeritur, concludere licet, ejus conscriptionem reponendam non esse ante initia Davidis regis. Sententia Talmudistarum, Samuelem esse auctorem, a plerisque interpretibus retinetur.

Mentio Davidis, qui tamen non nominatur rex, supponit, eum tempore conscriptionis libri jam attentionem omnium excitasse, utpote in regem unctum. Regnum jam in Israel introductum fuisse, patet ex 1, 1: *In diebus judicis, quando judices praeerant.* Sententiam, Samuelem non esse auctorem libri, confirmant moderni critici archaismis et chaldaismis in

libro obviis, qui tamen, quum in solis colloquiis (1, 13; 2, 8; 3, 3, 4) leguntur, ex familiari lingua (moabitica) earum repetendae sunt, non autem a captivitate babylonica. Samuelem auctorem libri habent Talmud (Bab. bath. 14[b]), Schenz, Cornely l. c. 234, Hummelauer 359. Fr. Herrmann, B. Ruth. Lpz. 1904.

4) Auctor nec idyllium, nec poëma fingere voluit, ut Rationalistae putant, sed veram historiam sine poëtico ornatu conscripsit; nam ita candide, accurate et absque fuco omnia refert, ita ingenue omnia, quae tempori, locis et personis conveniunt, describit, ut sincerus et fide dignus appareat; quare Judaei et Christiani hunc librum semper inter protocanonicos numerabant.

Liber non fuit conscriptus ad commendandum leviratum, uti Benary (De Heb. lev. 1835) putat, nam hic antiquus mos semper in Israel viguit, nec ad gloriam familiae davidicae ampliandam fictus est, ut Eichhorn somniat; nam si auctor fingere voluisset, is Ruth, ex prava Moab stirpe oriundam, certe non fecisset Davidis progenitricem et plura alia tacuisset vel aliter retulisset; e contra omnia, quae ad convictus domestici consuetudinem refert, spirantem quasi antiquitatis vultum produnt.

Comment: Hummelauer 1888. — Acath.: Oettli-Strack 1889. — Bertholet-Marti 1898. — Nowack 1900.

Caput secundum.

A Samuele usque ad schisma (1071—933).

§. 41. Samuel et Saul rex (1051—1011).

1) Temporibus illis, quibus Israel ad hostibus coarctabatur et centrum religionis Silunte (Ps. 77, 18) erat dimotum. Samuel Heli loco munus judicis subiit. Ut Israelitas Deo reconciliaret, idola auferri jussit, et, ut eos consolidaret, concives suos ad comitia Masphath (Mizpae, Neby Samwil) congregavit et sacrificio oblato expiavit. Hanc manifestatam unionem nationalem Philistaei aegre ferentes aggrediebantur Israelitas, ast Deo pro Israel pugnante caesi sunt, ita, ut Samuele vivo nihil adversi amplius in Hebraeos molirentur. Bello confecto, Samuel judiciis administrandis et reipublicae regendae penitus incubuit, imo (non sine motu divino) Ramathae[1]) altare aedificavit, Galgalis, Bethele sacrificia obtulit[2]), pro populo oravit, et oratione sua beneficia larga eis obtinuit (1 Sam. 7).

1) H. e. Rama, nunc er-Ram, ubi Samuel natus est (1 Sam. 1, 19), judicavit (7, 17), mortuus et sepultus (25, 1) est.

2) Samuel, etsi ex genere et prosapia dumtaxat esset Levita, subinde tamen ex dispensatione Dei sacrificavit, Saulem et Davidem in regem unxit, ideoque a multis ss. Patribus sacerdos vocatus est. Necessitate poscente etiam in diversis locis sacrificia obtulit (vel offerri curavit).

2) Avaritia filiorum Samuelis degenerum Israelitis, regiminis theocratici jam pertaesis, occasionem dedit, aliarum nationum instar regem postulandi. Samuel, id aegre ferens, rem ad Deum retulit, qui ipsum populi voluntati acquiescere jussit, denuntiato tamen prius cum regio jure tum ejus abusu; exposuit enim, quam durum foret regium regimen et gravia onera reges eis essent imposituri, ut populum a voto deterreret. Quum autem Israelitae a rege petendo non desisterent (Cap. 8), Samuel jussu divino

Saulem Benjaminitam ad se divertentem, oleo super caput effuso in regem[1]) unxit, quem populus Mizpae congregatus approbavit (Cap. 9, 10). Victoriâ a Saule de Ammonitis reportata, Samuel, favore populi erga eum usus, ad comitia Galgalis cives congregavit, ut denuo Saulem regem confirmaret (Cap. 11). Tali modo, munere Judicum abrogato, dignitas regia in Israel introducta fuit anno circiter 1051. Antequam tamen Samuel munus suum abdicaret, Saule rege constituto, innocentiae suae testem Jahvem et populum invocavit, sermone apologetico concives de ingrata et intempestiva petitione convicit, quod Deus ipse signo (tonitru et pluviis in aestate) approbavit. Dein oratione consolatoria eis fidelitatem erga Deum inculcavit, ut in se et in regem largam divinae benedictionis, munificentiam deducerent, et promisit, se non quidem amplius qua judicem, ast prophetam[2]) nunquam destituturum, quin pro eis preces impenderet. Tali modo Samuel reformator et restaurator reipublicae hebraicae exstitit ac futurae regni fortunae fundamenta jecit (Cap. 12).

1) Theocratiae tenore Deus ipse erat rex populi, minime tamen illâ regimen visibile et repraesentativum erat exclusum; nam vi promissionis divinae (Gen. 17, 6, 16; 35, 11; 49, 10 col. Dt. 28, 36) reges e semine Abrahae erant prodituri, Moyses ipse intuitu regni futuri prophetico legem regiam (Dt. 17, 14—20) tulit, vi cujus rex legi theocraticae erat subjectus, imo ex ordine regio, si modo vitium aliunde non accesserit, multa fluxerunt populo commoda: major concordia et unio singularum tribuum, gravior firmitas et auctoritas regni apud exteros et magnum fulcimentum contra invalescentem idololatriam. Dignitas porro regia, quae ad munera messiana (Ps. 144, 13; Luc. 1, 32) necessario pertinebat, eodem modo, quo pontificalis propheticaque, evolvenda et typice praefiguranda erat; regno introducto respublica hebraica summum attigerat evolutionis suae culmen, praeprimis Davide et Salomone regnantibus tanta fuit rerum prosperitas et civium incolumitas, ut illius memoria nulla calamitate deleri potuerit. Israelitae Dt, 17, 14 innixi regem petunt, quemadmodum universae nationes habent (1 Sam. 8, 5), nec ipsi eum eligere volunt, sed (Dt. 17, 15 convenienter) Deo per Samuelem electionem transmittunt (10, 24). — Nihilominus tamen votum hoc Jahvae displicuit (8, 6—8), non ac si ordo regius in se ingratus esset ipsi, sed quia Israelitae tempore, ratione, ac motivo, quo regem poposcerant, peccarunt: petierant enim regem ante tempus, quo Deus statuerat; dein petito haec, e taedio theocratiae exorta, in contemptum regiminis divini cessit (col. 8, 19 seq.), ac si Jahve non esset rex idoneus saluti eorum stabiliendae — *me abjecerunt, ne regnem super eos* 8, 7 — ideo et Samuel hanc petitionem (12, 12), minime vero munus regium (v. 13, 14) reprehendit. Quamobrem Deus, petitioni intempestivae cedens, regem elegit non quidem secundum cor suum, sed juxta desideria populi (12, 13), non e tribu Juda, sed ex alia tribu, virum staturâ sua universo populo altiorem (10, 23), quo projecto Deus ipse Davidem secundum cor suum (13, 14) e tribu Juda et natu minimum (16, 7, 11), cor intuens et non vultum nec staturae altitudinem, in regem designavit. Quare totum Saulis regnum, inde ab ipsa ejus electione insignitum erat sigillo reprobationis; nam ut ait s. Augustinus (in Ps. 51): *Saul secundum populi cor durum et malum datus est ad eorum correptionem, non ad utilitatem.* Rex Hebraeorum juxta voluntatem divinam et legem regni a Samuele scriptam et in sanctuario repositam (10, 25), non autocraticus, sed theocraticus esse opportuit; erat enim vicarius tantum Jahvae, in cujus nomine (1 Par. 17, 14: *in domo mea et in regno meo*) jus dicebat. Itaque Deus instituit modum eligendi et ordinavit, qualiter se habere deberent reges instituti ad seipsos, ad Deum atque ad subditos suos (Thomas, 1, 2. q. 105. a. 1.).

Ne tamen rex ad arbitrium suum populum regeret, et potestatis sibi creditae limites transgrederetur, simul ordinem propheticum instituit Deus; prophetae enim tanquam internuntii divini, custodes regiminis theocratici a Deo instituti sunt, qui, independentes a rege,

munere suo fungebantur et omnibus actionibus regum ad exilium usque invigilabant, ne exorbitarent, neve imitantes exemplum regum gentium, potestatem absolutam exercerent eoque throno et gratia divina indigni redderentur. Hunc in finem primi reges per prophetas jussu Dei constituebantur, oleo (sacro 3 Reg. 1. 39; Ps. 88, 21) ungebantur et in munere suo confirmabantur. Unctio haec (probabiliter in quovis rege iterata) symbolum erat electionis seu consecrationis divinae, vi cujus rex in nomine Jahvae munere fungebatur et unctus inviolabilis ac sacrosanctus habebatur (1 Sam. 24. 7, 11; 2 Sam. 19, 21), et speciatim effusionis gratiarum Spiritus divini (1 Sam. 16, 13), quibus armatus et repletus juste, digne ac fortiter populum regeret.

2) Regno in Israel introducto simul prophetismus, qui hucusque (Num. 11, 17, 25; Dt. 13; Jud. 4, 4; 5; 1 Sam. 2, 27) raro, singulis in casibus tantum apparebat, tanquam fermentum reipublicae hebraicae spirituale et permanens erat stabiliendus, quia sacerdotium degeneraverat. Samuel, mysteriorum coelestium praeco ac prophetarum stabilium caput (Act. 3, 24), ad sapientiam, una cum religione collapsam, excitandam foedamque ecclesiae faciem restaurandam, scholas propheticas instituit, in quibus juvenes (filii i. e. discipuli prophetarum) in lege divina erudiebantur et ad munus propheticum quasi praeparabantur. Quoniam vero prophetia ipsa et electio ad hoc muous non ab arte, sed unice a Dei vocatione gratiaque dependent, hae scholae erant collegia, in quibus alumni studio legis, scientia rerum divinarum, zelo theocratico et exercitiis sincerae pietatis devotionisque imbuebantur, ut tali modo apti redderentur ad extraordinarios spiritus divini motus recipiendos dignique, quibus Deus revelationes largiretur, vel ut saltem apti doctores populi ac probi ecclesiae antistites instruerentur. Scholae illae altera ex parte incunabula et seminaria artis musicae vocalis et instrumentalis (1 Sam. 10. 5), poëticae et historiographiae sacrae considerandae sunt, et florebant praeprimis Ramae (1 Sam. 19, 19, 20), Jerichunte (4 Reg. 2, 5), Bethele (2, 3), Galgalis (2, 1; 4, 38). Discipuli, saepe in magno numero (2, 5; 4, 43), utebantur eadem domo (6, 1), eodem victu (4, 38), simplice (piloso) vestimento (4 Reg. 1, 8), et a magistris suis nonnunquam tanquam nuntii prophetici ablegabantur (9, 1). Hinc s. Hieronymus (ep. 105 ad Rust; 58 ad Paul.) scholas propheticas cum monasteriis, alii (Vitringa, Hering, Herzfeld, Gesch. II, 45) cum academiis comparabant. Ceterum non omnes prophetae ex his scholis progressi, sed multi immediate a vita domestica ad munus propheticum vocati sunt (3 Reg. 19, 19). Maxime florebant Samuelis, Eliae et Elisei tempore. His comparari licet societates Joannis Baptistae cum discipulis et Christi cum Apostolis suis.

Confer Knobel, Proph. II, 39. — Vitringa, De synag. veter. I, 2, 7. — Hering, Schulen d. Propht. Bresl. 1777, 34. — Küper, Proph. 96. — G. R. Kranichfeld, De iis, quae in A. T. commemorantur prophet. societat. Berol. 1861 (p. 2 vide literaturam).

3) Saul, mox muneris sui theocratici immemor, in bello contra Philistaeos, cum populum a se fuga dilapsum videret, mora impatiens, contra mandatum divinum adventum Samuelis non expectavit atque sacrificia (per sacerdotes) obtulit. Sacris peractis venit Samuel, et regem, sibi occurrentem, redarguit[1]) regnumque in familia ejus non permansurum denuntiavit (Cap. 13). Cum Philistaei castra Gabaam transtulissent, Jonathas cum armigero ea ingressus, hostibus stragem ingentem edidit, quo viso, Saul advolans cum exercitu plenam de Philistaeis victoriam reportavit, qua occasione Jonathas propter votum patris intempestivum discrimen mortis subiit, e quo intercessio populi eum eripuit. Philistaeis ad occidentem et Ammonitis ab oriente devictis (Cap. 14), Amalecitas in austro, Samuele mandati divini interprete irruit fugavitque; quum autem, contra mandatum Jahvae, regi Amalecitarum Agag parceret, et praedam opimiorem sibi reservaret, talique modo anathema in Amalecitas pronuntiatum laederet[2]), Samuel Dei irati sententiam

de ejus reprobatione[3]) ac familia ejus a successione excludenda denuntiat, regem sese excusantem graviter vituperat, *obedientiam meliorem esse, quam victimas* ait, et, zelo theocratico incensus, Agag coram Saule manu sua in frusta concidit, quo facto a Saule rege in perpetuum recessit ejusque rejectionem amare deflevit (Cap. 15).

1) Saul in eo peccavit, quod ipse diremerit quaestionem nonnisi a propheta (10, 8) dirimendam; laborabat pusillanimitate et rem pro perdita habebat, nec sufficiebat ei divina promissio. Carebat timore et fiducia, quam Deus a regibus postulaverat (12, 24 seq.).

2) Saul mendaciis obvolvitur, laetitiam bonae conscientiae fingit, prophetam verbis decipere conatur, reprehensus praetextum religionis effingit, culpam in populum devolvit, ad delicti confessionem tandem adigitur, nullo sincerae contritionis motivo, sed timore regni amittendi. Hummelauer, Com. p. 164.

3) Saulem, propter nonnullas imperfectiones, quae parvae esse videantur, rejectum, nempe quod sacrificaverit, quin Samuelis adventum exspectaret (1 Sam. 13, 9), quod ex avaritia aut ambitione anathema executus non fuerit (15, 9, 24) et in deserto Juda (Carmel) fornicem triumphalem (15, 12) erexerit, nimis dure tractatum fuisse, pluribus (Winer II, 392) visum est; ast praeter praeclaras dotes: fortitudinem, generositatem, ostendit etiam animum levem, profanum, mandatis divinis non ita, uti regem primum decebat, morem gerentem; vir bellicosus, ambitiosus, imo crudelis bella gessit, non tam auxilio divino fretus ac religionis causa, sed propria virtute nixus, et ad gloriam suam ampliandam. Externos religionis ritus quidem servavit, in quantum hi utilitati propriae serviebant, muneri tamen ipsi non convenienti se immiscuit, imo prophetas persecutus talique ratione terminos, lege divina praescriptos, sponte est transgressus. Hinc, dignitate sua indignus, a Jahve eo durius erat puniendus, quo magis in eo, utpote primo rege, idea regni theocratici erat repraesentanda. Poena ipsi inflicta talis erat, qualis successores a simili gerendi ratione deterreret. De vestigiis in mythologia confer Fourrière, Revue myth. l. c. 1892 seq.: Agamemnon et Saul.

4) His peractis, Dominus inter octo filios Isai (Jesse) Bethlemitae filium natu minimum, Davidem, elegit et per Samuelem in regem Israel ungi jussit. Oleo sacro, quo illiniebatur caput, spiritus divinus mox animum Davidis replevit. Nondum tamen ei regnum dedit, sed interim ad curam pastoritiam eum remisit. Abhinc spiritus Dei consortium Saulis aversabatur eumque spiritus malus occupabat, ad quem abigendum David, musicae peritus, in aulam regiam accersitus et, cum regi placeret, ejus armiger factus est (Cap. 16).

David pascendis gregibus vacavit, arte lapides funda projiciendi clarus, ac musices peritus fuit, fidibus canens. Inspiravit autem Deus ei donum prophetiae, raram in canendo et ad numeros componendo carmina peritiam, virtutem et fortitudinem. Eligendo Davidem e tribu Juda in regem adimplevit Deus promissum suum Gen. 49, 8 seq.

§. 42. Saul et David.

1) Novo bello cum Philistaeis exorto, David injuriam, Israelitis illatam, ulturus, sumtis baculo et funda, fide plenus: *venio in nomine Domini exercituum, quem exprobrasti,* Goliath Philistaeum devicit et abrepto ipsius gladio caput abscidit, Israelitis hostes usque Accaron persequentibus. Factum hoc, e zelo theocratico patratum, indolem et futuram Davidis gloriam praesignificavit. Victoria, praeprimis autem mulierum cantus, causa erat odii inter-

necini Saulis, amicitiae vero devinctissimi Jonathae erga Davidem[1]). Quamvis Micholis matrimonio gener regis factus, tamen odium ejus non extinxit, imo Saul occasionem eum occidendi quaesivit. Nova clade Philistaeis illata, rex furiosus Davidem psallentem hasta confodere tentavit, quam motu corporis declinavit; a satellitibus regiis ad supplicium quaesitus, arte vero conjugis servatus, David ad Samuelem in Rama fugit anno circiter 1021. Hac de re certior factus Saul satellites capturos Davidem mittit, sed frustra; quare ipse illuc tetendit et spiritu divino (ultima occasio conversionis) correptus fuit (Cap. 18; 19). A Jonatha omnia edoctus[2]), David, insidias Saulis timens, in Nobe ad Achimelch sacerdotem venit, ab eo panes propositionis gladiumque Goliath accepit indeque ad Achim, Philistaeorum regem, cujus violentiam declinavit, insaniam simulando (Ps. 33 et 55), dein in Odollam speluncam et exinde ad Moabitas aufugit. Adhortante Gad propheta in Juda rediit. Saul (per Doeg Idumaeum) de humanitate Achimelechi certior factus (Ps. 51), exitium capitale in hunc ceterosque sacerdotes induxit, salvo tantum unico Abiathar, Achimelechi filio, qui cum oraculo sacro Davidem adiit (Cap. 20—22).

1) Victor caput Goliath per plures civitates circumtulit et tandem Hierosolymae trophaeum reliquit, ut Jebusaei, arcem tenentes, eo viso percellerentur, gladium vero Nobae in sacro tabernaculo deposuit. Dum Saul laudem et victoriam Davidis tanquam suam ignominiam duceret, Jonathas, patri dissimilis, fortitudinem Davidis cum pietate conjunctam cernens, eum diligere coepit, sicut animam suam, et intimo sincerae amicitiae vinculo ipsi consociatus est. Rex, invidiam specie honesta tegens, Davidem tanquam praefectum ablegat ad frequentes expeditiones bellicas, promittendo ei nuptias cum filia majori natu Merob, non quidem sincero animo; nam adveniente conjugii die promissam victori sponsam denegavit, promisit autem ei alteram filiam Michol, si pro dote centum caesorum Philistaeorum praeputia afferet, qua in re eum hostibus summe odiosum reddere volebat. David duplicavit dotem et tandem nuptias ab illo, licet invito, impetravit.

2) Quum David de Saulis inclementia conquereretur, Jonathas, amicum solatus, aeternam amicitiam ei promittit omniaque fausta ei precatus est, non ignorans ejusdem electionem et unctionem. Cum cognovisset, quod pater eum caedi destinaverit, urget Davidem, ut statim discederet, et petit, ut meminerit pacti, quod sempiternum antea esse voluerunt. Alterutrum deosculati collacrymarunt, praeprimis David, qui videbat, sibi transmigrandum esse ad exteras regiones.

2) David in urbe Ceila, tribus Juda, e Philistaeis hostibus liberata habitavit, non tamen diu, nam, Saule ipsum persequente, vagus et profugus incertis sedibus erravit (Ps. 90). Delitescentem in deserto Ziph (Ps. 53) invasio Philistaeorum e manu Saulis eripiebat (Cap. 24; Ps. 56), qui generositatem Davidis, parcendo ipsi, tum in aviis Engaddi (Cap. 24; Ps. 56), tum serius in deserto Ziph (Cap. 26) patefactam, confiteri est coactus verbis: *Justior tu es, quam ego.* Inter has Davidis persecutiones Samuel[1]) placide et cum planctu omnium diem supremum obiit. Patre spirituali orbatus David in desertum Pharan[2]) et Ziph, atque exinde in Philistaeam ad regem Achis aufugit oppidumque Siceleg ad habitationem (1013—1011) obtinuit (Cap. 27). Achis, Israelitis bellum illaturus, Davidem comitem sibi junxit, dissuadentibus autem principibus eum e castris remisit. David Amalecitas, qui ipso absente Siceleg exusserant, clade vicit eorumque praedam recuperavit. In-

terea Saul a Philistaeis in valle Jezrael in angustias redactus, ipse, qui initio regiminis praestigiatores, magos et hariolos e regno suo ejecerat (28, 3, 9), mulierem quandam pythonissam Endorensem adiit, ut Samuelem mortuum arte magica adduceret. Justo Dei judicio Samuel e tumulo apparet[3]) et ipsi filiisque ejus mortem proximam annuntiat: *cras tu et filii tui mecum eritis,* quae verba etiam eventus probavit. Exercitu Israelitarum prope montem Gelboe caeso ac profligato filiisque occisis, Saul[4]) in gladium suum incubuit (Cap. 28—31). David Amaleciten. qui diadema et armillam regis atulit et regem a se occisum esse gloriabatur, trucidari jussit, et, in dolorem[5]) ob Jonathae et Saulis occisionem solutus, obitum utriusque lesso praeclarissimo deploravit (2 Sam. 1).

1) Samuel qua naziraeus, Levita, propheta, judex et historiographus (1 Par. 29, 29) optime meruerat, et precibus suis multa a Deo obtinuit (1 Sam. 7, 9; 8, 6; 15, 35 seq. 16, 1 seq.), ideo eum summis laudibus celebrat Siracides (46, 16—23).

2) Cum David in deserto Pharan degeret, Nabal virum divitem, qui greges suos tondebat, precibus adiit de cibi subsidio, quas iste non solum inurbane rejecit, sed et contumeliis Davidem affecit. Hac petulantia excitatus, David ipsum et totam familiam evertere decrevit. Abigail autem, prudens Nabalis stolidi conjux, cum has res rescivisset, oneratis commeatu jumentis Davidi obviam it, ignorantiam conjugis excusat, humillime petens, ut oblata accipiat. David Deo et Abigail benedixit eamque, cum paulo post Nabal justo Dei judicio mortuus est, sibi matrimonio junxit.

3) Apparuit verus Samuel, sive in corpore, sive extra corpus, non autem phantasma, vel spectrum, uti putant multi acatholici, aut umbra vel imago illusione daemonis effecta, quemadmodum docent multi ss. Patres et scriptores antiqui; apparuit non quidem fraude vel arte pythonissae, sed sola virtute et voluntate divina, secundum interpretationem communem, et recte quidem; nam Samuel a Deo suscitatus praevenit incantationes mulieris et statim roganti Sauli se sistit sub specie (pallio coopertus), quam vivus habuerat; ideo perturbatur mulier, quae vidit, Samuelem apparuisse, antequam evocaretur. Permisit autem Deus hanc apparitionem, ut Samuel jam mortuus *exaltaret vocem suam de terra* et prophetaret interitum Saulis, cujus rejectionem vivus praedicaverat (Eccli. 46, 23). Erat ultimum monitum, quo se suosque salvare posset, si vellet. Saul ergo erat (col. 1 Sam. 28, 15) tantum occasio, Deus autem causa efficax suscitationis Samuelis. Analogam apparitionem habes Moysis et Eliae in transfiguratione Christi (Matth. 17, 3. Luc. 9, 30). Ita ss. Patres et Theologi catholici. Confer Hummelauer, Com. Sam. p. 284 seq.

4) Saul mandatis divinis et monitis Samuelis non obediendo semper in pejus ruebat, persequendo Davidem innocentem, sacerdotes injuste occidendo ac religionem spernendo, odium ipopuli ncurrebat et regno theocratico indignum se monstrabat, donec, a Deo penitus rejectus, non tantum thronum amisit, sed et infelicem diem obiit. E contra generositas, quam David erga Saulem persecutorem saepius ostenderat, amicitia illius cum Samuele, qui summa fruebatur auctoritate, religiositas ejus profunda, quae utique causa erat consortii sui cum sacerdotibus, quorum Achimelech ei panes et gladium tradidit, Abiathar per Ephod Deum pro eo consuluit, et quae non minus in magnificis ejus hymnis et canticis manifestabatur, tandem luctus de Jonatha amicissimo et Saule inimicissimo occisis, ac lessus, qui summam spirat pietatem erga amicum et inimicum regium, omnium amorem, quo jam antea (1 Sam. 18, 16) fruebatur, conciliare, augere ac confortare debuerunt; utriusque enim (Jonathae et Saulis) virtutes sine macula David in se univerat. Confer Chrysostomum (De Saul. et Dav.), Ambrosium (Apol. ad Theod. cp. 6). — Obiit Saul, postquam 40 annos (Act. 13, 21; Josephus, Ant. VI, 14, 9 — e contra Ant. X, 8, 4 = annos 20) regnavit. Philistaei Saulis caput abscindebant, ignominiose circumferebant et tandem in templo Dagonis affigebant (1 Par.

10, 9). Cadavera ejus filiorumque, e moenibus urbis Bethsan suspensa, noctu sustulerunt incolae urbis Jabes et honeste parentarunt.

5) Lessus ille lugubris (2 Sam. 1, 18—27) continet tres gradatim in virtute et ambitu decrescentes strophas, quarum 1) v. 18—24 pandit dolorem de morte eorum ac laudem fortitudinis, 2) v. 25, 26 amicitiam praedicat, 3) v. 27. suspirium tantum prodit, quocum lessus obmutescit. Confer: Pareau, Elogia Dav. in Saul. et Jon. Croning. 1826. — F. W. Umbreit, Dav. u. Jonath. Lied d. Freundsch. Heidelb. 1844. — Zapletal, Alttest. 113—124.

§. 43. David rex (1011—972).

1) David (30 annos natus) Hebrone secunda vice consecratur anno 1011 et a tribu Juda rex proclamatur, renuentibus quidem ceteris tribubus, quae Isboseth, Saulis filium, Abnero duce regem constituebant (1011—1004). Abner vero septennio post Davidi adhaesit, a Joab autem aemulo occisus est. Brevi abhinc etiam Isboseth a duobus viris nefandis exstincto, David Hebrone (anno 1004) tertio ungitur atque rex super totum populum constituitur (2 Sam. 2—4). Ante omnia rex pius hostes innumeros regni sui humiliare ac populo quietem pacemque reddere et munire conabatur. Depulsis e Jebus castello Jebusaeis, stabilem Hierosolymis[1]) sedem fixit, urbem aedificavit, eamque civitatem Davidis vocari jussit, et arca foederis ibi collocatâ centrum regni sui fecit. Philistaeos, antiquos hostes, bis percussit et quidem altera vice ad internecionem usque, quibus subactis Moabitas celeri glade vectigales fecit (8, 2, 12; 1 Par. 18, 2, 4); contra Ammonitas ob injuriam, legatis ipsius illatam, aciem instruxit et, quum denuo, militibus syriacis auctis, bellum renovassent, penitus delevit (996 et 994) (2 Sam. 8, 12; 10, 14; 11, 1; 12, 26). Syros, qui Ammonitis auxilium praestiterant, saepius fudit, et quidem singulas ejusdem civitates Aram Soba (8, 3; 10, 8), Syriam Damasci, Rohob, Soba et Maacha (10, 6) subegit (996) tandem et Idumaeos (8, 14; 1 Par. 18, 12; Ps. 59) devicit (995), ita ut imperium Davide rege maximam extensionem nactum sit, et quidem a fluvio Aegypti vel potius a nahal Mossar usque ad Euphratem, a sinu arabico usque ad Libanum (cf. Gen. 15, 18). Reges Emath, Thou (2 Sam. 8, 9) et Tyriorum Hiram (5, 11; 1 Par. 14, 1) amicitiam Davidis regis petierunt. Omnia bella haec rex pius minime cupidine regnum ac gloriam suam ampliandi ductus, sed e zelo theocratico et religionis[2]) causa gessit.

1) Sunt, qui (col. Gen. 14, 18; Ps. 76, 3 heb.) Jerusalem antiquum Salem Melchisedech fuisse credunt (conf. Jos., Ant. I, 10, 2; τὴν μέντοι Σόλυμα ἕστερον ἐκάλεσαν Ἱεροσόλυμα; Hieronymus lib. quaest. heb. — contrarium in ep. ad Evang. Presbyt.); certa est identitas ejus cum castello Jebus (in monte Sion), a Jebusaeis possesso, quos tribus Juda depellere nequibat. Urbem partim occupatam sortita est tribus Benjamin (Jos. 15, 7, 8; 18, 16). Inde a plenaria expugnatione David eam metropolim regni fecit, ac (montem Sion) muro cinxit et castellum Mello (Milo = λέφυρα Jos.), quod usque hodie arx Davidis vocatur et fossa alta a Sione separatur, aedificavit. Sionem Salomon cum Moria conjunxit, ubi exstruxit praesidium cum contiguo palatio regio, e quo per gradus in templum ire poterat. Vulgatius appellatur Jerusalem (Hierosolyma, יְרוּשָׁלַם i. e. *urbs pacis*, עִיר שָׁלִים (assyr. Ur Salim) juxta Hieronymum ex Jebusalem, nunc El Kuds = τὸ ἱερον), quâ scilicet a Jahve ascitâ pax non incolis hujus urbis tantum, sed et totius terrae Israel confirmata fuit, stabilienda tandem

per Christum. Urbs sita est in montanis Juda adeoque in loco alto (Ps. 86, 1), ita tamen, ut respectu montium vicinorum (Ps. 124, 2) altiorum humilis esse videatur, et per valles Josaphat orientalem cum torrente Cedron, Gihon occidentalem et Ben Hinnom seu Gehenna australem, quae in loco Tophet (Jer. 7, 31; 4 Reg. 23, 10) cum valle Josaphat conjungitur, separatur a montibus adjacentibus (excepta parte aquilonari), et quidem monte Oliveti et monte offensionis seu scandali, ubi Salomon idolis altaria erexerat (3 Reg. 11, 7) orientem versus, monte Gihon ad occidentem, monte mali consilii (Matth. 26, 3, 4) ad austrum. Sion (שִׁיאֹן Σιών) omnium (3—4) collium, in quibus urbs erat aedificata, excelsior et longitudine directior, a montibus Moria et Acra (qui serius fuit adjunctus) per vallem τυροποιῶν (casearіorum) divisus, urbem superiorem (ἡ ἄνω πόλις), Acra inferiorem (ἡ κάτω πόλις Jos., Ant. V. 2, 2) constituit. Novissime a nonnullis viris doctis mons orientalis (templi) tanquam Sion habetur (Z. DPV. III. 189; IV. 18 seq.). Pars montis Moria, in linguae formam ad austrum excurrens, Ophel audiebat. — Jerusalem non abundabat rivis et fontibus; praecipuus erat fons Siloe (Siloam vel Siloah cum piscina Neh. 3, 15; Joh. 9, 7) ad austrum extra urbem, per canalem longum (ubi antiquissima inscriptio hebraica e seculo IX. a. Ch. inventa est, Z. DPV. IV. 102 seq.) cum fonte B. M. Virginis junctus; Rogel (puteus) in contermino vallium Josaphat et Gehenna, seu puteus Nehemiae (2 Mach. 1, 19—22 col. Jos. 15, 7; 18, 16), nunc Bir Eyûb; Gihon fons occidentalis, qui piscinas superiorem (4 Reg. 18, 17, nunc Birket el-Mâmillah) et inferiorem (nunc Birket es-Sultan) aquis implebat. In urbe ipsa sita erat piscina Hisciae (2 Par. 32, 30, nunc Birket hammam el batrak), quae cum superiore Gihon erat juncta (4 Reg. 20, 20; Eccli. 48, 19). Conf. G. Gatt, Der Hügel von Jerusalem 1897, und Sion in Jerusalem, was er war und wo er lag. Brix. 1900. — K. Rückert, Die Lage des Berges Sion. Freib. 1898. — Mommert, Topographie d. alt. Jerusalem. Lpz. 1903. et: Siloah, Brunnen, Teich, Kanal. Lpz. 1908. — G. Smith, Jerusalem. Lond. 1907/08.

2) Fortitudinem enim bellicam ad Deum auctorem refert (2 S. 22, 33, 35; Ps. 143, 1); antequam bella ordiretur, divinam voluntatem sciscitabatur (1 S. 23, 9; 2 S. 5, 19, 23), ita ut vindex hostium regni et propugnator religionis, theocratiae, imo Dei ipsius exstiterit.

2) Cum hac operatione ad extra, quae priores 20 annos regiminis expleverat, partim conjuncta erat, maxime tamen eam sequebatur activitas Davidis interna, constitutionem reipublicae profanam et sacram concernens. Urbe sacra condita, arcam foederis[1]) maximo cum applausu populi anno circiter 1002 e domo Abinadab in domum Obededom Gethaei, et post trimestre exinde per sacerdotes et Levitas in tentorium, adinterim in monte Sion exstructum, magna cum festivitate ac laetitia (Ps. 23; 46; 67) transferri jussit (2 Sam. 6; 1 Par. 13—15), sacerdotium cantumque sacrum ordinavit. Materiam praeclaram canticorum et musicae[2]) David ipse, egregius psaltes Israel, per quem Spiritus divinus est locutus (2 Sam. 23, 1, 2), subministravit in Psalterio suo. Ab anno 1002—999 fuit fames ob culpam sanguinis tempore Saulis, qui injuste Gabaonitas occiderat, inultam, donec David eis septemviros e progenie Saulis crucifigendos tradidit (Cap. 21, 1—14). Quo facto David Miphiboseth, filium Jonathae, secum habitare jussit (Cap. 9).

1) Constituit David e Levitis cantores, qui clangore variorum instrumentorum gloriam arcae triumphantis personarent. In hac solemni processione victimae magno in numero immolabantur, rex ipse, Ephod lineo accinctus, ante arcam cantans saltavit; quem quum videret Michol, uxor ejus minus pia et superba, despexit, sed a marito humili et devoto correpta est. Cf. Döller, Davids Tanz vor Jahve, Z. f. k. Th. 1905, 576 seq.

2) Musicam, qua utebantur Israelitae diebus festis, civilibus et religiosis, in nuptiis, et in cultu divino, David in meliorem ordinem redegit, et 4000 Levitas in 24 classes heb-

domadarias divisit, qui Psalmos canerent et instrumentis accinerent. Hic ordo a Salomone in templum receptus et conservatus fuit usque ad primam eversionem Jerusalem, imo post exilium denuo restauratus fuit (Esr. 3, 10). De cantu Israelitarum in templo usitato pauca scimus, quapropter variis de hac re hypothesibus disputabant docti. Certum tamen videtur, cantum sacrum constitisse solum melodia unisona secluso concentu harmonico, quemadmodum hoc innuit cantus Orientalium hodiernus atque instrumenta musica Israelitis usitata id suadent. Scala in usu fuit diatonica. Varios musicos tonos inscriptiones Psalmorum, quae notas musicas comprehendebant, praesupponere videntur. Hodiedum in synagogis cantillatio Thorae monotona ac parum amoena viget. Cf. Freib. Kirchenlex. 2. ed. sub voce: Musik, p. 2031.

Instrumenta musica erant. *A)* chordis instructa vel fides: *a)* Cithara antiquissima (Gen. 4, 21), quae ab octo chordis (Ps. 6, 1; 11, 1) *octachordon* vocatur. Josephus (Ant. VIII, 10, 3) citharae 10 chordas tribuit, quae plectro tangebantur. *b)* Nebel ψαλτήριον (Vulg. *psalterium* vel *nablium*), instrumentum triangulare, 12 vel 24 chordis instructum, quae digitis tangebantur. Simile instrumentum in Babylonia usitatum (Dan. 3, 5, 7) vocabatur sambuca et symphonica. *c)* Lyra (Minnim) vel fides, quae in nummis Hasmonaeorum invenitur, species citharae, tribus vel octo chordis instructae (Ps. 150, 4). — *B)* Instrumenta, quae inflabantur, erant: *a)* Ugab, antiquissima fistula pastoritia, quae primum una, dein septem fistulis, ex arundine paratis, componebatur (Dan. 3, 5, 7). *b)* Tibia (chalil), quae ex arundine, ligno, cornibus et ossibus parabatur. *c)* Cornu, instrumentum antiquissimum, erat cornu boum, in culmine abscissum, vel arietum in hunc usum excavatum; in bello vel in solemnitatibus usus latissime patebat. *d)* Buccina (Chazozerah), paulipser crassior, quam tibia, infra in formam campanulae desinens, quae a sacerdotibns inflabatur, vel etiam tempore belli in usu erat. — *C)* Instrumenta pulsatilia: *a)* Tympanum (Toph), in oriente a mulieribus saltantibus usitatum, circulo ligneo constans, membranâ obducto et crepitaculis aeneis instructo (Ex. 15, 20. Jud. 11, 34). *b)* Cymbala (Zelzelim) duplicis generis: α) duae magna patinae aut cymbala, quorum unum musicus manu dextera, alterum sinistra tenet et utrumque invicem concutit; β) vel vero: quatuor sunt scutellae, quas mulieres saltantes pollici et digito medio utriusque manus affigunt et ad numerum musicae invicem concutiunt. *c)* Sistrum (Menaanim), i. e. ferrum in modum baculi tensum et aut in rotunditatem ovalem, aut in duos angulos rectos flexum, annulis mobilibus instructum, ut agitatum et alio ferro percussum, sonum et tinnitum ederet. *d)* Aliud genus erant Triangula (Schalischim), usitata mulieribus (1 Sam. 18, 6), quae ferro plectebantur.

In festis etiam saltabatur. Saltatum olim fuit in orbem seu circulum, ita ut mulier aliqua puasi dux praecederet, et diversas rythmo non carentes mutationes pedum, gesticulationes manuum et inflexiones totius corporis formaret, quas omnes reliquae, in orbem sequentes, ad justum musicae numerum imitabantur. Hujusmodi saltationes choreae dicebantur.

Confer de musica Hebraeorum: Pfeifer, Musik d. Heb. 1779. — Gerbert, De musica sacra. — Saalschütz, Geschichte und Würdigung der Musik bei d. Heb. 1829. — J. Redslob, De praecepto musico (diss.) 1831. — Joh. Weiß, Die musik. Instrumente in den hl. Schriften des A. T. Graz 1895. — Greßmann, Musik u. Musikinstrumente im A. T. 1903. — Büchler, Zur Geschichte der Tempelmusik u. der Tempelpsalmen. W. Zt. XIX (1899), 96—133; 329—344; XX. (1900) 97—135. — Musil III, 202 seq.

3) Ruinae, tum spiritualis tum politicae (anno 994), primum jecit lapidem concupiscentia, quae duplex crimen; adulterium cum Bethsabee ac homicidium ejusdem mariti, Uriae, peperit[1]). Anno fere elapso, cum Davidem scelerum suorum non poeniteret, Nathan propheta, proposita de ove pauperis parabola, fecit, ut rex ipse in se ferret judicium severum. Verbo prophetae: *tu es vir ille!* perculsus, in confessionem: *peccavi Domino!* erupit ac poenitentiâ, quae tam aperte in Ps. 50. (typo poenitentiae omnium temporum et personarum) manifestabatur, peccata abluit; pro ipsius tamen vita, cujus jus

per adulterium amiserat, Deus vitam infantis, ex adulterio nati, substituit, cujus mors simul signum gratiae ac benevolentiae divinae reconciliatae erat. Merito igitur puer hic Jedinja *(Jahve judicavit)* appellatus est (non Jedidja). In memoriam renovatae cum Jahve pacis alterum e Bethsabee filium nominavit Salomonem (Cap. 11 et 12). Rex piissimus, quum acta poenitentia pro peccato suo duplici templum se Deo aedificaturum vovisset, per Nathan prophetam nuntium divinum accipit (anno 993) non ipsum, quia sit vir sanguinis (1 Par. 22, 8), sed filium pacificum (Salomonem) structuram templi perfecturum esse, cum promissione throni Davidici aeterni[2]); ideo hunc in finem thesauros innumeros et materiam aptam congessit (1 Par. 22). Imperium suum ita sapienter instruxit ac negotiis publicis viros prudentes praeposuit[3]), quemadmodum principem theocraticum et circumspectum decebat.

1) Exercitu metropolin Ammonitarum Rabbam obsidente (994), rex, in solario ambulans, conspexit Bethsabee, uxorem Uriae, e ducibus militiae, se lavantem eamque, pulchritudine ejus captus, vitiavit; quae cum concepisset, mature monuit Davidem, ut saluti et nomini consuleret. Rex e castris evocat Uriam, ut domi suae pernoctans adulterium tegeret. Sed cum hic nullis artibus adduci posset, ut, dum arca domini et exercitus sub dio agerent, ipse amplexus uxoris captaret, David, omnis pietatis immemor, literas Uriae tradidit ad Joabum deferendas, in quibus mandat, ut Urias in maxime periculoso proelii loco constitutus perimeretur. Quod et factum est. Bethsabee vidua, postquam defuncto marito luctum impendit, a Davide in thorum adscita est. Eodem anno mulier peperit filium, quem ex adulterio conceperat.

2) Vaticinium: *Et fidelis erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter* (2 Sam. 7, 16), et Salomoni repetitum (3 Reg. 9, 5): *Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David* . . . primo sub intuitu ad Salomonem aedificatorem templi ejusque generationes, sensu autem typico ad Christum, e domo David oriundum ac fundatorem Ecclesiae pertinere, probatur argumentis internis; dicitur enim domus et regnum ejus aeternum (col. Ps. 88, 30, 38, ter 2 Sam. 7. 13, 14 repetitum), quod tantum ad Christum regnantem in aeternum (Luc. 1, 32) et principem pacis (Is. 9, 6; 66, 12; Joh, 16, 33; Col, 3, 15) spectat — et externis: Joh. 12, 34, atque a s. Petro in Act. 2, 30, omnibus ss. Patribus et scriptoribus confirmatur. Confer Bade, Christ. I, 151. — Reinke, Beit. IV, 427. — Hengstenberg, Christ. I, 143. Clarius iterum est hoc vaticinium messianum praecedentibus; promissio enim Messiae hic jam familiae speciali, regiae Davidis e tribu Juda adnectitur, ita ut dignitas regia aeternaque Christi (tum victrix in Davide tum pacifica in Salomone) evolveretur et typice adumbraretur Haec idea de Messia rege aeterno magis adhuc in Psalmis (44, 71, 88, 131), et praeprimis per Prophetas enucleabatur.

3) Sic Abiathar, comes aerumnarum, munere pontificio fungebatur; vicarius Sadoc exstitit, cancellarius declaratur Josaphat, negotiorum forensium notarius Saraias; rei bellicae cura credita est Joabo, et Praefectura perpetui exercitus Banaiae.

4) Remissa culpâ (Ps. 31) adhuc poenae manebant luendae, ut scandalum repararetur; loco homicidii caedem familiae (Ammon. Adoniae), loco adulterii vitiationem mulierum (per Absalom) pati debuit. Frustra ergo oraverat: *Libera me de sanguinibus.* Ammon, Davidis primogenitus, sororem (e patre) Thamar vi incestavit (991), cujus frater uterinus Absalom injuriam ulturus, Ammonem occasione convivii trucidavit (989) et ad regem Gessur avunculum aufugit (Cap. 13) Triennio elapso per Joab veniam redeundi nactus (986) et post alterum biennium (984) patri reconciliatus est (Cap. 14).

Absalom, etiam ex materno genere regia proles, praetendens, successionem in regno sibi deberi. Hebrone rebellionem in patrem adornat (980), qua re audita David fuga saluti suae consuluit (Ps. 54). Fugientem vir quidam, Semei, de cognatione Saulis, diris exagitavit convitiis et lapidibus petiit; rex peccatorum suorum conscius poenitensque, maledicas voces patienter tulit et uni e comitibus, Abisai, qui caput petulantissimi hominis amputare volebat ait: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim praecepit ei, ut malediceret David.* Interea Absalom, Hierosolymas ingressus, concubinas patris facinore nefando publice polluit (Cap. 15; 16). Proelio in silva Ephraim patrem inter et filium exorto, copiae Absalomis in fugam sunt actae, ipse vero, cum fugitivus capite ramis quercus implexo adhaesisset, a Joab persequente spiculis est confossus. David, nuntio hoc accepto, pie luxit[1]) rebellem filium mortuum, tanquam eum, qui amplius non poterat curari per poenitentiam (Cap. 17; 18). Hic luctus, cujus et populus particeps est factus, ac paterna pietas erga degenerem filium, Davidi amorem populi rursus reconciliaverunt. Oblata Amasae, duci exercitus Absalomis, militum praefectura et data Semei veniâ, David a tribu Juda solemniter Hierosolymas reducitur (Cap. 19), seditio a Seba excitata supprimitur et Amasa a Joab aemulo transfigitur (Cap. 20).

1) Ratio gerendi Davidis mitis erga filium rebellem in proprium peccatorum conscientia erat fundata, haec enim maledictionem illam, quae super domum davidicam irruit, adduxerant (2 Sam. 12, 10), quia Deus visitat iniquitatem patrum in filios (Ex. 20, 5). Hinc in peccatis Absalomis non tam hujus impietatem, sed culpam propriam vidit, quod et locum habet quoad Semei; proprii enim reatus memor, alterius delictorum erat immemor, Miseras regis etiam id augere debuit, quod Joab potentem, ast sanguinolentum militum praefectum, quem homicidii Uriae complicem habuerat, tolerare cogebatur, ideoque punire nequibat, nam illius scelerum quodammodo rex ipse factus est reus. W Caspari, Aufkommen und Krise des israel. Königtums unter David. Berl. 1909.

5) Hostibus externis et internis devictis ac statu interno bene ordinato, David regnum pacatum tranquille regere potuisset, nisi e vesano desiderio ac fastu, contra voluntatem divinam populi computatione instituta, Deo rursus displicuisset anno 975[1]). Facti hujus paulo post poenitens, censum inchoatum abrupit et e tribus malis, in poenam ipsi per Gad prophetam propositis, triduanam pestilentiam exoptat, Domini potius (misericordis) quam hominum potestati se commissurus. Caesis jam 70.000 Isrelitarum, rex angelum vastatorem, Hierosolymas dissipaturum, in visione conspiciens, Deum oravit, ut parceret; quo facto per Gad monitus juxta aream Ornam Jebusaei in colle Moria, ubi angelus gladium in vaginam recondens steterat, altari erecto sacrificium obtulit, quod a Deo ratum est habitum, et aream cum tota hereditate Ornan 600 siclis emit, in qua templum exstrueretur (2 Sam. 24; 1 Par. 21; 22). Anno vitae postremo, cum David, corpore jam senescente, foveri non posset, ad hunc finem Abisag, virgo Sunamitis, regi seni fomes est adjuncta. Quum Adonias, imperiam praesumens, Joab et Abiathar sociis, de regno invadendo cogitasset (anno 972), David, per Bethsabee et Nathan prophetam hac de re certior factus, Salomonem (a Deo peculiariter electum)

per Sadoc pontificem in regem ungi ac proclamari jussit. Adonias perduellionis reus, confugit ad cornua altaris et a Salomone veniam impetravit, omni tamen publico ministerio ei interdicto. Mortem praesentiens David, comitia procerum constituit, executionem consilii sui de templo exstruendo ac ultionis scelerum Joab (quadruplici homicidio Abneri, Uriae, Amasae et Absalomis polluti) et Semei (majestatis laesae rei) Salomoni, utpote successori et regi, tanquam officium justum demandavit, ne simile quid ei (ac ipsi propter Gabaonitas) accideret, et ad officia, Deo et regno rite praestanda, hortatus est. Verbis propheticis[2]) clarus, David septuagenarius, postquam 40 annos et quidem 7 Hebrone et 33 Hierosolymis regnavit, placide ac quiete[3]) mortuus et in civitate sua sepultus est (3 Reg. 1—2, 11; 1 Par. 28; 29).

1) Gravitas poenae, ob censum populi inflictae, inferre permittit, hunc fuisse institutum e fastu, ambitione ac superbia (suadente satana 1 Par. 21, 1), theocraticam offendente; factus enim est jussu regis per militum praefectum Joab (2 Sam. 24, 2) eumque dissuadentem (1 Par. 21, 3). Tempore illo, quo civitas judaica maximam suam extensionem et gloriam est nacta, ac tribus Juda 500.000 (1 Par. 21, 5 = 470.000) et Israel (Benjamin et Levi exclusis) 800.000 (Par. l. c. 1,000.000 confer Reinke, Beit. I, 204) virorum numeraverunt, cogitatio vana, monarchiam mundi constituendi, et quidem mediis mere humanis, mentem Davidis facile occupare poterat, cujus executio limites finemque regni theocratici fuisset transgressa. Illa ostentatio virium at fiducia, quam in illis collocabat, Deo ingratae esse debuerunt. Tali modo census hic ab aliis lege permissis (Ex. 30, 12 seq.) distinguitur, nam populum numerari jubet, ut sciat, qui ex subditis apti sint ut milites conscribantur, indeque censeat suum robur. Affligitur autem populus ob alia scelera commissa, praeprimis ob rebellionem in regem, a Deo sibi constitutum. Aliam rationem numerationis a Davide factae proponit J. Schäfers, Kath. 1908, I. 128 seq.

2) Davidem in suis verbis novissimis, poëtico-propheticis (summario quasi revelationum divinitus acceptarum, quae in pluribus Psalterii locis sunt digestae) et testamento suo spirituali (2 Sam. 23. 1—7) benedictiones regni spiritualis Christi ab ipso oriundi, quod universum mundum complectetur, esse vaticinatum, credunt docti. Confer Reinke, Beit. IV. 455; — Bade, Christl. I, 172.

3) Rationalistae characterem gloriamque Davidis minuere et magnis criminibus maculare conabantur, objiciendo; *a)* quod teste 1 Sam. 29, 1 contra Israelitas cum Achis rege conspirare, imo jam in bellum ire inceperit. — David hic erat in casu plane periculoso et implexo, ut cogeretur vel Achis regis esse proditor, si in proelio ad Hebraeos deficeret, vel partriae et civium suorum hostis, si contra eos pugnaret. Sed Deus hunc nodum perplexum ense quasi abscidit. Immisit enim Philistaeis diffidentiam de Davidis fide et metum periculi, quare jubent eum e proelio recedere et domum remitti. David, e proelio recedens, persecutus est Amalecitas eisque spolia, quae ex Siceleg rapuerant, abstulit cum opima praeda. *b)* Praetendunt saevitiem ac tyrannidem, quam in Moabitas (2 Sam. 8, 2) et Ammonitas (12, 31) exercuerat. — Utique crudelis nobis videtur illa gerendi ratio, quae tunc temporis erat usitata jure belli, explicanda autem est e charactere regni Israelitici theocratico, vi cujus omnes regni hostes simul Dei inimici exstiterunt; ceterum Moabitas et Ammonitas habuit eodem modo, quo hi Judaeos in bello captos tractarunt (1 Sam. 11, 2; Am. 1, 3). *c)* Addunt homicidium et adulterium. — Peccata haec excusare quidem non licet, utique autem eorum gravitatem minuere; nam in dijudicando charactere hujus viri circumstantiae orientis, licentiores Bethsabee mores, quae ab omni culpa non erat immunis, coelum, conceptus morales, jura dominantium et ejusmodi sunt respicienda. Praeter illa peccata, quae tantopere urgent Rationalistae, ss. Patres allegant profundam animi poenitentis confessionem et opera; quibus peccatum suum texit. Confer Ambrosium, I. ap. Dav. 4: *Peccavit David quod solent reges, sed poenitentiam gessit, flevit ingemuit, quod non solent reges,* et II.

apol. 6: *Peccaverit David, ne totus mundus peccaret; peccaverit sibi, ut nobis omnibus emendaret.*

Hae maculae, quas rex poenitentia alioque modo sat nimis expiavit, abundanter superabantur virtutibus praeclaris, quas jam Siracides (47, 2—13) elogiis celebravit, ita ut vita ejus, vi religiosa et venustate ethica, suavissimam regis theocratici imaginem exhibeat; nam vir secundum cor Dei fecit omnes voluntates divinas (Act. 13, 22; 1, S. 13, 14; 16, 13), elucent in eo temperantia, moderatio, generositas (2 S. 9), comitas (1 S. 30. 23), probitas (2 S. 4, 9; 12, 15), pietas in Deum (1 S. 6, 22), patientia in rebus adversis ferendis (2 S. 16, 5 seq.), magnanimitas (2 S. 19, 22), et justitia (Ps. 100). Auctor poësis sacrae ac cantus ecclesiastici animos omnium sui temporis et seculorum futurorum sibi divinxit. Ceterum nullus alius in A. T. tamen manifeste et clare, quam ipse, sequelas peccati et efficaciam gratiae divinae in se expertus est, prout videre licet e Psalmis ejus praeclarissimis. David meritus est, e cujus familia Christus oriretur, inde prophetae Christum Jesse Davidisque filium, regnum hujus regnum Christi praedicant. — David etiam in vitae suae circumstantiis Messiam typice adumbravit, nam per passiones ad gloriam perveniendo, qua fundator throni, rex potens populi ac devictor gentium praestantissimam Christi figuram exhibuit. Confer Schenz, Einl. 136. Tandem ipse propheta in Psalmis suis vere divinis circumstantias vitae et operationis archetypi sui coloribus vividissimis depinxit easque cordibus concivium suorum in perpetuum insculpsit.

Confer Stolberg, Betrachtg, Hamb. 1821. III. 414; — H. Weiss, David und seine Zeit. Münster 1880. — M. Meignan, David roi, psalmiste, prophète, Paris 1889. — Baentsch, David u. s. Zeitalter, Leipz. 1907.

§. 44. Salomon rex (972—933).

1) Patre mortuo, Salomon Adoniam, nuptias cum Abisag praetendendo, laesae majestatis reum, ejusque conjurationis socios, quos inter et Joab interfici jussit, Abiatharem autem sacerdotio privavit, ut abhinc pontificium Heli et familiae Ithamaris exstingueretur ac (per Sadoc) linea Eleazari sola fungeretur; tandem et Semei, legem vivendi praescriptam transgressum [1]), peremit (3 Reg. 2). Nuptiis cum filia [2]) Pharaonis celebratis, Salomon in Gabaon sacrificans et preces ferventissimas effundens, petit a Domino, in somnio apparente, sapientiam [3]), quam Jahve opibus et gloriae auctam ei est largitus Illustre hujus sapientiae documentum edidit in lite duarum mulierum [4]) tabernariarum (Cap. 3). Viris optimis qua ministris per regnum constitutis (Cap. 4), quarto regiminis anno (968) (i. e. 480 [5]) exitus ex Aegypto) templi fabricam aggreditur in area Ornan (Avarna), ubi jam Abraham et David sacrificaverant, et quidem secundum descriptionem patris (1 Par. 18, 11), quae lineamenta tabernaculi sequebatur, templumque intra septennium perfecit (961). Hiram, Tyri rex, foedere Salomoni junctus, cedros Libani et opifices Tyrios subministravit (3 Reg. 5—8; 2 Par. 2—7).

1) Joab, qui mature sibi esse providendum statuit, ad altare refugit; sed extra s. tabernaculum ductus jussu regio interfectus est. Semeio Salomon intra muros Jerusalem vivendi legem praescripserat; hanc transgressus juste peremtus est.

2) Creditur proselyta fuisse, nam nullibi occurit mentio ejus superstitionis aegypticae. Attulit dotem marito urbem Gazer, quam Pharao Ptusenes II. a dynastia Tanitica (21.) pulsis Chananaeis occupaverat (3 Reg. 9, 16). Nuptiae hae causis politicis explicantur (3 Reg. 3, 1; 7, 8; 9, 16, 24; 11, 1). Nonnulli recentiores ut Winkler sub ista uxore Salo-

monis principissam non Aegyptiacam, sed Musriticam (i. e. ex Arabia septentrionali oriundam) intelligere volunt; sed cf. Döller, Stud. 31 seq.

3) Sapientia et scientia, datae Solomoni (2 Par. 1, 12), triplicis generis erant; *a)* Sapientia et prudentia supernaturalis fidei mysteriorum, imo et donum prophetiae; nam patet hoc ex ejus proverbiis. *b)* Sapientia ethica et politica, ad gubernandum tam se, quam populum; hanc enim praecipue postulaverat Salomon. *c)* Sapientia naturalis, ad cognoscendas scientias et artes naturales. Horum omnium scientiam infusam a Deo hac nocte accepit idque in gradu valdo intenso. Tali modo Salomon omnes viros in A. T. amplitudine sapientiae superavit, quia omnem omnino sapientiam complexus est ac Christum ejusque sapientiam ad vivum verbis et factis expressit.

4) Quum enim utraque filium vivum sibi vindicaret, infantem rex dividi jussit, ut exploraret, in utra resideret maternus affectus, ut illi filium vivum adjudicaret. Naturam ergo interpellavit Salomon, et illa respondens matrem genuinam suo affectu monstravit.

5) Annus rotundus est et non ab initio exodi, sed ab ejus fine (1452) numeratur.

2) Praeter templum magnificum etiam alias structuras excitavit Salomon; 13 annos impendit aulae regiae, domui saltus Libani[1]), ac palatio reginae aedificandis, moenibus et urbibus instaurandis, muniendis (Hazor, Meggiddo) et aedificandis (Baalbek in Coelesyria, Tadmor = Tamar, sicut Kethib III. Reg. 9. 18 habet), nec non vineis, hortis et aquaeductibus[2]) exstruendis operam navavit, splendidissimam supellectilem, thronum eburneum auro vestitum, cum 12 leonibus apparavit, exercitum et equos innumeros aluit; classes, nautis phoeniciis peritissimis instructae et ex Elath et Eziongeber in Ophir (quod in India vel Africa orientali, vel Arabia occidentali, meridionali vel orientali quaeritur, quae ultima sententia probabilissima esse videtur; cf. Döller, Stud. 145 seq.) et per mare mediterraneum in Tharsim (in Hispania) directae, aurum, argentum, ebur divitiasque uberrimas attulerunt, quae donis, a regibus foederatis oblatis, reditibus regalibus, tributis, per Israelitas et provincias subactas solvendis, et societatibus mercatoriis cum Aegypto nimis sunt auctae[3]). Regina Sabae[4]) divitias ac regium splendorem non minus, quam ejus sapientiam est admirata (3 Reg. 10); nam ipse 3000 parabolarum, 1005 cantica (4, 29—34) composuit, et scientia supereminenti ac cognitione rerum naturalium praeditus de singulis arboribus, a cedro Libani usque ad hyssopum, disseruit (3 Reg. 9—11; 2 Par. 8, 9).

1) Haec domus cum deambulacris 100 cubitos longa, 50 lata et 30 cub. alta, quae ad partem templi orientalem (Friedrich, Tempel u. Palast Sal. 1887, 51) sita erat, ex arte phoenicia repetitur.

2) Confer Tüb. Quartlsch. 1867. 426 et das Hl. Land 1876, 10.

3) Civitatem theocraticam certa quadam potestate civili nec non gloria ac splendore decorari voluit Deus; limitibus justis derelictis utrumque damno et perniciei regni esse oportuit. David, cum illum potestatis suae regiae ambitum excedere cogitasset, recto adhuc tempore a proposito desistebat; Salomon vero, cui tanti et tales prophetae, qualis patri astiterant, praesto non erant, castum divitiarum modum excessit, inde luxus, concupiscentia et lapsus ejusdem. Fabricis suis magnificis Salomon artes utique promovit earumque amorem populo implantavit, simul tamen victu splendido subditos pressit (3. Reg. 12, 4), mercatura, foederibus et societatibus cum aliis nationibus pactis se suumque populum influxui externo devinxit, ita ut non amplius eo, quo Deus voluit modo, munere suo theocratico fungi posset.

4) Regina Sabae, regionis Arabiae felicis, non Aethiopiae, quam mulierem Josephus *Nicaule*, Aethiopes *Maqueda*, Arabes *Balkis* (cf. παλλακίς = concubina) nominant, cum multo

comitatu et divitiis Hierosolymas veniens, a Salomone magnifice excepta est. Cum rex quaestiones et dubia proposita enodasset, ipsa sapientiam in responsis et in aliis operibus admirata, ditissima munere ei obtulit, cui rex nec minora rependit, quibus ornata regina in patriam reversa est. Confer Zschokke, Bibl. Frauen, § 29.

3) Quo major sapientia et gloria Salomonis, eo foedior ejus lapsus. Amore vesano mulierum exterarum (700 uxorum et 300 concubinarum teste 3 Reg. 11. 3 contra legem Dt. 17. 17). divitiis luxuque captus, idolis earum cultum instituit, imo Astartae et Molocho altaria exstrui jussit; nam mulieres (praeprimis de gentibus, quas ducere Deus per Moysen jam prohibuerat) cor ejus averterunt. Salomon ipse quidem secundum sententiam nonnullorum idola vere coluisse non videtur, indulgendo tamen, imo promovendo cultum idololatricum (3 Reg. 11, 4, 5, 7, 8; Neh. 13, 26), praeceptum divinum vanum reddidit simulque populo, ad gentilitatem proclivi, occasionem et exemplum pravum[1]) dedit atque tributis magnis, populo impositis, molestiam et fastidium provocavit, quae paulo post ipsius mortem manifestabantur (3 Reg. 12, 3 seq.) Hinc Dominus, illi rursus apparens, regnum dividendum, ast propter merita Davidis non in diebus suis annuntiavit, et hostes: Adad Idumaeum et Razon Syrum excitavit, imo Jeroboam Ephraimita, cui Ahias propheta actione symbolica[2]) animos addiderat, belli civilis semina sparsit. Rex lascivus, postquam 40 annos rexit, mortuus[3]) et in civitate David sepultus est.

1) Quod innuit Scriptura: *Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus* (3 Reg. 11, 4) et Augustinus (Civ. D. 14, 11); *Nec Salomonem credibile est errore putasse, idolis esse serviendum, sed blanditiis foemineis ad illa sacrilegia compulsum;* et (Gen. ad lit. 11, 42): *Mulierum amori, ad hoc malum trahenti, non evaluit, faciens, quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, delicias contristaret.* Nec in verbis Siracidae 47, 14 seq. idololatriae ejus fit mentio. E contra plurimi Salomonem idololatram, cultui naturae deditum, exstitisse putant.

2) Salomone rege sapiente prophetismus per tempus aliquod recessisse videtur, ut in fine regiminis regis hujus, a Jahvae cultu deficere incipientis, eo fortior ac efficacior existeret. Jeroboamum opificibus praefecerat rex. Huic, seditiosos animos excitanti, occurrit Ahias propheta, et pallium suum novum (symbolum regni) in 12 partes secuit, quarum decem ei tradidit, facta spe regni novi (10 tribuum). Iram regis declinans, Jeroboam fugit in Aegyptum ibique usque ab obitum Salomonis mansit.

3) Per poenitentiam ad mentem meliorem ante mortem suam rediisse Salomonem, plures ss. Patres; Irenaeus (adv. haer. c. 45), Cyrillus Jeros. (cat. 2 ill.), Hilarius (in Ps. 126), Hieronymus (ep. 9 ad Salv., com. in Ez. 13, 43): *Sed et ipse fabricator ejus templi Salomon peccaverit et offenderit Deum, licet postea egerit poenitentiam scribens proverbia in quibus ait: Novissime ego egi poenitentiam et respexi, ut eligerem disciplinam* (Prov. 24, 32) aliique auctores putant, quod confirmare videtur promissio Davidi facta (2 Sam. 7, 14, 15). Character Davidis theocraticus, sed Salomonis (Suleimam arab.) luxuriosus in causa fuit, ut ille tantopere ab Israelitis, hic a gentibus et Moslemis aestimaretur (col. Sura 27), — Otho, lex. rabb. p. 668. — Weil, Bibl. Legend d. Muselm. 225). — Ceterum et Salomon rex pacificus, Deo amabilis, qui templum aedificavit, ac gloria, sapientia et splendore suo mundum replevit regesque allexit, typum Christi gessit. — Stosch, D. salomon. Zeitalter (Alttest. Stud. VII), Gütersloh 1906.

§. 45. Templum Salomonis.

1) Templum juxta figuram tentorii sacri, e lapidibus quadris, duplicatis dimensionibus, atque majori sumtu et apparatu construebatur[1]). Quum

aream templi, i. e. collem Moria praecipitem, ab oriente et occidente valles profundae Cedron et Tyropoion, et ab austro collis proclivis Ophel cingerent, Salomon montem muro solido, lapidibus quadris plumbo inter se vinctis exstructo, munivit, et intervalla humo complevit. Area haec plana [2]), muro cincta, in quovis latere, praeprimis orientali, porticibus ornata erat. Orientem versus altius situm erat atrium duplex, et quidem atrium magnum vel exterius (populi) et interius (sacerdotum), utrumque subdiale et lapidibus omnis generis stratum. Atrium exterius populi [3]) erat quadratum et cum atrio sacerdotum per portam excelsam (2 Par. 27, 3) erat conjunctum.

1) Salomon statim initio regni sui cum Hiram, rege Tyrio, de accersendis fabris et caedenda comportandaque materia ad templi fabricam necessaria egit. Operam navabant 70.000 onera portantium, 80.000 latomorum et 3300 praepositi e gentibus, atque 30.000 operariorum sub 200 praefectis e populo Israel, qui cum caementariis phoeniciis lapides in monte Libani dolarunt, ita ut tertia pars tertio quoque mense esset occupata, ceteris requiescentibus. Lapides et ligna praeparata in ratibus ad portum Joppe et inde Hierosolyma transportabantur, Pro lapidibus sectis, lignis cedrinis et abiegnis, quae Hiram Salomoni dabat, hic ei donavit 20.000 cororum tritici, 20 coros purissimi olei per singulos annos, atque 20 urbes in Galilaea, probabiliter in pignus pro 120 talentis auri, quae Hiram ei largitus erat, praeterea victualia operariis necessaria praebebat. Etiam e lapicidinis (Mogharet el-Kottan) hierosolymitanis lapides excidebantur. Quamvis Salomon in aedificando templo typum tabernaculi sit secutus, tamen multa ex architectura aegyptia et phoenicia adoptavit. 1 Par. 28, 19 teste Deus ipse erat auctor exemplaris templi.

2) Area templi juxta Josephum (Ant. XV. 11, 3) formam quadratam et ambitum 4 stadiorum habuit. Alexander Polyhistorus et Aristeas (Eusebius, Praep. ev. 9, 35) ei 5 stadia tribuunt, ita ut quodvis latus 500 cubitos longum fuerit, quocum congruit Mischna (Midd. 2, 1). Templum non stricte medium hujus areae locum occupabat, nam haec simul palatium regium includebat. Uti Schick l. c. probat, altare holocaustorum in summitate petrae sacrae erat posita. Ex parte australi duae portae ducebant in aream templi; in muro occidentali una porta (Schalechet 1 Par. 26, 16) templum cum urbe superiore, et altera cum urbe inferiore conjungebat. Murus septentrionalis et orientalis singulas portas habuit.

3) Ibi populus sacris assistebat et lex praelegebatur (Jer. 36, 10). Ex hoc atrio probabiliter 15 gradus ad atrium sacerdotum ducebant.

2) Atrium interius bipartitum vel atrium sacerdotum et Israelitarum quod altius erat $17^1/_2$ cubitis atrio exteriore [1]), vel potius medio immediate ante sanctuarium situm, ab exteriore per aedificia, quae tres habebant tabulationes lapideas et fastigio cedrino tecta erant, separabatur. In parte septentrionali et australi utriusque atrii erant parvis turribus instructae portae, quarum valvae bifariae aere erant tectae, et inter singulas portas exedrae et varia cubicula. In medio hoc atrio erat positum altare aeneum sive holocaustorum [2]). Inter altare et templum erat vas (mare) aeneum permagnum, variis ornamentis instructum [3]), et praeterea decem labra minora [4]).

1) Mensuras templi Schick l. c. hoc modo definit; Templum 100 cubitos longum et altum erat (una cum fundamento 6 cubitos alto). Sanctuarium (et Sanctissimum) una cum fundamento et tecto 50 cubitos altum erat; solarium, quod in partibus boreali, occidentali, australi umbraculum circumdabat, una cum fastigio pariter 50 cubitos altum erat. Aedes sacra (muris inclusis) 100 cubitos longa et (sine utroque porticu in parte boreali et australi sito) 60 lata; in orientali autem parte una cum ambabus turribus (boreali et australi),

100 cubitos altis, 100 cubitos lata erat. Atrium sacerdotum (una cum exedris in parte occidentali) 200 cubitos longum erat (ab Occidente versus Orientem) et una cum »atrio Israelitarum« (in parte tam boreali quam australi $32^1/_2$ cubitos lato et sicut »atrium Sacerdotum« (sens. strict., 187 cubitos longo) 200 cubitos latum, solum 135 tantum latum et 187 longum et 5 gradibus »atrio Israelitarum« altius erat. »Atrium exterius« vel potius »medium« sine aedificiis 135 cubitos longum et 200 latum erat. Utrumque ergo atrium una cum exedris et aedificiis i. e. totum »territorium sacrum« (der heilige Bezirk) 400 cubitos longum et 300 latum erat. Area autem, quae tam aedificia (in partibus boreali, orientali, australi) quam exedras (in parte occidentali) circumdabat et in parte australi latior erat quam in ceteris partibus, 400 cubitos longa et lata erat (Chêl). Haec area 12 gradibus (6 cubitis) altior erat »atrio Gentilium«, quod pariter in parte australi latius erat, quam in ceteris partibus et (una cum atriis interioribus area) 500 cubitos longum et latum. Solium ergo templi $12 + 15 + 5 + 12 = 44$ gradibus i. e. 22 cubitis altius erat »atrio Gentilium«, quod undique circumdabant porticus vel exedrae (et quidem in parte australi latiores quam in ceteris partibus). De harmonica singularum partium proportione cf. Schick, l. c. pag. 107 seq. Cf. etiam O. Wolff, Der Tempel von Jerusalem. Delineationem templi vide in calce libri.

2) Altare hoc, 20 cubitos longum et latum ac 10 altum, e lapidibus non sectis aedificatum et multo aere obductum fuit, atque 4 crepidines et totidem cornua habuit (Ez. 43, 15—17).

3) Spatium inter altare et templum erat sacrum solisque sacerdotibus concessum, in quo loco tempore calamitatum publicarum orabant (Joel. 2, 17). Vas aeneum vel mare fusile, 5 cubitos altum et 10 cubitos in diametro mensurans, ita ut 2000 batos caperet, hexagonum instar lilii repandi (symbolum sanctitatis et suavitatis), variis ornamentis et epistomiis instructum erat; stabat super 12 bobus (symbola 12 tribuum in sacerdotio unitarum), quadruplici serie e terno ordine positis et quoad posteriorem partem introversis.

4) Erant decem bases aeneae, cum sculpturis, et quatuor rotis, quae portabant luteres aeneos, quorum singuli 40 batos capiebant, ad recipiendas aquas. Hae in utroque altaris latere positae erant. Accedebant lebetes, scutrae et hamulae ex aurichalco. Omnia ista vasa fusa erant in vicino Jordanis, opifice Hiramo Judaeo, sed patre Tyrio, a Phoeniciis in artibus culto. Cf. R. Kittel, Z. heb. Archäologie u. Religionsgesch. Lpz. 1908, 239 seq.

3) Aedes sacra, interne 60 cubitos longa, 20 lata et 30 alta, lapidibus quadris constructa et camera (Tonnengewölbe) cypressina contecta erat. Radius hujus camerae 10 cubitorum erat. Parietes, tabulis cedrinis obtecti, cum diversis figuris (Cherubim, palmis et colocynthidibus), porro una cum laquearibus et pavimento erant vestiti laminis aureis, a quibus lux lucernarum repercutiebatur. Ante januam Sanctuarii erat vestibulum (πρόναος), 20 interne, externe 100 cubitos latum, 10 profundum et 70 interne, externe 120 (2 Par. 3, 4) altum, instar turris sese attollens, cujus porta alta valvis carebat. Introitum hunc ornabant duae columnae aeneae, quarum una a dexteris Jackin *(firmitas)*, altera a sinistris Boas *(robur)* appellabatur[1]). Juxta latera aedis sacrae ad ipsos muros (orientali excepto) erant cellae trium contignationum constructae, in quas ex utraque turri per singulas scalas cochleatas ascendebatur[2]).

1) Istae columnae, sine basi (2 cubitos alta) 18 cubitos altae, capitellis 5 cubitos altis, et corona (10 cubitos alta) ornatae erant; peripheria uniuscujusque columnae erat 12 cubitorum. Corona habebat duos ordines malogranatorum et magnificam sculpturam, nempe implexum florum, frondium et fructuum cumulum. Nomina harum columnarum exprimebant votum regium pro templo, simulque symbolo erant, Deum sacram aedem, foedus et regnum theocraticum stabiliturum et confirmaturum esse. Cf. Schick, l. c. et Schöpfer l. c. p. 284.

2) Cellae vel conclavia *(tabulata)* inserviebant ad fulcimentum murorum templi, ad decorem et usus necessarios. Ibi supellectilia, in tanto sacrificiorum apparatu neccesaria, atque thesauri recondebantur. Quae tabulata 12 cubitos alta erant et in qualibet contignatione 30 numero, ergo $3 \times 30 = 90$. Sed non omnes cellae clausae erant, in partibus boreali et australi quinis cellis clausis insertae erant quaternae extrinsecus apertae (Liwân), in quibus scala et portae ducebant ad cellas (et porticus?) superiores et e quibus in contignatione 2. et 3. ternae fenestrae clathratae in Sanctuarium impositae erant.

4) Aedes sacra divisa erat in Sanctuarium et Sanctum Sanctorum. Sanctum 40 cubitos longum et 20 latum erat. Praeter altare thymiamatis unicum aderat mensa deaurata, in qua panes propositionis ponebantur, et praeter candelabrum Mosaicum decem candelabra aurea, quinque a dexteris, et quinque a sinistris, quae per vices in usum adhibebantur (2 Par. 13, 11; 29, 18). Mensas decem, de quibus 2 Par. 4, 8 sermo est, aureas quidem fuisse, sed mensa propositionis minores et ad usum sacerdotum destinatas fuisse, versimile est. Porta duplex e vestibulo, in Sanctum ducens, 20 cubitos alta et 10 cubitos lata, instructa erat valvis, quae de lignis abiegnis fabricatae, Cherubim, palmis et caelaturis eminentibus exornatae atque laminis aureis obductae erant. Eodem modo ornatum erat ostiolum de lignis olivarum (cujus valvae patebant) in Sanctissimum ducens, quod in aureis cardinibus vertebatur simulque velo pretioso clausum[1]).

1) Ostiolum hoc fastigiatum erat. Velum erat ex hyacintho, purpura, cocco, bysso, intextis Cherubim.

5) Sanctissimum, 20 cubitos longum, latum et altum[1]), obscurum, continebat arcam foederis, in qua nihil aliud fuit, praeter tabulas foederis. Ad utrumque latus arcae, quae (juxta Gem. Jom. 5, 2) super petram erat posita, stabant erectis pedibus duo Cherubim, de lignis olivarum sculpti et auro obducti, facie ad exteriorem domum versa. Quilibet eorum 10 cubitos altus, duabus alis instructus erat, quarum unam (5 cubitos longam) super arcam protendebat, altera parietem domus tangebat, ita ut Cherubim totum parietem posteriorem alis suis tegerent. Minime autem deerant alteri duo Cherubim super propitiatorium, qui simul cum arca in templum translati sunt.

1) Reliquiae tentorii sacri asservabantur in solario, quod (25 cubitos altum, 60 longum, 20 latum) laqueari, dein camera 10 cubitos alta, denique fastigio contectum erat. Templo secundo hoc solarium ab Herode demum superpositum est.

6) Structura templi anno quarto regis Salomonis (anno 968) coepta et $7^1/_2$ annis finitâ, Salomon concionem Israelitarum congregavit, solemni cum pompa arcam foederis e monte Sion humeris sacerdotum in templum novum transferri curavit, copiosis victimis oblatis[1]) festum dedicationis templi octiduum magnifice peregit ac, provolutus in genua et ad Sanctuarium conversus, ascenso suggestu, coram toto populo orationem, fide plenam, fudit[2]), qua peracta ignis, coelitus delapsus, victimas consumpsit testificando, Deum preces regias ratas habere, simul Dominus in signum benevolentiae et factae possessionis suae domum majestate sua implevit. Diebus festis peractis, populus a Salomone dimissus ad propria rediit et regi omnia fausta precatus est. Dein Deus iterum Salomoni apparuit et regnum aeternum se confir-

maturum promisit, dummodo, patris pietatem aemulatus, praeceptis divinis obsequeretur, e contra dirissima ei minatus est, si eis refragaretur[3]) (3 Reg. Cap. 5—9, 1. 2 Par. 2—7).

1) Offerri jussit his diebus 22.000 bonum et 120.000 ovium in hococausta et pacifica, e quibus populo convivia magna parabantur, quae non tantum in altari aeneo, sed et in aliis altaribus, in medio atrii exstructis, offerebantur.

2) Oravit, ut Deus sibi regnum tranquillum, populo pacem sempiternam concederet, ut domum illam, in sui honorem aedificatam, divini numinis locum proprium exhiberet, ibidem orantes respiceret et benigne exciperet omnia, pro quibus obtinendis vel avertendis orationes funderentur, et denique confidit, omnia ejus promissa rata et integra fore.

3) Promissio haec conditionata non repugnat promissioni divinae absolutae (2 Sam. 7, 12—19); nam illa successores, praeprimis naturales (Davidis) Salomonis concernit, dum haec ultimum et maximum Davidis successorem spectat. Confer Reinke, Beit. IV. 479. — Postquam templum labente tempore vario modo foedatum et vastatum fuit, Joas (4 Reg. 12), Joatham (15, 35; 2 Par. 27), Ezechias (2 Par. 29) et Josias (2 Par. 35, 10, 4 Reg. 22, 3 seq.) de restauratione ejus bene meruerunt.

De templo confer: Josephus, Ant. VIII. 3. XV. 11. Bell. jud. V. 5. et praeter archaeologicos libros sequentes monagraphias: Bähr, Salom. Templ. 1848. — M. de Voguë, Le temple de Jérus. 1864. — Hirt, Tempel Sal. 1825. — E. Kopp, Tempel Sal. 1839. — J. Keil, T. S. 1839. — Thenius, Das vorexil. Jerus. u. Tempel 1849. — Pailloux, S. J. 1884. — G. Rosen, Haram u. Tempelplatz, 1866. — V. Guérin, Le temple de Jer. 1881. — Fergusson, The temple, 1878. — Warren, The temple, 1876. — Bloch, Entwurf e. Grundrisses v. herod. T. nach talm. Quellen, 1882. — Kolbe, S. J. Arch., Beschr. Jerus. 1883. — Spiess, Tempel nach Josephus, 1881. — O. Wolff, Tempel von Jerus. u. seine Maße, 1887. — Th. Friedrich, Tempel u. Palast Sal. 1887. — C. Schick, Die Stiftshütte, der Tempel in Jerusalem und der Tempelplatz der Jetztzeit. Berlin 1896. — J. Prestel, Baugeschichte d. jüd. Heiligt. u. Tempel Sal. Straßb. 1902. — Vincent in Revue bibl., 1907, 515 seq. — W. Caldecott, Salom. Temple. Its history and its structure. Philad. 1907. — G. Westphal, Jahves Wohnstätten, 1908, 118 seq.

§. 46. Poësis sacra.

1) Poësis biblico-hebraica ratione originis et objecti est sacra et religiosa — religio enim, fundamentum totius vitae familiaris et socialis Hebraeorum, eam peperit — et exprimit ideas religiosas et affectus pios, quibus anima fidelis repletur, ideoque a poësi reliquorum populorum plane est distincta. Propter intimum hunc nexum cum religione poësis hebraica non admisit elementum profanum, quamvis poësis profana[1]) non plane fuerit neglecta, ac florente theocratica etiam maxime floruit. Propter suum hunc religiosum characterem duplex tantum poësis hebraicae species evoluta est: lyrica et didactica i. e. canticum et parabola[2]); ex utraque mixtus est sermo propheticus, ubi prophetae usi sunt forma poëtica.

1) In ss. Literis paucae reliquiae poësis profanae sunt conservatae; carmen Lamechi (Gen. 4, 23, 24), epinicia Israelitarum (Num. 21, 27—30), Samsonis (Judic. 15, 16), mulierum israel. (1 Sam. 18, 7), aenigma Samsonis (Judic. 14, 14, 18); confer et Is. 23, 16; 34, 9; Am. 6, 6; 8, 10.

2) Libri sacri A. T, nec epicum, nec dramaticum (profanum) poëma norunt, quorum campus feracissimus Hebraeis deerat; nam epos amat mythologiam, heroes terrestres, fatum; drama vero festa populi nationalia nec non rationem cogitandi profanam. Historia sacra unicum tantum heroem, Jahvem, in medium profert, qui omnia et praeprimis regnum

gubernat, dirigit, vicarios suos eligit, auctoritate replet, heroes populi sui suscitat, fortitudine ornat, ita ut in sacris Literis facta mirabilia divina tantum recitentur. Altera causa est, quia poëmata dramatica et epica multis rebus fictis exornantur, in Libris autem inspiratis fictioni non est locus. Liber Job formam quidem epicam vel dramaticam (dialogicam) et Canticum Canticorum dramaticam exhibet, minime tamen poëmati, nec epico nec dramatico, adnumerari possunt.

2) Quoad formam poësis hebraica, sicut aliorum populorum, a prosa variis notis differt, nam *a)* non evitat tantum orationem solutam, sed et utitur quodam proprio et exquisito dicendi genere, juxta euphoniae principia, amat voces novas, artificiosas verborum structuras, locutiones figuratas et metaphoras, a rebus naturalibus et vita quotidiana desumtas[1]), antitheses, similitudines aliaque styli poëtici ornamenta. *b)* Distinguitur quidem in poesi hebraica certus rhythmus, utique diversus a rhythmo aliorum populorum[2]), praevalet tamen cogitatio, idea, quae non simpliciter, sed simul in forma externa rhythmica, nempe apta membrorum (seu versuum) compositione exprimitur, quae parallelismus membrorum[3]) vocatur.

1) A. Wünsche, Bildersprache d. A. T. Lpz. 1906 et: Schönheit d. Bibel. Lpz. 1906.

2) Poësis hebraica caret syllabarum quantitate, qua utuntur Graeci et Latini; Consonantia finalis (Reim) saepe quidem (Gen. 4, 23; Jud. 14, 18; Prov. 11, 2; Job. 10, 10; 11, 17; Is. 5, 7 etc.) occurrit, non tamen ad characteres poësis hebraicae pertinere videtur. Idem dicendum de assonantia syllabarum in media sententia (Ps. 124. Thr. 5), de paronomasiis (Is. 33, 1; Mich. 1, 10), de alliteratione i. e. consonantia vocum quoad consonantes initiales (Is. 5, 7; 21, 2) et de annominatione (Is. 7, 9), quae omnes euphoniae tantum inserviunt. Confer Sommer, Der Reim in d. heb. Poesie. Bibl. Abhandl. 1846, 85. — Gesenius, Lehrgeb. 856. — Grimme, Durchgereimte Gedichte im A. T. Bibl. Studien, VI. 1, 2.

3) Hic parallelismus membrorum invenitur etiam in carminibus antiquis Aegyptiorum (conf. Brugsch, Hieroglyph. Grammatik. 1872, 97) et Babyloniorum (Sayce, Babyl. Literatur, dtsch. v. Friderici 1878, 34). Cf. Westphal, Allg. Metrik d. indogerm. u. semit. Völker. Berl. 1892, pg. 5, 9, 13, 17, 30.

3) Parallelismus membrorum vel sententiarum rhythmus in eo consistit, quod sententia aliqua non simpliciter effertur, sed in suas partes aequaliter distribuitur, ita ut singula ejusdem membra aequali modo sibi correspondeant: rhythmus ergo cogitationi subjectus et totusque ab hac dependet, quo fit, ut rhythmica structura facile in versionibus retineri possit. Distinguitur autem parallelismis membrorum *a)* ratione argumenti triplex: α) synonymus[1]) (vel tautologicus), si eadem sententia aliis tantum verbis exprimitur, ut in priori membro proposita in sequenti ita repetatur, ut res rebus, verba verbis respondeant talique modo saepe sententia augeatur et clarior reddatur: β) antitheticus[2]), si membrum membro (v. g. virtutibus vitia) opponitur, praeprimis in Proverbiis Salomonis et Ecclesiastico obvius; γ) syntheticus[3]), si sententia unius membri in sequenti continuatur, magis evolvitur, firmatur aut comparatione proponitur. *b)* Ratione formae[4]) parallelismus est aut perfectus (Ps. 50, 3), aut imperfectus (Ps. 21, 5, 6), prout singula membra eadem plane aut diversa gaudent constructione.

1) v. g. Ps. 19, 3: *Mittat tibi auxilium de sancto,*
Et de Sion tueatur te; Jes. 53, 5.

2) v. g. Prov. 10, 16: *Opus justi ad vitam,*
Fructus autem impii ad peccatum.
3) v. g. Ps. 50, 15: *Docebo iniquos vias tuas,*
Et impii ad te convertentur. Prov. 27, 13.

4) Plerumque singuli versus duo membra = δίστιχοι (Gen. 4, 23), continent, occurrunt tamen et τρίστιχοι versus, ita ut singula membra sint synonyma v. g. Ps. 1, 1.

Beatus, vir, qui non abiit in consilio impiorum,
Et in via peccatorum non stetit,
Et in cathedra pestilentiae non sedit;

aut duo tantum synonyma et primo aut ultimo subordinata, v. g. Ps. 30, 8:

Exultabo et laetabor in misericordia tua,
Quoniam respexisti humilitatem meam,
Salvasti de necessitatibus animam meam;

vel Ps. 122, 2:

Ecce sicut oculi ancillae in manibus dominorum suorum,
Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae:
Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri;

imo et (rarius) τετράστιχοι sunt, ut membra simpliciter synonyma (v. g. Jes. 43, 2), aut bina ab-cd (Ps. 17, 7), vel elegantius ac-bd (Ps. 32, 13, 14) sibi respondeant, aut antithetica (Cant. 1, 5). Parallelismus antitheticus ad distichon restringitur. Πεντάστιχοι maximam partem compositi sunt e 2 distichis et monosticho (v. g. Ps. 38, 13; Cant. 1, 6), ἑξάστιχοι e 3 distichis compositi in canticis lyricis rariores sunt, frequentiores in scriptis propheticis (v. g. Hab. 3, 16, 17).

Unum membrum (μονόστιχος) versum quidem non constituit, sed alium aut introducit (Ps. 17, 2; 21, 2), aut claudit (Ex. 15, 18), aut inter duas strophas (Ps. 91, 9), nonnunquam etiam in medio cantico invenitur (Ps. 28, 7). Ceterum omnes hae formae non semper purae occurrunt, sed et mixtae, et variis modificationibus obnoxiae sunt. Singula versus membra pro ratione argumenti et characteris alicujus cantici 3 usque 15 syllabas continent.

4) Omnia fere carmina in strophas sive majores sive minores separari possunt, quarum singulae singulas cogitationes aut sententias, per versus decurrentes, continent, et repetito versu primo vel ultimo (Ps. 41, 6, 12; Ps. 42, 5), vel alio intercalari (Refrains v. g. Jes. 9, 12, 17, 21), aliisve signis indicantur. Probabiliter divisio haec (in Psalmis praecipue) facta est ideo, ut cantando, musicâ concomitante, inservirent.

Confer F. B. Köster, St. u. Kr. 1831, 1; — Wocher, Tübing. Q. 1834, 613. — De symmetria perfecta et imperfecta conf. Hävernick, Einl. III, 41—45. — Ewald, Dicht. d. A. T. I, 136. — D. H. Müller, Strophenbau u. Responsion, 1898; Komposition u. Strophenbau, Wien 1907.

5) Utrum Hebraei in carminibus suis forma metrica usi fuerint necne, gravis orta est quaestio.

Confer de hac re N. Schlögl, De re metrica Veterum Hebraeorum Vind. 1899, ubi varia systemata de hac re a viris doctis inventa recensentur; cf. etiam Döller, Rhythmus, Metrik u. Strophik in d. bibl. heb. Poesie, 1899. — J. Ecker, Porta Sion, 1903, 118 seq. — Cobb, A Criticism of Systems of Jews Metre. Oxf. 1905. — J. Rothstein, Grundzüge des heb. Rhythmus. Lpz. 1909.

Quoad rem metricam biblicam Hebraeorum viri docti in dies magis consentiunt, eam non tantum accentui, sed etiam quantitati syllabarum inniti. Generatim accentus primarius verborum singulorum simul accentus metricus est, nisi impediatur accentu primario alterius verbi cum ipso immediate concurrente, quo in casu jam in prosaico sermone alteruter

accentus cessat (nesîgâ). Utrum vero accentus secundarius alicujus verbi longioris fiat accentus metricus nec ne, tam a numero quam a quantitate syllabarum dependet, quae inter continuos accentus primarios inveniuntur. Distinguuntur versus binarum, quaternarum et quinternariarum sublationum. Versus ternarum sublationum non sunt nisi tetrametri catalectici.

Cetera, quae observanda sunt ad doctrinam de litteris, syllabis, accentibus pertinent, cf. H. Grimme, Grundzüge d. hebr. Akzent- u. Vokallehre, Freiburg (Schweiz) 1896; Abriß der biblisch-hebräischen Metrik. Zeitschr. d. Deutschen Morgenländischen Gesellsch. (1896 et 1897), L, LI. Strophenartige Abschnitte im Ecclesiasticus. Orientalistische Literatur-Zeitung. II (1899), 7, col. 213. Mètres et strophes dans les fragments du Manuscrit Parchemin du Siracide, Revue Biblique, 1900, p. 400. Durchgereimte Gedichte im A. T., Bibl. Stud., VI, 1, 2, p. 39. Psalmenprobleme (Freiburg 1902). Schloegl, Ecclesiasticus (39, 12—49, 16) ope artis criticae et metricae in formam originalem redactus (Vindobonae 1901), ubi in praefatione systema metricum Grimmeanum exhibetur eiusque ad textum Hebraicum restituendum summa utilitas ostenditur. Das Alphabet des Siraciden (Eccli. 51, 13—29), Z. d. Deutschen Morgenländ. Gesellsch. (1899) LIII, p. 669. Études métriques et critiques sur le livre des Proverbes, Revue Biblique, 1900, p. 518. Die heilige Poesie der Hebräer, Die Kultur, II, p. 442; III, 125, 489. Der 51. (50.) Psalm, Wiener Zeitschr. f. d. Kunde des Morgenlandes. Canticum cantic. hebraice. Vindob. 1902. Cf. etiam E. Sievers, Metrische Studien. I. Studien zur hebr. Metrik. Erster Teil: Untersuchungen (Leipzig 1901), de quibus Schloegl iudicium tulit in ephemeride, cui titulus: Literarisches Zentralblatt für Deutschland, 1902 (53. Jahrg.), Nr. 1, ubi Is. 1, 2—31 et Ps. 45 (44) metrice et strophice exhibentur: II. Th. Textproben. Zapletal, D. Metrik d. B. Cohelet, 1904, et De poesi Hebraeorum, 1909. — E. König, Stilistik, Rhetorik, Poetik in Bez. auf d. bibl. Liter. 1900. Die Poesie des A. T. Lpz. 1907. Cf. poesin Arabum apud Musil, A. P. III.

6) Sunt tandem carmina alphabetica[1]), quorum versus aut versuum membra a literis juxta ordinem alphabeti hebraici incipiunt, et quidem ita, ut aut singuli versus (Ps. heb. 25. 34. 145. Prov. 31, 10—31. Thr. 1. 2. 4.), aut terni (Thr. 3), aut octoni (Ps. 119), aut singula versus membra (Ps. 111. 112) juxta hunc ordinem alphabeti exordiantur. Carmina alphabetizantia, quae 22 tantum versibus vel stichis constant, sunt Pslalmi 33. 38. 39. 49. 50. 94. 103. 105—107. 155. 116. 146. 147. 1—11. Thr. 5. Haec forma non tam poëtici artificii ostentatio est, nec memoriae sublevandae inserviebat, quam ideo adhibebatur, ut carmina, quorum copia rerum non facile exhauriri poterat, saltem forma externa, nempe decurrendo ordinem alphabeticum, absolverentur, vel ut thema integrum ab initio usque ad finem tractari insinuaretur[1]).

1) Confer Sommer, l. c. 93; Lowth (ed Mich. p. 451): *Acrostichidis sive alphabetici carminis artificium — adhibebant Hebraei iis in locis neque temere alias, in quibus sententiae quaedam ipsa rerum et argumenti necessitudine non multum inter se connexae colligerentur.*

7) Poësis hebraica tres periodos percurrebat: *a)* primo florebat poësis lyrica a Moyse usque Davidem, *b)* didactica tempore Salomonis, et *c)* prophetica, quae nonnisi ob formae similitudinem poësis vocari posset, post Salomonem.

Ad a): Vestigia antiquissima formae lyricae poësis sunt: verba Adae (Gen. 2, 23 in 4 distichis), Lamechi (4, 23, 24), verba Noe (9, 25—27), benedictio Melchisedechi (14, 19, 20), verba ad Rebeccam (24. 60), benedictio Isaaci (27, 27; 28, 39), Jacob moribundi benedictiones (48. 15; 49, 1 seq.

cum poronomasiis et parallelismo imperfecto), cantica tria Moysis (Ex. 15, 1—21 cum strophis, Dt. 32; 33), verba Bileami (Num. 23, 24), cantica Debborae (Jud. 5) et Annae (1 Sam. 2). Praeterea huc spectant aenigma (Jud. 14, 14, 18 seq.), fabula in oratione soluta (Jud. 9, 8 seq.), parabola (2 Sam. 12, 1 seq.) et fragmenta e libris canticorum: libro bellorum Domini (Num. 21, 24) et Jaschar (Vulg. Justorum, Jos. 10, 13). Poëta lyricus celeberrimus David exstitit, psaltes egregius Domini, qui in Psalmis suis culmen poësis lyricae est adeptus, cui adnumeranda sunt carmina alia (2 Sam. 1, 18—27; 3, 33, 34; 22, 1—51; 23, 1—7) ab ipso concepta. Eum secuti sunt alii psalmistae coaevi et posteri. Ad poësim lyricam tandem pertinent Threni, Canticum canticorum, aliaque fragmenta Jes. 38, 10—20. Jon. 2, 3—10. Hab. 3. Dan. 3, 52—90.

Ad b) Salomon, rex piissimus (3 Reg. 3, 5—12; 5, 7), poësim didacticam, philosophiam (studium sapientiae חָכְמָה eamque sacram[1]) quam maxime coluit hujusque auctor[2]) est; aevum enim ipsius pacificum studiis his valde favebat. Deposita autem est sapientia illa didactica et religiosa praeprimis in operibus Salomonicis: Proverbiis (fonte literaturae sapientialis), Cantico, Ecclesiaste, dein in libro Job, Psalmis sapientialibus, Ecclesiastico et libro Sapientiae.

1) Philosophia Hebraeorum erat theosophia seu theoria, totam vitam juxta normam legis divinae instituendi ad felicitatem terrestrem et aeternam adipiscendam; ergo plane sacra, religiosa, practica, minus speculativa, quae ceteroquin tempore postexilico, influxu philosophiae graecae, magis evolvebatur. Deus igitur origo et fons hujus sapientiae fuit. Forma ejusdem erat gnomica (didactica). Tali modo philosophia haec Hebraeorum ab illa gentium distincta erat. Philosophiam, in hoc sensu sumtam, Hebraeis vindicarunt Menochius (de rep. Heb. VII. 1), Ewald (Gesch. III. 82), Oehler (Grundzüge der altt. Weisheit 5). Ideo praeter sacerdotes et prophetas mentio fit sapientum (חֲכָמִים Jer. 18, 18; Ez. 7, 26. Prov. 1, 6; 13, 20), qui, Salomonem secuti, theosophiae operam navabant, minime tamen ordinem constituebant, sed probabiliter in scholis propheticis eam imbibebant.

2) Josephus (Ant. VIII. 2, 5): Ἐν πάσαις ἐφιλοσόφησεν (col. 3 Reg. 4, 32, 33). Irenaeus (adv. haer. IV. 27, 1): *Eam, quae est in conditione* (κτίσει), *sapientiam Dei exponebat physiologice (Salomon)*, Zschokke, Dogm. eth. Lehrgeh. 1889.

Ad c) Genus poësis hebraicae propheticum, in quantum ita loqui fas est, summum florem attigit Ezechia regnante in Isaia; aevo illo etiam nonnulla carmina lyrica (Ps. 46; 48; 75; 76 etc.) oriebantur.

§. 47. Psalterium.

1) Psalterium vel liber Psalmorum est collectio 150 canticorum religiosorum, quae Hebraei in laudem Dei, instrumentis musicis concomitantibus, decantabant.

Psalmi collecti vocantur סֵפֶר תְּהִלִּים, vel תְּהִלִּים, abbrev. תִּלִּים; specialiter vero psalmus est מִזְמוֹר (et quidem 56 Psalmi) i. e. canticum, quod instrumentis musicis concomitantibus cantabatur; correspondet graece ψαλμός (a ψάλλειν) et ψαλτήριον (proprie *fides*), unde vocabula latina psalmus et Psalterium formata sunt, vel שִׁיר (LXX ᾠδή, Vulg. *canticum*), quae vox plerumque cum מִזְמוֹר conjuncta est Ps. heb. 48 (Vulg. 47). 66 (65), 83 (82). 88

(87). 108 (107), sed et separata occurrit Ps. 65 (64). 75 (74). 76 (75). Alia nomina sunt: מִכְתָּם vel potius מִכְתָּב (στηλογραφία, *tituli inscriptio*) i. e. carmen scriptum Ps. 16 (15), 56—60 (55—59), שִׁגָּיוֹן, carmen elegicum (Ps. 7), תְּפִלָּה (προσευχή *oratio*) canticum deprecatorium 17 (16). 86 (85). 90 (89). 102 (101). 142 (141), מַשְׂכִּיל (συνέσεως, *psalmus intellectus*) carmen didacticum 32 (31), 42 (41). 45 (44). 52—55 (51—54). 78 (77). 88 (87). 142 (141), תְּהִלָּה *hymnus* (Ps. 145).

2) Hebraei Psalterium antiquissimo more, partitioni Pentateuchi analoge, in quinque partes vel libros dividunt[1]); *a)* 1—40; *b)* 41—71; *c)* 72—88; *d)* 89—105 et *e)* 106—150; quatuor priores libri doxologiis *(fiat, fiat)* clauduntur[1]). Discrepat autem ratio numerandi in Vulgata et LXX a textu hebraico; illi enim Psalmos 9. et 10., 114. et 115. hebraicos in singulos conflarunt, attamen Ps. 116. et 147. in binos separarunt, ita ut numerus 150 Psalmorum rursus compleretur.[2])

1) Liber I. sola carmina davidica, II. et V. multa, III. et IV. pauca davidica continent. Divisionem Psalterii in quinque libros antiquissimam confirmant Origenes (in Ps.) Hippolytus (in Ps. §. 8), Epiphanius (de mens. et pond. cap. 5), Ambrosius (in Ps. 40, 37). Locus Act. 1, 20 *(liber Psalmorum)* divisioni illi tam parum obstat, quam Marc. 12, 26 *(liber Moysi)* divisioni Pentateuchi in quinque libros. Confer Delitzsch (Symbolae ad Ps. illustr. isagogicae 1846). — Istam divisionem speciali consilio factam defendunt Gregorius Nyss. (in Ps. tr. I. cap. 5): *Continentur in his (quinque) sectionibus artificiosa quaedam structura et divisio, et* (cap. 9): *Philosophia, quae semper ad majora et altiora virtutis studia traducit* — quod impugnant Hilarius (Prol. in Ps.), Augustinus in Ps., Hieronymus in Psal. Qualis ratio in disponendis Psalmis fuerit, ignoratur. Secundum ordinem historiae non sunt descripti. Nonnunquam Psalmi ratione habita ejusdem argumenti (Ps. heb. 46—48, 59—100, 146—150), vel melodiae (Ps. 57—59), vel auctoris (73—82), vel collectionis ac scopi (Ps. 120—133) conjungebantur. Psalmus primus est introductio vel inscriptio generalis totius Psalterii, et quasi summam theologicam Psalmorum continet; dum Psalmus secundus compendiose prophetias Psalterii complectitur. Verisimillimum est, quinque partes esse totidem psalmorum collectiones, quae personis debeantur de cultu divino restituendo vel promovendo bene meritis. Collectio prima ergo Davidi ipsi videtur deberi, secunda ab homine privato facta, a collegio Ezechiae regis in canonem recepta sit. Eidem collegio tribuenda videtur collectio tertia. Quarta demum et quinta post exilium Babylonicum a Nehemia (444—433 et anno circiter 420) additae sint. Cf. Cornely Introd. II. 108 seq.

2) Textus hebraicus.	LXX et Vulgata.
Ps. 1—8	1—8
9 et 10	9
11—113	10—112
114 et 115	113
116	114 et 115
117—146	116—145
147	146 et 147
148—150	148—150

Talmud 147 Psalmos numerat, contrahit enim Ps. 1 et 2, 42 et 43, 116 et 117 in singulos. Fürst, Kanon des A. T. 71.

3) Praecipuus auctor Psalterii est David[1]), cui jam tituli Psalmorum hebraici 73 Psalmos adscribunt. Salomoni adtribuuntur Ps. 71. (heb. 72) et 126. (127); Moysi Ps. 89. (90). Asapho Levitae, principi cantorum laudantium Deum et prophetae tribuuntur, Psalmi 12, puta: Ps. 49. 72—82. filiis Core (Corach), cantoribus leviticis, Psalmi decem: 41. 43—48. 83.

84. 86., Emano Psalmus 87. et Ethano Ezrahitis (cantoribus leviticis sapientiâ praeclaris) Psalmus 88. Attamen utrum psalmi his ut auctoribus an tantum ut magistris tribuantur, qui numeris chori canentibus praeerant, non constat. Nonnuli e Psalmis anonymis[2]) seu titulo destitutis tum tempori Davidico, tum ante- et postexilio aevo tribuendi sunt. Nulli tamen Psalmi e tempore Machabaeorum[3]) in Psalterium nostrum recepti sunt.

1) Talmud (Seb. 117 a. Bab. bath. 14 *b*), Augustinus (C. D. 17, 14), Philastrius (Haer. 130), Chrysostomus (Proem. in Ps.). Ambrosius (in Ps. 43. 47). Theodoretus (Prol. Ps.), Thomas (Proem in Ps.) et alii Davidem omnium Psalmorum auctorem habent, et Psalmos nonnullos a Davide aliis titulis inscriptos fuisse putant, ut ab Asaph et Corachitis decantarentur — contra quos Hippolytus (Ps. 1), Hilarius (Prol. Ps. 2.): *Absurdum est, psalmos David cognominare, quum tot auctores eorum ipsis inscriptionum titulis edantur.* Eusebius (in Ps. prooem.), Athanasius (ad Marc. 30), Hieronymus (ep. ad Sophron.) et recentiores fere omnes docent, Psalmorum auctores esse illos, quorum nomina in titulis leguntur. Poterat autem collectio Psalmorum (inde a concilio Tridentino) recte nominari Psalterium Davidicum, quia David majorem Psalmorum partem conscripsit (a potiori fit denominatio), et aliis, ut eos conscriberent, auctor exstitit (col. Luc. 20, 42). Inscriptiones praeterea in LXX et Vulgata Davidi auctori adhuc tribuunt 12 Psalmos (32. 66. 70. 92—98. 103 et 136); tandem ex aliis locis s. Scripturae patet, plures anonymos Psalmos etiam esse Davidis v. g. 2 (Act. 4, 25); 15 (Act. 2, 25), 17 (2 Sam. 22). 31 (Rom. 4, 7), 68 (Rom. 11, 9), ita ut huic ad minimum 88 Psalmi (Thalhofer, pg. 8) debeantur.

2) Hebraei, quos secuti sunt Origenes (sel. in Ps.). Athanasius (Praef. in Ps.), Eusebius (in Ps. 27), Hilarius (Prol. 3 in Ps.) et Hieronymus (ep. ad Cyp. 140, 2), Psalmos anonymos eorum esse immerito putant, quorum nomina in prioribus Psalmis continentur; hoc principio adoptato, Psalmi 90—99 uti 89, essent Moysis; ast 94. (Heb. 4, 7) et 95. (1 Par. 16, 23) Davidi adscribuntur, et verba Ps. 98, 6 (Samuel) historice, non prophetice proferuntur. Traditio judaica 10 auctores (Sekenim) Psalmorum novit. Confer Fürst, Kan. 66.

3) Praeeuntibus Rudinger (XVI. sec. 25 Ps.) et Venema (XVIII. sec. 34 Ps.), recenter nonnulli Protestantes (Hitzig, Olshausen) multos Psalmos in tempora Machabaeorum reponunt. quam sententiam impugnarunt catholici interpretes (Himpel, Tüb. Quart. 1870, 403) et e protestanticis Keil, Hupfeld, Gesenius, Bleek-Wellhausen, Ehrt, Abfassgsz. und Abschluß des Psalt. Lpz. 1869 etc.; nam 1 Par. 16, 8—36; 2 Par. 6, 41; 2 Mach. 2, 13 Psalterium tanquam librum clausum supponunt, et versio LXX omnes illos Psalmos jam continebat. Zeitsch. kathol. Innsbruck 1890, p. 751 seq.

4) Tituli seu inscriptiones Psalmorum plerumque nomen auctoris vel choregi cujusdam indicant, nonnulli etiam alia annexa habent. quibus indicantur occasio, vel argumentum, aut dies, melodia et instrumenta, quibus decantandus est Psalmus[1]). Alii auctoris nomen adscriptum non habent (in textu hebraico 50, LXX 33. Vulg. 35) ideoque anonymi (talmudice יתומים i. e. *orphani*) vocantur. Nonnulli Psalmi in versione LXX et Vulgata titulis sunt insigniti, carent autem his in textu hebraico; imo in Vulgata quandoque brevia additamenta titulis textus hebraici adjecta sunt, quae partim a Patribus rejiciuntur[2]). Quare tituli, qui simul in hebraeo et in versionibus graeca et latina exstant, critice ergo certi et ab ipsis auctoribus sunt additi[3]), authentici habendi[4]) ideoque divinitus inspirati sunt, constituunt enim Psalmorum partes[5]).

1) Sic v. g. Ps. 29: *Psalmus cantici in dedicatione domus David.* Ps. 37: *in rememorationem de Sabbato.* Ps. 91: *in die Sabbati.* Ps. 99: *in confessione* (heb. *pro pacificis*

sacrificiis). Titulus Psalmorum heb. 106 (105). 111—113 (110—112). 117 (116). 135 (134). 146—150 (145—150) et juxta LXX et Vulgatam adhuc sequentium: 104. 106. 113. 114. 115. 117. 118. 135. הַלְלוּיָהּ *(Alleluja)*, et Psalmorum 119—133, *cantica graduum*, usum eorum designant. Tituli Ps. 21: *cerva aurorae*, Ps. 44. 68. 79: *lilia*. Ps. 55: *columba muta* (heb.), Ps. 59: *lilium testimonii*, cum praepositionibus עַל vel אֶל videntur melodiam vel chori cujusdam indicare; instrumenta vero, quibus concomitantibus Psalmi decantandi sunt, notant tituli Ps. 4. 6. 53. 54. 66. 76: בִּנְגִינוֹת *(instrumentum pulsatile)*, Ps. 8. 80. 83 *ad Gittith*, instrumentum fidibus munitum, Ps. 52. 87: *ad citharam*, Ps. 6. 11: עַל־הַשְּׁמִינִית pro octava (post octavum tonum Psalmi-basso) etc. — Obscurum est vocabulum, 53ies occurrens, למנצח, quod textus masorethicus legit לַמְנַצֵּחַ i. e. *praefecto musices* sc. tradendus, ut in liturgia decantetur; LXX autem vertit (לַמְנַצֵּחַ) = εἰς τὸ τέλος (i. e. ad liturgiam sacram), Vulg.: *in finem* h. e. Psalmus, qui in fine liturgiae est decantandus vel ad sacrificia (Mlčoch l. c.), vel qui in Christum spectat (Thalhofer: *fortissime*). Vox סֶלָה, 71ies in Psalmis obvia, quae varie a variis explicatur (LXX: διάψαλμα Theodoretus: εἰς τέλος, Hieronymus: *semper*) et in Vulgata plane omittitur, est probabiliter notula musica vel pausatio, Psalmo recitando inserviens, tanquam signum, nunc cantorem in verbis Psalmi decantandis paululum quiescere et silere, et cantum fidium interponere, vel transitus ex »piano in forte« (ergo sursum) indigitabatur. Confer Hieronymum (ep. ad Marc. 28). — Gregorium Niss. (de inscript. Ps. Cap. 10). — Calmetum (diss. in Sela). — Sommer (Bibl. Abhandl. 1—84). Alii (Koester, Ley) tanquum signum rhythmicum, quo dividuntur strophae, considerant, derivantes a sal = *dividere*. Optime Zenner, Die Chorgesänge im Buche d. Ps. pg. 19 seq. comprobat, vocem selah designare finem strophae a choro quodam canendae, et indicare sequentem stropham ab alio choro esse pronuntiandam. Cf. Schlögl, De re metr. pg. 10. — Thirtle, Titles of the Psalms. Lond. 1904. — Zapletal, Alttest. 1903, 139—157.

2) V. g. ad Psalmum 64. (heb. 65) addit Vulgata: *Canticum Jeremiae et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire*, quae verba rejicit Theodoretus. Ad Psalmum 136. (137) addit: *Davidis, Hieremiae.* ad Ps. 145, (heb. 146): *Aggaei et Zachariae*, quae rejicit Hilarius (Prol. in Ps. 2).

3) Probabiliter aliqui tituli, qui in LXX et Vulgata inveniuntur, ab Esdra (juxta Thomam ad Ps. 6), aut aliis auctoribus sacris jam antiquissimo tempore Psalmis appositi sunt, qui e textu hebraico exciderant, de qua re et de sensu eorum, saepe obscurorum dijudicare, artis est criticae. Multas inscriptiones, quae in LXX et Vulgata solis leguntur, genuinas esse, censent Vigouroux Man. II, 242. Cornely l. c. 87. Confer: Calmetum (diss. in Ps.). — Gregorium Nyss. (de inscript. Ps. tr. II.). — H. Rée, Forsch. über die Übersch. d. Psalmen, 1846.

4) Tituli ob auctoribus ipsis sunt scripti; authentiam enim eorum confirmant: *a)* mos poëtarum hebraicorum (v. g. Habacuc 3, 1) et arabicorum, praeponendi carminibus titulos; *b)* quod non omnes Psalmi iis insigniti sunt, et varietas horum titulorum; *c)* argumentum eorum, nam notae quaedam, musicam concernentes, tempore postexilico erui amplius non poterant; reliqua autem additamenta non tantum cum argumento Psalmi conveniunt, sed et libris historicis confirmantur. Authentiam titulorum negarunt post Theodorum Mops.: Vogel (1767). Eichhorn, Wette-Schrader, Bertheau, Hitzig, Lengerke, Olshausen, Reuß — defenderunt autem Schegg, Reinke, Reusch, Danko, Haneberg, Kaulen, Vigouroux, Lesétre, Cornely, atque Delitzsch, Keil, Hävernick, Hengstenberg, licet nonnulli dubitent, utrum auctoribus an primis collectoribus debeantur.

5) Hilarius (prol. in Ps. 119) auctoritatem sibi invicam praestare Psalmum et titulum docet. Hieronymus (auct. brev. in Ps.) titulos *claves Psalmorum* vocat, et (Ez. 14, 48) inscriptiones *sacramenta Ecclesiae* continere ait. S. Chrysostomo docente (de compunct. II, 4) tituli *Spiritu sancto dictati*, Bossueto (in Ps. 6) *divinitus inspirati* sunt, et secundum s. Augustinum (in Ps. 58) *mysteria Psalmorum* continent. Confer Calmetum, Diss. de titul. — Lamy, Introd. II, 108.

5) Unusquisque Psalmus proprium quidem argumentum habet, illud tamen omnibus est commune, ut Deum omnipotentem celebrent, animam a peccatis dehortentur, ad pietatem excitent, et omnium praecipue desiderium foveant, ut anima Deo uniatur, in Deo veluti liquescat[1]). Hinc Psalmi sunt:

a) Hymni, quibus laudes, perfectiones divinae, et quidem potentia, bonitas, misericordia etc. celebrantur, et gratiarum actiones ei offeruntur[2]).

b) Deprecatorii, qui preces et orationes fundunt, et elegici, in quibus querelae de miseriis communibus et specialibus fiunt ac misericordia divina imploratur; melius consolatorii vocantur[3]). Pertinent huc Psalmi poenitentiales[4]) et imprecatorii[5]).

c) Didactici aut sapientiales, qui doctrinas morales explicant atque timorem Dei tanquam fontem sapientiae decantant (1. 110. 111. 118. 124. 126. 127).

d) Historici seu nationales, in quibus beneficia, populo inde a Patriarchis divinitus collata, recensentur et Israelitae ad observationem legis monentur[6]).

e) Cantica graduum (הַמַּעֲלוֹת *ascensionum*) 15: Psalmi 119—133, quae probabiliter (col. Ps. 121, 4. Is 30, 29) tempore festorum et peregrinationum Hierosolyma a peregrinantibus in itinere et a Levitis, in festo tabernaculorum stantibus in gradibus atrii externi, decantabantur, quocum congruit rhythmus eorum festinans. Sed cf. Grimme, Orient. Lit. Zt. 1901, 180 seq.

f) Prophetici, et si speciatim de Christo ejusque regno agunt, messiani[7]) (Luc. 24, 44), qui sunt aut α) mediate, indirecte vel typico-messiani[8]), si de Christo vaticinantur in sensu typico, i. e. talia continent, quae ad literam (Davidem vel aliam) personam A. T. spectant, et mediate ad Christum diriguntur, quatenus persona ille typum Christi gessit, aut β) immediate, directe seu exclusive messiani, si literaliter ad Christum ejusque Ecclesiam referuntur: Ps 2. (de victoria Messiae regis), 109. (simulque de ejus sacerdotio), 21. (de passione ac 15. de resurrectione et gloria ejus), 71. (de regno Messiae aeterno et pace perpetua) et 44. (de Christo ejusque Ecclesia tractantes).

1) Confer Ps. 62, 2: *Sitivit in te anima mea.* 33, 9: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* 72, 25: *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* etc. In Psalmis haud paucis sensus religiosi sunt mixti. Psalmi Davidis praeterea cum vitae ejus circumstantiis in nexu intimo sunt, ita ut historia inde illustretur.

2) Sunt iterum varii generis: aut majestas divina generatim (32. 95. 97. 99. 102. 112. 116. 133. 144. 150), aut potentia Dei in mundo visibili se manifestans celebratur (8. 18. 28. 92. 103. 148), aut Deo grates rependuntur pro ereptione e peccatis (31), e publicis necessitatibus (9. 17. 20. 45—47. 64—67. 75. 96. 106. 117. 123. 128. 137. 145. 147), vel e specialibus miseriis et passionibus (30. 40. 56. 114).

3) Sic imploratur auxilium Dei, ut liberet a peccati culpa (24. 37. 38. 129), a specialibus miseriis et angustiis (3. 5. 7. 11. 12. 16. 25—27. 34. 53—55 etc.), vel a necessitate communi (10. 43. 59. 70. 78. 79. 82. 84. 89. 93. 103 etc.). Spes, fiducia in Deum consolatorem et liberatorem exprimuntur in Ps. 4. 10. 23. 31. 41. 62—64. 75. 77. 91. 120. 131.

4) Psalmorum poenitentialium, in quibus anima de peccatis commissis dolet veniamque precatur, plures exstant in Psalterio, usu autem Ecclesiae antiquo septem tantum

sunt recepti: Ps. 6. 31. 37. 50. 101. 129. 142, qui docente Origene (hom. 2 in Lev.) septem modis, quibus Deus misericors peccata remittit, correspondent. De relatione Ps. poenit. ad similes hymnos babylonicos cf. Eberharter, Tüb. Qrtsch. 1909, 1 seq.

5) Psalmi imprecatorii seu maledictorii (34. 51. 53. 54. 57. 58. 67. 108. 136), in quibus vindicta divina et infausta omnia super inimicos regni divini et singulos eorum duces exposcuntur, ex ingenio A. T. explicandi sunt; nam *a)* imprecatio plerumque non ad personas (inimicos) in concreto, sed ad characterem hostilem eorum in abstracto (peccata, scelera) referuntur, etenim Lex mosaica (Ex. 23, 4; Lev. 19, 18, 34) et Libri ss. A. T. (Prov. 24, 17; 25, 21 seq. Job. 31, 29) etiam inimicum diligendum esse statuunt, quia *praeceptum dilectionis inimicorum est legis naturae* (Thom.); praeterea plurimi hujus speciei Psalmi a Davide auctore derivantur, cujus indoles ab omni ulciscendi cupiditate et iracundia erat vacua, mansueta ac mitissima (1 Sam. 24; 2 S. 16, 10) quique illam abominabatur (Ps. 7, 5, 6). — *b)* Imprecatio hostium semper theocratiam simul respiciebat, quae ab inimicis illis eorumque agendi ratione laedebatur, ideoque non ex libidine vindictae proficiscebatur, sed ex amore justitiae, et intelligenda est tanquam conditionalis, h. e. ut mali male pereant, nisi resipiscant. Tales imprecationes etiam salutares erant, utpote quibus improbi terrore percellebantur, probi in virtute confirmabantur, gloria divina promovebatur, itaque victoria ac status regni divini perfectus efficiebatur (confer Heb. 10, 27; Rom. 2, 5). Significant ergo desiderium non poenae, sed destructionis culpae. — *c)* Psaltes imprecans non ipse in persona est laesus, sed personam idealem justi injuste patientis gerebat. — *d)* Genus canticorum hoc partim e statu Antiqui Testamenti imperfecto, in quo justitia praevalet misericordiae (Matth. 5, 43), per Christum perficiendo, explicatur, quamvis et in N. T. (2 Tim. 4, 14; Act. 23, 3 etc.) similes expressiones non plane desiderentur. — *e)* Porro istae imprecationes non sunt ubique execrationes proprie tales, sed sub execrationis specie verae praedictiones et vaticinia, quibus ira divina (Gal. 5, 12) impoenitentibus annuntiatur. Ita Chrysostomus in Ps. 108, Eusebius P. 54, 16, Theodoretus Ps. 34, Augustinus in Ps. 34 et 108. — Tandem *f)* Psalmi ejusmodi antidotum contra idololatriam nimiamque hujus indulgentiam et tolerantiam exstiterunt. Juxta s. Thomam (2. 2. q. 25 art. 6) *Imprecationes hujusmodi tripliciter possunt intelligi: 1) per modum praenuntiationis, non per modum optationis (Ps. 9, 18). 2) per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad poenam hominum, sed ad justitiam punientis* (Ps. 57, 11, ut sit quasi indignatio contra culpam et approbatio divinae justitiae) . . *3) ut desiderium referatur ad remotionem culpae, non ad ipsam poenam, ut scil. peccata destruantur et homines remaneant.* König, Theol. d. Psalm. 1757. 451. seq — Rohling, Ps. pg. 17 seq.; Martin, Feindespsalm. Zeitschr. f. Wiss. u. Kunst. 1845. 1, 299. — B. Schäfer, Über Fluch- und Rachepsalmen im kathol. Seelsorger, 1889.

6) Sunt Psalmi, in quibus Deus celebratur ob paternam ductionem populi sui (80, 93. 94. 98. 104, 113. 134. 135. 149), ob legem ei datam (18. 110) et quia Jerosolymam sedem majestatis suae fecerat (23. 83. 86. 121. 124).

7) Psalmi messiani nituntur vaticiniis messianis Pentateuchi, praeprimis autem 2 Sam 7, 12—16 col. 1 Pet. 1. 11. et eo praecipue tempore (davidico-salomonico) sunt compositi (quo theocratiae muneribus pontificio, regio et prophetico evolutis materia ac typi aderant, quibus idea de Messia ejusque regno evolvi ac illustrari poterat. Criteria, e quibus character messianus eruitur, petuntur *a)* e N. T. v. g. Luc. 20, 42; 24, 44; Act. 13, 33; *b)* e communi fide Judaeorum et Christianorum, *c)* e relatione Psalmorum ad Pentateuchum, *d)* e materia substrata, *e)* e locis parallelis. Confer Hengstenberg, Com. über mess. Weiss. — Schegg, Ausg. Psalm. Regensb. 1843. — Reinke, Mess. Psalm. 2 Bde. Giessen 1857 (I. 20 literatura). — Bade, Christologie II. — G. Mayer, Patriarch. Verheissungen und mess. Psalm. Nördl. 1859.

8) Huc spectant Ps. 8. 18. 34. 39. 40. 67. 68. 77. 96. 101. 108. 116. 117, quorum characterem messianum testatur N. T.; porro 3. 4. 5. 10. 14. 16. 17. 22. 23. 26. 27. 28. 29. 46. 48. 53—56. 63. 66. 69. 70. 72. 75, 76. 84. 85. 87. 93. 95. 97. 98. 106. 113. 119. 138—142; specialiter Ecclesiam Christi spectant Ps. 45. 47. 78. 79. 86. 121. 126. 147. Confer Thalhofer l. c. pg. 17.

6) Psalmi in evolvenda revelatione divina A. T., tum objective, tum subjective, maximi sunt momenti, quia *a)* complectuntur integram revelationem quoad partem dogmaticam, ethicam, et historico-theocraticam; nam doctrinae de Deo ejusque proprietatibus, de providentia et regimine mundi, de relatione hominis ad Deum, de benedictionibus et gratiis specialibus theocratiae, de peccato, imprimis de Messia magis enucleantur et explicantur; per Psalmos messianos idea de Messia, ejus divinitate atque opere evoluta est, eo magis, quum typis, i. e. substrato sacerdotii, regni ac prophetismi, superstructa fuerit[1]). *b)* Psalmis, qui crebro usu ediscebantur et memoriae imprimebantur, clarior doctrinarum cognitio efficiebatur pietasque promovebatur ac confirmabatur, ita ut doctrina revelationis divinae, facta et spes in futurum Messiam eis popularia quasi evaserint[2]).

1) Ambrosius (Enar. in Ps. 1 Praef.): *Psalmis nobis non solum nascitur Jesus, sed etiam salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad coelum, sedet ad dexteram Patris.* Confer Reinke l. c. I. 2. — Stolberg, Geschichte d. Rel., III. 482.

2) Confer König, Theol. de Psalmen. Freib. 1857. §. 3—9. — Delitzsch, Psalmen. Leipz. 1867, pg. 42—54.

7) Psalterium esse librum canonicum et divinitus inspiratum, testantur *a)* character doctrinarum et virtutum, quae in Psalmis exponuntur[1]). *b)* Clara testimonia Novi Testamenti[2]) *b)* Nonnihil huc etiam usus Psalmorum liturgicus in cultu Antiqui[3]) et Novi[4]) Testamenti facere videtur.

1) Peaeter doctrinas superius notatas in Psalterio evolvuntur virtutes supernaturales, quae nonnisi tanquam effectus Spiritus s. considerandae sunt; ideo Psalmi fontem principalem totius vitae religiosae constituunt, et continent principia et regulas, quae omnibus vitae christianae necessitatibus et indigentiis adaptari possunt. Non raro quidem promissiones terrestres urgent, quae ex ipsa lege (Dt. 28, 1 seq.) et statu imperfecto A. T. explicantur, nihilominus tamen etiam alia motiva noverunt, ob quae virtus et pietas amplectendae sunt, nimirum pacem internam (Ps. 4. 7; 12, 6; 30, 20) beatitudinem aeternam (1, 5, 6; 16, 15; 48, 16; 55, 13; 72, 25).

2) Psalmi a Christo et Apostolis tanquam Scriptura divina citantur (Matth. 21, 16, 42. Marc. 12, 10. Joh. 10, 34; 13, 18; 17, 12; 19, 24, 28. Heb. 1, 5 seq.), imo tanquam pars Librorum sacrorum allegantur (Luc. 24, 44), et eloquia Psalmorum tanquam vaticinia proferuntur (Joh. 19, 24 col. Ps. 21. 19; Act. 2, 25 seq. col. Ps. 15; 13, 22 col. Ps. 88, 21; Heb. 5, 5 col. Ps. 2, 7). Christus et Pharisaei inspirationem Psalmorum directe enuntiant Matth. 22, 43: *David in Spiritu*; Marc. 12, 36: *David dicit in Spiritu sancto.* Magistrum secuti sunt Apostoli, Judaeis praedicantes: *Oportet impleri Sripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David* (Act. 1, 16 col. Ps. 40. 10; Act. 2, 25; 4, 25). Heb. 3, 7: *Sicut dicit Spiritus sanctus* (col. Ps. 94, 8); Heb. 4, 7.

3) David constituit cantores, *ut glorificarent et laudarent Dominum Deum Israel* (1 Par. 16, 4). Similiter Ezechia (2 Par. 29, 25, 30) et Josia regibus (35, 15) et tempore postexilico Psalmi in templo decantabantur (Es. 3, 10; Neh. 12, 24, 25). Nehemias insuper Psalmos uti libros prophetarum in loco sacro reponi jussit (2 Mach. 2, 13). Traditione judaica referente cum sacrificio jugi et sacrificiis eucharisticis (Ps. 37, 69) cantus certorum Psalmorum conjungebantur. Usum liturgicum Psalmi 135. expresse 2 Par. 5, 13 testatur. Sex Psalmi (112—117.) cantabantur in Noemeniis, in festis Pentecostes, Tabernaculorum, Dedicationis templi, et Paschatis, dum agni mactabantur et agnus paschalis comedebatur (Matth. 26 30. Marc. 14, 26). Vocantur hi Psalmi Hallel magnum (a prima voce Psalmi). Ultimum

horum (117.) Judaei messianum habuerunt, nam eo Christum Jerusalem ingredientem salutarunt (Matth. 21, 9). — Cantica graduum probabiliter ab Israelitis ad templum peregrinantibus cantabantur. Praeteria feria I. (dominica) Psalmus 23., feria II. Ps. 47, fer. III. Ps. 81., fer. IV. Ps. 93., fer. V. Ps. 80., fer. VI. Ps. 92. et Sabbato Ps. 91. cantabantur, saltem inde ab aevo Seleucidarum; nam relationes hae talmudicae confirmantur inscriptionibus Psalmorum 24. 48. 93. 94. in LXX obviis. Serius Judaei totum Psalterium in septem pericopas diviserunt, quas singulis hebdomadae diebus recitabant (Haneberg, Geschichte, 347). Nonnulli Psalmi 14. 19. 20. 23. 45—47. 66. 71. 75. 105. 108. 112. 115. 117. 118. 123. 133. 135. 147—150 a coetu vocibus alternantibus, litaniarum instar, cantabantur (uti Ex. 15, 21; Neh. 12, 27 seq.), quem morem etiam Ecclesia adoptavit.

Psalmos etiam in oratione privata adhibitos fuisse, patet e 2 Sam. 23, 2; Is. 38, 20; Jon. 2; Jer. 33, 21; Eccli. 51.

4) Cum synagoga plane certavit Ecclesia de usu Psalmorum. Exemplum Christi magistri (Matth. 26, 31. Marc. 14, 27), qui ipse in cruce suspirans verbis Psalmi 21. (Matth. 27, 46) est usus, imitati sunt Apostoli (Eph. 5, 19. Col. 3, 26) et Ecclesia, quae Psalmos ad cultum publicum (in sacrificio Missae, orationibus, benedictionibus) et privatum adhibuit (Act. 16, 25. 1 Cor. 14, 15), imo in varias diei horas (Breviarii) distribuit. Ideo merito omnes sancti Patres cantica haec summis elogiis celebrarunt.

Ecclesia graeca Psalterium ad usum liturgicum in 20 sessiones (Καθίσματα) divisit, quarum singulae tres stationes (στάσεις) complectuntur.

8) Textus nonnullorum Psalmorum, quando in usum liturgicum colligebantur, varias mutationes subiit[1]); praeterea textus masorethicus multis mendis scatet, quae partim ex versionibus immediatis, praeprimis e LXX corrigenda sunt[2]).

1) Sic v. g. nonnulli Psalmi decurtati sunt (Ps. 53, col. Ps. 14); nonnunquam e prioribus Psalmis posteriores locupletati sunt (Ps. 115, 4—8; 135, 15—18). Tempore exilico nonnullis Psalmis additamenta adjecta sunt.

2) Quaedam mutationes jam ante originem versionis LXX, plurimae tamen post eam enatae sunt; numerus lectionum variantium permagnus est. Usui critico inserviunt, praeter versionem graecam, fragmenta Hexaplorum et versio Peschito, praesertim autem ars metrica. Confer Kaulen, Einleitung, pag. 262 seq. — Grimme, Psalmenprobleme. Frb. 1902.

Commentarii: Le Long (Bibl. s. II. 1908 ultra 1200 com. nominat). — Handschuh 5. Vol. 1839: — Schegg ed 2. 1857. — Rohling 1871. — M. Wolter 1871 nov. ed. 1904. — Reischl 1873. — Patrizi S. J. 1875. — Le Hir 1876. — J. Buten (vlamia), 1878. — Langer 1889. — Raffl 1892. — Thalhofer, 7. ed. 1904. — Hoberg 1892, 2. ed. 1906. — Niglutsch 1897 ed. 2. 1905. — M. Mlčoch 1898. — Ecker, Porta Sion 1903. — Zenner-Wiesmann 1906 seq. — Acatholici: Hengstenberg 1852. — Riehm 1867. — Stier 1870. — Hupfeld-Nowack 1888. — Duhm (Marti) 1899. — Kessler 1899. — Baethgen-Nowack, 3. ed. 1903. — Delitzsch, 5. ed. 1903. — Briggs, Edinb. 1907.

§. 48. Liber Proverbiorum.

1) Liber Proverbiorum[1]) continet (circiter 500) parabolas morales, et graves succinctasque sententias mysterii, pietatis et sapientiae plenas atque poëtice conceptas.

1) In textu hebraico מִשְׁלֵי vel מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה vocatur; a LXX; παροιμίαι, Vulg. *Proverbia* (utraque versio proverbia a parabolis non clare distinguit), a Talmud סֵפֶר חָכְמָה (liber sapientiae), ab Eusebio (Hist. eccl. 4, 22) et Clemente Rom. (ad Cor. 1, 57) ἡ παναρετος σοφία (i. e, omnem virtutem docens vel omnistudiosa), a Cypriano (Testim. 3. 56) *Sapientia*

Salomonis, quia hic liber est primus quinque sapientialium (Eccl., Cant., Sap., Eccli.), qui omnes in Missali *liber Sapientiae* vocantur. Vox מָשָׁל late patet et significat adagium, aenigma, parabolam sententiam acute dictam, similitudinem. Quamvis in sacra Scriptura huc illuc proverbia proprie dicta (profana) ocurrant (Gen. 10, 9; 1 Sam. 10, 12; 19, 24; 24, 14; 2 Sam. 5, 8; 20, 18. Ez. 12, 22; 16, 44; 18, 2), liber Proverbiorum (si 22, 6 excipias) non vulgaria proverbia, sed sententias morales continet, quae non sunt nisi fructus sapientiae divinae et reflexiones in lege divina, quasi ethica axiomata, quae hominem in quovis casu ad sapienter agendum et vitam prudenter instituendam erudiunt et dirigunt.

2) Liber Proverbiorum in 5 partes dividitur: *a)* introductionem[1]) (1, 1—7); *b)* monita et exhortationes ad excolendam sapientiam; transit autem a sapientia creata ad sapientiam divinam[2]), quam elogio praeclaro celebrat (1, 8—9, 18); *c)* collectionem sententiarum vel gnomarum[3]) varii generis (10, 1—24, 31); *d)* novam collectionem[4]) (25—29), et *e)* triplicem[5]) appendicem (30, 1—31, 31).

1) Proponit auctor scopum Proverbiorum, qui est, docere sapientiam practicam, quae in recte agendo consistit, cujus proinde initium est timor Domini.

2) Sapientia, de qua in libris sapientialibus sermo habetur, duplex est; creata et increata. Sapientia creata, quae ope sapientiae divinae in mente humana formatur, intelligitur tum speculativa, qua res divinas et humanas perscrutamur, tum practica vel ethica, qua ad omnes virtutes et recte agendum impellimur. Increata sapientia sumitur nunc ut essentiale divinitatis attributum (sapienta essentialis), per quam Deus fecit omnia, nunc personalis vel notionalis i. e. Filius Dei, qui est Sapientia genita et Verbum Patris, nunc incarnata, Christus homo, qua doctrina τοῦ λόγου praeparatur, imo speciali modo evolvitur. In hac parte adhortatur Salomon omnes ad sapientiam, proponendo ejus dignitatem, naturam et causas (materialem, formalem, efficientem et finalem), ac effectus sive ingentes fructus et commoda, quae sapientia plena manu confert sui studiosis. Cf. R. Pfeiffer, Begriff und Bedeutung der Weisheit in d. Prov. Einl., 1896.

3) Haec et sequens pars continet ipsa dogmata et praecepta sapientiae. Sunt autem »*Parabolae Salomonis*«, uti fert inscriptio, sententiae ethicae, oeconomicae, politicae, theologicae; aliae insuper sunt doctrinales, aliae consolatoriae, comminatoriae, promissoriae, practicae vel adhortatoriae. Generatim rhythmi perelegantes tum antithetis, tum paronomasiis insigniti sunt. Crebro opponit sapientem stulto, justum impio, divitem pauperi, ac generatim virtutem vitio, virtuti sua praemia, vitio suas poenas annectens. Quaedam etiam sunt non tam de moribus, quam de eventibus hujus seculi, quae certos status, officia, actiones in hac vita comitari vel subsequi solent. Generatim sine ordine et mixte proponuntur. Plerumque obviae sunt catenae parabolarum i. e. conjunctiones plurium proverbiorum, de eadem re tractantium, v. g. de stulto (26, 1—12), de pigro (26, 13—16), de fallaci (26, 23—27).

4) Haec collectio incipit inscriptione: *Hae quoque Parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Juda*, ergo Ezechiae tempore ad priorem collectionem adjecta est.

5) Prima appendix (cap. 30) continet proverbia Agur, altera (31, 1—9) exhortationes matris (Bethsabee) ad regem Lemuel (Vulg. Lamuel), tertia (31, 10—31) carmen alphabeticum (aureum), quod encomium *mulieris fortis* decantat. Quinam fuerint Agur (juxta Talmud sapiens quidam) et Lamuel, non constat. Plures interpretes nomina haec (Agur = *congregans*, et Lamuel = *Deo consecratus*) symbolica nomina Salomonis esse putant, dum alii Lamuelem fuisse censent regem Massa (30, 1; 31, 1), tractus arabici. Confer Mühlau, De Prov., quae dicuntur Aguri et Lemuel, origine et indole, Lips. 1869.

3) Auctor Proverbiorum (Cap. 1—29) recte habetur Salomon[1]); uti testantur inscriptiones: *Parabolae Salomonis* (1, 1; 10, 1; 25, 1), ingenium ejus et constans traditio[2]). Licet autem Salomon parabolas suas scripserit.

tamen liber in praesentem formam aetate Ezechiae regis redactus est. Quis auctor appendicum sit, non constat. Finis libri vere ethicus est[3]):

1) Fuit Salomon dono et judicio Dei omnium sapientissimus, in ethica aeque ac in omni sapientia et scientia excelluit: *Dedit Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam ... et erat sapientior cunctis hominibus. Locutus est tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque et mille* (3 Reg. 4, 29—32); hinc liber noster (Cap. 1—24) epitome est ex ista collectione Proverbiorum, a Salomone ipso instituta; nam liber Prov. 911 versus continet. Elegerat ea tantum proverbia religiosa et ethica, quae scopo suo conveniebant. Parabolas Cap. 25—29 etiam a Salomone conscriptas fuisse, probat inscriptio: *Hae quoque parabolae Salomonis,* quas viri h. e. collegium eruditorum, quibus Ezechias rex curam Librorum sacrorum colligendorum et describendorum demandaverat, ex scriptis Salomonis excerpserunt. Non obstant verba: *Audi verba sapientum* (22, 17) et: *Haec quoque sapientum* (24, 23), poterat enim Salomon vel alius aliorum quoque sapientum gnomas recipere et adoptare. Auctor duorum ultimorum capitum quidem ignoratur; nullum autem solidum argumentum potest afferri, quod probaret, illa proverbia tempore Salomonico non fuisse conscripta. A quonam et quo tempore (Ezechiae vel Esrae) operi ultima manus sit imposita, dissentiunt; non est autem liber Esrâ recentior, uti Rationalistae putant.

Acatholici multi (Ewald, Hitzig, de Wette, Schrader) plura proverbia, imo integras partes vel totum librum (Reuß) Salomoni auctori abjudicant, argumenta interna proferentes. *a)* Nonnulli (Zoeckler, de Wette) priora novem capita Salomonis esse negant, praetendentes, introductionem hanc nimis esse prolixam, et tam severa de castitate continere monita, quae Salomoni non conveniant. — Attamen Salomon, exemplo patris vel propria experientia edoctus, cognoscere potuit, quantopere commendanda sit castitas; praeterea talia monita etiam in proverbiis indubitanter salomonicis occurunt. *b)* Wette et Schrader, Cap. 25—29 Salomoni abjudicant, Zoeckler mixtam putat hanc partem cum proverbiis aliorum sapientum, Salomoni coaevorum, provocando ad stylum et scribendi rationem diversam, vitae rusticae et privatae notiones et alia — quae tamen partim e diverso proverbiorum horum charactere, partim e Salomonis ingenio (3 Reg. 3, 12; 5, 12; 10, 1, Eccli. 47, 15) repetenda sunt. Ceterum multae phrases, voces et usus loquendi omnibus libri partibus sunt communes. *c)* E diversa artis poëticae forma, in singulis partibus obvia, non est concludendum ad diversos auctores, quia a collectore similia proverbia in unum saepe locum conjungebantur. Nec repetitio gnomarum similium impedit; idem enim auctor eandem cogitationem in variis formis et sententiis eloqui potest. Confer Rohling, Spruchbuch, pag. 6 seq. — Keil, Einl. §. 117.

2) S. Hieronymus (ep. ad Paulin. et initio com. in Eccl.) notat, auctorem tribus nominibus fuisse insignitum (Salomon, Ecclesiastes, Jedidja), atque juxta haec tria sua nomina pariter tria edidisse volumina, scilicet Proverbia, in quibus fere instruit incipientes in sapientiae et virtutis studio, Ecclesiasten, in quo proficientes, et Canticum, in quo perfectos informat, ait enim (in Eccl.): *In Proverbiis parvulum docens, et quasi de officiis per sententias erudiens; unde et ad filium ejus sermo crebro repetitur. In Ecclesiaste vero maturae virum aetatis instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia universa, quae cernimus. Ad extremum, jam consummatum virum et calcato seculo praeparatum, in Cantico sponsi jungit amplexibus ... Haud procul ab hoc ordine doctrinarum et philosophi sectatores suos erudiunt, ut primum ethicam doceant, dein physicam interpretentur, et quem in his profecisse perspexerunt, ad theologiam usque perducant.* Idem tradit Gregorius Nyss. (hom. in Cant.).

3) Docere vult auctor sapientiam genuinam, ne quis falsae sapientiae specie in ethnicorum sophismata incidat (Ps. Athanas., Syn. 22), et ut unicuique aetati, sexui, statui, generi hominum in quovis rerum occursu leges recte agendi normamque honestae vitae praescribat, qua Deo placeant et ad felicitatem aeternam perveniant. Corn. a Lap., Prol. in Pr.

4) Librum Proverbiornm (Eccl. et Cant.) dictatum Salomoni fuisse a Spiritu sancto, ac consequenter continere veritatem divinam, et obtinere canonicam sacrae Scripturae auctoritatem, apud omnes tam Judaeos[1]), quam catholicos[2]), et haereticos in confesso est. His argumentis externis accedunt etiam interna[3]).

1) Si in synagoga (Sabb, 30 b. et Aboth de Rab. Nathan 1) disputatur, an liber Proverbiorum sit canonicus, vix aliud est, quam examen dubiorum (v. g. 26, 4, 5 et expressionum severarum in Cap. 7), quae uni alterive Judaeo in mentem venerunt; aetate Christi et Josephi de auctoritate libri nullum erat dubium. Confer Carpzov. Int. II. 184.

2) In Novo Testamento (Heb. 12, 5 seq. Jac. 4, 6; 1 Pet. 5, 5; 2 Pet. 2, 22) sententiae e libro Proverbiorum (3, 11 seq. 34; 26, 11; 22, 8) citantur. Idem testantur Clemens (1 Cor. 14, 57), Ignatius (ad Magn. 12) et synodus V. Constantinopolitana (act. 4.), quae damnavit sententiam Theodori Mopsuesteni asserentis, Salomonem, cum Proverbia et Ecclesiasten scriberet, prophetiae gratiam non accepisse, sed tantum prudentia humana ea dictasse. Indita autem fuit Salomoni haec sapientia a Deo (3 Reg. 3, 12; 4, 29), ideo non a gentium sapientibus dicta sua hausit, sed longe omnia gentilium dogmata transcendit, qui potius a Salomone et Hebraeis hauserunt, uti demonstrant Eusebius, Augustinus et Theodoretus, hinc Nazianzenus (de Virg.) Salomonem vocut *sophiae verticem.*

3) Raro quidem liber Proverbiorum legem citat (28, 4, 7, 9; 29, 18), ast supponit varias institutiones legis mosaicae (3, 9; 15, 8; 21, 3, 27), imo in ipsa lege fundatur. Proverbia, tanquam reflexiones legis divinae, ad revelationem divinam A. T. evolvendam multum conferunt; applicant enim in forma gracili ac plana doctrinas revelatas ad omnes vitae humanae rationes, ideo ethica (Origenes, in Cant., Hieronymus, in Eccl., Gregorius Naz.: παιδαγωγικὴ σοφία) revelationis divinae A. T. vocari possunt, quae his simul promovebatur et cordibus Israelitarum imprimebatur; sic v. g. timor Dei tanquam initium sapientiae celebratur (1, 7; 9, 10), pii ob virtutem a Deo benedici, impii vero a Deo puniri dicuntur (3, 33; 15, 9). Nec minus veritates dogmaticae evolvuntur, uti doctrina de creatione mundi (3, 19; 8, 22 seq.), de providentia et regimine Dei (16, 1—9), de sapientia increata vel Verbo divino (8, 22—9, 12), de immortalitate animae (11, 7; 14, 32; 15, 24), de anthropologia biblica (15, 11; 16, 9; 19, 21), de remuneratione aeterna (10, 25; 11, 4, 7; 14, 32).

5) Multum differt versio graeca[1]) LXX a textu masorethico, Versio Vulgata latina a s. Hieronymo e textu hebraico facta est, ita tamen, ut saepe ad versionem LXX, utpote a toto orbe receptam, declinet[2]).

1) LXX interpretes textum hebraicum saepe non tam verterunt, quam explicarunt. Hinc ad multos versus (1, 14; 2, 19; 5, 23; 14, 22; 22, 8, 9) duplicem versionem confecerunt, alias sententias ampliarunt (5, 3; 6, 11; 18, 22), imo multa additamenta adjecerunt (1, 7, 18; 3, 15; 4, 27; 6, 8, 11; 7, 1; 9, 10; 11, 16; 12, 11, 13; 13, 13, 15; 16, 17; 17, 6, 16; 18, 22; 22, 8, 9, 14; 24, 22; 25, 10; 27, 20). Haec additamenta maximam partem ex aliis versionibus graecis assumta sunt, uti patet ex syro-hexaplari versione. Rursus in LXX multi loci desunt, qui habentur in textu masorethico (4, 5, 7; 8, 33; 11, 3; 13, 6; 16, 1—3; 18, 8, 23; 10. 2; 20, 14—19; 21, 5; 22, 6; 23, 23). Tandem ordo proverbiorum in LXX nonnunquam discrepat ab illo textus hebraici; sic 30, 1—14 heb. intercalantur inter 24, 22 et v. 23; 30, 15—31, 9 heb. ponuntur post 24, 34. His fulti, nonnulli duplicem recensionem palaestinensem et aegyptiam assumunt. Confer de Lagarde, Anmerkung zur gr. Übersetzung der Prov. 1863. — Heidenheim, Zur Textierung der Prov. Deutsche Vierteljahrsschr. 1865 seq. Altera ex parte textus masorethicus mendis minime caret. De critica et forma poëtica Prov. conf. Bickell, Z. Kunde des Morgenlandes, 1891, p. 79 seq. — Schlögl, Etudes métriques et critiques sur le livre des Proverbes. Revue bibl. 1900, p. 518. Die Kultur II, p. 453; III, p. 493 seq.

2) Talia additamenta, e LXX versione sumta, inveniuntur in Vulgata: 4, 27; 5, 2; 6, 11; 10, 4; 12, 11; 13, 13; 14, 15, 15, 5, 27: 16, 5; 17, 16; 18, 8, 22; 22, 9; 25, 10, 20; 27, 21; 29, 27. — Comm.: Rohling 1879. — Acath.: Dyserinck, Harlem 1884. — Wildebur (Marti) 1897. — Frankenberg-Nowack 1898. — Strack 1899. — Toy, Edinb. 1904.

§. 49. Ecclesiastes.

1) In libro Ecclesiastae[1]) Salomon, tanquam concionator sapientiae, docere studet sapientiam, qua cognoscamus, vana esse omnia, quae in terris se ostentant et alliciunt; ast vera et solida esse, quae in coelis sunt, ut ex hac cognitione assurgamus ad mundi contemtum et ad coeli Deique amorem et desiderium[2]). Hinc scopus totius libri ethicus est[3]).

1) Hebraice inscribitur קֹהֶלֶת, LXX Ἐκκλησιαστής. Vulg. *Ecclesiastes* (Eccl.), de quo scribit Hieronymus (Eccl. 1, 1): *Salomon dicitur Coheleth i. e. Ecclesiastes (graeco sermone), quod coetum i. e. ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus concionatorem, eo quod loquatur ad populum, et sermo ejus specialiter non ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur.* Zapletal nomen Koheleth explicat = collectorem sc. proverbiorum. Forma feminina קֹהֶלֶת (a קָהַל = *congregare*, vel *convocare coetum*) non tam inde derivanda, quia proprie sapientia (חָכְמָה) per os Salomonis sit locuta, ita ut ipse tantum divinae sapientiae organum fuerit, sed quia usitata est illis nominibus, quae munus vel dignitatem significant, v. g. סֹפֶרֶת *scriba* (Es. 2, 55).

2) Inter varias libri divisiones sequens maxime placet, quae duas partes (et epilogum) statuit; quarum prior (1, 2—7, 1) fere integra in rerum humanarum vanitate demonstranda et inculcanda versatur, altera vero, quid faciendum sit, si homo felix vivere velit, homini praecipit. Statim ab initio thema tractandum proponit: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas*, quod provocans ipsius experientiam, probat ex inconstantia et futilitate rerum humanarum; vanas esse sapientiam mere humanam et delicias, et sapientiam, licet stultitia praestantiorem, tantum hominem a morte non liberare, interitum communem esse justis et impiis; unde concludit, melius esse, frui bonis a Deo datis, quam ea ignoto haeredi relinquere; nam omnibus in hac terra certum tempus assignatum est a Deo, qui de omnibus aliquando judicabit (1, 1—3, 22). Ad eandem conclusionem adducitur consideratione calamitatum, quibus homines hac in terra subjecti sunt: videt innocentes oppressos, avarum suis divitiis non fruentem, regem a throno dejectum et infelicem eum, qui in aliorum tantum utilitatem laborat (4, 1—7, 1). In altera parte aphoristice praecepta tradit, quibus homo eo adducitur, ut sorte sua contentus, bonis ipsi a Deo datis, quietus fruatur. Hinc docet, in omnibus rebus finem esse respiciendum, dein sapientiam commendat, quae aliis bonis praestet hominemque in adversis confortet, et postquam demonstravit, providentiae ordinem hac in terra intelligi non posse omniaque sublunaria esse incerta, sapientiam cum stultitia comparat illiusque praestantias assignat (7, 2—10, 10). Tandem omnibus praecipit sapientem rerum et temporis praesentis usum ob incertitudinem horae mortis, juvenes adhortatur, ut vita sua fruantur, ast semper Dei, senectutis et mortis recordentur et concludit asserta mundi vanitate (11, 1—12, 8). In epilogo (12, 9—14) praecepta concludit epiphonemate; *Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo; et cuncta, quae fiunt, Deus adducet in judicium.* Confer Cornely, Int. spec. II. 161 seq. Secundum Gietman (com.): Prooemium (1, 1—11) de vanitate generatim, pars I. (1, 12—3, 15) de privatae vitae, pars II, (3, 16—6, 6), de civilis vitae vanitate tractat, 6, 7—7, 30 est oratoria amplificatio utriusque partis. Pars III (8, 1—12, 8) responsa sapientis continet. Epilogus (13, 9—14).

3) Licet veteres: Origenes (Prol. in Cant.), Basilius (hom. 12 in Prov.), Ambrosius (Ps. 36), Hieronymus (ep. 30, 1 ad Paulam) autument, in Ecclesiaste physicam tractari, quia describat coeli, solis, elementorum, aëris, maris, terrae, ventorum mutationes,

circuitus et vicissitudines, quod est objectum physicae, tamen scopus libri ethicus est; physicam enim tangit in ordine ad ethicam, quo scilicet ex rerum naturalium motu, mutatione, interitu doceat earum vanitatem, ac consequenter vanos pariter esse homines, qui illis inhiant, et vana eorum studia et consilia, stultos eorum labores, qui acervandis divitiis, deliciis vel honoribus per omnem vitam desudant, sui finis et verae felicitatis obliti, quae consistit in Dei timore, obedientia et cultu. Hinc scopus libri est, assignare ultimum hominis finem summumque bonum, in quo felicitas hominis sita est, atque docere, quomodo homo vitam suam ordinare debeat, ut ad eam beatitudinem, quae hac in terra obtineri potest, secure perveniat. Ex mente s. Bernardi (serm. 1. in Cant.) in Ecclesiaste pellitur vanus amor mundi, in Proverbiis superfluus amor sui, in cantico praescribitur castus amor Dei. Probante Gietmann (com. p. 49) magna libri pars eo spectat, ut reverentia providentiae div. commendetur, et quasi testamentum propheticum (chald.) est, quo consolatus est populum, cum proxime immineret imperii dissolutio ac malorum acerbitas.

Praeter ethicam etiam aliae doctrinae hic proponuntur, uti immortalitas animae (Confer 12, 1—7; voces et locutiones *(abire ad inferos* 9, 10, *ascendere sursum* 3, 21, *reverti ad Deum* 12, 7, *pergere ad vitam* 6, 8 etc.) et recompensatio futura (7, 13; 11, 8; 12, 5); assertio, omnia a Deo in judicium vocatum iri (3, 17; 11, 9; 12, 14), quamvis non tam positive, quam negative; in hac insufficientia et imperfectione revelationis divinae in forma A. T. simul desiderium perfectioris cognitionis in N. T. latet.

2) Thema supra expositumauctor in soliloquio non in continuo ratiocinio absolvit, sed per inquisitionem circa res, quae geruntur; inserit enim observationibus suis varia praecepta moralia, quibus quodammodo ratiocinium interrumpitur[1]. Hinc non mirum, quod in disquisitionibus nonnullae sententiae minus verae, imo falsae appareant, quae ex observatione rerum mundanarum deducuntur, in fine autem corriguntur, e quibus circumstantiis simul integritas et unitas libri patent. Stylus rhetoricus, poëticus et certo rhythmo distinctus, plerumque tamen et prosaicus est[2]). Dicendi genus est obscurissimum, ratio dictionum et sententiarum nonnunquam insolita et abrupta, quare liber est difficilis intellectu[3]).

1) Salomon solus loquitur, qualia sunt soliloquia Augustini, Thomae a Kempis, Bonaventurae, in quibus anima sola secum vel cum Deo colloquitur, ipse difficultates, falsas sententias et stultas impiorum argumentationes ipsis eorum verbis tanquam objectiones proponit et solvit; v. g. 3, 21, 22; 6, 9; 8, 15; 9, 7—10. Tali modo forma quidem dialogica esse videtur, non autem est dialogus. Gregorius M. (dial. 4. 4): *Quod sententias per inquisitiones movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit. Alia sunt, quae per inquisitionem moventur, atque alia, quae per rationem satisfaciunt; alia quae tentati profert animo atque hujus mundi delectationibus compescat. Illud ex tentatione carnali intulit, hoc postmodum ex spirituali veritate definit.* Gregorius Nyss. in Eccl. hom 5. Thomas 1. q. 75. a. 6 ad 1.

2) Gregorius Naz. (poem. 33) et Joannes Damascenus (l. 4. de fid. c. 18) tria scripta Salomonica hebraeo carmine et metro esse conscripta censent — cui alii obloquuntur. Est enim hic perpetua concio eaque incitata et acris de vanitate mundi, in qua omnes affectus concitat, ut eam lectori ad vivum repraesentet et persuadeat. Quocirca utitur crebris et pungentibus interrogationibus, exclamationibus ceterisque figuris rhetoricis. Liber refertus est elegantibus parabolis, similitudinibus, aenigmatibus, quae quid vatidicum et divinum resonat.

3) Ecclesiastes igitur, uti Proverbiis est altior, perfectior et sublimior, sic et iisdem obscurior et difficilior, Quocirca Philastrius asserit, *Ecclesiasten paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum coelestis scientiae quaerentibus continere,* et Ambrosius (lib. de Tob. cap. 13) jubet, huic libro inhaerendum, ut qui bonus sit ad omnia magister. Ordinem versiculorum primitivum hujus libri infelici casu turbatum fuisse defendit G. Bickell,

qui ordinem foliorum permutatione restituendum censuit (Kohel. Unters. 1886 et Z. f. kath. Th. 1886, 556 et 1887, 203); juxta eum liber circa annum 205 a. Ch. conscriptus est; sed contrarium docet Gietmann l. c.

3) Auctorem libri Ecclesiastae esse Salomonem, *a)* constans est sententia Judaeorum[1]), ss. Patrum[2]), et interpretum catholicorum, *b)* quacum et argumenta interna[3]) conveniunt. Nihilominus tamen multi huic sententiae adversantur[4]).

1) Judaeorum et Rabbinorum judicium est (Schabb. 30), Salomonem adolescentem Canticum, virum Proverbia, *senem* Ecclesiasten composuisse. Confer Hieronymum (com. in Eccl. 1, 12); *Ajunt Hebraei, hunc librum Salomonis esse poenitentiam agentis, quod in sapientia divitiisque confisus, per mulieres offenderit Deum.* Confer Bernstein, Quast. nonnullae Cohel. 1854. Schäfer l. c. 30. Gietmann, Com. p. 50. — Aliis (Bonfrerio, Cornely l. c. 175) praeplacet altera sententia, Salomonem in aetate virili post Proverbia ante lapsum suum Ecclesiasten scripsisse.

2) In antiquis catalogis Judaeorum palaestinensium Ecclesiastes semper inter librum Proverbiorum et Canticum C. tanquam liber Salomonis invenitur. Hoc confirmant Melito Sard. (ap. Euseb. h. e. 4, 26), Origines (in Ps. 1), Epiphanius (de pon. et m. 4, 22), Hieronymus (prol. gal.), nec non Judaei alexandrini, uti testantur antiqui Patres.

3) Consonant documenta ipsis textus visceribus innexa. Statim in titulo Ecclesiastes se profitetur *filium Davidis, regis Jerusalem* (1, 1), et infra ait: *Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem* (1, 12), quod soli Salomoni, unico Davidis filio, convenit, qui in Jerusalem super Israel regnavit, nam statim post eum regnum scissum est, sicut nulli alii, nisi sapientissimo Salomoni, congruunt dicta: *Praecessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem* (1, 16, quibus verbis [col. 2, 9] non tamen ad Davidem, sed ad reges et principes ethnicos et judices, qui erant ante eum in Jerusalem respicere potuit col. Gen. 14, 18. Jos. 10, 1, 2 Sam. 24, 23), et: *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum et enarravit, quae fecerat, et investigans composuit parabolas multas* (12, 9), quae apprime conveniunt cum iis, quae historia (3 Reg. 3, 12; 4, 30—34; 10, 4—9) de sapientia aeque ac de divitiis et fabricis Salomonis (Eccl. 2, 4 col. 3 Reg. 7, 1 sq.; 9, 28; 10, 12, 23 seq.) narrat.

4) Salomonicam originem negant Jahn, Herbst, Bickell, Kaulen, Grimme, Peters Zapletal, tuentur autem Scholz (Einl. III. 172), Haneberg, Vigouroux (Man, II, 398), Schäfer, Schenz (Einl. 191) — Wangemann (Pred. 1856), Böhl (de aram. Coh. 1860. Heterodoxi in salomonica libri origine neganda consentiunt, in tempore tamen definiendo, inter annos 975 et saec. 2. a. Ch. dissentiunt nec conveniunt, utrum Ecclesiastes an Ecclesiasticus prius scriptus sit. Confer Schäfer, Unters. l. c. 163. — Peters, Bibl. Z. I. (1903) 47—54; 129—150. Provocant enim inter alia ad: *a)* Aramaismos et voces exoticas (graecismos), quae aetatem recentiorem sapiant. — Attamen locutiones hae, ceteroquin paucae, Salomonico jam tempore in usu fuisse potuerunt, quo Judaeorum frequens erat cum Syris aliisque nationibus commercium (Gietmann l. c. p. 20; praeterea thesaurus linguae hebraicae, quam lata patuerit illo tempore, ignoratur. Confer Schäfer l. c. 128. 151. *b)* Styli differentiam qua liber hic distinguitur a duobus aliis Salomonis. — Haec facile explicatur e diversitate materiae, charactere philosophico et diversa aetate, qua Salomon scripsit. Confer Reusch, Tüb. Quart. 1860, 461. Nihilominus inter Librum Proverbiorum, Canticum et Ecclesiasten atque Psalmos magnus intercedit nexus et harmonia tum materialis, tum formalis (Schäfer l. c. 92. 136). E contra rursus reperiuntur multae proprietates linguisticae, v. g. occurrunt multa abstracta, frequens usus יֵשׁ et אַיִן. Imo conditiones internae et externae reipublicae hebraicae in libro descriptae aevo exilico contradicunt. Schäfer 60 seq.

4) Auctoritas libri canonica sacrae Scripturae est; semper enim hunc librum Hebraei[1]), aeque ac Graeci et Latini, habuerunt in canone Librorum sacrorum[2]).

1) Teste Talmude (Schabb. 30 et Wajjikra rab. c. 28) olim quidem lis erat de canonica auctoritate hujus libri, cujus finis erat receptio ejusdem in canonem secundum antiquum morem. Erant quidem nonnulli heretici, quos recenset Philastrius (haer. 134), et Judaei, qui teste Hieronymo (in fine com.) opinati sunt, hunc librum favere doctrinis sectae Epicureorum, et scriptum esse a Salomone, cum veneri et ventri indulgeret, quos secutus et Theodorus Mopsuestenus, qui dixit, Salomonem composuisse Ecclesiasten, *cum prophetiae gratiam non accepisset, sed tantum illam prudentiae gratiam, quae altera est*, uti refertur in synode V. Constantinopolitana (act. 4). Objiciunt hi, *a)* quod creaturas Dei bonas condemnare videatur ut vanas (Cap. 1); *b)* quod videatur docere aeternitatem mundi: *Nihil sub sole novum*, et: *Terra in aeternum stat* (Cap. 1): *c)* quod se fatetur Epicureum, dicens: *Nihil esse melius, quam comedere et bibere* (Cap. 2); *d)* videtur suspectus de animae immortalitate (3, 19, 21; 9, 3—10; 12, 7). De his et aliis objectionibus rationalistarum v. g. quod Salomon Manichaeismum (1, 2), sceptissimum (1, 8; 8, 17), fatalismum (9, 11), materialismum (3, 19—21) aliasque haereses doceat, confer J. Kessel, Diquisit eschatol, de lib. Coh. Brix. 1869, 93—159. — Schäfer l. c. 109. — Cornely l. c. 178 seq. — Gietmann com. p. 7. — Euringer, Der Massorahtext des Koh. krit. untersucht. Leip. 1890. — Zapletal, D. Metrik d. B. Koh. 1904.

2) De diversis doctrinis falsis (ut sunt Pessimismus, Determinismus, Materialismus, Scepticismus, Epicureismus), quas nonnulli in libro invenire putant cf. Zapletal, D. B. Kohelet 1905, 81 seq.

Comm.: Schäfer, 1870. — Bickell 1885. — Zapletal 1905. — Acath.: Hengstenberg 1859. — Wright Lond. 1882. — Volck 1889. — Deane, Lond. 1893. — Siegfried-Nowack 1898. — Wildeboer-Marti 1898. — Barton, Edinb. 1908.

§. 50. Canticum canticorum.

1) Canticum canticorum[1]), seu carmen praestantissimum, sensu verbali sub forma quadam dramatica[2]) exhibet Salomonis castos amores erga virginem pastoriciam Sulamitidem[3]).

1) שִׁיר הַשִּׁירִים = Canticum canticorum, est superlativus more hebraico, qui repetitione ejusdem vocabuli exprimitur, juxta Originem (Cant. h, 1) et Hieronymum: *Cantica canticorum sunt cantica, quae inter cantica universa excellunt*; ergo canticum praestantissimum, insigne, quo intimi animi sensa exprimuntur, ut allbi: *vanitas vanitatum* Eccl. 1, 2), *coelum coelorum* (i. e. altissimum 3 Reg. 8, 17), *servus servorum* (Gen. 9, 25) et Jer. 6, 23; Ez. 16, 7. Dan. 8, 25. Apoc. 19, 16. Minime ergo denotat collectionem variorum canticorum.

2) Canticum hoc non est drama, uti multi Protestantes defendunt; patet hoc jam ex nomine שִׁיר = *poëma lyricum*, dein ex eo, quod desunt actiones personarum, quae ad drama requiruntur. Ceterum Hebraeis drama erat ignotum. Eo magis illi (Ewald, Böttcher, Renan etc.) errant, qui fabulam dramaticam in eo quaerebant et ad modum dramatis in actus et scenas distribuerunt. Nec est carmen pure bucolicum (amoebaeum), e variis fragmentis compositum, nec est anthologia carminum eroticorum (Lessing, Herder, Eichhorn, Bleek-Wellhausen, Reuß, P. Haupt, Bibl. Liebeslieder, Lpz. 1907), sed poëma lyrico-dramaticum, vel, ut ait Hieronymus: *Nuptiale carmen in modum mihi videtur dramatis a Salomone conscriptum.*

Canticum non constare e variis fragmentis, sed esse poëma unum et coutinuum, absolute perfectum, evincunt: *a)* inscriptio, *b)* totius libri nexus indivulsus et harmonia; occurrunt enim eaedem personae sub similibus nominibus; sic sponsus vocatur a sponsa: *rex, Salomon, dilectus amicus, quem diligit anima mea*, et sponsa celebratur tanquam: *pulcherrima inter mulieres* (1, 7; 5, 9; 6, 3), *formosa* (2, 10, 13), *columba* (2, 14; 5, 2; 6, 8),

immaculata (5, 2; 6, 9), *amica* (1, 8, 14, 2, 2, 10, 13; 4, 1, 7; 5, 2; 6, 3), *soror* (4, 9, 10, 12; 5, 1, 2), *sponsa* (4, 8—12), vinitoria. Mentio fit fratrum et matris Sulamitidis (1, 5; 3, 4; 6, 8; 8, 1, 5), sororis, filiarum Jerusalem (1, 4; 2, 7; 3, 5, 10. 11; 5, 8, 16; 8, 4). *c)* Observabantur eaedem phrases, v. g. *quae est ista?* (3, 6; 6, 9; 8, 8), adjurationes (2, 7; 3, 5; 8, 4), eaedem imagines, ex vita pastoricia petitae, eaedem formae linguisticae v. g. שׁ pro אֲשֶׁר, parallelismus, forma metrica, cujus lex principalis in toto cantico adhibita est, et symmetria.

3) Quia in Cantico voces loquentium saepe indiscriminatim commiscentur, sponsus sponsaque, affectibus amoris indulgendo, non tam concinne et ordinate, quam affectuose loqui satagunt, inde magna nascitur obscuritas.

2) Attamen Canticum hoc nec sensu solo literali[1]), nec typico, qui literali (historico) tanquam fundamento innitatur[2]), sed mere allegorice intelligendum est; sub involucro enim elegantis imaginis sublimiorem canit amorem nec non unionem mystico-realem Dei et populi electi, Christi et Ecclesiae[3]).

1) Theodorus Mopsuestenus, qui, solis verbis inhaerens, amatoriam esse cantionem vel epithalamium existimavit, a Concilio II. Constantinopolitano (553) damnatus est. Quem nihilominus multi acatholici sequuntur. Contra interpretationem mere historicam vel literalem (amorem profanum hic cani) militant: *a)* Carmen mere bucolicum nunquam, et quidem sub eminenti titulo, in canonem sacrae Scripturae jam antiquissimo tempore receptum fuisset; nam improbabile est, Spiritum sanctum dictasse librum, in quo describeretur amor profanus, qui, licet castus, comparatus tamen est, pravam inflammare concupiscentiam, atque animabus periculum affere, ut observat Theodoretus (Praef. in Cant.). *b)* Constans traditio Judaeorum, qui librum hunc allegorice interpretati sunt. Josephus (c. Apion. 1, 8) librum hunc inter propheticos recenset, R. Akiba canticum hoc vocat sacratissimum et Aben Esra (Praef. in Cant.): *Absit, absit, ut canticum cant, de voluptate carnali agat; omnia potius figurate in eo dicuntur. Nisi enim maxima ejus dignitas, inter libros Scripturae sacrae relatum non esset: neque ulla eo est controversia.* Praeeunte Paraphrasta chaldaeo consentiunt Hebraei describi in hoc carmine mutuos Dei et populi Israel amores sub allegorico involucro. *c)* Congruenter antiquissimi Patres Canticum de mutuis Christi et Ecclesiae amoribus interpretati sunt (Origenes, Epiphanius, Gregorius Nyss., Ambrosius et Hieronymus), quamvis in singulis explicandis in varias abeant partes. In versione syriaca fert titulum: *Sapientia sapientiae. d)* Graves difficultates, quae interpretationi literali multis in locis obstant; nam sponsa apparet mox puella pastoralis, mox vinitoria, mox regina, mox dives, mox pauper, ipsa quaerit sponsum contra omnem morem orientalem, et celebrat in eo proprietates, quae in viro terreno frustra quaeruntur, et alia. *e)* Nomen sponsae שׁוּלַמִּית (7, 1) vel rectius שְׁלֻמִּית, quod aperte de שְׁלֹמֹה derivatur, et analogia hujus Cantici ad Psalmum 44., qui allegoricam tantum explicationem admittit et a Patribus (col. Theodoreto prol. in C.) clavis habetur, quae reserandis Cantici mysteriis inservit.

2) Bossuetus cum aliis censet, in Cantico describi sensu literali matrimonium Salomonis cum filia Pharaonis (juxta alios cum puella pastoricia), sensu autem typico (mystico) conjunctionem Christi cum Ecclesia. Alii (Jahn, Stähelin, Hitzig) in ipso elogium monogamiae seu sanctam amoris conjugalis severitatem contineri autumant, Delitzsch et Zoeckler opinantur, casto Cantici amictu mysterium matrimonii (in relatione contraria ad polygamiam) describi et conjunctionem Jahvae cum synagoga, et Christi cum Ecclesia adumbrari. Hug. (Hoh. 1813) in eo desiderium regni Israel, ut iterum uniatur cum regno Juda, indigitari supponit, et Rosenmüller (schol in C.) amorem Salomonis, quo dilexerit sapientiam, hic decantari putat. Versionem abessinicam interpretationem cantici allegoricam innuere docet Euringer, Bibl. Stud. VI. Bd. Poëmata similia apud Musil III. p. 175, 187, 243, 380.

3) Licet ergo constet, Canticum in sensu allegorico esse explicandum, tamen interpretes in expositione hujus sensus allegorici in varias opiniones abeunt. Judaei censent, describi unionem Jahvae cum synagoga fidelium seu populo Israel, idque non immerito; nam mos est sacrarum Scripturarum, ut Deum tanquam sponsum et populum tanquam sponsam, utriusque vero unionem tanquam matrimonium repraesentent (praeprimis prophetae Is. 54, 6; 62, 4, 5. Jer. 2, 2; Os. 2, 19), et idololatriam populi tanquam fornicationem et adulterium ei exprobrent (Ex. 34, 16; Jud. 2, 17; 8, 33. Jer. 3, 6 seq. Ez. 6, 9 etc.). Etiam in Novo Testamento Christus et Ecclesia tanquam sponsus et sponsa depinguntur (Matth. 9, 15; 22, 1 seq. 2 Cor. 11. 2; Eph. 5, 25). Quum autem Ecclesia sit continuatio et complementum synagogae (i. e. Ecclesia ex Judaeis), christiani interpretes censent, hic describi unionem Christi cum Ecclesia (Origenes h. 2 in C., Athanasius exp. in C., Epiphanius com. C., Cyprianus, de un. ec. 6, 4, Augustinus in Spec., Beda Ven. Thomas com. C.), et consequenter cum animabus justis (Origenes, Hieronymus, Gregorius Nyss. hom. 15., Theodoretus, Bernardus hom. in C.); vel unionem Christi cum natura humana (incarnationem); quia porro Christus e B. V. Maria carnem suam traxit, ipsaque omnium animarum justissîma fuit, ideo et mysteriosa unio Christi cum matre sua hic describitur (Ambrosius, Hieronymus serm. de B. M. V., Rupertus Tuit., Salmeron, Cornelius a Lapide, qui sensum triplicem assumit), quare Ecclesia catholica in officio divino multa e Cantico B. V. Mariae accomodavit. Secundum interpretem Schäfer (Das hohe Lied. Münster 1876) triplex sponsio Christi successiva cum natura humana (1, 1—2, 8), cum Ecclesia (2, 9—5, 1), et cum anima justi (5, 2—8, 5) describitur, quam excipit epilogus (8, 5—14), nempe alter adventus Christi, conversio synagogae, judicium mundi et ascensio in coelum. Tiefenthal (Hoh. Lied 1889) Canticum in duas partes: unionem (1—5, 1) et reunionem dividit. Secundum Gietmann explicatio tota allegorica est ex principio et prophetica, nempe desponsatio Christi cum Ecclesia N. T., quae ex Ecclesia A. T. tanquam radice sancta enata est, exclusa synagoga infideli; ipse dividit Canticum in 3 partes (7 scenas): 1) (1, 1—3, 5) sponsus sponsam consolatur, ad labores iustruit et probat; 2) (3, 6—5, 1) eam sibi despondet (die Pentecostes) et 3) (5, 2—8, 4) Ecclesiam fructibus laborum suorum jam abundantem exhilarat et in coelestem thalamum inducit. Secundum Zapletal (Hohes Lied, 1907) Canticum C. in sensu literali de amore inter sponsum et sponsam, in sensu allegorico vel mystico de unione Dei cum ecclesia agit. — Haec prophetia ceteris absolutior, perfectior et grandior est, quia intimam familiaritatem Dei cum sponsa Ecclesia et foecunditatem ejusdem adumbrat et quasi in penetralia Ecclesiae introducit.

3) Salomoni auctori hoc opus vindicatur: *a)* inscriptione[1]), *b)* indole ac lingua libri[2]), *c)* continua ac unanimi synagogae et Ecclesiae traditione et *d)* forma externa poetica eaque magnificentissima, quam exhibet Schlögl, Canticum Canticorum hebraice Vindob. 1902.

1) אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה, quam inscriptionem jam LXX interpretes in textu hebraico invenerunt, quaeque ab auctore ipso libro suo praefixa est. Pertinebat ergo hoc Canticum sine dubio inter 1005 cantica, quae Salomon locutus est (3 Reg. 4, 32), vel comparationes ejus aenigmaticas (Eccli. 47, 17).

2) Nulli aetati magis conveniebat, spirituales amores canere, quam quo Salomon, ille templi conditor, quo veram Ecclesiam adumbravit, et pacifici nomine Christum repraesentans, flagrans amore et impudicos mulierum amplexus nondum expertus, *amabilis Deo* erat et carminibus jam clarescebat. Universus color atque venustas oxquisita poëtica splendidissimum hujus regis aevum ejusque ingenium, ad floridam dictionem unice comparatum, quale exhibuit in libro Proverbiorum, ita nobis videntur referre, ut si ejus nomen in opusculi introitu adscriptum non esset, hunc unum auctorem facile suspicaremur. Tandem similitudines a plantis, arboribus et frugibus petitae, harum rerum peritissimum (3 Reg. 4, 33) Salomonem indicant scriptorem. Ast quia liber ceteris sublimior et quasi maturior est, veterum et non-

nullorum recentiorum (Gietmann, p. 341) opino est, Salomon emendatum abjecta omni vanitate magno nisu ad coelestia evolasse et carmen hoc extrema aetate (post Eccl.) scripsisse, quo fiduciam populi sui in Messiam in ejusque novam ac felicem desponsationem confortare voluit.

His argumentis non obstantibus, multi acatholici conscriptionem Cantici recentiori tempori, alii (Rosenmüller, Bertholdt, Magnus) aevo postexilico, imo Graetz aevo macedonico (anno 224 a. Ch.) adscribunt, in medium proferentes Aramaismos et Neohebraismos in libro nostro obvios — qui autem contra tempus Salomonicum non testantur, quia etiam in libris Judicum et Samuelis inveniuntur, imo Persicismos (4, 13) et Graecismos (3, 9) praetendentes, sed frustra, quia thesaurus linguae hebraicae illius temporis non plane notus est. Quod attinet urbem Thirza, quae (6, 4 heb.) juxta Jerusalem ad comparationem sponsae adducitur, illa non tanquam metropolis regni Israel, sed tanquam urbs pulchra et amoena nominatur. E contra magna analogia linguistica inter Canticum (vide Schäfer l. c. pag. 89) et librum Proverbiorum atque librum Job (Hävernick, Einl, I. 1. 211) observatur.

4) Canticum esse librum divinum et canonicum, unanimis est traditio Judaeorum et Christianorum.

Liber a Judaeis semper inter canonicos recensebatur, licet, juxta Talmud (B. Bathra, cap. 15), ab Ezechia et collegio doctorum ejus scriptus fuisse dicatur. Dubia, quae seculo II. p. Ch. contra hunc librum movebantur, e falsa speculatione sunt enata et auctoritatem ejus evertere non valebant. Non citatur quidem in N. T., uti multi alii libri canonici, utique autem auctores librorum N. T. argumentum ejus bene noveruut, ut licet videre ex Eph. 5, 27. Apoc. 3, 20; 22, 17, 20 col. Cant 4. 7; 5, 2. Si impugnatores objiciunt, nomen Dei non exstare in Cantico, adeoque hoc non esse divinum, simile quid observatur in libro canonico Esther; ceterum libri authentia non dependet ex Dei nomine, sed ex Dei revelantis auctoritate et Ecclesiae testimonio. Quos similitudines, metaphorae et expressiones quaedam offendunt, ii nimis in cortice haerent, nam explicandae sunt ex genio, moribus, scribendi ratione poëtica et charactere allegorico illius aetatis et regionis, sunt enim poëticae expolitiones A. T. Humani illi affectus, quos sponsus et sponsa exprimunt, repraesentant altiores Christi et Ecclesiae affectus et proferuntur ad hoc, ut interna et spiritualis pulchritudo perfectius exprimatur; nam non oportet omnia et singula mystice interpretari. Docentibus Origene, prol.) et Hieronymo (Praef. in Ez. et ep. 107, 12 ad Laet.) Judaei ante annum 30. vitae Canticum legere prohibebantur, non propter periculum, ex istis locutionibus oriturum, sed propter sublimitatem argumenti. Sancti Patres Canticum summis elogiis celebrant, et s. Thomas ultimo vitae suae tempore illud interpretatus est. Hinc scribit s. Gregorius Nyss. (hom. 1 in C.): *Christus usus est hoc Salomone tanquam instrumento, per illum nobis loquitur primum quidem in Proverbiis, dein in Ecclesiaste, et postea in proposita philosophia Cantici, via et ordine rationi ostendens ascensum, qui tendit ad perfectum; . . nam haec (Cantici, philosophia) utramque superat dogmatum sublimitate.* In Proverbiis instituit Salomon puerum eumque docet prima et communia ethices, morumque honestiorum rudimenta. In Ecclesiaste informat juvenem proficientem eumque a terrena vanitate ad coelestem veritatem traducit. In Canticis docet virum perfectum unire se Deo, ut illi totus per amorem et contemplationem inhaereat in eoque conquiescat. Ita censent Origenes, Theodoretus, Gregorius Magnus, Hieronymus (Eccl. 1, 1) et Calmetus (Prol. ad Prov.): *Omnes ad Proverbiorum studium invitantur, rari Ecclesiastae, rarissimi penetralia Cantici C. pervadunt.*

Comm.: Schäfer 1876. — Gietmann 1890. — Langer 1899. — Zapletal 1907. — Hontheim 1908. — Jouon, Par. 1909. — Acath.: Hengstenberg 1853. — Umbreit 1878. — Oettli 1889. — Rothstein 1893. — Riedel 1898. — Siegfried-Nowack 1898. — G. Jacob 1902.

§. 51. Liber Job.

1) Liber Job est poëma sublimissimum, in quo Job, homo pius, qui, permittente Deo, omnibus suis rebus exuitur et lepra afficitur, cum suis amicis disputat de divina providentia et de causis calamitatum humanarum[1]). Finis libri est didacticus simulque paraeneticus[2]).

1) Constat ex *a)* prologo (Cap. 1. 2), *b)* ex sermocinatione triplici inter Jobum et triumviros amicos, ipsum invisentes (Cap. 3—26) et *c)* solutione litis (Cap. 27—42). *Ad a)* In prologo (qui cum epilogo 42, 7—17 prosâ oratione est scriptus) Job, vir probus a Satana ex permissione Dei, divitiis spoliatur, filiis privatur, ulcere pessimo percutitur et ab uxore insultatur. Tres amici eum visitant, et lugentes ac muti apud eum sedent, quin verbo eum interpellent. Tandem Job silentium rumpit (Cap. 1. 2). *Ad b)* Sequitur triplex sermocinatio inter Jobum et amicos suos, de causa miseriarum vitae praesentis. Amici enim defendunt opinionem, solos peccatores in hac vita malis vexari, et calamitatibus affici, non item viros probos, et inde concludunt, Jobum, calamitatibus oppressum, esse peccatorem, dum Job suam innocentiam tuetur.

Evolvitur sermocinatio tribus congressibus, quorum duo priores triplicem sermocinationem Jobi cum amicis continent. Litem movet Job, exsecrando natales et vitam suam (Cap. 3). Primus congressus (c. 4—14 initium litis): α) Eliphasi oratio (Cap. 4, 5), qui arguit Jobum impatientiae, quodque propter peccata sua flagelletur a Deo, qui innocenti adversa non immitat; adhortatur eum, ut ad Deum convertatur, et omnia prospera ei pollicetur. Respondet Job (Cap. 6. 7), se longa graviora pati, quam meritus sit, amicos graviter arguit, humanae vitae suasque calamitates varias explicat, petit a Deo liberari a miseriis, admirans Dei erga miserum hominem providentiam: β) Baldadi oratio (Cap. 8), qui Jobum impio sermone arguit, hortatur, ut ad Deum melioremque vitam se convertat, asserendo, Deum bonis bona, et malis mala tantum tribuere. Respondet Job (Cap. 9, 10), ostendens potentiae Dei magnitudinem, qui impium et innocentem percutit, suam innocentiam tuetur, afflictionem lamentatur, cujus causam non fuisse suam malitiam nec Dei ignorantiam probat, et iterum plangit se natum. γ) Sophari oratio (Cap. 11) asserentis, Jobum propter multa ipsius peccata fuisse a Deo percussum, et respiscenti felicissima quaeque pollicentis. Respondet Job (Cap. 12—14), neminem ignorare Dei potentiam et sapientiam creaturarum gubernatione, amicos ex ipsorum verbis confutat, suam justitiam et patientiam tuetur, quaerens a Deo, propter quae peccata tam graviter affligatur, Dei in hominem providentiam admiratur, quod post hanc vitam expectet aliam, et corporum vaticinatur resurrectionem.

Secundus congressus (c. 15—21 litis agravatio): α) Oratio Eliphasi (Cap. 15), qui arguit Jobum jactantiae, impatientiae et blasphemiae in Deum, describens impiorum et hypocritarum maledictionem. Respondet Job (Cap. 16. 17), plangendo dolorem ostendit, se pati citra iniquitatem, conscio Deo, et sibi nihil praeter mortem restare, atque amicos, praesentem tantum remunerationem statuentes, insipientiae arguendo, futuram requiem praestolatur. β) Baldadi oratio (Cap. 18), qui Jobum jactantiae et impatientiae arguit et asserit, eum propter peccata sua puniri. Respondet Job (Cap. 19), qui amicos crudelitatis arguens, afflictionis acerbitatem ostendit et super futura resurrectione seipsum consolatur; γ) Sophari oratio (Cap. 20), multis verbis exponentis, quae sit apud Deum pars impii. Respondet Job (Cap. 21), qui convellit falsam amicorum consolationem dicendo, impium, licet saepe in hac vita prosperatum, in diem perditionis a Deo servari.

Tertius congressus (c. 22—26 summa litis implicatio): α) Eliphasi oratio (Cap. 22), qui arguit Jobum impatientiae aliorumque facinorum, ostendens, ipsum de divina providentia non recte sentire. Respondet Job (Cap. 23, 24), invocando divinum judicium, celebrando Dei providentiam incomprehensibilem, et hominum iniquitates ab eo puniendas affirmando. β) Oratio Baldadi (Cap. 24), qui ex Dei sublimitate et hominis humilitate negat, hominem Deo comparatum justificari posse. Respondet Job (Cap. 26), Dei incompre-

hensibilem potentiam ex ipsius operibus demonstrans. Sophar ad silentium confugiens Jobo causam cedere videtur. — Triumviri ergo argumentatione sua litem dirimere nequeunt.

Ad c) Litis solutio. α) Transitus ad solutionem est oratio Jobi (27—31) ostendentis, impios saepe e praesenti prosperitate cito in mortem rapi ac Deum, cujus sapientia auro praestantior sit, occultissima quaeque perspecta habere, dein enarrantis sua bona opera, deplorantis pristinam felicitatem versam in calamitatem, ac tandem summum judicem innocentiae suae testem invocantis. β) Imperfecta solutio per sapientiam humanam quarti amici Eliu (Cap. 32—37), qui orationibus suis demonstrare conatur, Deum mercedem daturum esse juxta opera hominis, impios puniturum, probis autem nonnunquam miserias et afflictionis immittere, ut a peccatis suis (occultis) purgentur; inscrutabile quidem, minime autem injustum esse Dei judicium, cui nemo detrahere debeat. Tres ergo amici tribulationes statuunt poenas vindicativas, Eliu vero tanquam medicinas salutares. γ) Solutio litis verbis divinis (Cap. 38—42, 6). Deus in tempestate apparet, hominis ignorantiam et impotentiam exagitat, ex admirabile rerum creatione suam majestatem explicat, opera providentiae divinae exemplis demonstrat et judicii sui justitiam vindicat. Dein Jobum attonitum ad confessionem audacioris sui in loquendo modi, amicos vero ad resipisentiam adducit. Job temeritatis culpam fatetur, quia consilium divinum non intellexerit, amici vero a Deo objurgautur, quod non rite locuti sint, et Job jubetur, pro illis orare. Tandem aenigma factis quamvis non perfecte, sicut correspondet characteri A. T., solvitur (42, 7—17), Job enim recipit duplicia eorum, quae amiserat, et plenus dierum in pace resquiescit. Ita Deus demonstrat, se miserias et afflictiones nonnunquam piis et justis immittere, ut probentur et in virtute perficiantur.

2) Thema nostri libri est theodicea; occupatur enim auctor quaestione gravissima, cur, experientia docente, justi haud raro a Deo in hac vita malis affligantur, mali autem prospera fruantur fortuna, quod videtur esse contra remunerationem et justitiam divinam, in lege promulgatam, et solvitur thema in hunc modum, ut doceatur, afflictiones humanas effectus quidem et poenam esse peccatorum ideoque in impios immitti, attamen nonnunquam etiam (a diabolo) in justos dirigi, in probationem et sanctificationem eorum; in quonam autem casu id fiat, Deo soli cognitum, idcirco homini inutile esse, imo temerarium, istud inquirere. Praeterea auctor in Jobo nobis proponere intendit exemplar patientiae, a quo fideles discant,. in rebus adversis Deo inhaerendum et a solo Deo auxilium exspectandum esse.

2) Ad thema suum probandum, auctor utitur facto aliquo historico[1]), quod tamen stylo sublimissimo et forma poëtica perfectissima exornavit[2]), ut adeo liber Job libris poëtico-didacticis sit adnumerandus.

1) Job esso personam historicam, non fictitiam, uti multi acatholici somniant, probant *a)* testimonia sacrae Scripturae: Ezechiel (14, 14) Jobum cum Noe et Daniel tanquam virum justum allegat, oportet ergo eum ita exstitisse, uti Noem et Danielem; in libro Tobiae (2, 12, 15) et a Jacobo Apostolo (5, 11) patientia ejus commendatur. *b)* Josephus Flavius, qui (c. Apion. 1, 8) librum hunc propheticis adnumerat, et plurimi Rabbini. *c)* Sancti Patres et Scriptores ecclesiastici, qui de Jobo ita loquuntur, ut nullo modo ejus existentiam in quaestionem ponant. *d)* Antiqua martyrologia nomen Job continent; graeci eum colunt die sexta, Latini vero die decima Maji. In catacumbis romanis Job tanquam praeco resurrectionis saepe occurrit. *e)* Argumenta interna, nempe accuratissima nominum, locorum, numerorum et aliarum circumstantiarum descriptio.

Vixit autem Job (i. e. *hostititer tractatus*, vel *resipiscens*) probabiliter aetate Patriarcharum, quod suadent additamenta ad finem LXX versionis, longaevitas Jobi (180, LXX 240 annos), et ritus sacrificandi juxta morem patriarchalem. Erat princeps nomadum, sicut etiam amici ejus (non reges, quemadmodum LXX interpretes, 2, 11 observant), non Hebraeus, sed e gentibus, attamen monotheismo addictus, licet vivens inter eos, qui cultui sidereo (31, 26, 27) erant dediti. — Oriundus erat ex Hus (Uz), non filio Nachoris, fratris Abrahae (uti Hebraei, Hieronymus, Rupertus et alii volunt), sed ex Esavi progenie;

immerito LXX (42, 17) eum confundunt cum Jobab (Gen. 36, 33), Uz terra quaerenda est in regione, quae a Septuaginta Αὐσῖτις (1, 1) vocatur, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας (42, 17), ubi, teste Ptolomaeo (5, 19), Αἰσῖται habitabant, ergo in plaga septentrionali Idumaeae, in confinibus urbis destructae Ἰς ad occidentem Chirbet el-Kêane, unde Elifas Temanites oriundus, Bildad Suhites e tribu Suchât et Sofar Naamathites e tribu Naemat, qui ad septentrionem ab urbe Maon habitabant. Cf. Musil, Kuseir ʿAmra p. 126, 172. n. 40—44, Edom 1. p. 32, 158, 337, 339.

2) Sicut Job revera vixit, ita etiam facta in libro contenta realiter contigerunt et Job cum amicis colloquia habuit. Minime tamen putandum est, virum, doloribus acutissimis punctum, carmine amicos allocutum esse, et vicissim eos versibus respondisse et interrogasse. Auctor ergo, ornamento oratorio usus, sublimi poësi ea retulit, quae illi in familiari sermone dixerant. *Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, omnesque leges dialecticae propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat,* ait Hieronymus (a Paul. ep. 53, 8). Dispositio et elocutio hujus libri subtile artificium prodit. Non omnes personae eodem modo loquuntur. Sermones Jobi reliquis antecellunt; amicorum quilibet oratione discrepat; quia nova argumenta afferre nequeunt, in posterioribus tantum repetunt, quae in oratione prima dixerant, breviores fiunt et tandem silent, dum e contra Job, sermonibus amicorum angustiatus, fide sua innixus et confortatus, sensim plura et sublimiora argumenta affert, spem suam unicam in Salvatore reponens. Revelationes et cantica antiquiora, quae allegantur, sublimiori stylo concepta sunt (4, 17—21; 8, 11—19; 12, 13—25; 15, 20—35). In sermonibus Eliu observatur quaedam affectatio, quae singularem artem prodit. Notiones quoque multarum rerum singulari arte intextae sunt, praesertim de Deo, religione, morum disciplina, ex historia naturali, v. g. de fodinis (28), stellis (9, 9, 10; 25, 5; 38, 31 seq.), imprimis de Behemoth (hippopotamo) et Leviathan i. e. crocodilo (Cap. 40 et 41), quibus ethico-symbolica significatio (diaboli) subest. Quoad rem metricam versus omnes hexametri sunt. Cf. Grimme, Metr. krit. Emendationem z. B. Hiob. Theol. Quart. 80 (1898) et 81 (1899). Quoad structuram strophicam cf. J. Hontheim S. J. Bemerk. zu Job. Zeitschr. f. kath. Theol. 1898 seq.; idem, Buch Job 1904, 53—70. — Vetter, Metrik d. B. Job. Bibl. St. II. — Fruhstorfer, Ein assyr. babyl. Gedicht u. d. B. Job. Z. f. k. Theol. 1907, 755 seq.

Quia personae colloquentes inducuntur, habet liber formam dramaticam, sed simul ad genus epicum accedit, quin carmen epicum aut tragoedia vel drama sit, nec pure lyricis accenseri potest, sed omnes fere species poësis hebraicae in eo sunt unitae.

3) De auctore hujus libri variae et discrepantes exstant sententiae[1]). Ob sententiarum gravitatem et styli sublimitatem. justissime creditur aevo Salomonico, quo literatura hebraica maxime florebat, ab auctore hebraeo (ignoto) conscriptus fuisse.

1) Nonnulli (Gregorius Praef. in Job, Bonfrerius Praeloq. VII. 2, 8), librum ab ipsomet Jobo in lingua arabica, alii (Origenes c. Cels. 6, 43, Hieronymus) ab eo syriace scriptum, dein a Moyse in sermonem hebraicum versum fuisse putant, quia Syrismis et Arabismis conspersus sit; alii (Talmud, Bab. bath. 15) Moysen auctorem habent; alii alios auctores (Eliu, Isaiam, Danielem) statuunt. Ante exilium babylonium librum jam exstitisse, confirmant Ezechiel (14, 14) et Jeremias, qui saepe ad librum Job alludit (Jer. 20, 14—18 col. Job. 3, 3—10; 10, 18. Jer. 17, 1 col. Job 19, 23. Jer. 20, 17 col. Job 3, 11). Auctor non fuit Idumaeus (Herder, Ilgen), nec Arabs, nam a tali Hebraei librum non recepissent, sed Hebraeus, qui in prologo et epilogo usu nominis Jahve se prodit. Opinio, quae Salomonem operis auctorem constituit (Gregorius Naz. or. 19, 5, Polychronius et plurimi recentes), probabilior videtur, quia liber abundat sententiis, vocibus et phrasibus, omnino Salomonicis, quae etiam in Ecclesiaste et Proverbiis leguntur. Certissime tamen elegans et eximia poëtica libri forma testatur, eum tempore Davidis vel Salomonis fuisse conceptum. Auctor Judaeus, eloquentiâ, scientiâ et philosophia eximius, sententias Jobi et amicorum, deductis e Scriptura vocibus, ita exprimit, ut characteres omnes loquentium, aetatem,

religionem, sensus, praejudicia, mores, situm regionis servarit. Recte observat s. Gregorius M. (in l. Job 1, 2) dicens: *Supervacue quaeritur, quis haec scripserit, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur.* Immerito nonnulli in Jobo personificationem Israelis exulis in Assyria (Hitzig), vel in Babylonia (Seinecke) vident et eum tempori postexilico attribuunt, contra quos videsis apud Cornely Int. l. c. II. 53 seq.

4) Liber Job, qui est opus continuum, absolute perfectum, unico tantum auctori adtribuendus est[1]; errant ergo omnes isti, qui integritatem libri impugnabant, asserentes, prologum, epilogum[2], sermones Eliu[3], imo alias partes[4] postea libro fuisse adjectas.

1) Indoles personae cujuslibet per totum librum eadem observatur. Job ubique sibi similis, suae probitatis conscius, sed miserià depressus, et reclamatione amicorum irritatus, ad praecipitatas quasdam assertiones (7, 11; 19, 3 seq. 30, 20 seq.) abripitur, suae innocentiae innixus, audacior interdum Dei provocator existit et audaciam magnitudine calamitatis excusat. Amici, acres probitatis defensores, conveniunt de Dei justitia, quam ut comprobent, provocant ad antiquiores revelationes, doctrinam veterum et experientiam.

2) Ad hoc observat Rosenmüller (schol. 46): *Opus omni ex parte imperfectum habes, meros sermones, quorum cousam, rationem et finem ignoras, exordium et clausulam si demas.* Sine prologo et epilogo scopus libri plane lateret; praeterea 8, 4; 16, 13; 29, 5, 1 cum prologo, et 13, 10; 16, 21; 22, 30 in nexu intimo cum epilogo sunt. Sermo prosaicus minime caret elemento poëtico, sc. rhythmo (1, 2, 3; 42, 12, 13), easdem locutiones repetitas (1, 14, 16 ad 18), et parallelismum poëticum (1, 21) ostendit eodem modo, quo partes poëticae prosam (v. g. inscriptiones) non plane excludunt. Bickell (Z. Kunde des Morgenld. 1892) probat, dialogum originalem, orationem Eliu et 40, 15—41, 36 constare e strophis tetrastichicis.

3) Quoad sermones Eliu objiciunt: *a)* quod Eliu in prologo (2, 11) non nominetur, nec in epilogo (42, 7) a Deo cum tribus Jobi amicis reprehendatur. — Ast mentio ejus non fit in prologo, quia serius advenit (32, 1); non reprehenditur, quia rectius locutus reprehensionem illam non meruerat. *b)* Quod sermones Eliu ordinem poëmatis perturbent et Dei orationem superfluam reddant. — Verba Eliu contextui libri intelligendo necessaria sunt et argumentum libri supplent; nam amicos Jobi reprehendendo et, ad Jobum conversus demonstrando, Deum plectere non tantum impios, sed et justos, ut eos a peccatis purget et in virtute consolidet, viam sternit orationi Dei, qui retundit Jobi temeritatem, qua consilia divina scrutari ausus est. Describendo magnitudinem divinam in tonitru (37), immediate praeparat sermonem Dei, e turbine respondentis (38, 1). *c)* Quod Job ei non responderit. — Non respondit, quia Eliu (36, 1) prae alacri charactere eum loqui non permisit, aut quia Deus immediate post orationem Eliu apparuit. Confer Z. f. kath. Th. 1886, 432 seq. Hommel l. c. W. Posselt, Verfasser d. Eliu-Reden. Frbg. 1909.

4) Jobi verba (27, 11—28, 28), quae alteri interlocutori adscribuntur et 40, 10—41, 45 (monstrorum descriptio) ex oratione Dei.

5) Librum Job esse divinitus inspiratum et canonicum[1], docent synagoga, sancti Patres et Concilia, a quibus semper inter libros protocanonicos adnumerabatur. Ob graves doctrinas[2], quae hic proponuntur et evolvuntur, liber noster inter libros sacros A. T. praecipuum occupat locum.

1) Quaeritur, an omnia Jobi et amicorum dicta tanquam effata Spiritus sancti (inspirata) sint habenda, quum Job ipse (42, 6) peccatorem se confiteatur ei tres amici a Deo reprehendantur: *Quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job* (42, 7). — S. Augustinus (ad Oros. cont. Prisc. 9) quidem putat, sententias amicorum, praeprimis Baldadi (25, 4—6), pro auctoritate divina non esse habendas. Ast observandum est, quod auctor, dialogo usus, Jobum ejusque amicos ita loquentes inducit, ut, quae separatim minus recte dicta essent, in toto dialogo corrigantur, et veritati inserviant, quam auctor stabilire vult. Verba igitur adversariorum Jobi nequeunt esse absolute et aeque vera; si tamen quid

minus rectum aut falsum prae se ferant, hoc tale esse, ex responsionibus, ex epilogo vel prologo, evidenter demonstratur. Per id igitur, quod quaedam ad aliis dicta referantur, quae in se minus vera sunt, liber qua talis nullo modo cessat in omnibus partibus esse inspiratus. Coufer Welte, Buch Job 1894, pag. XV. Licet ergo verba amicorum non sint in omnibus laudanda, tamen non sunt in omnibus rejicienda, ut patet ex s. Paulo (1 Cor. 3, 19), qui laudat hoc Eliphasi dictum: *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum* (Job. 5, 13).

Quod attinet Jobi verba, quae adversarii impatientiae, murmurationis etc. accusant, reponimus: Generatim Deus ejus sermones approbavit (47, 7); ast Job ab eo etiam carptiur (38, 2; 39, 32; 40, 3), imo Job se ipse vituperat (39, 33; 42, 3). Nihilominus Job totum se Deo tradit, quem demum se post sua fata Redemptorem habiturum esse affirmat. Hinc rectam querelarum Jobi interpretationem adjuvant prologus et Dei judicium, Jobum *de Deo rectum locutum esse* (42, 7). Suspiria ergo illa psychologice interpretari debemus, ratione habita doloris, animi commotionis *(in ventum verba afflicti)* et amicorum invectionum. Ceterum sanctus Job gestabat magnam personam magnae prophetiae, unde, quae in libro ejus *videntur quasi aspera et blasphema*, ait Angustinus (Enar. in. Ps. 103 serm. 4), *habent intellectus suos*. Merito Job ab Ecclesia tanquam insignis patientiae heros praedicatur. Confer Knabenbauer, Com. 10 seq. Z. f. kath. Th. 1866, 418 seq. — Musil III, 411.

2) Liber Job continet gravissimas doctrinas, imo totam quasi theologiam A. T. proponit. Ante omnia relatio miseriarum et afflictionum (tum impiorum, tum justorum) ad providentiam divinam evolvitur. Celebrantur proprietates divinae: omnipotientia, justitia sapientia, pietas, quae in toto universo se manifestant; evolvuntur status naturae lapsae (4, 18, 19; 15, 14—16), peccatum originale (14, 4), imbecillitas et inopia hominis, efficacia sapientiae divinae (hypostaticae) in mundo creando (28), mysterium ss. Trinitatis (1, 21; 27. 2, 3), praeprimis autem idea Messiae tanquam Salvatoris (9, 33; 16, 24 fl.; 17, 3) et spes futurae ressurectionis corporis (19, 24 fl. col. 14, 13 fl.), quam celebrat Hieronymus (ep. ad. Paul. 53, 8): *Job resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea manifestius vel cautius scripserit,* et (cont. Ion Hieros. n. 30): *Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur.* Confer Clementem Rom. (ep. 1 ad Cor. 26), — Originem (Matth. 22, 33), — König (Unsterblichkeitsidee im B. Job, 1855). — Köstlin (de immort. spe. in l. Job, 1846). — Royer, Eschatologie d. B. Job, Agsb. 1892. — Quoad ethicam effertur innocentia (22, 23; 42) et castitas (31), timor Domini (28, 28). Tandem Job suo nomine (pag. 225) et agendi ratione, pugna cum satana (col. Gen. 3, 15) et patientia sua typice adumbravit Christi patientis pugnam et victoriam de diabolo, quemadmodum jam innuit Jacobus (5, 11): *Sufferentiam Job audistis et finem Domini vidistis* col. Gregorio (l. 6. Mor. Cap. 1). Hac ex causa liber Job teste Origine in majori hebdomada ab Ecclesia recitabatur, uti nunc in officio defunctorum. Confer Zschokke, Buch Job §. 7.

6) Liber Job hebraice conscriptus est. Discrepat autem in multis versio LXX, et inde exarata latina Itala a textu hebraico. S. Hieronymus novam versionem latinam ex hebraeo elaboravit, quae inter reliquas versiones primum occupat locum.

Demonstrat Origenes (ep. ad. Afric. n. 3—5), plura addita et detracta esse in exemplaribus graecis contra archetypi fidem; accidere enim non raro, ut 3 et 4, interdum etiam 14, 16 et 19 versiculi in LXX desint, qui in Hebraico legantur; et s. Hieronymus (Praef. 1 et 2) de versione latina Itala, quae fluebat e LXX versione, ait: *ut decurtatus et laceratus corrosusque liber foeditatem sui publice legentibus exhibeat.* Rursus inveniuntur in LXX (cp. 42) appendix tractans de Jobi ejusque amicorum genealogia, et 2, 9 amplificatio allocutionis uxoris Job. Hinc Origenes asteriscis et obelis notavit discrepantias textus hebraici cum versione graeca, et quae deerant, ex Theodotione supplevit. Confer Bickell, De indole vers. alex. Jobi 1862; Z. f. kath. Th. 1886. 547 seq. et Siegfried, Buch Job 1893 (Textkritik), Hieronymus correxit veterem latinam versionem juxta Hexapla Originis; postea vero ex hebraeo novam elaboravit versionem, quae in Vulgata exstat et optima inter ver-

siones habetur, de qua ipse dicit: *Haec autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso hebraico arabicoque sermone interdum syro, nunc verba, nunc sensus nunc simul utrumque resonabit* [...] *audiant quapropter, canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea, quae in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent.* Paraphrasis chaldaica redundat additamentis et nugis. Exstant duae versionis syriacae, quarum una textum hebraicum presse sequitur, altera (a Middeldorpio edita) fideliter vertit textum graecum hexaplarem et convenit cum recensione s. Hieronymi, asteriscis et obelis instructa.

Commentarii: Zschokke 1875. — Langer 1885. — Knabenbauer 1886. — Hontheim 1904. — Acath.: Merx 1871. — Hengstenberg 1875. — Studer 1881. — Wright 1883. — Volck 1889. — Dillmann 1891. — Budde-Nowack 1896. — Duhm-Marti 1897. — Driver, Oxf. 1906.

Caput tertium.

A schimate usque ad exilium (933—588 a. Ch.).

§. 52. Prospectus.

Davide et Salomone regnantibus respublica hebraica summum gloriae culmen adepta erat, a quo dein paulatim decidebat. Schismate inter Juda et Israel (quod jam in antiqua aemulatione tribuum Juda et Ephrain latuerat 2 Sam. 20, 1; 3 Reg. 12, 16) exorto (933), defectione a Jâhve, cultu in excelsis habito, foedere cum populis exteris inito et idololatriâ variâ populus tandem poenam divinam meruerat, ut a gentibus, quemadmodum De ussaepe minitatus erat, conculcaretur. Verum quidem est, quod Prophetae hoc tempore frequentes et excellentes theocraticam promovere populumque tum promissis, tum minis ad observationem Legis reducere conabantur, sed verba horum optatum fructum non tulerunt. Abhinc respublica Hebraeorum, quae quasi media inter magnas mundi monarchias interjacebat, centrum erat rerum politicarum et mercantilium inter gentes tunc notas, et ita rebus earum gerendis implicatur. Hebraei, muneris sui particularis immemores, varias cum mundi monarchiis inibant relationes et societates, quae interitum illorum accelerarunt. Nihilominus tamen Israel manebat tunc temporis populus et filius Jahvae dilectus, qui cum castigare quidem debuit, ast castigatum non plane rejiciebat, sed correctum in gratiam recipiebat, imo hostibus, postquam consiliis divinis, populum refractarium castigandi, servierunt, perniciem adducebat, ut promissio Abrahae facta: *maledicam maledicentibus tibi* (Gen. 12, 3), in vigore maneret. Hinc mirum non est, quod Syrorum, Assyriorum, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum monarchiae penitus deletae sunt, respublica autem Israel refloruit. Melius illustrandae historiae sacrae apte hic brevem praemittimus prospectum horum regnorum.

I. Primum regnum magnum, quod Deus tanquam flagellum populi sui contumacis elegerat, erat imperium Syrorum (c. 950—732). Aram occidentalis olim plures complectebatur civitates, quibus reges praeerant, David jam civitatem Damasci expugnaverat (2 Sam. 8, 5), quae inde a Salomonis tempori libertatem vindicavit et quidem sub Razon (3 Reg. 11, 23). Inter illos reges tempore Saulis et Davidis maxima auctoritate gavisus esse videtur

rex Soba (3 Sam. 8), serius rex Damasci. Quum Benhadad I. Baësae, regi Israelitis, bellum intulisset, inimicitiae inter reges Syriae ac Hebraeos sunt ortae; ejus successor Benhadad II. praeprimis Israel premebat et regionem transjordanensem expugnabat. Huic interfecto successit Hazael usurpator et hunc excepit Benhadad III., qui, saepius a regibus Israel devictus, regiones expugnatas restituere cogebatur; quum autem Rasin, rex Damasci, cum Phacee, rege Israel, foedus iniret contra Juda, Achaz rex auxilium Assyriorum implorabat, quorum rex Teglatl phalasar (Tiglathpilesar = Phul in monumentis) Damasco expugnata (732). Syriam provinciam in suam potestatem redegit et incolas Syriae in exilium duxit (4 Reg. 16, 5 seq.). — Religio Syrorum erat naturalismus, apotheosis naturae, cultus sidereus solis et lunae (Baalis et Astartae, Baaltis, Thammus et Atergatis), imo et animalium, piscium et columbarum.

II. Altera monarchia magna erat regnum Assyriacum i. e. colonia Babelis, a Nimrod (Gen. 10, 11) fundata, complectens olim omnes regiones inter Euphratem et Tigridem sitas. Initia regni assyriaci secundum inscriptiones cuneiformes fere usque ad annos 2000 a. Ch. ascendunt. In tabellis regiis inde ab anno 1450 a. Ch. reges assyrii adducuntur. Primus Assyriorum rex, cujus in s. Scriptura (4 Reg. 15, 19) fit mentio est Phul = Tiglath Pileser II. (an. 745—727), qui regem Israel Manahem tributarium fecit. Salmanassar IV. (727—722) regno Israel, quod cum Aegypto foedus inierat, bellum intulit, Samariam obsidione pressit, quam Sargon 722 expugnavit, incolas in exilium assyriacum abducens; ipso regnante imperium maxime floruit, nam Babylonia, Mesopotamia, Syria, imo Phoenicia et civitates regni Israel ei erant subjectae. Quidam (Duncker. Ges. I. 687; Niebuhr, Ges. Aussur 129; Riehm, St. u. Kr. 1869. 683; Weiss, Weligesch. I, 143) Sargon (Is. 20, 1) eundem habent cum Salmanassare, alii vero (Schrader, St. u. Kr. 1870, 527, Keilinschr. 158; Oppert, St. u. Kr. 1871. 700; Vigouroux, Tiele 238) rectius Sargon (722—705), successorem Salmanassaris, in Samaria expugnanda mortui, habent. Sennacherib vel Sancherib (705 ad 681), in Aegyptum progressurus, Hierosolymam Ezechia rege obsidet (anno 701); peste autem in exercitu (185.000 mortuis) grassante ad reditum cogitur (4 Reg. 19). — Asserdan (Asarhaddon 681—668) expeditiones bellicas suas usque in Aegyptum extendit (673). Vivus adhuc regnum tradidit filio Assurbanipal 668 (Sardanapal), qui Babyloniam (Aegyptum) et regnum Juda tributaria habuit. Successit ei († 626) Saracus (Asuridilili), quo regnante Ninive a Cyaxare Medorum, et Nabopolassare Babyloniorum regibus expugnatur et deletur, Assyria subjugata est anno 606 ante Ch.

Per monumenta assyriaca et inscriptiones assyrio — cuneiformes, recentissime inventas, non solum multae res biblicae, sed et chronologia dilucidantur, quin tamen omnes difficultates chronologicae sint remotae. Confer: Oppert, Les inscriptions Assyriennes de Sargonides 1862; La Chronologie biblique fixeé par les éclipses des inscriptiones cunéiformes 1868. — Schrader, Die Keilinschriften u. das A. T. 1872 3. ed. a Zimmern u. Winckler Berl. 1903. — Brandes, Königsreihen von Juda u. Israel. Leipz. — Kaulen, Assyrien u. Babyl. — Tübinger Quartschr. 1874. 389. — Laacher Stimmen, VII. Bd. — W. Staerk, Das assyr. Weltreich im Urteil d. Propheten. Gött. 1908. Inter omnes primus Botta, consul Galliae in Mossul, prope Khorsabad detexit immensum palatium regis Sargon, cum praeclaris sculpturis et inscriptionibus. Viri docti Angli Layard, Rawlinson, Loftus, Place et Smith dein explorabant ruinas Ninive, et denudarunt duo palatia Sennacherib et ejus successoris Assarhaddon, cum pretiosissima bibliotheca continente (olim 10.000) laterculos fictiles, ex utraque parte inscriptos charactere cuneiformi; describuntur ibi gesta regis Assarhaddon, res theologicae, philosophicae, medicae, mores et vita Assyriorum, poëmata et syllabaria. Praeter has illi viri detexerunt aliam copiam cimeliorum et inscriptionum, praeprimis inscriptionem regis Assunasirhabal et Tiglathpileser I., et istas exuvias in museum britannicum asportari curarunt. Interim gallici exploratores alia vetusta monumenta in Mesopotamia, praecipuas urbes Chaldaeae et ipsam Babylonem cum multis monumentis in lucem protulerunt, una cum innumeris inscriptionibus aetatum longe dissitarum, a primis Chaldaeorum regibus usque ad epocham Seleucidarum. Primitiva Chaldaeorum scriptura erat hieroglyphica, e qua orta est simplicior

hieratica, et ex hac demum formata est cuneiformis, quae distinguitur archaica et cursiva. Haec ultima in laterculis consueta est. Cursiva scriptura cuneiformis rursum in varias species dividitur, pro diverso systemate scripturae, quae inter se nonnisi in ultimis elementis scriptionis conveniunt, nempe in signis, cunei formam prae se ferentibus. Quum ingeniosa combinatione intelligeretur, inscriptiones Persepolitanas in tribus columnis eandem inscriptionem, tribus praecipuis linguis repetitam, continere, per comparationes (in nominibus propriis) sensim integrum alphabetum cuneiforme reconstructum est. Scriptura assyriaca cuneiformis est scriptura syllabica simulque ideographica; plura signa sunt polyphona, quae varias syllabas et ideas exprimunt.

III. Babylonia, de metropoli (Babel = Babylone), etiam Sinear vel terra Chaldaeorum (Jer. 24, 5; 25, 12) dicta, regnum antiquissimum terrae est (Gen. 10, 10). Primi incolae Babyloniae erant Sumeri (Accadii), auctores culturae et scripturae cuneiformis; inde septentrionalis Babylonia Accad, meridionalis Sumir vocabatur. Isti Protochaldaei (a Nimrod) varias condiderunt urbes, et quidem Uru (Ur Gen. 11, 28), Larsam (nunc Senkereh), Arku (Erech Gen. 10, 10), Babilu (Babylon) et Accad (Achad Gen. 10, 10), quae sedes totidem regum fuerunt. His Sumeris antiquissimo jam tempore accesserunt Semitae, qui ab illis culturam provectam acceperunt, mox praevalituri, quin tamen Sumeros plane evertere potuissent. Multi libri sumerici (cantica, descensus Istar ad inferos, historia de diluvio) in linguam semiticam sunt translati; praeterea Semitae alias scientias, astrologiam, mythologiam, artes, architecturam evolvebant. Confer A. Sayce, Babyl. Literat. 1878. — F. Hommel, Gesch. Assyr. u. Babyl. 1885, Semitische Völk. u. Sprachen 1883, Altisr. Ueberlief. p. 180. — H. Gunkel, Schöpfung und Chaos, Beilagen (pg. 399). — Kaulen, Assyr. und Babyl. (ed. 5) 1899. — O. Weber, D. Lit. d. Babylon. u. Assyrer. Lpz. 1907.

Inter reges Babyloniae semiticos praeprimis eminet Hammurabi (2132—2078) e dynastia I. Arabica (2262—1928). Babylonia ab Assyriis quidem subjugata, tamen liberata fuit a Nabonassare, cujus successor Merodach-Baladan (722—790 et 703—702) cum Ezechia rege (c. 714) amicitiam iniit (4 Reg. 20, 12 seq.). Fundator regni neobabylonici vel chaldaici erat Nabopolassar (625—605) qui Assyriam subjugatam cum regno suo conjunxit (anno 625). Filius ejus Nebucadnezar (Nabuchodonosor 605—561) Jerusalem expugnavit et Judaeos in exilium abduxit anno 588, quo tempore respublica chaldaica summam extensionem et gloriam est adepta, a qua mox fuit dejecta. Evilmerodach filius (Jer. 52, 31), duobus annis elapsis, ab affini suo Neriglissare occiditur, qui 4 annis regnavit (559—556). Secutus est eum filius impubes Laborosoarchados eumque, post 9 menses interfectum, Nabonnedus, qui (555—538) uxorem e familia Nabuchodonosoris (Dan. 5, 11) duxerat; hic a Cyro Persa devictus fugit. Sub regno filii ejus Baltassaris Babylon a Cyro capta est. Confer Vigouroux, Bible IV. l. 3. c. 9. Religio Assyro-Babyloniorum, quae e cultu sidero Sumerorum et monotheismo Semitarum coaluit, hierarchiam deorum continebat: primam triadem Anu, Bel et Ea, secundam: Samas (solem), Sin (lunam) et Ramam (Rimmon aërem), et planetas (uti Chaldaei) Ninib vel Adar (Saturnum), Marduk (Jovem), Nergal (Martem), Nabu (Mercurium), quibus deae (Istar = Venus) associatae sunt. Plerumque in singulis locis singuli dii (statuae) et quidem in templis, pyramidis instar constructis, sacrificiis per sacerdotes numerosos oblatis (Dan. 14, 2 seq.), colebantur. Conf. Tiele, Babyl. ass. Gesch. 1888 et Hommel, Abriß d. bab.-assyr. u. israel. Gesch. 1880. — Jastrow, Religion Babyl. u. Assyr. Gieß. 1905 seq.

IV. Monarchia medo-persica. *A)* Medi (Madai Gen. 10, 2) sat mature Assyriis erant subjecti, Tiglathpileser II. quosdam Mediae districtus regno suo adjunxit; ideo Israelitae exules ab Assyriis in urbes Medorum abducti sunt. Teste Herodoto (I, 96) Dejoces primus regno suo libertatem vindicavit ejusque filius Phraortes (657—635) magnam Asiae partem subjugavit. Cyaxares rex (635—593), una cum Nabopolassare Chaldaeo, regnum Assyriacum delevit. Astyages Babyloniam quidem subjugavit, a Cyro, rege Persarum (juxta inscriptiones) 549 devictus est et sic regnum Medorum cum regno Persarum unitum. *B)* In s. Scriptura e regibus Persiae prima mentio fit Cyri apud Isaiam (41, 25; 44, 28;

45, 1), qui, monarchia assyrio-babylonica potitus, Judaeis in patriam suam redire permisit. Sequebantur Cambyses (529—522), Darius I. Hystaspis filius (521—485), quo regnante structura templi hierosolymitani finita est (Es. 6) et regnum persicum maxime floruit; quod decrescere coepit sub rege Xerxe I. (485—465), qui divitiis et deliciis affluebat (Dan. 11. 2. Est. 1, 6) et in libro Estherae Ahaschverosch (Assuerus) appellatur. Artaxerxes I. Longimanus (465—424), qui Artachschasta (Es. 7, 1; 8, 1. Neh. 2, 1) vocatur, favebat Judaeis; nam ipso regnante Nehemias urbem et populum restauravit. Mansit Judaea colonia persica etiam sub successoribus Xerxe II. († 424), Sogdiano († 424), Dario II. Notho (424—405). Artaxerxe II. Mnemone (405—362), Artaxerxe III. (Ochus 362—338), qui Jerusalem obsedit et multos Judaeos in Hyrcaniam exules abduxit, Arse (338—336) et Dario III. Codomano (336—330) quo ab Alexandro Magno anno 331 devicto regnum Persarum monarchiae graecae adjunctum est. Cf. Lindl, Cyrus (Weltgeschichte in Charakterbildern). Münch. 1903.

§. 53. Schisma usque ad interitum regni Israel (933—722).

Salomone mortuo 10 tribus Israel, Sichem congregatae, a filio ipsius postularunt, ut levaret onera gravia sibi imposita, quae petitione neglecta, illae Jeroboamum, ex Aegypto reducem, regem salutarunt, ita ut solae tribus Juda et Benjamin in fide Roboami persisterent; hinc respublica hebraica divisa est in regnum Juda (australe) et Israel (Ephraim, septentrionale), quod schisma utrique regno erat exitio.

Quoad chronologiam vide infra appendicem.

20 Reges Juda 933—588.

1) Rehabeam (Ῥοβοάμ, 933—917) 17 annis regnavit super Juda. Semaja propheta prohibet bellum civile, sacerdotes et multi Israelitae theocratici ad eum confluunt. Dein ad idololatriam delabitur, hinc Sesacus (Sesonchis), rex Aegypti an. 928. Juda vastat, Jerusalem et templi thesauris potitur, ac sacerdotes partim perimit, partim expellit (3 Reg. 12, 11—24; 14, 25—31. 2 Par. 10—12).

2) Abias (Ἀβιού, 916—914) filius, a Jeroboamo debellatus, exercitum hostilem alloquitur, eique defectionem a legitima dynastia et a cultu Jahve exprobrat (2 Par. 13). Deo confisus Jeroboamum propulit.

3) **Asa** filius (913—873), pius, cultum publicum purgavit, idola removit, manu divina adjutus exercitum regis

19 Reges Israel 933—722.

1) (I.) Jeroboam (933—912) 22 annis Sichem regnavit; erexit vitulos aureos (aegypt.) in Dan et Bethel, elegit sacerdotes non e tribu Levi; munera pontificia ipse sibi arrogavit; propheta regem Bethele sacrificantem objurgat; manus regis impii arida facta sanatur. Ahia propheta uxori regiae, de morte filii ipsum consultanti, eversionem domus Jeroboami et totius Israel excidium annuntiat (*3* Reg. 12, 25 — Cap. 14).

2) Nadab filius (912—11) in conjuratione a Baasa e tribu Issachar interficitur (3 Reg. 15, 27 seq.).

Reges Juda.

Kôs (Arabiae centralis) delevit, spolia in templi armarium retulit. Contra Baesa, regem Israel, Deo diffisus, auxilium Benhadad I., regis Syriae, imploravit pretio auri sacri. Asa, minaces prophetae voces pertrectans, pedum languore affectus et infirmitate confectus obiit (3 Reg. 14, 1—24; 2 Par. 13—16).

4) **Josaphat** (873—849) 25 annis regnavit, religiosissimus, idola et excelsa removit, cultum Jahve promovit, res judiciales ordinavit, populo prospexit, in hoc uno infelix, quod affinitatem (dedit filio suo Athaliam, filiam Jezabelis, uxorem) et foedus cum impiis regibus Israel iniret et quidem cum Achab. Michaea propheta dehortante, contra Benhadad II., regem Syriae[1]) dimicaret, quare a Jehu propheta increpatur.

Posthac classem instruxit in Ophir ad aurum portandum, quae tamen naufragium fecit, quia, quamvis invitus, Ochoziam in navigationis societatem receperat.

Adjuvit dein regem Joram contra Moabitas, sub Mesa[1]) rebellantes, eosque devicit. Anno 851 filium regni socium fecit (3 Reg. 22, 41 seq.; 2 Par. 17—20).

Reges Israel.

3) (II.) Baesa (Baasa 911—888) regnavit in urbe Thirza, Jehu propheta ei supplicium annuntiavit (3 Reg. 15, 33—16, 7).

4) Ela filius (888—887), deliciis affluens, occiditur a

5) (III.) Zimri (Ζαμβρί, 887), qui post 7 dies se suosque cum palatio combussit.

6) (IV.) Omri (Ἀμβρί — Amri, 887—877) aemulum Thebni removit, Samariam (Schomron) aedificavit, sed impius exstitit.

7) Achab (876—854) nupsit Jezabel, nequissimae filiae regis Sidon, quae cultum Baalis et Astartae, idolorum phoeniciorum, ubique introduxit. Eliam prophetam, superstitioni sese opponentem, persequitur, Nabothum, vineae cupidus, lapidari jussit, hinc Elias toti familiae ejus interitum annuntiavit (3 Reg. 21, 22).

Achab sagitto vulneratus moritur et canes sanguinem ejus de curru fluentem lambunt.

1) Inscriptione assyriaca teste, Binhidri (Benhadad) cum Achab foedus pepigerat contra Assyrios, quo rupto Achab cum rege Josaphat confoederationem contra eum iniit (Schrader, Keilinsch. 94 seq.).

8) Ahasja (Ὀχοζίας, 854—853) filius, patris instar, impius et idololatra.

9) Joram (853—842), fratre Ochoziae, regnante Elias ascendit. — Eliseus propheta.

1) Cf. Nordlander, Inschrift d. Königs Mesa von Moab. Lpz. 1896.

Reges Juda.

5) Joram (849—842) fratres occidit, excelsa restituit, idola erexit. Idumaei defecerunt, Philistaei et Arabes in regnum irruperunt, uxores filiosque ejus occiderunt, regiam expoliaverunt (Abdia propheta). Morbo lethali cruciatus obiit.

6) Aschasja (Ὀχοζίας, 842) annum regnavit, socius Joram, regis Israel, in bello contra Hazael, Benhadadi successorem. Joram vulneratus in urbem Jezrael deportatur, ibique ab Ochozia visitatur. Interea ab Eliseo rex ungitur Jehu, princeps exercitus, qui Joram regem fugientem transfixit, Ochoziam simul occidit; cadaver illius in Nabothi agrum projici jussit, Jezabelem de fenestra praecipitem egit et progeniem Achab exstirpavit.

7) Athalja (Ἀθαλία, 842—837), mater impia et atrox, exstincto genere regio, thronum occupavit, evadente unico Joas, filio Ochoziae anniculo, qui cura Josabae, sororis Ochoziae et uxoris Jojadae pontificis, in templi aedibus absconditur, educatur et septennis, applaudente populo, rex proclamatur et Athalia interficitur (4 Reg. 11).

8) Joas (836—797) 40 annis regnavit; religio Jahvae Jojada duce restauratur, templum reparatur et exornatur. Jojada pontifice defuncto iterum, idola coluit, Zachariam, Jojadae filium, impiis suis moliminibus adversantem, lapidibus obrui fecit. Hinc a Syris bello visitatur. Hazael Syrum, Jerusalem obsidentem, thesauris templi oblatis ad reditum permovit ideoque a suis in lecto trucidatur (4 Reg. 12; 2 Par. 22—24).

9) Amazia filius (Ἀμασίας, 797—792) Edomitas percussit. Petram urbem cepit; prosperis rebus elatus Idumaeorum idola et spolia adduxit eademque coluit.

Reges Israel.

10) (V.) Jehu (Ἰηοῦ, 842—815) sacrificulos Baalis in Samaria exterminavit, idola et templa evertit, a vitulis vero aureis Jeroboami non recessit; hinc Hazael, Syrorum rex, damna regno intulit et regionem transjordanensem expugnavit[1]) (4 Reg. 10).

1) Secundum inscriptiones assyriacas Jehu erat foedere junctus cum rege Assyrio, ideo ejusdem tributarius et qua talis exstitit hostis Syriorum (Schrader, Keilinsch. 105 seq.).

11) Joachaz filius (Ἰωαχᾶς, 814 ad 798) vitulos Jeroboami coluit et armis Hazaelis Syri attritus est (4 Reg. 13).

12) Joas filius (798—783). Elisaeus moritur. Benhadadum III., Hazaelis successorem, ter vicit et urbes aliquot recuperavit. Ab Amasia temere provocatus, bellum regno Judae intulit, Amasiam cepit, muros Jerusalem diruit, templum regiamque spoliavit.

Reges Juda.

Amasias a conjuratis interficitur (4 Reg. 14, 2—22; 2 Par. 25).

10) **Uzias = Azarias** (Ὀζίας = Ἀζαρίας, 792—740) 16 annos natus gubernare coepit et 52 annis regnavit; a consiliis habuit Zachariam prophetam, virum probum, cultum divinum promovit, Philistaeos et Arabes devicit, Idumaeis Elath eripuit, moenia Jerusalem restauravit, alias urbes munivit, agriculturam et rem pecuariam promovit, ita ut civitas ipso rege florentissima ac honoratissima esset. Quum autem in senectute sacerdotale munus invadens thus sacrum adoleret, leprosus factus est; Joatham filium regni socium fecit et non ita multo post obiit. Anno mortis ejus Isaias ad munus propheticum vocatur (740).

11) Jotham (Ἰωαθάμ, 740—736), pietate et religionis studio plenus, januam templi superiorem restauravit, civium saluti et paci consuluit, oppida in finibus sita firmavit, Ammonitis tributum imposuit — ast loca excelsa idolis dicata non destruxit, hinc Deo permittente Phacee Israel et Rasin Syriae reges fines regni Juda depopulantur (Michaeas propheta).

(4 Reg. 15, 1—7; 2 Par. 27). Successit filius degener

12) Achas (Ἀχάζ, 736—728), qui simulacra Baalis aliorumque idolorum

Reges Israel.

13) Jeroboam II. filius (783 ad 743) 41 annis regnavit. Benhadadum III. devicit, regiones amissas (transjord.) recuperavit et fines regni antiqui restituit. Rebus feliciter gestis (Jonas 4. Reg. 14, 23—29) elatus, cultum idolorum retinuit, hinc mores Israelitarum tunc temporis, Amos (c. 760) et Osee (circ. 750) dehortantibus pessimi erant.

14) Zacharias (Sacharja, 743) filius mense sexto interficitur (quocum Jehu progenies emoritur) a

15) (VI.) Schallum (Σελλούμ, 743), qui post mensem trucidatus est a

16) (VII.) Menahem Μαναήμ, 743 ad 737) duce, qui crudelissime regnavit. Contra Thapsacitas (an. 738) auxilium Phul, regis Assyriorum (cujus tributarius erat, Laach. Stim. VII. 313) imploravit soluto magno argento, quod e civibus expresserat. Excepit eum

17) Pekachjah Φακείας — Phaceia (737—736) patri simillimus; enecatus est a duce militum

18) (VIII.) Pekach (Φακές — Phacee 736—730).

Reges Juda. | Reges Israel.

posuit, filium suum Molocho immolavit et in excelsis ac collibus sacrificavit; hinc a Pekach, statum florentem Juda sub Joatham invidente, et a Rasim, Syrorum rege, debellatur et caeditur. Rasin urbem Elath expugnatam Idumaeis restituit. Undique coacto regi Deus per Isaiam liberationem promittit, ac miraculum petere eum jussit, quod quum Achaz renueret, Isaias vaticinium illud celebre de ortu Messiae ex Virgine addidit. Imploravit autem rex auxilium Tiglathpilesaris, regis Assyriae, missis ex aerario templi thesauris, qui Rasin devicit, incolas Syriae nec non Galilaeae et regionis transjordanensis captivos in Mediam duxit (734)

Achaz, his elatus, ipsum altare Salomonis aeneum removit et in ejus locum aliud pro idolis posuit templumque clausit.

Quum tributum solvere recusaret, Assyrius Hierosolyma obsedit, donec Achaz pecunias, onere populo imposito, solveret.

(4 Reg. 16; 2 Par. 27 et 28; Jes. 7).

Pekacho interfecto, favente Tiglathpilesare regno potitus est (4 Reg. 15, 8 seq.)

13) **Ezechias** (**Hiskia**, 727 ad 698) filius, 29 annis regnans, pius et felix, idola, aras, imo et serpentem aeneum (Moysis) evertit et contrivit, cultum excelsorum exstirpavit cultumque divinum restituit; ad Pascha, diu jam omissum, Hierosolymis celebrandum Judaeos et Israelitas invitavit, sacrificia ceteraque fieri jussit. Rem politicam et bellicam curavit, urbes munivit, novas exstruxit, opes industria peperit et annonae providit.

19) (IX.) Hoseas (Ὡσηέ, Osee, 730—722), qui tributum postea Assyriis recusans, a Salmanassare facile ad fidem compellebatur. Foedere cum So(Sabako) Pharaone inito, Salmanassar regnum Israel occupavit, devastavit, Samariam 3 annis obsedit, quam ejus successor Sargon expugnavit, regem in catenis cum maxima incolarum parte in Mediam ac Assyriam duxit regnumque Israel delevit 722.

Novi coloni, ex Assyria et Babylonia in terram Israel missi, cum relictis incolis se miscebant = Samaritani[1]) (4 Reg. 17). — Tobias.

1) Coloni, ex urbibus Chuta (Tell Ibrahim), Avah, Emath (Hamath = Amatu), Sepharvaim (duae Sipparae) ad ripam Euphratis, adducti et Israelitis mixti (Samaritani = Schomronim, de antiqua urbe Schomron = Samaria dicti), idololatriam retinuerunt; per leones autem, a Deo missos, puniti, a rege assyrio sacerdotem israeliticum quidem obtinuerunt et

Deum colere ceeperunt, qaulo post tamen cultum Dei cum idololatria sua antiqua inquinarunt (4 Reg. 17, 24—41). Ex inscriptionibus assyriacis (Schrader, Keilinsch. 162) patet, regem Sargon anno primo et septimo sui regiminis colonos in terram Chatti (Palaestinam) misisse. Si Esras (4, 2) narrat, Assarhaddon colonos hos misisse (scil. altera vice), huic congruunt inscriptiones (Schrader, l. c. 244). Sensim religio Jahve idololatriam Samaritanorum exturbasse videtur, praeprimis tempore Josiae (4 Reg. 23, 15 seq.), quum Samaritani Hierosolyma sacrificandi causa veniebant (2 Par. 34, 9 Jer. 41. 5. Esr. 6, 21). Nixi hac sua fide, petunt licentiam templum cum Judaeis aedificandi (Es. 4, 1 seq.). Josephus Flavius (Ant. XI, 7, 2; 8, 2) enarrat, Manassen, fratrem pontificis Juduae (?) et nepotem Jojadae, ob matrimonium cum filia Sanaballat, satrapae persici, expulsum, per socerum suum ab Alexandro Magno, Tyrum obsidente (332 a. Ch.), veniam obtinuisse, templum in monte Garizim aedificandi et pontificem ejusdem creatum esse Attamen Manassen, Jojadae nepotem, tempore Alexandri adhuc vixisse, versimile non est; quidquid sit, abhinc Judaei Samaritanos magis adhuc abhorrebant et odio habebant (Eccli. 50, 27 seq.). Quum Antiochus Epiphanes (175—164) Judaeos persequebatur, Samaritani originem hebraeam negabant et templum suum Jovi Olympio dedicabant (2 Mach 6, 2). Joannes Hyrcanus pontifex et princeps anno 128 a. Ch. Samariam expugnavit et templum, in monte Garizim erectum, diruit (Joseph, Ant. XIII. 9, 1). Gabinius legatus (57—55) a. Ch.) Samariam dirutam reaedificavit, quam Augustus anno 30 a. Ch. Herodi Magno donavit. Hic magnifice eam exstruxit et Sebasten nominavit Odium inter Samaritanos et Judaeos adhuc tempore Christi perdurabat (Joh. 4, 7. seq.); nihilominus Samaritani Evangelium cum gaudio recipiebant (Act. 8, 5 seq. 9, 31; 15, 3). E libris sacris assumebant tantum Pentateuchum, qui characteribus sic dictis Samaritanis scriptus est, et chronicon Samaritanum (confer supra pag, 169). Samaritani in bello judaico Romanis resistere conabantur, attamen a Cereali legato anno 67 p. Ch. maximam partem in monte Garizim occisi, non autem exstincti sunt; nam seculo secundo Romae synagogam habebant. Hodiedum exstant Samaritani (120 familiae) in urbe Naplus, ubi, pontifici subjecti, legem mosaicam et circumçisionem observant, praeter sabbatum septem festa (Lev. cp. 23 enumerata) celebrant, festo Paschatis in Monte Garizim sacrificia (agnos) offerunt, bigamiam non tolerant, nisi prima uxor sterilis est, divortium cum libello repudii permittunt, quamvis raro occurrat et leviratum concedunt, ita tamen ut non levir, sed amicus defuncti viduam in uxorem ducat. Monotheismo severe addicti, abhorrent omnes imagines, anthropomorphismos et anthropopathismos, et credunt in Mesiam (Taheb, Moyse tamen non superiorem), 6000 annis post orbem conditum venturum, qui omnes gentes ad veram fidem perducet. Cf. A. Merz, D. Messias od. Ta'eb d. Samaritaner. Gieß. 1909. Annos 7000 peractos judicium universale excipiet. Confer G. Juynboll, Com. in hist. gent. Sam. 1846. — Petermann in Herzogs Real-Encyklop. XIII. 359. — J. Grimm, Die Samariter und ihre Stellung in d. Weltgeschichte, 1854. — A. Brüll, Z. Geschichte u. Literat. d. Samaritaner. Frkf. 1876. — J. Barges, Les Samarit. de Napluse, 1885. — J. A. Montgomery, The Samaritans. Philad. 1907. — Rothstein (Kittel), Juden und Samaritaner, 1908. — Nuperrime Dr. Gaster in urbe Nablus detexit manuscriptum hebraicum continens chronicon Samaritanorum ab introitu Israelitarum in Palaestinam et copiam libri Josue (seculo secundo a. Ch. scriptam). Sed ut talii v. g. Jahuda demonstrarunt, illa hebraeo-samaritana recensio libri Josue versio secundum textum arabicum ex recentiore tempore est.

§. 54. Regnum Juda usque ad excidium suum (722—587).

Ezechias, morbo gravissimo correptus, precibus suis per Isaiam obtinet prolongationem vitae 15 annorum, addito signo, quo umbra in solario 10 gradus recessit. Triduo elapso sanatus, reliquam vitam religioni ac saluti publicae sacravit. — Quum autem legatis babylonicis, quos Merodach (721—709) Baladan de recuperata salute gratulatum vel potius foedus contra Assyrios initum miserat, ex ostentatione thesauros monstrasset, Isaias eorum et filiorum

deportationem in Babyloniam praenuntiavit[1]) (4 Reg. 19—20; 2 Par. 29—32; Is. 36—39). Ezechiam, ne cives premeret, tributum Assyriis solvere recusantem Sennacherib cum exercitu adortus est. Soluto vectigali magno, rex pius pacem quidem, ast non diu, obtinuit; nam Sennacherib, qui Aegyptum subjecturus prius Palaestinam, quae huic foedere juncta erat, subjectam habere voluit, duces suos ad Hierosolyma obsidenda misit. Rabsaces dux, insultans verbis ignominiosis, ditionem urbis exposcit; Isaias autem Ezechiam spe recreat. Quum praeterea Tirkaka (Tarakos), Aethiopum rex, bellum contra Assyriam moliretur, angelus maximam Assyriorum partem una nocte peste interfecit: ideo Sennacherib Ninive fugit ibique in templo a filiis suis confoditur.[2])

1) Ergo Is. 36; 37, praeeuntia vaticinia (capitibus 28—35 contenta) eventu expleta esse monstrantur. Quae ergo sequuntur (38; 39) jam anno c. 714 facta sunt; relationi eorum innititur vaticinium de exilio babylonico, hinc ordo inversus explicatur. Verba igitur »et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiae« (36, 1) pertinent ad 38, 1, uti e. v. 10 hujus capitis elucet. Cf. Schöpfer, p. 410.

2) Haec facta biblica confirmantur inscriptionibus assyriacis, in quibus priores octo expeditiones Sennacheribi (Sinahirib) narrantur, exceptâ clade ante portas Jerosolymae; imo tributi Ezechiae (Hazakiyahu) fit mentio. Confer Schrader, Keilinsch. 169; Kaulen, Assyrien 129; Vigouroux, Bible IV. 3, 1; Sayce, Alte Denkm. p. 146; Theresia Breme, Ezech. u. Sennacherib (B. Stud. XI, 5) Frb. 1906.

14) Manasses filius (698—643) 55 annis regnavit, cultum idolorum restituit, altari Baali erexit, cultum siderum Assyriorum introduxit, excelsa, ab Ezechia diruta, restauravit ipsumque templum statuis superstitiosis, imo simulacro Astartae, foedavit; monita prophetarum sprevit eosque (Isaiam) persecutus est. Assyrii[1]) eum catenis vinctum Babylonem abduxerunt. Poenitentia factorum suorum ductus, libertati ac regno restituitur, et Hierosolyma reversus ea, quae antea peccaverat, emendare studuit. (Nahum. a. c. 660. Habacuc an. c. 646).

1) Inscriptionibus assyriacis testantibus (Schrader, Keilinsch. 227 seq.) Manasses cum 21 aliis regibus Chatti tributarius erat Asarhaddon regi († 668); quia vero cum Aegyptiis et Babyloniis foedus contra Assyrios iniit, ab Assurbanipal, successore regis Assyrii a. 647 Babylonem captivus abductus est. Confer Laach. Stimm. VII. 525; Vigouroux l. c. c. 2. 3. Rege absente Judith Palaestinam salvavit.

15) Amon, Ἀμώς filius (642—640), impius et idololatra, altero jam anno conjuratorum familiarium ferro periit (4 Reg. 21; 2 Par. 33).

16) **Josias** filius (639—608) octennis paternum solium adiit, 31 annis regnavit, davidicae religionis aemulator exstitit; nam anno aetatis suae 16. (631), fortasse auctoribus Sophonia et Jeremia prophetis operam dedit, ut omnia, quae ad legem sunt, edoceretur, et anno regni sui duodecimo (627) Judaeam et Jerusalem purgare coepit ab idolis, et omnia superstitionis monumenta, praeprimis Bethele, evertit, quo vaticinium (3 Reg. 13, 2) impletum est. Anno 18. regiminis sui (621) templum restauravit, quo contigit, ut Helcias sacerdos librum legis Moysi (autographum), una cum arca foederis propter foedationem templi (4 Reg. 21, 7) absconditum (col. 2 Par. 35, 3; Jer. 3, 16)[1]), invenerit, quo praelecto severissimas Dei minas in transgres-

sores legis, ibi jam decretas, edoctus, quidquid idololatriae in terra Juda et Israel supererat, removit atque festum paschale cum ritu solemni celebravit. Infelix tantum, quod Nechao, Aegyptiorum regi, qui regem babylonium debellabat, transitum negaverit; bello enim exinde orto, Josias in planitie Jezrael prope Mageddo, sagittâ confossus, obiit (608) et ingenti omnium moerore et luctu est conditus, Deo ita dirigente, ne videret mala in populum abhinc irruentia (4 Reg. 22. 23; 2 Par. 34. 35). Cf. A. Alt, Israel u. Ägypten. Lpz. 1909.

1) Confer Reinke, Beit. VIII. 172 seq. Hummelauer, Com. in Deuteron. 1901. De more antiquorum Aegyptiorum in templis aedificandis libros, praecipue cultum et leges respicientes, recondere cf. Grimme O. L. Z. 1907, 610 seq. — J. Herrmann, Z. f. alttest. W. 1909, 291 seq.

17) Joachaz filius (608, Sellum Jer. 22, 11), a populo in regem electus, impius, jam post 3 menses a Nechao vinctus in Aegyptum ducitur et, multâ regno Juda impositâ, in loco ejus frater major Eljakimus, constituitur sub nomine.

18) Joakim (Jojakim 608—598) impius. Postquam Nebucadnezar, Babyloniae rex, Nechao regem ad urbem Karchemisch (605) in fugam convertit, Jerusalem petiit, templum diripuit ac regem cum nonnullis adolescentibus nobilibus, inter quos et Daniel cum sociis, in Babyloniam abduxit (prima deportatio 2 Par. 36, 1—7) anno 606, a quo incipiunt 70 captivitatis anni, per Jeremiam (25, 11, 12) praedicti. Mox libertati ac regno restitutus Joakim, cum triennio elapso, tributum solvere recusaret, a Nabuchodonosore rursus captus in vincula conjicitur, et mox mortuus insepultus mansit. Successit patri filius similis

19) Joachin (Jojachin Jechonias 598), qui trimestri tantum thronum tenuit; nam Nebucadnezar, Jerosolyma expugnata, regem, cognatos ejus et alios (meliorem incolarum partem 10.000), inter quos erant Mardochaeus et Ezechiel sacerdos, tanquam obsides, cum thesauris, Babylonem abduxit (deportatio secunda 4 Reg. 24, 12), infima tantum plebe relicta, cui victor regem dedit, filium Josiae minimum, Matthaniam, nomine

20) Zedeciae (Sedecias 598—587), qui, initio cum Pharaone Hophra (588—570) contra Jeremiae monitum foedere, fidem Babyloniis negavit ideoque ultimum regno suo accersivit exidium; Nebucadnezar enim, Pharaone fugato, urbem 2 annis obsedit. Jeremias suadens, ut urbs tradatur, in carcerem detruditur. Fames et pestis grassantur. Sedecias profugus in planitie Jerichuntina capitur, Reblathae occisis coram ipso liberis, oculis orbatur et vinctus Babylonem abducitur (tertia deportatio 4 Reg. 25, 7), ubi mox periit. Interim Chaldaei, urbe capta, templum exusserunt, vasis sacris et quidquid pretiosi inde ablatis, anno 588.

(4 Reg. 24—25. 21; 2 Par. 36; Jer. 39; 52.)

§. 55. Prospectus utriusque regni.

1) Regnam Israel, quod injuste a domo Davidica, cui soli promissio divina erat facta, secesserat, 211 annis (933—722) 19 reges eosque magis

minusve impios habuit, qui, non ex Deo regnantes (Os. 8, 4), arbitrio militum creati, in se invicem saevierunt, hinc IX diversae dynastiae, quae conjuratione vel caede thronum occupaverant, interemtae sunt. Sic Baesa exstirpavit familiam Jeroboami, Jehu interemit progeniem Achab, Sellum occidit generationem Jehu. Hanc ob causam historia regni hujus conjurationibus et bellis civilibus perpetuis est foedata, sic commonstrans, rempublicam, ordine divino neglecto, subsistere non posse. Reges israelitici, propriae tantum dignitatis et utilitatis vindices et promotores, caedibus et injustis vexationibus populum premebant et una cum magnatibus ei omnis iniquitatis exempla praebebant — hinc et mores populi corruptissimi, quoniam qualis rex, talis grex. Omnium tamen detrimentum erat maximum, quod schisma hoc politicum exstiterit simul religiosum; Jeroboam I. enim in contemptum templi hierosolymitani, utpote centri religiosi, idola in Bethel et Dan erexit et, quum sacerdotes Levitaeque, legis mosaicae aemuli (2 Par. 11, 13), ad regnum Juda transiissent, in regno Israel (regno peccante Am. 9, 8; et furoris Domini Os. 13, 11) cum throno legitimo etiam religio deficiebat, in cujus locum cultus excelsorum, religio phoenicio-babylonica cum cultu aegyptio mixta erat introducta (3 Reg. 3, 2; 15, 14; 22, 44); praeter Bethel et Dan etiam in urbibus Galgalis (Os. 12, 11), Mizpae (5, 1), in monte Thabor (5, 1) et Sichem (6, 9) idolis sacrificabatur. Cultum Apidis aegyptium Jeroboam I., qui, utpote in Aegypto profugus, eum cognoverat, in regno suo instituit. Cultus phoenicius Astartae per Jezabel impiam, nec non cultus Baalis magno cum sacerdotum numero, luxuria ac lascivia diffluentium, est introductus, quibus accesserunt excelsa, arbores sacrae, oracula ceterique idololatriae apparatus; quare prophetae non desinebant, defectionem hanc a Jahve castigare ac dynastiarum exstirpationem annuntiare. Haec regum populique ad superstitionem gentilium inclinatio efficiebat, ut regnum Israel prae regno Juda amicitia foedereque cum civitatibus potentissimis gauderet et, ab his adjutum, nonnunquam potestate magna praevaleret; sic v. g. Sesonchis, Aegyptiorum rex, Jeroboamo junctus, Judaeam invasit et a Jerusalem tributum exegit (958), Achab, filiae regis Tyri matrimonio junctus, Tyriorum potestatem amicam habuit; serius regnum Israel etiam cum Assyriis foedus iniisse videtur (Ez. 16, 28; 23, 5), tandem et cum Syria (Damasco), quae conjunctiones theocratiae et consequenter etiam regno perniciem et exitium adduxerunt.

2) Ambitus regni Juda minor erat, quam regni Israel, nam praeter tribus Juda et Benjamin non amplectebatur nisi Edomitarum, Ammonitarum et Philistaeorum terras, quas gravi tantum negotio tenebat; Edomitae enim jam Salomone rege seditionem fecerunt (3 Reg. 11, 14) et subjecti quidem sub Joram rebellarunt (4 Reg. 8, 20), donec Achaz regnante plenam libertatam sibi vindicarent. Similiter Philistaei post Josaphat sub Joram Hierosolyma diripuerunt (2 Par. 21, 16), ab Uzia (26, 6) subacti iterum Achaz rege (28, 18) jugo se subtraxerunt. Nihilominus tamen status rerum Juda melior atque felicior erat, quam regni Israel; gaudebant enim legitima regum

successione (20 infra 345 annos) e prosapia Davidica, religione paterna vere theocratica, sacrario communi (templo), prophetis, qui reges pios adjuvabant impiisque judicia divina praedicabant, et sacerdotio legitimo[1]); hinc et multi e 10 tribubus Hierosolyma venerunt ad immolandas victimas coram Deo suo talique modo regnum Juda confortarunt (2 Par. 11, 16, 17).

Ast non omnes reges in viis Domini ambularunt, sed 6 (col. Eccli. 49, 5 duo) tantum inveniebantur reges theocratici, nec ipsi ab omni macula vacui; invaluit enim praeter religionem veram nonnunquam idololatria (fornicationi juncta Ez. 16) et excelsa frequentata sunt, ut, quod a rege pio restauratum esset, a successore impio destrueretur[2]). Ad has ruinae causas internas (corruptionem religiosam et moralem) accedebant externae: status florens monarchiarum, infelices relationes politicae regni Juda ad has etc. Verbis prophetarum spretis utrumque regnum tandem eo pervenit, ut scelera et crimina iram divinam suppliciaque accelerarent.

1) Merito itaque Abia rex Israelitis dicere potuit: *Noster Dominus Deus (Jahve) est, quem non relinquimus, sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, et Levitae sunt in ordine suo, holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama juxta legis praecepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum et lucernae ejus, ut accendantur semper ad vesperam, nos quippe custodimus praecepta Domini Dei, quem vos reliquistis* (2 Par. 13, 10, 11).

2) Sic Asa omnia idola, etiam matris suae destruxerat, excelsa tamen non abstulit (3 Reg. 15, 14), quorum cultus in regno Juda, stante templo, magis erat abominabilis, quam in regno Israel, quod carebat sanctuario. Nec Josaphat piissimus ac justitiae amantissimus excelsa plane removit (2 Par. 20, 33). Joas post initia pia filium benefactoris sui ac patris spiritualis in templo trucidari jussit (2 Par. 24, 21). Amasias idola Edomitarum adoravit eisque incensum adolevit (2 Par. 25, 14). Uzias rex, excellens quidem, excelsa non est demolitus (4 Reg. 15, 4), imo incensum in sanctuario adolere est conatus (2 Par. 26, 16). Jotham, Ezechia et Josia exceptis, reliqui omnes impietate ac idololatria solium regium polluerunt, imo Athalia regina, crudelitatem matris suae imitata, sceleribus ipsos impios reges Israel superavit. Conf. Er. Nagl, D. nachdavidische Königsgeschichte Israels. Wien 1905.

§. 56. Exilium assyriacum.

1) Regno septentrionali deleto, incolae regni Israel maximam partem deportati sunt exules in Assyriam et Mediam[1]). Loca, in quae Israelitae sunt abducti, vocantur Ninive, Ecbatana et Rages (Tobias), Chala et fluvius Chabor in terra Gozan in civitatibus Medorum (4 Reg. 17, 6; 18, 11; 1 Par. 5, 26). Inter deportatos, utique magna ex parte impios, nihilominus erant nonnulli pietate conspicui (2 Par. 30, 11 seq. — Tobias), qui contribulibus in exilio in consolationem simulque gentibus viam salutis praeparare destinati erant.

1) Jam Phul ex Galilaea, Basan et Galaad multos Israelitas in Assyriam transtulerat (734) (prima transportatio). Juxta inscriptionem assyriacam Sargon e Samaria 27.280 Israelitas captivos abduxit (in secunda transportatione, Schrader, Keilinsch. 158), et quidem in partes Assyriae septentrionales (Wichelhaus 467) et provinciam Adiabene (coi. Jos., B. J. II, 16, 14). Chala probabiliter est regio Καλαχηνή (Strabo XI, 8, 4), a Ptolomaeo (VI, 1) Καλακινή appellata, in parte orientali Tigridis, ad septentrionem Ninive, in confinibus

Armeniae (nunc Calah). Chabor (Habur) fluvius apud Karkemisch in Euphratem influit. Gozan probabiliter est regio Gauzanitis, in qua sita erat urbs Γαυζανία (Ptol. VI. 2) in Media.

2) Paucissimi exulum ad Deum se convertisse et cum Judaeis in Palaestinam rediisse[1]), sed multi Israelitae idololatrae cum ethnicis se miscuisse videntur. Plurimi eorum in Asia orientali remanserant[2]), indeque in alias orbis terrarum partes egressi, colonias fundaverunt, mixti tamen partim cum Judaeis, e regno Juda exulibus, ita ut nunc adhuc reliquiae[3]) illarum 10 tribuum dispersarum exstare a nonnullis defendantur.

1) Desiderium priorum in patriam redeundi patet e Tob. 13, 20—23. Ps. 41; 136; ceterum Israelitas ex omnibus tribubus, quamvis paucos, rediisse, confirmant Ez. 37, 15 seq. Esr. 6, 17; 8, 35. Luc. 2, 36. Act. 26, 7 (τό δωδεκάφυλον). Divisio stricta regni Juda et Israel in 12 tribus in exilio desiisse videtnr, nam poena et poenitentia communis omnes filios Israel iterum junxisse videntur. Cum Cyrus (Es. 1, 1 seq.) et Artaxerxes (7, 13) in edictis suis universo populo redeundi facultatem dedissent, hac certe nonnulli Israelitae 10 tribuum usi Judaeis, e tribu Juda et Benjamin redeuntibus, se consociarunt.

2) Decem tribus integras non rediisse in patriam, confirmat Josephus (Ant. XI. 5, 2): *Decem reliquae tribus usque in hodiernum diem loca ultra Euphratem colunt: infinita hominum millia, nec numero comprehendenda.* Talmud (tr. Sanh. f. 110); *10 tribus non sunt reversae unquam;* ideo vocatur regnum Israel ab Hosea (1, 6, 9): *absque misericordia*; imo tempore s. Hieronymi Israelitae ibi adhuc erant (in Ezech. 23, 4): *Usque hodie 10 tribus captivae tenentur in montibus et in urbibus Medorum, ad quas translatae sunt.* Philo de legisl. ad. Caj. 1032.

3) Tanquam reliquiae 10 tribuum habentur Judaei in Arabia australi, in India, Judaei nigri in Malabar, Turkestan, Kaschmir et Afghanistan (conf. Mayer 19; — Ritter, Erdk. X, 246), imo et Nestoriani independentes (= Beni Israel, Nazaraei), qui ab Apostolis Thomae et Bartholomaeo religionem christianam edocti (col. Act. 2, 5, 9) multos legis mosaicae ritus adhuc observant, nomina hebraica sibi imponunt etc.), ac Judaei in Kurdistan (teste As. Grant, l. c. 100); origo eorum judaica quidem certa est, minime vero evictum, num praecise de 10 tribubus descendant; nam per Alexandrum M., et dein post Jerusalem a Tito dirutam Judaei super faciem terrae sunt dispersi, ita ut distinctio tribuum plane cessaverit; sunt enim non populus, uti jam vaticinatus est Bileam (Num. 23, 9). Strodl, Entst. d. Völk. 56.

Confer Calmetum, Dis. de regionibus, in quas Isr. disp. — J. D. Michaelis, Com. de exilio 10 trib. com. III. — As. Grant, Die Nestorianer oder die 10 Stämme; deutsch von Preiswerk. Basel 1843. — Wichelhaus, Exil. d. 10 Stämme in d. Deutsch. morg. Zeitschrift 1851, 367. — G. K. Mayer, Rückkehr Is. ins gelobte Land, in d. Österr. Vierteljahrsschr. 1869, 1.

§. 57. Liber Tobiae.

1) Liber Tobiae[1]) enarrat historiam utriusque Tobiae, patris et filii, ac docet, afflictiones justorum, patienter toleratas, a providentia divina in horum salutem non tantum aeternam, sed et temporalem dirigi[2]). Pariter edocemur inde, quot beneficia boni angeli hominibus praestent.

1) In versione Vulgata latina pater et filius vocantur *Tobias*, ex Tobijah = *bonitas Jahve*; in Chaldaico vero et Hebraico pater vocatur *Tobi*, LXX Τωβίτ, Itala *Thobis*, et filius *Tobija* (Tobias).

2) Tobias, e tribu Nephthali, sub Salmanassare[3]) captivus ductus in Ninive, confratres consolatur, Gabelo 10 talenta argenti mutuo dat et ob opera misericordiae persecutiones

patitur. Mortuorum sepultura defatigatus, hirundinis stercore in patientiae probationem excaecatur, et ab uxore amicisque opprobrio afficitur; ideo orans confugit ad Deum. Eodem tempore Sara, filia Raguelis, Ecbatanae in Media, ad ancillae improperium ob septem ipsius sponsos, a daemone interemptos, Deum humiliter deprecatur; utriusque preces exaudiuntur, Raphaele Archangelo ad eos curandos misso (Cap. 1—3). Cum se brevi moriturum putaret Tobias filio piissima monita inculcat eique injungit, ut pecuniam Gabelo datam recuperet. Quaerenti ducem et socium itineris in Rages Raphael ignotus occurrit; in itinere Tobias, hortatu angeli, invadentem piscem apprehendit et exenterat, Saram, Raguelis filiam, in uxorem petit et accipit et, dum sponsus et sponsa noctem orantes transigunt, daemon (Asmodaeus) a Raphaele ligatur. Raphael rogatu Tobiae ad Gabelum in Rages pergit, quem recepta pecunia ad Tobiae nuptias adducit (Cap. 4—9). Parentibus longam Tobiae moram anxie deplorantibus, hic aegre obtinet, ut a Raguele dimittatur accepta dote et uxore. Relictis in itinere Sara et familia, praecedentes Tobias et Raphael laete a parentibus excipiuntur. Pater, oculis felle jecoris linitis, visum recipit, Deo gratias agit et suasu filii Raphaeli medietatem omnium rerum in mercedem offert, at ille se Dei Angelum declarat et revelatis aliis mysteriis in coelum sublevatur, quo facto omnes Deo benedicunt (Cap. 10—12). Tobias confitetur Domino, de restitutione et magna felicitate futura Jerusalem prophetat, completis 102 annis aetatis suos hortatur, ut pie vivant et sepultis parentibus e Ninive migrent, quam evertendam dicit. Patre mortuo filius observans tandem ad soceros revertitur ibique completis 99 annis moritur (Cap. 13 et 14).

Salmanassar coepit Samariam obsidere, quae a Sargon, ejus successore, capta est, ut inscriptiones cuneiformes referunt.

2) Textus originalis libri Tobiae deperiit; exstant autem varii textus, qui non tam respectu argumenti, quam formae ab invicem discrepant[1]). Inter omnes eminet versio s. Hieronymi, e textu chaldaico exarata[2]).

1) Versionis *A)* graecae LXX exstant tres recensiones, quae ambitu, numeris, nominibus a se discrepant. *a)* Textus in Codice Alexandrino et Vaticano, e quo confecta fuit versio Armena (= Gr. A.), continet recensionem abbreviatam vel compendium libri primigenii. *b)* Textus Codicis Sinaitici (Gr. B., editus a Reusch et Fritsche) est recensio accuratior, quae magis textum originalem sequi videtur. *c)* Textus ad Tob. 6, 7 seq. (Gr. C.) conservatus est in codicibus minusculis 44. 106. 107. — *B)* Versionis latinae Itala recensio una (a Sabatier publicata) sequitur textum Gr. B., altera (5, 9; 6, 11) textum Gr. C. *C)*. Versio syriaca (Peschito in priore parte (1, 1—7, 9) congruit cum Gr. A.; in altera (a 7, 10 seq.) cum Gr. C. *D)* Feruntur etiam tres versiones hebraicae, quarum una, a Paulo Fagio 1542 edita, vocatur Hebraeus Fagii, altera a S. Münster 1517 edita, Hebraeus Münsteri, quae seculo quinto p. Ch. e textu chaldaico confecta est et Hebraeus Gasteri anno 1896 edita, quae omnes ex recentiori tempore originem deducunt. A. Neubauer in bibliotheca Bodleana Oxfordi invenit anno 1877 textum Tobiae chaldaicum, qui aeque ac graecus ex hebraeo originali fluxit. Cf. Kaulen, Einl. pg. 215. A. Schulte, Tüb. th. Quart. XC. (1908) 182 seq. Plerique protestantici auctores immerito defendunt textum originalem graecum vg. Löhr, Schürer, Zöckler.

2) S. Hieronymus versionem latinam vulgatam e textu chaldaico exaravit; ait enim (Praef. in Tob.): *Exigitis, ut librum, chaldaico sermone conscriptum, ad latinum stylum traham.* Utrum hic textus chaldaicus, qui interiit, fuerit originalis, an hebraicus, disputant. S. Doctor *magis sensum e sensu, quam verbum de verbo transferebat,* et Italam respiciebat. Vulgata et 3 graecae recensiones tanquam authenticae habentur quoad dogmaticam partem, Vulgata tamen est praeferendu. Confer Reusch, Das Buch Tobias, 1857; Libellus Tobit, 1870. — Gutberlet, Buch Tobias, 1877. — Bickell, Zeitschr. f. k. Theol., Innsbr. 1878, 216.

3) Inde a seculo XVI. nonnulli e Protestantibus varias difficultates de historica veritate libri movebant, hanc historiam ut piam quamdam

fictionem habentes, eum in finem inventam, ut Judaei aliquod solatium in exilio haberent[1]); quin tamen suam hypothesin argumentis solidis internis vel externis fulcire valerent[2]).

1) Ut praetermittam, tales fictionis, in s. Scriptura non inveniri, auctor pro scopo suo fictionem suam ita disponere debuisset, ut res evenirent juxta cursum ordinarium rerum, non autem juxta modum extraordinarium et supernaturalem; insuper non convenit, personas fictitias in exemplum aliorum adducere. Praeterea color et indoles narrationis, circumstantiae historicae, quibus vestitur, et quae fictioni inutiles essent, nexus, quo ista narratio cum aliis eventibus historicis (1, 2, 5, 18, 24; 13, 11; 14, 6) connectitur, haec omnia contra hypothesin alicujus fictionis loquuntur.

2) Praecipuae difficultates contra fidem historicam hujus libri petuntur ex indole supernaturali totius historiae, quae tamen, admissa miraculorum possibilitate, evanescunt. *a)* Narratio de angelis (12, 12, 15) non est contra fidem biblicam. Reusch l. c. 117 u. Tüb. Quarts. 1858, 320. — *b)* Raphael, se dicens Azariam, Ananiae magni filium, mendacii arguitur. — Ast Angelus, qui speciem humanam Ananiae, hominis ea aetate noti, assumpserat, hujus viri personam gerebat, et actus, quos ille fecisset, perficiebat. Non poterat ergo aliter loqui, nisi personam assumptam exuendo. Vel verissime se nominavit Azariam i. e. auxilium Domini, magni Ananiae filium i. e. magni obnubilati vel latentis Dei filium, quae appellatio angelo utique convenit. Ministerio functus cum dixerit, se Angelum Dei esse, specie Azariae assumpta evanuit et invisibilis hominibus ad Deum rediit. Confer 5. August. (serm. in Dom. 15): *Celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem;* Vincenzi, Concil. Trid. sess. IV. vind. 3, §. 7. — Calmetum, Com. V. 18. — Tüb. Quarts. l. c. 323. — *c)* Quae de influxu novico daemonis (luxuriae, Asmodaei) narrantur, cum doctrina s. Scripturae (Job, 1, 12; 2, 6, 7) bene conveniunt. Quivis peccator daemonis potestati se tradit; quod et valet de septem viris Sarae, qui, libidinis effraenis tantum causa matrimonium inituri (6, 17), hac uxore pia non erant digni. Fugatur Asmodaeus fumo jecoris incensi, indirecte seu dispositive vi naturali, nimirum impediendo actionem daemonis per dispositionem contrariam, directe autem et efffcienter armis spiritualibus (oratione, fiducia, castitate) Tobiae atque vi angelica et coelesti. Ligavit autem Raphael Asmodaeum in deserto (8, 3), per decretum et potestatem divinam, eum detinendo in deserto, ut inde egredi non posset, quod tribus modis fieri potest: α) jubendo ex parte Dei, ne se moveat, imo si egrediatur, vi eum ad regressum repellendo; β) imprimendo daemoni qualitatem aliquam detentivam v. g. vim permanentem, quae eum loco detineat; γ) subtrahendo daemoni concursum suum, qui necessarius est ad motum localem, ut egredi possit. Confer Reusch, T. Q. p. 432 seq. — Gutberlet, B. Tob. p. 191. 204 seq. — *d)* De defficultatibus geographicis, historicis et chronologicis confer Herbst, Einl. II. 3, 38. Reusch, Com. VI. — Kaulen, Einl. 218. — Gutberlet l. c. — A. Scholz librum Tobiae prophetice (eschatologice) de caeco servo Jahvae (Is. 42, 19) interpretatur et videt in eo reditum Israel ad Ecclesiam in fine temporis, ita ut Tobi, Anna et Tobias synagogam, Sara Ecclesiam N. T., Raguel patrem Ecclesiae, Gabel Deum Israel et Raphael Messiam repraesentent. Cf. praesertim Vigouroux, Les Livres s. IV. 549. — Joh. Müller, Beit. z. Erklär. u. Krit. d. B. Tobit, et R. Smend, Alter u. Herkunft d. Achikar-Romans, Beihefte zu Z. A. W. Gieß. 1908.

4) Uterque Tobias sine dubio facta sua literis mandavit; ex his commentariis unus ex ejus posteris librum in praesentem formam redegit, probabiliter ante exilium babylonicum.

Tobiam historiam vitae scripsisse, innuit mandatum Angeli ad Tobiam; *Scribite omnia, quae consummata sunt in libro* (12, 20). Huic congruenter Tobias in textu graeco et versione syriaca initio libri (1, 1—3, 15) in prima persona loquens introducitur. In Vulgata quidem Tobias continuo in tertia persona loquitur et (12, 20) angelus non dicit: scribite, sed: *narrate omnia mirabilia ejus*, ast difficile est, definire, quinam textus sit praeferendus. Praeterea multa facta particularia referuntur, quae utrique Tobiae soli erant cognita,

5) Auctoritas canonica libri Tobiae certa est, nam non tantum a LXX interpretibus, sed et ab Ecclesia christiana aliis libris sacris annumeratus est.

Christus ipse ad librum Tobiae provocasse credendus est, dicens (Matth. 7, 12): *Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est enim lex et prophetae;* nam haec verba nullibi, nec in lege, nec in prophetis, leguntur, nisi Tob. 4, 16. Concinunt ss. Patres: Polycarpus (ep. ad Phil. 10), Irenaeus (haer. 1, 30, 11), Clemens Alex. (strom. 2, 23; 6, 12), Athanasius (c. Ar. 11; ad Const. 17), Cyprianus (de mort. 10 et or. Dom.): *Scriptura sacra instruit nos dicens: Bona est oratio cum jejunio* (Tob. 12, 8), Origenes (de or. 11. 14. 31; ad Afr. 13). In antiquis monumentis christianis frequenter imago Tobiae invenitur. Immerito itaque Judaei posteriores et Protestantes expungunt hunc librum e canone.

Commentarii: Reusch 1857. — Gutberlet 1877. — A. Scholz 1889. — Acath.: Fritsche 1853. — Zöckler 1891.

§. 58. De Prophetismo.

1) Prophetae[1]) erant viri a Deo vocati et missi ad revelationes divinas populo annuntiandas, atque ad munus hoc rite fungendum divinitus instructi[2]). Constituebant ordinem, non quidem hereditarium, sed permanentem, saltem inde a Samuele[3]), praeter ordinem sacerdotalem et regium. Munus eorum triplex erat[4]); debebant *a)* tanquam custodes theocratiae populum de peccatis arguere, eum ad tramitem legis perducere, et periclitantem theocratiam sustentare, quare plena potestate in ipsos reges et sacerdotes fruebantur[5]); *b)* qua nuntii divini voluntatem et consilia Dei, tum comminationes, tum promissiones populo manifestare, et *c)* qua organa divina res futuras pandere, et imprimis per vaticinia Messiae et saluti vias praeparare et Domino parare plebem perfectam.

1) Prophetae vocantur generatim נְבִיאִים; vox נָבִיא derivatur a נָבָא (נָבַע) = *ebullivit, copiose effudit;* sicut enim aqua ex fonte, ita verbum divinum ex ore inspirati effunditur; ergo *inspiratus, praedicator.* Confer tamen Klostermann d. Büch. Sam. u. d. Kön. ausg. p. 82, ubi derivatur a נוּר et designare dicitur: *hominem (a mundo) separatum.* Sed a recentioribus rectius componitur Nabi cum verbo assyriaco vel arabico nabaa i. e. loqui loco alterius, sicut προφήτης explicatur πρό τινός φημί. Unde Ex. 7, 1 etiam Aaron propheta Moysis vocatur; ergo Nabi = orator. Alia nomina sunt: רֹאֶה vel חוֹזֶה (1 Sam. 9, 9; 2 Sam. 24, 11; 1 Par. 29, 29), *Videns,* qui videt vel intuetur ea, quae Deus ei in visione ostendit; (Beda Ven. l. 3 cp. 4 Luc.: *Prophetae Videntes sunt appellati, sed hi omnes a longe aspicientes et salutantes, per speculum et in aenigmate viderunt*); *custodes* (Is. 21, 11; Ez. 3, 17), vel *speculatores* (Is. 52, 8), qui in specula quasi constituti omnia observant, quae circa Israel geruntur, *pastores* (Jer. 17, 16), *viri Dei* (1 Sam. 2, 27), *servi* vel *angeli Jahvae* (Is. 20, 3; Ag. 1, 13). A LXX adhibetur vocabulum προφήτης, propheta (a προφάναι non = *praedicere,* sed *vice alicujus loqui,* diversus a μάντις) i. e *praedicator* vel *interpres,* qui praefatur, proloquitur (col. Ex. 4, 16; 7, 1), et dein etiam *vates,* propter principaliorem muneris prophetici partem (vaticinia); nam prophetae non exclusive futura praedicunt, sed et praesentia et praeterita tractant. Sic prophetae, praeter partes historicas (Is. 36—39. Jer. 40—45), etiam libros historicos conscripserunt de regimine quorumdam regum v. g. Isaias scripsit historiam Uziae regis (2 Par. 26, 22), Iddo (Addo) sermones et opera regis Abia concepit (2 Par. 13, 22). Haud dubie prophetae etiam fastos regis David (1 Par. 27, 24),

librum verborum dierum Salomonis (3 Reg. 11, 41), annales regum Juda (3 Reg. 14, 19), et Israel (3 Reg. 14, 19; 2 Par. 16, 11) conscripserunt. Quia munere divino funguntur et ex ore Dei loquuntur, ideo effata eorum appellantur דְּבַר יְהוָה, *verbum Jahve* (Dt. 18, 18. Joel 1, 1); inde frequens eorum dictum נְאֻם יְהוָה vel אֲמַר. Cf. Laur, D. Prophetennamen d. A. T. Frb. 1903. Etiam Arabes nomadi norunt homines scientia sublimiori praeditos, quos populum scientiae nominant. Musil III.

2) Prophetae non propria auctoritate munus propheticum sibi arrogabant, sed solummodo voluntati Dei, ipsos vocantis, acquiescebant. Jeremias munus oblatum detrectare conatur (1, 5—7), imo ait; *Seduxisti me Domine, et seductus sum, fortior me fuisti, et invaluisti* (20, 7 col. 17, 16). Idem expertus est Amos (3, 8). Isaias (6) et Ezechiel (1) in visionibus prophetae constituuntur. Deus itaque mittit prophetas tanquam nuntios suos (Is. 6, 8; 42, 19; Jer. 7, 25; 19, 14 etc.), et hi hanc missionem divinam praetendunt (Jer, 26, 12, 15. Zach. 4, 9; 7, 2), et verbum divinum proferunt, sive gratum, sive ingratum, sive periculosum fuerit. Muneris sui divinitus demandati conscii sunt; nam aiunt de se, Deum ipsos suscitasse (Am. 2, 11), tulisse (Am. 7, 15), misisse (Jer, 23, 32), loqui ad eos (Is. 7, 3, 10; 8, 1, 5. Hos. 1, 2, 4), vel super eos (Hos. 12, 12). Prophetas in loquendo et tacendo plane a Deo dependere expresse ait Ezechiel (3, 25, 26).

3) Nulla fere religio carebat prophetia, per quam commercium inter numen divinum et mundum corporalem vigebat. Jam ab antiquissimis temporibus prophetae exstiterunt; sic Noe *praeco justitiae* (2 Pet. 2, 5), item Abraham *propheta* (Gen. 20, 7), et Moyses prae omnibus aliis prophetis (Dt. 34. 10) celebratur, ac lex criteria notat, quibus verus propheta a pseudopropheta dignoscatur (Dt. 13, 1; 18, 15), et apud Jeromiam (7, 25) dicit Jahve, se ab exitu populi ex Aegypto usque ad praesentem diem servos suos prophetas per diem, consurgentem diluculo, misisse. Cum Samuele fundatore scholarum propheticarum, incipit continua series prophetarum usque ad Malachiam, quo respectu Samuel primus prophetarum habetur (Act. 3, 24) et munus eorum censendum est ordinarium, a Deo promissum (Dt. 18, 15); nonnisi spectato modo, quo conferebatur et exercebatur, erat extraordinarium.

4) Introductum est munus propheticum continuum tunc, quando sacerdotes degenerare coeperunt et populo petente ordo regius stabilitus est. Prophetismus in se non erat oppositus sacerdotio, nam prophetae urgebant legem et cultum integrum licet non tam externum, quam internum, i. e. characterem ejus ethicum et objectivum (Is. 1, 13, 14; Jer. 7, 23, 23. Os. 6, 6), hinc extraordinarie (in regno Israel), sacerdotibus deficientibus, munere sacerdotali fungebantur. — Invigilabant etiam regibus, contra eos, quando limites potestatis suae transgrediebantur, theocratiam vindicabant, piis a consiliis erant et promissiones divinas annuntiabant, scelestos vero et idololatras sine discrimine arguebant (Is. 22, 15. Jer, 20, 3; 36, 30; Am. 7, 16. Jon. 3). Eorum magisterium integram Israelitarum vitam, privatam (1 Sam. 9, 3; 3 Reg. 14, 1 seq. 4 Reg 1, 2 seq.), publicam (v. g. reges dirigebant Is. 8, 19; 30, 2. Jer. 37, 3; 42, 2, imo ad exteras gentes munus eorum extendebatur 3 Reg. 19, 15; 4 Reg. 8, 10. Jer. 1, 10; 46—51; confer Laacher Stimm. 1880, 274), et imprimis religiosam dirigebat. Propter hanc sublimem dignitatem apud suos et exteros magna fruebantur auctoritate (3 Reg. 19, 15; 4 Reg, 8, 8. Jer. 21, 1 seq.), quamvis persaepe ob Deum et religionem opprobriis, injuriis, carcere, vinculis, imo morte afficerentur (Matth. 23, 37. Act. 7, 52. Heb. 11, 33 seq.). Muneri ipsorum gravi totus character internus et externus severus atque rigorosus, conditio et vestitus simplex (4 Reg. 1, 8; 4, 38. Zach. 13, 4. Is. 20, 3. Hieronymus Is. 20, 11: *Saccea tunica . . . habitus prophetalis)* correspondebant; hinc iis *dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terrae* (Heb. 11, 38). Cf. F. Walter, Das Prophetentum in s. sozialen Berufe, Zeits. f. kath. Theol. 1899.

5) Fidentes patrocinio divino (Mich. 3, 8. Ez. 2, 6, 7) sine timore cuique scelesto, sive regibus, sive sacerdotibus et pseudoprophetis (Is. 28, 7. Am. 7, 10—17), sive senioribus (Ez. 20) resistunt. Ideo *Deus dedit eos in civitatem munitam et in columnam ferream, et in murum aereum super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terrae* (Jer. 1, 18, Ez. 13, 5), constuit eos super gentes et regna, ut evellant et

destruant, disperdant et dissipent, aedificent et plantent (Jer. 1, 10). Tanquam custodes et pastores populi, a Deo constituti, etiam rationem reddere debent de animis ipsis concreditis (Ez. 3, 17 seq. 33, 7 seq.). Ipsi intercedunt precibus suis ad Deum pro populo (Jer. 14, 13; 18, 20. Hab. 1, 2. Ez. 9, 8. Am. 7, 2, 5).

2) Prophetismus A. T. in duas periodos[1]) distingui potest, quarum prior a Samuele usque ad seculum octavum pertingit. Prophetae hujus periodi verbo et facto coaevos impios ad tramitem legis reducere conabantur. Quum nihil proficerent, prophetae inde a seculo octavo contumacibus judicia divina annuntiabant, quibus vaticinia messiana immiscebant, et quia haec non tam coaevis, quam posteris erant destinata, ideo ea scriptis mandabant[2]).

1) Character primae periodi est theocratico-reformatorius; prophetae enim antiquiores, legis divinae zelatores, moribus corrigendis adlaborabant verbis, et missionem suam miraculis patratis confirmabant, nihil tamen dictorum suorum scriptis mandarunt, quamvis nonnulli, uti Gad, Nathan, Ahia gesta regum scripsisse ferantur in libris Chronicorum; operatio eorum tota coaevos respiciebat, quos ab idololatria revocarent, aut in Lege retinerent. Schismate praeprimis exorto, prophetae illi omnibus viribus huic malo mederi et theocratiam contra idololatriam defendere et conservare nitebantur. Gad et Nathan Davidi a consiliis erant, eumque ad poenitentiam provocabant; Ahias Jeroboamo praedixit scissionem regni ejusdemque idololatriam carpebat. Semeja Roboamo jussu divino pacem suadebat (3 Reg. 12, 22) eumque carpebat (2 Par. 12, 5); eodem munere functi sunt Hanani (2 Par. 16, 7) ejusque filius Jehu (3 Reg. 16, 1), praeprimis vero Samuel, Elias et Eliseus. Confer Dillmann (Die Propheten des A. B. nach ihrer politischen Wirksamkeit, 1868). Turbulenta haec tempora vaticiniis messianis, quae jam poësi sacra erant promota, evolvendis minime favebant, cum aegre tantum lege praescripta conservari possent.

2) Quia prophetae prioris periodi reformationem status corrupti reipublicae hebraicae radicalem efficere non valebant et judicium divinum necessario eventurum praecognoscebant, inde a seculo octavo prophetae oculos suos ad tempus futurum vertebant, et graphice vindictam divinam ultricem contra populum contumacem describebant, Ne tamen populus, a Deo castigatus, de misericordia divina desperaret, neu de promissis adimplendis dubitaret, prophetae judicia haec divina in populum castigationis et correctionis tantum causa mitti docebant, fata gentium, quibuscum Juda et Israel res habebant, depingebant et tandem consilia Jahvae de reliquiis populi Israel erigendis, stabiliendis et glorificandis pandebant, describentes videlicet tempora felicissima messiana. Intuentur autem et describunt prophetae regnum et res messianas sub involucro et imaginibus, quae de ideis et rebus theocraticis deductae sunt et tempus messianum tanquam terminum ultimum historiae divinae oeconomiae salutis speculantur (Is. 2, 2. Mich. 4, 1. Jer. 31, 31. Dan. 8, 17); vaticinia erga messiana cum statu et circumstantiis illius temporis, quo edebantur, in nexu organico sunt. Tali modo, quia dicta illorum prophetarum non solum coaevos, sed etiam posteros concernebant, ea (vaticinia) scriptis mandarunt, quibus fides in futurum Messiam conservaretur et confirmaretur, persona et munus ejus enucleatius describerentur, spes in eum, ideoque et consolatio nutriretur, omnesque in adventum ejus praepararentur, at tandem apparentem fide amplecterentur. Hac altera prophetismi periodo novus character, scilicet vaticinia vel praedictio rerum futurarum, praeprimis messianarum (prophetia in sensu strictiori), accesserunt; hinc charaeter ejusdem evangelico-praeformativus nominari potest.

3) Prophetia, quum res futuras, quae e causis naturalibus cognosci nequeunt, infallibiliter praenuntiet, consistit primo et principaliter in cognitione, et inest homini non a natura, sed ex revelatione divina, qua mens prophetae per Spiritum sanctum illustratur et apta redditur ad omnia ea

percipienda, quae Deus ei revelare vult. Origo ergo et character prophetismi est supernaturalis[1]). Lumen prophetiae autem prophetis inest non per modum habitus, sed per modum passionis seu impressionis transeuntis[2]).

1) Characterem supernaturalem prophetiae testantur: *a)* ss. Literae. Deus ipse ait: *Ponam verba mea in ore ejus loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi* (Dt. 18, 18. Jer. 1, 9; 5, 14); propheta ergo est *os Domini* (Ex. 4, 16. Jer. 15, 19). Verbum, quod loquitur propheta, non est suum, sed *verbum Domini* (Is. 28, 13. Jer. 36, 6. Am. 8, 11, 12), rursus Deus loquitur per prophetas (Jer. 7, 23; 35, 15, Bar. 2, 24), hinc phrases tam saepe repetitae: *Sic loquitur Deus ad me, verbum Domini factum est ad me dicens, facta est super eum manus Domini* (Ezech. 1, 3; 11, 5 saepius). Praeprimis autem est Spiritus divinus, qui inspiravit prophetas: *Verba misit Dominus in Spiritu suo per manum prophetae* (Zach. 7, 12); *repletus sum fortitudine Spiritus Domini* (Mich 3, 8). *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (2 Pet. 1, 21; Joh. 12, 41. 1 Cor. 14, 2), ideo vocatur propheta *vir Spiritus* (Os. 9, 7). Quia ergo propheta tantum organum Dei est, verbum suum est verbum Dei; inde explicatur communicatio idiomatum, ita ut mox propheta ex ore Dei, mox Deus per os prophetae loquatur, propter quamdam unionem mysticam Dei cum propheta (Is. 5, 3 seq. 7, 10. Zach. 6, 12—15), et quod ipsi a persona Dei ad suam et vice versa transeant (Is. 1, 3, 11, 12 seq,; 10, 5 seq.; 40, 25, 60. Os. 8, 12, 13). — *b)* Concilia, Symbolum Nicaenum: *Credo in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas,* et Concilium Vaticanum (sess. III. Cap. 3 de fide): *Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus, cum internis Spiritus s. auxiliis externa jungi revelationis suae documenta, facta sc. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculentur commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accomodata.* Perbene itaque prophetae inspirati a Patribus (Justino coh. ad gent. 8, Basilio in Is. pro. 3, Athenagora leg. p. Ch. 9) comparantur instrumentis musicis, quae a Spiritu s. inflantur, pulsantur, aut speculo purissimo, quod imaginem immissam accurate repercutit. Hinc prophetae tanquam organa unius ejusdemque Spiritus divini, saepe unus ad alterum provocant, imo verba priorum repetunt. — Secundum s. Thomam (2. 2. q. 171. a. 1) prophetia primo et principaliter in cognitione consistit, et secundario in locutione, prout prophetae ea, quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant. Cf. F. Leitner, Die prophet. Inspiration, bibl. Stud. 1 Bd.

2) Thomas (l. c. a. 2): *Lumen propheticum non inest intellectui prophetae per modum formae permanentis; alias oporteret, quod semper prophetae adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum.* Hinc ait Hieronymus (Ez. 35, 1): *Si semper in prophetis esse sermo Dei, et juge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam tam crebro Ezechiel poneret: Et factus est sermo ad me dicens.* Gregorius (hom. 1 Ezech.): *Aliquando prophetiae spiritus deest prophetis nec semper eorum mentibus praesto est, quatenus cum nunc non habent, se hunc cognoscant ex dono habere, cum habent.* Chrysostomus (Ev. Marc. hom. 3) ad quaestionem, cur toties repetant prophetae: haec dicit Dominus, respondet: *Quia Spiritus s., qui ab eis recesserat, tunc ad eos redibat.* Confer praeprimis Num. 11, 25; 3 Sam. 7, 4; 4 Reg. 4, 27. Dan. 12, 8.

Porro juxta s. Thomam (l. c. a. 4) *non oportet, quod prophetae omnia prophetabilia cognoscant, sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua, secundum specialem revelationem hujus vel illius rei; revelat autem Dominus omnia, quae sunt necessaria ad instructionem fidelis populi prophetis, non tamen omnia omnibus, sed quaedam uni, quaedam alii;* ideo ait Apostolus (1 Cor. 13, 9); *Ex parte* (i. e. imperfecte) *prophetamus.*

4) Ad prophetiam ex parte subjecti non aliqua praecedens naturalis dispositio, nec scientia, nec praeparatio[1]), nec gratia sanctificans (charitas) erat necessaria[2]), quia ipsa est gratia gratis data, quamvis ordinarie utraque in prophetis adesset[3]).

1) Secundum s. Thomam (l. c. q. 172. a. 3) *Deus in effectibus spiritualibus non praeexigit aliquam dispositionem, sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem convenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturae. Et ulterius posset etiam simul per creationem producere ipsum subjectum, ut scilicet et animam in ipsa sui creatione disponeret ad prophetiam, et daret ei gratiam prophetalem.* Quamvis scholae propheticae vocationem ad munus propheticum promoverent et adolescentes ad idem subeundum praepararent, tamen prophetia nulli certo ordini vel classi hominum erat alligata. Sic Eliseus ex agro propheta vocatur, Amos electus est ex pastoribus, Jeremias, Ezechiel et Zacharias ex ordine sacerdotum erant, imo et prophetissarum: Mariae (Ex. 15, 20), Debborae (Jud. 4, 4) et Holdae (4 Reg. 22, 14) fit mentio.

Ceterum non omnes pauperes erant, v. g. Nathan (2 Sam. 12, 15), Eliseus (4 Reg. 5, 3), Jeremias (32, 7) et aliqui praeter officia muneris prophetici etiam alia vitae civilis exercuisse videntur.

2) S. Thomas (l. c. q. 172. a. 4): *Prophetia potest esse sine charitate: 1. nam pertinet ad intellectum, cujus actus praecedit actum voluntatis, quam perficit charitas (1 Cor. 13, 2); 2. datur ad utilitatem Ecclesiae, sicut et aliae gratiae gratis datae (1 Cor. 12, 7). Non autem ordinatur directe ad hoc, quod affectus ipsius prophetae conjungatur Deo, ad quod ordinatur charitas.* Augustinus in Ps. 103. 1, 9, Sic v. g. Balaam non erat sanctus, attamen prophetizavit (Num. 22); item dicendum est de Caipha, qui in passione Christi fuit quoque propheta (Joh. 11, 49 col. Matth. 7, 22).

3) Ordinarie prophetae erant viri sancti, vita ascetica excellentes (4 Reg. 1, 8. Is. 20, 2. Zach. 13, 4). Nonnunquam, uti sacerdotes et reges, oleo ungebantur in muneris inauguratione (3 Reg. 19, 16), vel per aliam symbolicam actionem (4 Reg. 2, 13. Is. 6, 6) sanctificabantur.

5) Objectum prophetiae constituunt omnes eventus futuri, qui naturaliter (secundum quod sunt in se ipsis, ait Thomas) excedunt humanam cognitionem, a voluntate hominis dependent, seu fortuiti contingentesve sunt (Is. 41, 22), quare solummodo e praescientia divina infallibili hauriuntur, semper tamen in nexu interno cum theocratia sunt, consequenter ergo facta et fata non tantum Israelis, sed et gentium[1]). Hoc modo vaticinia prophetarum A. T. distinguuntur u divinatione naturali[2]), praedictione daemoniaca[3]), hariolatione gentium[4]), et vaticinatione pseudoprophetarum[5]).

1) Generatim in vaticiniis tractantur; culpa, judicium, primo in Israel dein in gentes exercendum, et redemptio. Vaticinia contra gentes e principiis theocraticis sunt dijudicanda. Tanquam typus regni mundi, theocratiae adversarii, describuntur successive Aegyptus, dein populi terrae Chanaan finitimi (ab Abdia, Joel, Amoso), regnum Assryiacum (Osee, Isaia, Micha, Nahum), Babylonicum (Habacuc, Jeremia) et reliquae monarchiae (ab Ezechiele, Daniele, Aggaeo et Zacharia). Vaticinia contra gentes intendunt monstrare, Jahven esse solum et unicum Deum et Dominum omnium regnorum mundi, Israelitas ab idololatria arcere, ita ut hi abhinc fidelissime Deo suo adhaereant.

2) Secundum s. Thomam (l. c. q. 172. a. 1) *futura in suis causis possunt praecognosci naturali cognitione etiam ab homine, sicut medicus praecognoscit sanitatem vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento praecognovit,* vel astrologi solis et lunae eclipses. Differt autem talis praecognitio ab ea, quae habetur ex revelatione divina, quia illa tantum est circa quosdam effectus, ad quos se potest extendere experientia humana, et quia potest ei subesse falsum.

3) Praepollent daemones acrimonia sensus, celeritate motus et diuturna rerum experientia, plerumque tamen fallunt et falluntur. Ita s. Augustinus (de divin. daemon. l. 1) et s. Thomas (l. c. a. 5 et 6): *Manifestum est, quod intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quae sunt remota a cognitione intellectus inferioris. Supra intellectum autem humanum est etiam intellectus angelorum bonorum et malorum secundum naturae*

ordinem. Et ideo quaedam cognoscunt daemones etiam sua naturali cognitione, quae possunt hominibus revelare . . . non quidem per illuminationem intellectus, sed per aliquam imaginariam visionem aut etiam sensibiliter colloquendo . . . Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenuntiat: tum ut credibilior fiat veritas, quae etiam ex adversariis testimonium habet, tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Confer Stiefelhagen, Theol. d. Heidentum. §. 31.

4) Vaticinia biblica toto coelo sunt diversa ab oraculis ethnicorum (μαντεία), nam *a)* quoad orignem, nec superstitioni, nec imposturae, sed unice revelationi divinae innituntur, idque adjuncta externa jam produnt: publice et sine ambagibus coram regibus (Achaz, Jezabel, Jojakim, Sedecia), et populo, saepe invitis, imo cum vitae discrimine vaticinabantur, coaevos plerumque incredulos habebant et vaticinia sua literis mandabant, indicatis quandoque anno et die. — Vates autem gentilium, idololatrae in autris (Justinus, Hist. 24, 6), in certis locis (Delphis, Dodonae, Thebis, Deli, Olympiae) certo tempore certisque ritibus se praeparantes (tripodi insidere, vapores, suffimenta odorifera), saepe muneribus corrupti, oracula edebant, quin ea scriptis exarassent, simulque coaevos experti sunt crudelos. Ceterum ars divinandi venalis et hereditaria erat, et quando homines minus creduli esse coeperunt, vis et fides oraculorum evanuerunt (Cicero, De div. II. 57). — *b)* Ratione argumenti oracula gentium potissimum versabantur circa res humanas vitae communis atque curiositati indulgebant, et ratione formae plerumque erant ambigua (v. g. *ibis redibis nunquam morieris in bello,* vel *Croesus fluviuu Halyn transiens magnum imperium perdet),* aenigmatica, obscura et generica (Cicero l. c. I. 2: *oracula partim falsa, partim casu vera, partim flexiloqua et obscura);* — vaticinia autem prophetarum circa leges providentiae divinae et evolutionis regni divini his in terris versabantur, et quamvis non omni ex parte clara (uti natura, materia, consilium vaticiniorum jam postulabant), semper tamen tantae claritatis (Is. 45, 19; 48, 16), quanta eventui historiae completo discernendo sufficiebat, definita et specialia erant, ita ut circumstantias etiam minutas attingerent, imo quaedam etiam accurate tempus (Jer. 29, 10, Is. 7, 8; 23, 15; 38, 5. Dan. 9, 25), nomina propria (Is. 44, 28; 45, 1; 2 Reg. 13, 2) et locum (Mich. 5, 2) indicarent. — *c)* Rationi modi vaticinandi, prophetae Hebraeorum sui compotes, cum mente vigili et temperata constitutione loquebantur, gentilium autem vates mente excesserunt, pellebantur, trahebantur uti furentes (Chrysostomus hom. 29. in 1 Cor. Virgilius, Aeneid. VI. 46), imo contra voluntatem eloqui cogebantur: *Apollo fatis fandis (Cassandram) dementem invitam ciet* (Cicero l. c. I. 31). — *d)* Rationi scopi oracula gentium desiderio tantum, futura cognoscendi, satisfecerunt, vel plebem ad optatum flexerunt (hinc Demosthenes de pythonissa Delphica dicebat: *Pythonissa philippizat*); vaticinia vero hebraica respiciebant finem Deo dignissimum: divinam prophetarum missionem (fidelibus, ut ait s. Paulus 1 Cor. 14, 22) eorumque de Deo et Christo doctrinam comprobare, ideam messianam promovore et consilia divina pandere, quae edoctus populus in viis Dei sui ambularet et ad futura se praepararet. — *e)* Ratione mediorum vates gentilium semper indigebant aliqua praeparatione (v. g. Pythia tripodem ascendit), variisque modis ad divinandum; sciscitabantur enim voluntatem deorum e volatu avium, e vocibus fortuito auditis, e symbolis et praesagiis hostiarum (Xenophon) aliisque signis — prophetae vero Hebraeorum nulla egebant praeparatione. Ceterum oracula gentium efficaciae daemonis generatim attribuuntur. Inter Hebraeos hoc divinationis genus non fuit ignotum. Pertinent huc vaticinatio e bacillis (Os. 4, 12), ex astris (Is. 47, 13), interrogatio τῶν Teraphim (Ez. 21, 21; Zach. 10, 2) et mortuorum (Is. 8, 19; 1 Sam. 28), quod severe erat interdictum (Dt. 18, 10, 11, Lev. 20, 6). Confer: Stiefelhagen l. c. §. 11. — Köhler, Prophet d. Hebr. u. die Mantik d. Griechen 1860. — Öhler, Über das Verhältnis der altt. Propheten zur heidn. Mantik 1861. — Fr Knabenbauer, Orakel und Prophetie 1881 (Progr.). — Bouché-Leclercz, Histor. de la divinat. dans l'antiquité. Par. 1879—1881.

5) Criteria, prophetas veros a pseudoprophetis distinguendi, jam lege erant data: *a)* Si eventus praedictioni respondebat (Zach. 1, 6); hinc si praedicta non evenerunt (Dt. 18,

21, 22; 3 Reg. 22, 23), aut vates ad idololatriam seduxerunt (Dt. 13, 1—3), aut legi vel alteri prophetae vero contradixerunt, criterium erat pseudoprophetarum; hi enim carebant tum institutione (Jer. 23, 16), tum missione divina (Jer. 14, 14; 23, 11), quamvis eam sibi arrogarent (Jer. 23, 31. Ez. 13, 6, 7; 22, 28), non honori Dei, sed suis tantum commodis litabant (Is. 28, 7; Jer. 23, 14. Ez. 13, 19). Severe prophetae divini populum admonebant, ut a divinatione gentium abstineret (Is. 2, 6; 47, 12. Jer 51, 57). *b)* Accedunt signa supernaturalia, miracula (Dt. 13, 1 col. Joh. 3, 2; Dt. 34, 11. Jer. 38, 8). *b)* Tota vivendi, loquendi et se gerendi ratio prophetae. Pseudoprophetae nomine Baalis vaticinabantur (Jer. 2, 8; 23, 13), populo criminoso optima quaeque promittebant (Jer. 6, 14; 8, 11; 14, 13. Ez. 13, 10, 22, 28), peccatis ejus indulgebant (Ez. 13, 22, Mich. 2, 11), potationibus (Is. 28, 7), adulterio (Jer. 23, 14; 29, 23) dediti erant. Ipsi ergo e corde suo vaticinabantur (Jer. 14, 14; 23, 16. Ez. 13, 2, 3), populum seducebant (Jer. 6, 14; 8, 11), quaestui inhiabant (Jer. 6, 13. Ez. 22, 25, Mich. 3, 11).

Vaticiniis, quae de rebus remotioribus (messianis) agebant, plerumque erant adjuncta alia de rebus proximis, quae opere completa etiam de veritate et divinitate illorum, tempore remotiori complendorum, testabantur. Quaedam vaticinia nondum sunt completa teste s. Paulo (Rom. 11, 25—28, quaedam posita sub (hypothetica) conditione ast non implenda, impleri non poterant (Jer. 18, 7, 8; 26, 3. Am. 7, 1—9; Mich. 3, 12 col. Jer. 26, 18; Jon. 3 et 4), nam vaticinia hominis libertatem non tollunt, ut ait Hieronymus (ad Ez. 33): *Non enim praedicit, ut veniat, sed ne veniat: nec quia Deus loquitur, necesse est fieri, quod minatur, sed ideo comminatur, ut convertatur ad poenitentiam, cui minatur, et non fiat, quod futurum est, si verba Domini contemnantur.* De quibusdam vaticiniis, quae non fuisse eventu completa, nonnulii Protestantium praetendunt; confer Reinke, Beit. II. 117. — Riehm, Stud. und Krit. 1869. 235.

6) Forma vel communicationis modus revelationis propheticae est varia; multifariam enim multisque modis olim Deus locutus est patribus in prophetis (Heb. 1, 1): fit autem prophetis revelatio aut per internam illuminationem, aut per vocem vel angelum, aut per somnium, visionem et ecstasin[1]) quin tamen libero arbitrio priventur[2]).

1) Secundum s. Thomam (2. 2. q. 173. a. 2) *prophetis revelatio fit nonnunquam per solam divini luminis iafluentiam, nonnunquam per species, de novo impressas, seu aliter ordinatas. — Repraesentantur divinitus menti prophetae quandoque quidem mediante sensu exterius quaedam formae sensibiles (Dan. 5, 5), quandoque autem per formas imaginarias, sive omnino divinitus impressas, non per sensum acceptas, vel etiam divinitus ordinatas ex his, quae a sensibus sunt acceptae* (Jer. 1, 14), *sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti.* Secundum eundum Doctorem (l. c. q. 174. a. 2) *manifestatio divinae veritatis, quae fit per nudam contemplationem ipsius veritatis, potior est, quam illa, quae fit sub similitudine corporalium rerum; magis enim appropinquat ad visionem patriae, secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur;* hinc (ar. 3) varii prophetiae gradus distinguuntur. Infimus gradus est somnium, si manifestatio veritatis fit in dormiendo (Num. 12, 5—8), tempore Patriarcharum maxime usitatus, serius rarior (Dan. 7, 1. seq.). Altior gradus et ordinarius modus est visio (Num. 12, 6), unde *Videns*, et phrasis: *verbum quod vidit* Is. 2, 1; 13, 1), si in vigilando propheta abstrahitur ad supernaturalia. Sunt autem varii visionis modi distinguendi: Quoad signa imaginabilia altior gradus prophetiae est, quando propheta audit verba exprimentia intelligibilem veritatem (Ex. 3, 4; Job 38, 1), sive in vigilando, sive in dormiendo, quam quando videt aliquas res significativas veritatis (Gen. 41). Si conditio ejus, qui videtur, respicitur, altior est gradus, si loquens in specie angeli (Dan. 9, 25), quam si in specie hominis, et adhuc altior, si in specie Dei (Is. 6, 1) videtur. *Non est autem inconveniens, quod uni et eidem prophetae fiat revelatio prophetica diversis vicibus secundum diversos gradus.* — Nonnunquam revelatio fit in ecstasi, quae fit aut cum plena abstractione

a sensibus, i. e. ita ut propheta nihil per sensus externos percipiat, aut, cum imperfecta alienatione a sensibus. Scriptura hunc statum vocat γενέσθαι ἐν πνεύματι (Apoc. 1, 10), γενέσθαι ἐν ἐκστάσει (Act. 22, 17). S. Augustinus (Ps. 103, 3) ait: *Deus loquitur spiritu hominis assumto, quam Graeci ecstasin dicunt i. e. aversa est mens ejus a consuetudine corporali ad visum quemdam contemplandum, alienata a praesentibus.* S. Thomas (l. c. q. 172. a. 3): *Abstractio a sensibus quandoque fit perfecte, ut sc. nihil homo sensibus percipiat; quandoque autem imperfecte, ut scil. aliquid percipiat sensibus, non tamen plene discernat ea, quae exterius percipit, ab his, quae imaginabiliter videt.* Prophetae in suis visionibus et ecstasibus sui conscii ac compotes, nec libertate, nec ratione privati erant. *Neque enim,* ait Origenes (Ez. h. 9, 1) *mente excidebant prophetae et ex necessitate spiritus loquebantur.* Negant ss. Patres illam ecstasin in prophetis, quae fit cum aliqua inordinatione naturae, sicut in subreptitiis et furiosis, v. g. Hieronymus (Praef. in Is.): *Neque vero, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in ecstasi locuti sunt, ut nescirent, quid loquerentur, et cum alios audierint, ipsi ignorarent, quid dicerent,* et Thomas (l. c.): *Talis tamen alienatio a sensibus non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturae (sicut in arreptitiis vel in furiosis), sed per aliquam causam ordinatam.* Durante ecstasi, tanquam statu extraordinario et insolito, vel post eum prophetae perturbationem aliquam mentis, timorem et angorem saepe quidem patiebantur (Ez. 2, 1; 3, 24; Dan. 10, 8), non raro tamen confortabantur (Is. 8, 11. Jer. 1, 19; 15, 20. Hab. 2, 19). Quocumque autem modo fieret revelatio prophetica, semper Deus prophetas certiores reddebat de inspiratione.

2) Prophetae quidem a Deo in voluntate excitabantur ac dirigebantur tum ad agendum, tum ad loquendum, tum ad scribendum, toti ab eo dependebant eique obtemperabant, non tamen mere passiva media consiliorum divinorum exstiterunt, nam gratia non tollit, sed perficit naturam; ideo *Jonas fugit, Ezechiel distulit, Jeremias recusavit,* ait s. Hieronymus (hom. 27 in 1 Cor.). Quia ergo homo ex operatione divina non immutatur circa prophetiam, sed divina virtute removetur, si quid prophetiae repugnat (Thomas l. c. q. 172. a. 3 ad 1), inde fit, ut prophetae singuli suum dicendi modnm in inspiratione ipsa conservent.

7) Ordinarie prophetae dicta sua viva voce populo praedicabant, dein concionem vel potius epitomen ejusdem literis mandabant[1]). Vaticinia plerumque, uti fert eorum natura, stylo poëtico et elato sunt[2]) exarata. Nonnunquam prophetae, ut attentionem populi excitarent et dicta sua magis confirmarent, actiones exorbitantes symbolicas[3]) peragebant.

1) Sic. Jer. 1—24 nectuntur sermones, quos Jeremias per 40 annos ad populum habuit; et quidem nexu aut reali, aut chronologico. Nonnulla vaticinia (Is. 40—66 et Ez. 40—48) statim scripta esse videntur, quin viva voce proferrentur. Plerumque jussum divinum scribendi accipiunt (Is. 8, 1 Jer. 30, 2; 36, 2. Ez. 37, 16. Hab. 2, 2).

2) Amant prophetae frequentes metaphoras (Ez. 34. Joel 4), allegorias, parabolas (Is. 13, 20. Ag. 3), symbola et aenigmata, desumta e natura rerum, ex usu et consuetudinibus temporis sui vel praeteriti (Joel 2, 32. Is. 11, 6), praecipue Ezechiel, Daniel et Zacharias visionibus et symbolis abundant, quae explicantur e speciali horum prophetarum charactere, munere et pugna contra ethnicismum, symbolis abundantem, non autem merum adjumentum prophetarum debiliorum sunt. Confer Reinke, Beit. II. 61. Occurrunt etiam prosopopoeiae (Is. 1, 2; 55, 12. Mich. 6, 2), ironiae (Is. 10, 15; 45, 9) et variae imagines; aliqua symbola et visiones etiam in oratione prosaica (semper tamen elata) sunt exarata.

3) Actiones symbolicas aut externe (Is 20, 2 seq. Jer. 19, 1 seq.; 27, 2; 43, 8 seq. Ez. 12, 17 etc.), aut interne, in ecstasi tantum (Jer. 25, 15 seq. Ez. 4, 1 seq. 6, 11) peregerunt, quas nonnunquam explicarunt (3 Reg. 11, 29 seq. Jer. 13, 19, 27, 28, 32).

8) Vaticinia prophetarum fundantur quidem in certis ac concretis circumstantiis temporis, quo edita sunt, saepius tamen aenigmatica, obscura

et difficilia interpretatu sunt, cujus rei variae sunt causae: *a)* natura ipsa prophetiaram[1]); *b)* quod res in nexu reali junguntur, omissa plerumque chronologia, vel prospectus propheticus[2]); *c)* quod res futurae non semper integrae, sed fragmentarie, imo nonnunquam apparenter contradictorie describuntur[3]). Praeterea prophetae non omnes visiones suas intellexerunt (1 Pet. 1, 10 seq.), quia mens prophetae est instrumentum deficiens[4]).

1) Describuntur res et mysteria christiana sub formis theocraticis; v. g. Jerusalem est centrum regni divini, confluere ad montem Sion est aggregari regno divino, sacrificium N. T. imaginibus describitur, quae ex ejus typo in A. T. desumuntur, Messias mox qua princeps pacis (Ps. 71. Is. 9, 6), mox qua miles et victor sanguine madidus (Is. 63) delineatur. Confer Zschokke, Theologie d. Propheten, 391.

2) Quia vates ex praescientia divina res futuras sicut in tabula depicta videbant, et eventus similes et sibi succedentes, rarissime autem spatium temporis intermedii cognoscebant, hinc in eodem veticinio res proximae et remotae sine ordino chronologico et historico, prout in prospectu oblatae fuerunt, apparent (prospectus propheticus), ita ut ante eventum haud facile discerni possit, quid sit propius, quid remotius (Is. 40—66. Ez. 37, 15—28), ideoque futurum tanquam praesens vel praeteritum (propheticum) describunt. Potuerunt autem Judaei vaticiniorum tempus ex parallelis discere v. g. Is. 13, 22 col. Jer. 25, 12 seq. Accedit frequens personarum mutatio, quam indicat Hieronymus (Nah. 2, 1): *Maxime obscuri sunt prophetae, quod repente, dum aliud agitur, ad alios persona mutatur.*

3) Tali modo judicium divinum contra populum Israel et gentes exercendum, res messianae et aliae, non totae, sed tantum quaedam partes earum a singulis prophetis annuntiantur; hinc quae multifariam acceperunt prophetae (Heb. 1, 1), ex parte cognoscebant et ex parte prophetabant (1 Cor. 13, 9); Thomas (l. c. q. 171. a. 4): *Prophetae non omnia prophetabilia cognoscunt, sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem hujus vel illius rei.* Hinc vaticinia sunt quasi fragmenta, quae apto ordine composita completam rei imaginem exhibent; vaticinia itaque, ut rite intelligantur, non solum in se, sed et in nexu cum reliquis consideranda sunt. Praeterea futurae res extremis tantum lineamentis adumbrantur, e quibus deinceps perfecta imagine facile cognoscitur, eas illa delineatione fuisse adumbratas. Insuper multa vaticinia, antequam adimpleta essent, obscura, lucem acceperunt ex adimpletione eventus proprioris praedicti.

4) S. Thomas (2. 2. q. 172. a. 4): *In revelatione praphetica movetur mens prophetae a Spiritu sancto, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis . . . Similiter etiam quandoque movetur mens prophetae ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id, quod per haec verba Spiritus s. intendit (2 Sam. 23, 2). Quandoque autem ille, cujus mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit, quid Spiritus sanctus per haec verba intendat, sicut patet e Caipha (Joh. 11, 51) . . . Cum ergo aliquis cognoscit, se moveri a Spiritu s. ad aliquid aestimandum vel significandum verbo vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet; cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus. Sciendum tamen, quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus sanctus intendat.* Ideo sensus subjectivus et objectivus distinguendus est.

9) Ab Uzia rege usque ad reaedificationem templi (spatio 300 annorum) floruerunt 16 (17) Prophetae[1]), quorum vaticinia in scriptis sunt servata. Distinguuntur autem, ratione ambitus et prolixitatis vaticiniorum, non auctoritatis vel gravitatis, in quatuor majores et duodecim minores[2]), ratione temporis, quo vixerunt, in praeexilicos, exilicos et postexilicos[3]).

1) Clemens Alex. (strom. 1, 21) 35 prophetas (Adam, Noe, Isaac etc.), s. Epiphanius (frag.) 73 prophetas et 10 prophetides usque ad Agabum, Rabbini (Sed. Ol. 21) 48 prophetas et 7 prophetissas (Sara, Hanna, Abigail, Esther, Maria, Debbora et Hulda) numerant. Hebraei Danielis librum inter hagiographa ponunt et Baruch non numerant.

2) Majores sunt: Isaias, Jeremias, Ezechiel et Daniel; minores: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias et Malachias in textu Hebraico et Vulgata, qui ordo maximam partem est chronologicus; nam accurata est 6 posteriorum prophetarum series chronologica, minus accuratus est sex priorum ordo. Graeci ponunt minores prophetas ante majores, et juxta LXX illi sic sese excipiunt: Osee, Amos, Michaias, Joel, Obdiu, Jonas, Naum, Ambakum, Sophonias etc. Augustinus (Civ. D. 18, 29): *Qui propterea dicuntur minores, quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui majores ideo vocantur, qui prolixa volumina condiderunt.* Ipsi etiam *corroboraverunt Jacob et redemerunt se in fide virtutis* (Eccl. 49, 12), Hieronymus (Prol. cp. ad Phil.): *In 12 prophetis tam mira et tam grandia sunt, quae feruntur, ut nescias, utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensuum.* Vaticinia jam antiquissimo tempore in unum volumen, τό δωδεκαπρόφητον dictum, sunt conjuncta. Collectionem hanc testantur Eccli. 49, 12 *(12 prophetarum ossa pullulant de loco suo)*; Act. 7, 42; Josephus Flav. (cont. Ap. 1. 8), Melito (ap. Euseb. hist. eccl. 4, 26): τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Hieronymus (ep. ad. Paul. 53, n. 8): *Duodecim prophetae in unius voluminis angustias coarctati,* et (Praef. ad 12 proph.): *Unum librum 12 prophetarum.* Causam hujus conjunctionis tradit Kimchius (Praef. in Os.): *Tradunt doctores nostri piae memoriae, esse illos in unum librum coactos, ne si singuli seorsim manerent, unus aut alter ob parvitatem periret.*

3) Variae distinguuntur a variis periodi prophetarum: α) periodus assyriaca, chaldaica et postexilica; *b)* series prophetarum antiquiorum jesajanorum (productivorum) et recentiorum (reproductivorum); *c)* historicorum, typico messianorum et directe messianorum. Praeferenda tamen est *d)* divisio in prophetas α) praeexilicos, β) exilicos, γ) postexilicos.

Ad α) Ante exilium babylonicum vixerunt: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Isaias, Michaeas — Nahum et Habacuc regno Israel jam exciso. Quum invalescentibus sensim gentium monarchiis regnum scissum contra divinam voluntatem et destinationem suam illarum actionibus se immisceret et idololatriae abominatione macularetur, prophetismus, qui judicium divinum gentibus annuntiavit, populum Dei contumacem ab eodem judicio divino (die magno Domini) non exemtum iri praedixit, eo tamen discrimine, quod, excisis gentibus, monarchiam mundi anhelantibus, populus electus e judicio hoc purgativo tanquam populus novus (regnum Dei universale) oriturus esset; hinc vaticinia aevi praeexilici oeconomiam Dei universalem atque circa Israel et Messiam specialem solemniter manifestant ideoque summum prophetismi gradum (in Isaia) produut, quin tamen prophetae illi doctrinas ethicas inter coaevos verbis et factis promovere neglexerint.

Ad β) Exiliorum prophetarum erat, veritatem vaticiniorum prophetarum priorum testimonio eventus tristis comprobare, populum peccatis constrictum poenitentiâ flectere, et correctum spe futurae, praeprimis messianae felicitatis, erigere et consolari.

Ad γ) Prophetae postexilici studebant populum reducem et judiciis divinis ab idololatria radicitus sanatum in cultu sacro stabilire, vocationem ejusdem divinam urgere talique modo saluti appropinquanti vias praeparare. Ordine legali iterum stabilito prophetismus obmutuit.

Literatura: Thomas Aquinas, Summa 2. 2. q. 171—174. — Cornelius a Lapide, Prooemium in Prophetas. — Calmet, Dissertatio de proph. — De la Luzerne, Dissertation sur les prophéties etc. in Migne, Cursus compl. Sacr. Scripturae Tom. XVIII. — Knobel, Prophetismus der Hebr., 1838. — Köster, Prophet. des. A. N. B. nach ihrem Wesen und Wirken, 1838. — Reinke, Beiträge II. 1—205. — Tholuck, Die Propheten und ihre Weissag., 1860. — H. Schultz, Alttest. Theologie, 1869. II. 1 seq. — Küper, Prophetentum des A. B., 1870. — Oehler, Theologie des A. B., 1874. II. 130 seq. — Zschokke, Theologie der Propheten, 1877. — Maybaum, D. Entwicklung d. israel. Propheten-

tums, Brl. 1883. — Meignan, Les prophètes d'Israel quatre siècles de lutte contre l'idolatrie, Par. 1893. — F. Giesebrecht. D. Berufsbegabung d. alttest. Propheten, 1897. — J. Radlinski, Heb. Proph. im Lichte d. Kritik u. Geschichte, Warsch. 1904. — C. H. Cornill, Israel. Prophetismus. Straßbg. 1905, 5. Aufl. — Stosch, D. Prophetie Israels in religionsgesch. Würdigung. Gütersloh. 1907. — Ch. Mercier, Les prophètes d'Israel. St. Blaise et Par. 1908. — P. de Buck, De profeten van Israel. Rotterd. 1908.

§. 59. Elias et Eliseus prophetae.

A. Elias.

1) Elias (Ἠλιού) Thesbites[1]) exstitit propheta in regno Israel tempore Achab regis, quum Jezabele agente cultus Baalis praedominaretur, eique publice famem triennem annuntiavit. Ad torrentem Crith (Carith) delitescens, a corvis nutritur et, illo exsiccato, ad viduam pauperem Sareptae divertit, cujus oleum et farinam mirabiliter auget filiumque mortuum resuscitat. Triennio sterilitatis peracto, Achabum jussu divino adiit, in monte Carmeli certamen cum 450 Baalis sacrificulis subiit; propositione sua: *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, a populo acceptata, igne de coelis demisso Jahven Deum verum esse demonstrat, quo facto omnes Baalis sacrificulos ad Cisonem amnem gladio interfici jussit, mox pluviâ copiosâ succedente (3 Reg. 17; 18). Iram reginae ferocis fugiens et in desertum Juda secedens, ab angelo recreatur et in fortitudine cibi illius 40 diebus et noctibus ambulavit usque ad montem Horeb[2]). Hoc in loco, in quo Israel cum Deo foedus pepigerat, Elias alterius Moysis instar querelas de populo obstinato coram Deo effudit. Deus Eliam iratum et zelosum mitigat visione ei exhibita: nam nec in spiritu forti, montes subvertente et petras conterente, nec in commotione nec in igne, sed in sibilo aurae tenuis est Dominus. Nihilominus propheta, pro gloria Jahvae zelans, ad Israel idololatram vindicandum Hazael regem Syriae, Jehu Achabi loco regem Israel ungere, ac Eliseum successorem eligere jubetur, quem arantem ac sequi paratum invenit (Cap. 19).

1) Thesbi sita erat in Galaad (3 Reg. 17, 1) et a Thesbi in tribu Nephthali, unde Tobias oriundus erat, bene distinguenda est; nunc Istib cum Mar Eljas versus austrum a Wadi Jabis (Karith).

2) De Capella s. Eliae confer Tischendorf. Aus hl. Lande, pg. 88.

2) Munere sibi demandato perfunctus, ac Achabo ejusque familiae interitum praefatus, cum Eliseo ad littus Jordanis progreditur. Eliseus, assumptionem magistri praesentiens, ipsum (nixus Dt. 21, 17) obsecrat, ut fiat sibi duplex ejus spiritus (miraculorum et prophetiae), quibus verbis vix finitis, Elias vivus e viventium consortio in curru igneo ad coelum evehitur[1]).

1) Assumptio Eliae in curru (symbolo victoriae) igneo cum tempestate (symbolo justitiae Dei judicis) characteri et operationi ejus respondet, utpote qui victor exstiterit non quidem gentium barbararum, sed secularium voluptatum, cujusque verbum quasi facula ardebat (Eccli. 48, 1), simul typice assumptionem Christi adumbrat.

3) Elias vita, operatione et assumptione sua inter prophetas inde a Moyse usque ad praecursorem Domini (medius) magnae est auctoritatis; ipse enim renovator seu restaurator theocratiae exstitit, hinc una cum fundatore

A. T. (Moyse) apparet coram Messia transfigurato, de quo viventes sunt testati (Matth. 17, 3; Luc. 9, 30). Elias zelo suo, quem jam Siracides (48, 10) summis laudibus celebrat: *qui scriptus in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob* — typus erat praecursoris Domini, poenitentiam praedicantis (Matth. 17, 11, 12; Luc. 1, 17). Ceterum vulgaris est traditio judaica et christiana, Eliam non esse mortuum, sed corpore de terra translato in loco quodam coelesti degere et tandem cum Henoch ad mortales in fine mundi rediturum, eosque tanquam duas olivas et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes (Apoc. 11, 4), contra antichristum debellaturos, ab hoc autem occisos (v. 7), ad vitam aeternam gloriosam assumptum iri.

Vestigia in mythologia de Elia vide apud Fourrière, Revue myth. l. c. 1892: Le prophète Elie et la Mythologie. — Gunkel, Elias, Jahve u. Baal. Tüb. 1906.

B. Eliseus.

4) Eliseus vel Elisa (אֱלִישָׁע, LXX Ἐλισαιέ, Luc. 4, 27 Ἐλισσαῖος), benedictionis et pallii (tesserae petiti adimpleti) magistri heres, miraculis magis quam verbis, munere suo tanquam centrum spirituale theocratiae plus quam dimidium seculi (ab anno circ. 853—790) fungitur. Jordane mirabiliter trajecto, fontis Jerichuntini aquas amaras (fontem Elisei — Ain es-Sultan), sale immisso sanat; apud Bethelem pueri protervi, calvitiem ejus (utpote prophetae divini) subsannantes, a duobus ursis discerpuntur[1]): exinde in Carmelum et Samariam abiit, prophetarum scholas invisurus; Joram, regi Israel, victoriam de Moabitis praedicit ac Josaphat pii regis gratia aquam in deserto subministrat. viduae oleum multiplicat, Sunamitidi hospitali filium praedicit eumque mortuum ad vitam suscitat; tempore famis (a. c. 880—843) pulmentum amarum in usum filiorem prophetarum reddit comestibile et 20 panibus hordeaceis 100 discipulos saturat. Naaman. regis Syriae ducem. leprosum sanat ac famulum suum avarum Giezi lepra percutit, Joramo consilia Benhadad occulta pandit ac precibus suis victoriam obtinet, tandem Hazaeli thronum Syriae lacrymando praedicit (4 Reg. 2—8), imo post mortem mirabilia operatur, quum defunctus e contactu ossium prophetae ad vitam resuscitaretur (4 Reg. 13, 20, 21 col. Eccli. 48, 14)[2]).

1) Ut percussis parvulis majores reciperent disciplinam, et mors filiorum fieret disciplina parentum (Augustinus, Serm. 240 de temp.).

2) In Eliseo completus fuit Eliae spiritus (Eccli. 48, 14 seq.). Miracula haec numerosa e charactere temporis illius sunt repetenda, nam religione deficiente facta majorem vim, quam mera verba, habent ad coaevos rudes et obstinatos ad legem reducendos; hinc et ipse Joram, rex impius, prophetam adiit (4 Reg. 3). Huic miraculorum periodo similes eremitarum aegyptiorum periodi tempore persecutionum christianarum (Haneberg, Gesch. 274), vel tempora s. Bernardi, Francisci etc. (Freib. Kirch.-Lex. IV. 404) comparari possunt. Si Elias (= Deus meus est Jahve) justitiae dlvinae propheta exstitit, Eliseus (= auxilium Dei) clementiae et misericordiae divinae internuntius appellandus est, nam ipse libenter fuisset currus Israel et auriga ejus, si populus voluisset. Haec muneris diversitas partim e diverso utriusque charactere, partim e disparitate characteris regum et populi coaevi explicanda est. Elias

et Eliseus se invicem quodammodo complent, quemadmodum Moyses et Josue, David et Salomon.

Prophetae praeexilici.

A. Usque ad excidium regni Israel.

§. 60. 1) Osee (750—725).

1) Osee (הוֹשֵׁעַ = Hosea, Ὡσηέ), filius Beeri, vaticinatus est sub Jeroboamo II. (783—743), et in diebus Uziae, Jotham, Achaz et Ezechiae (792—698), regum Juda, i. e. ab ultimis annis Jeroboami usque ad primos Ezechiae regis annos, ergo circa 15 annos. Ipse a regno Israel oriundus[1]), ad 10 tribus mittitur.

1) Quod de ejus vitae circumstantiis a Pseudo-Epiphanio (de vitis proph. 11), Isidoro Hispal. (de ortu pat. 41) et Rabbinis refertur, incertum est. Ortum ejus e regno Israel (1, 2; 7, 5) produnt non tantum relationes speciales (v. g. regem Israel appellat *regem nostrum* 7, 5) locales et historicae, sed etiam compatientiae et misericordiae sensa, in profundo patriae amore fundata, nec non lingua asperior, quae colorem aramaicum prae se fert (A. Scholz, Com. p. XXVIII.). Inter prophetas, ad regnum Israel missos, locum principalem tenet (uti Isaias in regno Juda), quare et simul ob vaticiniorum suorum ambitum (14 cpp.) inter prophetas minores primo loco ponebantur in canone. Colitur ab Ecclesia die 4. Julii.

2) Vaticinia[1]) Osee in 2 partes dispescuntur; in prima (Cap. 1—3) actionibus symbolicis[2]) relationem Deum inter et populum Israel illustrat; reprehendit enim Israelitarum perversitatem, idololatriam aliaque flagitia adjuncta, conversis tamen reditum in patriam et gratiam divinam promittit. Pars altera (Cap. 4—14) continet oracula, parum inter se connexa, ejusdem fere argumenti, in quibus rursus carpit idololatriam et corruptionem, nec non interitum regni Israel praenuntiat; immiscet[2]) tamen, indirecte saltem, praeclara verba de instauratione populi, tempore felice messiano et (col. Rom. 9, 25—27) de conversione gentium ad Christum, et quidem 2, 18—24; 3, 4, 5; 11, 9—11; 14, 5—9; verba Apostoli (1 Cor. 15, 55) ex Os. 13, 14:

Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne!

desumta sunt.

1) Libellus non omnes Osee sermones amplectitur, sed summam tantum argumentorum et sermonum ab eo habitorum per modum compendii nobis proponit.

2) Actiones partis primae symbolicas, quas in oratione prosaica enarrat, realiter contigisse, statuunt plerique ss. Patrum, Basilius, Cyrillus Alexand., Augustinus, quos secuti sunt antiqui interpretes et nonnulli recentiores, uti Schegg, A. Rohling (T. Q. 1867, 559), Knabenbauer, Kurtz (Ehe des Proph. Hosea, Dorp. 1859, 1—3); plures tamen recentiores Hengstenberg (Christ. I. 207), Reinke (Beit. III. 29) duce s. Hieronymo (Prol. in Os.) eas esse actiones internas seu symbola, in visione manifestata, putant. Ducit propheta e mandato divino uxorem fornicariam, Gomer, ex eaque duos filios (Jezrael, [= *deus dispergit*] et Non-populus meus) et filiam (Absque misericordia) gignit, quibus idololatriam (adulterium Israel), judicium divinum et rejectionem ejusdem annuntiat. Dein jubetur adulteram in domum suam abducere, cum eaque pacisci, ut ibi multo tempore caelebs sedeat nec fornicetur, et per hoc repraesentat Israel multo tempore fore sine Deo, idolis, lege, sed in novissimo dierum reversurum ad Dominum. Propheta ergo matrimonio suo ad vivum exprimere debet, quantum misericordiae et gratiae Deus populo suo impenderit et ad qualem dignitatem eum evexerit, cum ex omnibus hanc gentem fornicationi servientem sibi sponsam elegerit.

3) Dictio prophetae est concisa et eminenti quadam poëticae compositionis notâ insignis, hinc propter frequentes transitus (5, 9; 6, 1; 7, 8; 10, 11 seq.) obscura et intellectu difficilis. Hieronymo docente (Praef. in pr. min.): Osee *commaticus est et quasi per sententias loquens.* Multae voces et constructiones ipsi sunt propriae.

Audax est in metaphoris aliisque figuris poëticis. Quia sententiae diversis temporibus pronuntiatae immediate se excipiunt earumque internus et externus nexus non clare suspicitur, velut disjecta membra apparent.

4) Integritatem libri, praeter inscriptionem[1]), confirmant defectus notarum chronologicarum et indiciorum initii et finis singularum pericoparum aut sermonum in parte altera, quaesitus transitus ab ira et minis ad misericordiam et promissiones, ac compositio membrorum regularis in strophas aequales. Auctoritas canonica certa est[2]).

1) Inscriptio, et 3, 1 seq., ubi propheta in persona prima loquitur, testantur, librum ab ipso Osee fuisse scriptum et summarium suae praedicationis esse.

2) Judaei librum semper canonicum habuerunt. Saepissime Jeremias ad librum Osee alludit v. g. Jer. 3, 6, 8 col. Os. 1, 2; Jer. 3, 18 col. Os. 2, 2; Jer. 7. 9 col. Os. 4, 2; Jer. 9, 11 col. Os. 14, 10 (confer Kueper, Jeremias p. 67), nec non Ezechiel. Etiam in Novo Testamento (Matth. 2, 15; 9, 13; 12, 7. Luc. 23, 31; 1 Cor. 15, 54; 1 Pet. 2, 10) loci e propheta Osee adducuntur, et ab Apostolo (Rom. 9, 25) expresse Osee inter prophetas recensetur. Difficultates, quas adversarii de matrimonio prophetae moverunt, diluerunt jam Augustinus (cont. Faust. 22, 5) et Hieronymus (in Os. 1).

Commentarii in Prophetas minores: Ackermann, 1830. — Schegg, Kl. Proph. 1854. 1862[2]. — Scholz, Hoseas 1882. — Knabenbauer, 1886. — v. Hoonacker, Par. 1908. — Acath.: Nowack, 1903. — Marti, 1904. — Harper, Am. and Hos. Ed. 1905. — Pusey, Lond. 1906. — Orelli (Strack) 1888[3], 1908.

§. 61. 2) Joel (anno circiter 820).

1) De aetate, quae vixit et prophetavit Joel (יוֹאֵל), filius Phatuel, discrepant[1]). Ipsum e regno Juda ortum, inde concludunt interpretes, quod vaticinia ejus ad Juda et Jerusalem tantum[2]) sunt directa.

1) Joel, probabiliter regnante Joas munere functus est. Eum suum librum scripsisse ante Amosum, probant *a)* locus in canone, *b)* quia Amos (1, 2) ad vaticinium Joelis (3, 16) reflectit et (9, 13) imaginem a Joele (3, 18) adhibitam reproducit. *c)* Dictionis puritas, styli nitiditas et orationis poëticae vis. Juxta hypothesin Merx, A. Scholz (com. 1885) Joel tempore postexilico (Esrae) munere prophetico functus est, contra quem scripsit Knabenbauer (comp. proph. min. I. 191). In martyrologio romano memoria ejus die 13. Julii celebratur.

2) Hier. (ad Joel 1, 1): *In Joel . . . omne quod dicitur, ad tribum Juda et ad Jerusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, i. e. 10 tribuum in hoc fieri mentionem.*

2) Joel, occasionem vaticiniorum suorum sumens de invasione locustarum[1]) in Judaeam, describit in 3 capitibus primo (1—2, 17) extrema mala, quae passura est terra urente siccitate ac bruchorum invasione, populumque ad poenitentiam ac jejunium hortatur; in altera parte (responso divino) futura bona (messiana) promittit (2, 18), praeprimis tamen Spiritum Domini super omnem carnem effundendum (2, 28 col. Act. 2, 17 seq.), tandem (Cap. 3.) judicium novissimum. in valle Josaphat a Deo habendum,

nec non subsecuturam populo Dei summam felicitatem restitutionemque in integrum[2]) praenuntiat. Linguae puritas sententiarumque gravitas, elegantia ac sublimitas ab omnibus laudantur.

1) Sub metaphora quatuor specierum locustarum *(eruca, bruchus, locusta rubigo)* describi hostium (diversorum) adventum (2, 17; 3, 1—8), defendunt omnes fere ss. Patres: Cyrillus Alex., Hieronymus (4 monarchias Danielis), Ephraemus (Tiglathpilesar, Salmanassar, Sancherib, et Nebucadnezar), porro Onkelos, Reinke (Mess. Weiss. III. 134), Karle (Commentatione critic. Lps. 1867); dum e contra Herbst, Schegg (Kl. Proph. 168), Knabenbauer, Cornely, Keil, Delitzsch, Wünsche, Schmoller et alii cum Rabbinis sensum literalem retinendum esse statuunt. Utramque sententiam: vastationem per locustas et judicium futurum per gentes, symbolice per illas praenuntiatas, apte jungunt Umbreit, Küper 156. Confer Hieronymum (in Joel 1, 6): *Narratur impietas hostium sub figura locustarum: et rursum sic de ipsis locustis dicitur, quasi hostibus comparentur, ut, cum locustas legeris, hostes cogites, cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas.* Vastatio ergo a locustis invecta signum est longe majoris futuri judicii divini.

2) Joel intuetur salutem populi sui tanquam summam foederis perfectionem et magnam divinam, ex Sion provenientem, manifestationem. Vaticinia ejus non directe quidem personam Messiae concernunt, attamen characterem universalisticum regni messiani et partem salutis anthropologicam (renovationem spiritualem) urgent.

3) Argumentum et forma libri unum auctorem (Joel) produnt[1]). Auctoritas canonica dubio caret[2]).

1) De unitate vaticiniorum confer Grätz, Einheitl. Charakter des Proph. Joel, 1873.

2) Liber Joelis saepissime allegatur; praeter Amosum locos ex eo mutuant Jonas (3, 9, col. Jo. 2, 14), Isaias (13, 6 col. Jo. 1, 15; 13, 10 col. Jo. 2, 10), Michaeas (7, 10 col. Jo. 2, 17), Sophonias (1, 15 col. Jo. 2, 11), Jeremias (30, 7 col. Jo. 2, 2, 11). S. Petrus directe (Act. 2, 16, 17) citat Joelem et s. Paulus (Rom. 10, 13) Jo. 2, 32 tanquam Scripturam adducit. — Comment.: A. Scholz 1885. — Savoureux, Par. 1888. — Acatholici: Credner 1831. — Wünsche 1872. — Merx 1879.

§. 62. 3) Amos (anno circiter 760).

1) Amos (עָמוֹס, Ἀμώς), diversus ab Amoz (Is. 1, 1), e civitate Thecue prope Bethlehem oriundus, pastor ovium (1, 1; 7, 14), vaticinatus est sub Jeroboamo II., rege Israel, et Uzia, rege Juda, praeprimis Bethele, ubi adversarium habuit Amasiam, sacerdotem vitulorum, qui eum apud regem rebellionis accusavit, quare Amos ei interitum praedicit[1]).

1) Varia de morte ejus referunt Pseudo-Epiphanius (l. c. cp. 12) et Pseudo-Dorotheus. Confer Baur, Amos 1847. 54. Colitur die 31. Martii.

2) Vaticinatus est praesertim adversus regnum Israel[1]), cujus interitum praedixit; ast etiam de Juda et populis finitimis est locutus. In Cap. 1 et 2 (introductione) invehitur in crimina, et supplicia minatur Damasco, Philistaeis, Tyriis, Idumaeis, Ammonitis et Moabitis; in parte prima (Cap. 3—6) Israelitis exprobrat idololatriam et gravissimum Dei judicium, in reos utriusque regni immittendum, ac deportationem in Damascum denuntiat; in parte altera (Cap. 7—9) sub variis symbolis (5 visionibus) praedicit poenas indicatas, solatur vero eos spe reditus ac restitutionis regni davidici in sua prosperitate: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit . . . et reaedificabo*

illud, sicut in diebus antiquis (9, 11—15), quibus verbis (Act. 15, 16) tempora messiana describit.

1) Quamvis e regno Juda oriundus, tamen ad regnum Israel mittitur (cf. 3 Reg. 13); hinc missio hujus viri pastoris tanquam prophetae omnium attentionem excitare debuit.

3) Vaticinia Amosi simplici quidem, ast eleganti stylo, atque lingua pura et pulchra sunt conscripta. Statum prophetae pastoritium[1]) arguunt genus et sermonis habitus[1]); profert enim saepe similitudines, e vita pastoritia et natura terrae petitas[2]).

1) Hieronymus (Prol. in Am.): *Ex numero pastorum fuit, imperitus sermone, sed non scientia; idem enim, qui per omnes prophetas, in eo Spiritus sanctus loquebatur.* Laudant stylum ejus Baur 119; Schegg 221. Confer Augustinum (doct. chr, 4, 15): *Non intentâ in eloquentiam sapientiâ, sed a sapientia non recedente eloquentiâ.* Lowth (de poes. sac. 245 seq.): *Aequus judex de re, non de homine quaesiturus, censebit, credo, potius pastorem nostrum* μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν προφητιῶν, *ut sensuum elatione et magnificentia spiritus prope summis parem, ita etiam dictionis splendore et compositionis elegantia vix quopiam inferiorem.* Praeterea omnes partes, bene cohaerentes et aequaliter dispositae, unum auctorem produnt, qui substantiam sermonum suorum literis mandavit ante duos annos terraemotus (1, 1).

2) Confer 1, 2; 2, 9, 13; 3, 4, 5, 8; 5, 8, 18, 19; 8, 9 etc. Confer Hieronymum (com. Am. 1, 1) et Baur l. c. 122. Cf. Hartung: Der Prophet Amos nach dem Grundtext erklärt. Bibl. Stud. 3. Bd.

4) Auctoritatem canonicam probant argumenta externa et interna.

Vaticinium ejus (8, 10) jam allegavit expresso nomine Tobias (2, 6) et adhibuit auctor 1 Mach. 1, 41. S. Stephanus (Act. 7, 42) et s. Jacobus (Act. 15, 16) citant e libro Amosi, quem inter libros Prophetarum recensent. Facta historica, ad quae alludit, ex aliis libris comprobantur, v. g. 1, 2 col. 4 Reg. 10, 32 sêq., 13, 7; — 1, 5 col. 4 Reg. 16, 9. Ortus Philistaeorum ex Caphtor (9, 7) probatur Gen. 10, 14. Jer. 47, 4 .Confer Küper Jer. sept. int. p. 71 seq. — Hartung, Amos n. d. Grundtext erkl. B. St. III. — J. Touzard, Am. Par. 1909.

§. 63. 4) Abdias (anno circiter 845).

1) Quando Abdias (עֹבַדְיָה, LXX Ὀβδιού, cod. Alex. Ἀβδιού) vaticinatus sit, dissentiunt interpretes[1]). Prodit autem argumentum libri ejus magnam cognationem cum Joel, qui eum citavit[2]), et cum Jeremia, qui ex eo in suum librum transtulit[3]); idcoque ante Joelem sub initiis Jorami regis munere suo functus est.

1) Juxta traditionem judaicam (Hieronymus in Abd.) Abdias erat discipulus Eliae, qui sub Achab centum prophetas pavit, non curvantes genua coram Baal, vel maritus illius uxoris, cujus oleum multiplicavit Eliseus (4 Reg. 4). Sepulcrum ejus una cum mausoleo Elisei et s. Joannis Baptistae in Sebaste in veneratione habebatur adhuc tempore s. Hieronymi. Adscriptus est catalogo Sanctorum die 19. Novembris.

2) Magna cognatio expressionum observatur inter Abd. 10—18 et Joel 1, 15; 2, 1, 32; 3, 3, 4, 7, 8, 12, 17, 19. Quia Joel (2, 32) verba Abdiae 17: *in monte Sion erit salvatio*, citat additque: *sicut dixit Dominus*, sine dubio ex Abdia hausit, non vice versa. Creditur igitur Abdias ante Joelem et Amosum vaticinatus et tribus praecedentibus prophetis antiquior esse. E contra Johannes et Scholz cum nonnullis rationalistis Abdiam Jeremiâ juniorem et libellum tempore exilico (588—575) ortum esse defendunt, supponentes, Abdiam ex Jeremiae vaticinio nonnulla sumpsisse.

3) Magna analogia observatur inter Jer. 49, 6—12 et Abd. 1—9, 16. Jeremiam autem verba sua ex Abdia mutuasse, probant, quod *a)* Jeremias saepe antiquioribus prophetis usus est, *b)* expressiones Jeremiae propriae in Abdia non occurrunt, *c)* quod vaticinium Abdiae bene et aequaliter dispositum est, minime vero Jeremiae vaticinia, *d)* differentiae textus utriusque textum Abdiae originalem testantur. Confer Jäger, Über d. Zeitalter Obadj., 1837. — Reinke, Mess. Weiss. III. 209. — Knabenbauer l. c. I. 343. — Küper, Jer. l. c. 79 seq.

2) Abdias minimus est, supputatione non sensuum, sed versuum (Hieronymus); breve enim edidit adversus Edomitas vaticinium (21 vers.). Praedicit his interitum (1—9), propter injurias[1]), contra Judaeos una cum gentibus commissas (10—16); inde annectit vaticinium de omnibus Israel hostibus delendis, ac restitutionem regni populi sui atque felicitatem temporis messiani (17—21) breviter describit[2]).

1) Alludit ad facta sub Joramo rege, quando Philistaei et Arabes terram Juda vastaverunt (2 Par. 21, 8 col. 4 Reg. 8, 20 seq.). Regionem eorum describit A. Musil, Arabia Petraea 1907.

2) Abdias primus aggressiones hostiles Edomitarum, quas sequebantur inimicitiae aliarum gentium, literis mandat, ut occasionem nanciscatur, victoriam theocratiae finalem tum ad solatium populi sui, tum ad gentium monitum, depingendi; tali modo reliquis prophetis digne aggregatur. Hugo a. s. Vict (Adn. in Abd.): *Sermone simplex et sensu multiplex: rarus in verbis, sed copiosus in sententiis.* Vaticinium ejus breve de *die Domini* ab Isaia (3, 1; 34, 8) fuit retractatum. — Comment.; Johannes 1885. — Peters 1906.

§. 64. 5) Jonas (anno circiter 790).

1) Jonas[1]) a Deo ad Ninivitas mittitur, fugit autem in Tharsin[2]); tempestate in mari exorta, ipse, sorte reus deprehensus, in mare dejicitur et a pisce grandi deglutitur, in cujus ventre servatus preces ad Deum fundit et tertia die evomitur (Cap. 1. 2). Ninivitae ipsi poenitentiam praedicanti credunt; hinc Deus eis parcit (Cap. 3): quum vero Jonas hoc dolet, Deus per umbram Ricini communis (Vulg. hederae) vermemque, eam corrodentem, vatem corripit eique mysterium[3]) clementiae et misericordiae suae (erga gentes) explanat (Cap. 4).

1) Erat Jonas filius Amathi, et (teste 4 Reg. 14, 25) ex Geth in secundo Sephorim milliario (Hieronymus) oriundus. Secundum traditionem judaicam (Hieronymus, Praef. in Jon.) filius viduae Sareptanae fuit, quem mortuum Elias propheta suscitavit. Colitur die 21. Septembris,

2) Fuga Jonae non e metu periculorum, sed ex idea ejus particularistico-israelitica (4, 2) est explicanda. Urbs haec gentilis tali missione et proin salute indigna ipsi videbatur et ne Deus e poenitentia Ninivitarum argumenta peteret, ut populum suum incredulum reprobaret, hujus rejectionis auctor noluit existere propheta, uti observat jam s. Hieronymus (ad. 1, 2): *Scit propheta . . . suggerente Spiritu sancto, quod poenitentia gentium ruina sit Judaeorum. Idcirco amator patriae suae non tam saluti invidet Ninive, quam non vult perire populum suum.* Aliam rationem indicat Theodoretus, ne, si Ninivitae resipiscerent, ipse tanquam propheta mendax haberetur.

3) Hinc libro scopus simul didacticus subest: homo non murmuret contra Deum, cujus vias non intelligit. Hac ex causa liber repente abrumpitur, quia non totam prophetae vitam, sed partem ejusdem gravem describere vult. Sine dubio Jonas edoctus Deum misericordem adoravit et suos erga gentes affectus composuit. De transpositione nonnullorum versuum in l. Jonae cf. Döller, Kath. 1907, 313 seq. De forma poetica orationis Jonae cf. Seydl, Tüb. Quartalschrift 1900.

2) Narratio libri Jonae non est parabolica vel allegorica nec fabula[1]). sed historice vera, quam fide dignam argumenta externa[2]) et interna[3]) evincunt.

1) Multi e castris Protestantium, ut auctoritatem hujus libri evertant, somnium (Abarbanel, Grimm) vel visionem vel parabolam (Jahn, Pareau) vel allegoriam, et quidem aut historicam aut doctrinalem (Bleck) aut mythum, similem mytho Hesionae ab Hercule, vel Andromedae a Perseo liberatae (Semler, Herder, Hitzig) hic proponi autumant (confer Friedrichsen, Krit. Übersicht d. versch. Ansichten v. d. B. Jonas, 1841, et G. Jäger, Über den sittlich-relig. Endzweck d. B. J., 1840. — H. Schmidt, Jona. Gött. 1907) — quibus respondemus cum s. Augustino (ep. 102. q. 6. 31): *Aut omnia divina oracula credenda non sunt aut hoc, cur non credatur, causa nulla est.* Fabulam aut mythum collectores nunquam in canonem recepissent

2) Jonas *a)* adducitur (4 Reg. 14. 25) tanquam propheta, qui sub Jeroboamo II. restitutionem terminorum Israel praedixit. *b)* In versione graeca et Heb. Fagii libri Tobiae (14, 2) legimus: *Tolle filios tuos et vade in Mediam, fili: scio enim, quae locutus est Jonas de Ninivis, quoniam subvertetur. c)* Josephus Flavius (Ant. IX. 10, 2) Jonae historiam refert et auctor 3 Mach. 6, 8 salvationem Jonae inter reliqua facta historica et miraculosa recenset *d)* Mohammedani Jonae prophetae memoriam servant et sepulcrum ejus tum in Assyria (Nabi Junus), tum in Palaestina (el-Meschhed = Gethhepher, locus natalis Jonae) monstrant. *e)* Luculentissimum testimonium perhibet ipse Christus Dominus, qui docet, Judaeis incredulis non aliud signum (resurrectionis) datum iri, nisi *signum Jonae* prophetae, qui tribus diebus et noctibus in ventere piscis fuit (Matth. 12, 39 seq. Luc. 11, 29 seq.), et Ninivitae atque regina Austri (Saba) *surgent in judicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poentientiam egerunt in praedicatione Jonae* (Matth. 12, 41. Luc. 11, 32). Judaei non symbolum nec parabolam, sed verum miraculum postulabant; e conjunctione Jonae cum Ninivitis et regina Austri ejus persona tanquam historica clare evincitur.

3) Res in libro narratae minime veritati obstant: *a)* Piscis (LXX κῆτος), qui Jonam deglutivit, erat probabiliter squallus (canis) carcharias, qui in mari mediterraneo reperitur, bestias ac homines absque laesione deglutit et in ventre multa simul servat. *b)* Poterat Jonas in ventre piscis, qui aërem in se continet, respirare et facile sine cibo 37—38 horas vivere; nam primus et tertius dies non est integer accipiendus, teste antitypi Christi sepulturae traditi (confer Esth. 4, 16; 5, 1. Tob. 3, 10, 11). In eo, quod vivus evomitus fuerit, operatio specialis divina agnoscenda est, ut docet Christus appellando illud *signum* (miraculum) *Jonae prophetae. c)* Planta (Kikaion 4, 6, LXX κολοκύνθη, Itala: *cucurbita*, Vulg.: *hedera*) est ricinus communis (cf, L. Fonck, Bibl, Flora 1900, p. 16 sq.) vel palma Christi, cujus semen, terrae traditum, mox consurgit in arborem. *d)* Ninive, *civitas grandis* (1, 2) complectebatur quatuor urbes cum hortis et agris (Gen. 10, 2. Judith 5), atque Diodoro Siculo (2, 3) teste 480 stadia in circuitu habuit; *erat enim tanti ambitus, ut vix trium dierum itinere circumiri posset* (Hieronymus Jon. 3, 3). Congruunt effossiones recentissime factae, Kaulen, Assyrien und Babyl. (ed. 5, 274). — Döller, Stud. 313 seq. — *e)* Corruptionem moralem incolarum testantur Nahum (3, 1), Sophonias (2, 13). *f)* Luctum hominum et pecudum (3, 5—8) tanquam morem asiaticum describunt Herodotus (9, 24) et Plutarchus (Arist 13 in f.), Cf. Vigouroux, Manuel II. p. 636 (ed. 8).

3) Jonas vixit Jeroboamo II. rege (783—743 col. 4 Reg. 14, 25), et probabiliter primis annis hujus regis prophetasse videtur[1]). Liber ab ipso propheta, reverso in patriam, scriptus fuisse videtur[2]) et inter canonicos recensetur[3]).

1) Ejus missio incidit in tempus, quo imperium assyriacum ab antiquo splendore recedere, peste variisque seditionibus et periculis concuti coeptum est, quo Ninivitae imperii ruinam timere poterant. Knabenbauer l. c. I. 362. Rex Assyriae fuisse videtur Assurdan III.

(772—754), sub quo bis pestis in Ninive grassabatur, in diversis proviniciis seditiones erant; 15. Junii 763 totalis solis defectio homines terrebat; cf. Hommel, Gesch. Babyloniens u. Assyriens. Berl. 1885, 642 seq.

2) Non obstat locutio in tertia persona, nec chaldaismi, qui e patria prophetae et ejus commoratione in Assyria satis explicantur, nec allusiones ad Psalmos, quos adversarii adscribunt recentiori aetati, qui tamen sunt antiquiores. Immerito igitur Rationalistae juniorem libri aetatem (e seculo IV. vel II.) demonstrare conantur ex indole linguae, ex universalistico consilio etc.

3) In canonem receptus est liber a LXX, Rabbinis et Ecclesia. Dominus ipse eum pro divino habuit. Praeterea inter picturas Catacumbarum etiam Jonas occurrit et liber a ss. Patribus saepe citatur.

4) Liber Jonae, quamvis historicam prae se ferat formam, tamen ob argumentum symbolico-typicum merito inter libros propheticos recensetur; nam Jonas sub nomine Ninive gentibus salutem annuntiat[1]), quam Christus eis attulit; dein factis et fatis suis symbolice facta et fata populi sui adumbravit et Christo testimonium perhibuit (vaticinium reale), utpote cujus obitum et resurrectionem (redemptionis cardines) praefiguravit[2]).

1) Hieronymus (Jon. 1, 1): *In condemnationem Israelis Jonas ad gentes mittitur, quod Ninive poenitentiam agente illi in malitia perseverarent.*

2) Augustinus (Civ. D. 18, 30): *Jonas non tam sermone Christum, quam sua quadam passione prophetavit, profecto apertius, quam si ejus mortem et resurrectionem voce clamaret.* Hieronymus (ep. 53, 8 ad Paulin.): *Jonas, naufragio suo passionem Domini praefigurans, mundum ad poenitentiam revocat et sub nomine Ninive salutem gentibus annuntiat.*

Comm.: Kaulen 1862.

§. 65. Isaias (740—700).

1) Isaias[1]), Amozi filius, ex Juda oriundus, prophetavit sub Uzia, Jotham, Achaz et Ezechia regibus, et quidem ad minimum ab ultimo Uziae regis († 740) anno usque ad finem regiminis Ezechiae, ergo circiter 40 annos, ad regnum Juda, et vixisse creditur usque ad tempora Manassis regis, cujus jussu lignea serra dissectus esse traditur[2]).

1) יְשַׁעְיָה et יְשַׁעְיָהוּ, LXX Ἡσαΐας, Itala *Hesaias* vel *Esaias* i. e. *salus Jahvae.* Nomen hoc clare munus ejus adumbrat, erat enim praeco sanctitatis et salutis divinae col. 8, 18: *Ecce ego et pueri mei in signum et portentum Israel;* id unum spiravit, ut dejecta impietate fidem et spem in Jahvem apud omnes excitet et salutem messianam annuntiet. Judaica traditione (Megilla 10, 2) narrante, erat nepos regis Amaziae; matrimonio junctus duos ex uxore filios habuit (7, 3; 8, 3) et magna auctoritate apud coaevos fruebatur (4 Reg. 20, 14. Is. 39, 3). Teste 2 Par. 26, 22 commentarium historicum de rebus gestis Uziae et (2 Par. 32, 32) probabiliter annales Ezechiae regis composuit, quorum neutrum opus amplius superest.

2) Confer Jebamoth 4; Justinum (dial. c. Tryph. 20), Tertullianum (de pat. 14), Hieronymum (Is. 57, 1): *Quod serrandus sit a Manasse serra lignea, quae apud nos (Judaeos) certissima traditio est. Unde et nostrorum plurimi illud, quod de passione Sanctorum in epistola ad Hebraeos (11, 37) ponitur: Serrati sunt, ad Isaiae referunt passionem.* Martyrologium romanum 6. Julii refert: *In Judaea sancti Esaiae prophetae (commemoratio), qui sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit,* et sub quercu Rogel prope piscinam Bethesda sepultus est.

2) Liber Isaiae in duas partes dividitur: prior (Cap. 1—39), continet vaticinia e diversis temporibus in ordine reali, respecta tamen simul

chronologia Capita 1—12 de peccatis Judaeorum, de horum reprobatione et tandem restitutione ac redemptione, tempore messiano, tractant. A Cap. 13—27 vaticinatur contra gentes, Judaeis vicinas: Babel, Philistaeos, Moab, Syros, Aethiopes, Aegyptum, Idumaeam, Arabiam, Jerusalem et Tyrum (= 10 visiones, Hieronymus), quae vaticinia probabiliter in ordine chronologico[1]) posita sunt, et regno Juda judicium annuntiat. Cap. 28—35 Judaeorum excidium per Babylonios, intermixtis tamen solatiis, praedicat (probabiliter e 14 annis prioribus Ezechiae). A Cap. 36—39 enarrat historica quaedam et prophetica sub Ezechia gesta, quae partem primam claudunt (36—37) et secundam praeparant (38. 39)[2]). In parte altera[3]) (Cap. 40—66) praedicit populi liberationem ex exilio per Cyrum aerumnâ jam terminatâ (40—48), liberationem spiritualem (iniquitatem expiatam) per servum Jahve (49—57), et felicitatem atque benedictiones multiplices regni messiani (novae Sionis) (58—66). Messiam in toto suo statu cum omnibus characteribus tam accurate, graphice vivideque depinxit, ut quasi in coelum translatus non de futuris, sed de praeteritis historias texere videretur, eamque ob causam non tam propheta, quam evangelista est dicendus[4]).

1) Ordinem chronologicum in libro Isaiae defendunt Hieronymus (Is. 1, 1), Kaulen, Hengstenberg (Christol. II, 1), realem Knabenbauer, Cornely, Küper, Vitringa, Jahn. Aliam trifariam divisionem indicat Neteler (Gliederg. d. B. Is. 1870) — 1, 1 inscriptio ad totum librum pertinet, caput vero integrum primum i. e. allocutio prophetica ad coaevos, intruductionis instar, libro toti inservit et 1, 27 (edictum gratiae) argumentum libri comprehendit, vel juxta alios (Caspari, Beitg. zur Einl. in d. B. Jes. Berlin 1848) tamquam primus sermo Isaiae habetur. Cap. 2—12 ad primam prophetae periodum i. e. in aevum regum priorum pertinent, et quidem Cap. 1—6 Uziae et Jotham regum, 7—12 ad tempus Achaz et a 15 seq. in aevum Ezechiae. Nonnullae partes chronologiam assignatam habent, ut 7, 1 (Achaz), 14, 29—32 (anno mortis ejusdem), 36, 2 (initio regni Ezechiae).

2) In toto libro Isaiae admiramur artificiosam concinnitatem et concors consilium, quae clare evincunt, eum integrum ab uno auctore esse conscriptum. Isaias, medius inter Moysen et Christum, ante omnia nitebatur, ut Judaei peccata sua agnoscerent, Dei vindictam timerent (1—6), et tandem per poenitentiam peragendam Dei gratiam sperarent (7—12). Ne tamen fiduciam et spem collocarent in foedere cum populis finitimis, horum punitionem, imo interitum (13—23), et obstinatis Judaeis exilium annuntiat (24), e quo tamen reliquiae populi fideles salvandae erunt (25—27); quamvis Judaei moribus suis pessimis et foedere, cum Aegyptiis inito, perniciem reipublicae hebraicae accelerent, tamen consilium divinum irritare nequeunt, quia Deus omnes adversarios regni sui perdet (28—35). Apte inter partem primam et secundam ponit Cap. 36—39; nam expeditio et clades Sennacheribi confirmant dicta prophetae et tesserae instar sunt axiopistiae reliquorum vaticiniorum. Morbus et sanatio Ezechiae typice fata populi adumbrant, et gerendi ratio regis erga legationem babylonicam facta futura praeparat, nempe abductionem populi in Babyloniam. Tali modo tota prior pars introductio quasi est in partem alteram. Caput primum (prologus) summam argumenti totius libri (peccata, poenam, spem restaurationis) continet, et rursus in epilogo (c. 66) omnia magna oraculorum documenta in unum collecta videmus, qua re unitas libri clare evincitur.

3) Pars altera non minus sectionem integram, bene dispositam et connexam, constituit, quae (praeeunte Röckert, Heb. Propheten übers. u. erläut. 1831), formâ jam externâ, scilicet per versus intercalares (48, 22; 57, 21 et 66, 24) in tres pericopas capitum novenorum subdistinguitur, ita ut typicam liberationem Israel e captivitate, realis salvatio per

servum Jahve (Messiam) sequatur, et gloria regni divini tanquam ultimus terminus vaticinia claudat. Juxta Schenz (Einl. 260) triplex munus Christi in his 3 sectionibus describitur. Repetenda sunt vaticinia haec, juxta sententiam communem, ex ultimis Isaiae prophetae annis, quando vitam privatam agebat. Hierosolymis quidem degens, in spiritu autem versabatur inter exules concives, quos promissione futurae liberationis solaturus erat; ideo scripsit haec vaticinia non tam pro coaevis, sed ut posteris essent testimonium veritatis et solatii. Confer Delitzsch, Prophet Isaias, 1866; — Knabenbauer, Innsbruck. theol. Zeitsch. 1878, 1879, et: Erklär. d. Proph. Isaias. Freib. 1881.

4) Hieronymus (Praef. in Is.): *Non tam propheta, quam Evangelista dicendus est; ita enim universa Christi Ecclesiaeque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuris vaticinari, sed de praeteritis historiam texere.* Ideo ss. Patres summis laudibus prophetam admirabilem, magnum Apostolum (Cyrillus Alex. Is. pro.), τὸν θειότατον (Theodoretus prol.), προφητῶν μέγιστον (Eusebius, Dem. ev. 2, 4; 5, 4) prosequuntur; a Josepho ὁμολογουμένως θεῖος appellatur. Augustinus (Confes. 9, 5): *Prae ceteris evangelii vocationisque gentium praenuntiator apertior;* et Civ. D. 18, 29. Confer: Gesenium, Jesaias I. 41.

3) Propter vaticiniorum sublimitatem Rationalistae partem secundam (Cap. 40—66) Isaiae abjudicant et ignoto cuidam vati, *magno anonymo,* sub finem exilii babylonici viventi[1]) — Pseudo seu Deuterojesajae (Jesaja II.) adscribunt, contra quos catholici et protestantes positivi[2]) authentiam illius partis vaticiniorum Isaiae vindicarunt, et quidem argumentis tum *A)* externis, tum *B)* internis. Accedit *C)* declaratio Commissionis Pontificiae de Re Biblica.

1) De tempore vaticiniorum minime consentiunt critici: Secundum Bleek-Wellhausen pars ultima a reduce in Palaestinam est scripta; juxta Bertholdt, Gesenium ultimae pericopae partis II. ante Cyri expeditionem contra Babylonios conscriptae sunt; secundum Hitzig cpp. 43, 44 jam supponunt expugnationem Babelis, juxta Knobel cp. 40 usque 48 post primas Cyri victorias de Babyloniis edita sunt.

2) Küper, Hengstenberg (Christ. II, 172), A. F. Kleinert (Über die Echtheit sämtlicher im B. Jes. enth. Weiss. Berl. 1829), Hävernik, Keil §. 71 Delitzsch, Drechsler, Stier, Nägelsbach et alii.

Ad A) Argumenta externa.

a) Jeremias, Habacuc, Nahum et Sophonias, qui ante exilium vixerunt, non semel provocant ad vaticinia Isaiae Cap. 40—66, et passim eodem dicendi genere loquuntur, v. g. servus Jahve.

Jer. 10, 1—6 col. Is. 40, 19, 20; 41, 7; 46, 7; Jer. 50; 51 c. Is. 46, 1; 48, 20; Nah. 1, 15 c. Is. 52, 1, 7; Nah. 2, 1 c. Is. 52, 7; Nah. 3, 7 c. Is. 51, 19; Hab. 2, 18, 19 c. Is. 44, 9—20; Soph. 3, 10 c. Is. 18, 1; 60, 20; Soph, 2, 15 c. Is. 4, 7, 8. Alia testimonia vide apud Reinke l. c., Himpel, Quartlsch. 1878, 489, Küper 274, Drechsler III, 403. Zacharias 7, 4—7 reprehendit jejunia Judaeorum, allegando prophetas priores, Hierosolymis adhuc stantibus (Is. 58, 5).

b) Siracides diserte Isaiam auctorem vaticiniorum partis secundae innuit. Eccli. 48, 25, 27, 28: *Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei . . , spiritu magno vidit ultima* (τὰ ἔσχατα i. a. res messianas), *et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura et abscondita, antequam evenirent,* — quae laus secundam tantum partem respicit. Eodem fere tempore vaticinia Isaiae in linguam graecam, sub eodem nomine, translata sunt.

c) Cyrus, cui, teste Josepho Flavio (Ant. XI. 1), liber Isaiae (Cap. 45) ostensus fuit, in suo edicto, quo Judaei e captivitate dimittuntur, ad vaticinium

illud alludit: *Omnia regna terrae dedit mihi Dominus, Deus coeli, et ipse praecepit mihi* (Is. 45, 13), *ut aedificarem ei domum in Jerusalem* (Esd. 1, 2).

d) Congruit traditio judaica.

Rabbini librum Isaiae »librum consolationum« vocant. Berachot 57. Bab. Bathra 14 b. Wajjikra rabba 10, 2. In versione LXX liber noster omnia vaticinia continuit.

e) In Novo Testamento vaticinia Isaiae e secuuda parte sub ipso Isaiae nomine allegantur.

Christo in synagoga traditus est liber Isaiae prophetae, ex quo legit 61, 1 col. Luc. 4, 17 seq. Eunuchus Candacis reginae legit 53, 7, 8 in libro Isaiae prophetae (Act. 8, 28). Insuper 11 loci e secunda parte tanquam verba Isaiae in N. T. citantur: Matth. 3, 3; 8, 17; 12, 17. Marc. 1, 2. Luc. 3, 4; 4, 18. Joh. 1, 23; 12, 38. Act. 8, 30. Rom. 10, 16, 20.

Ad B) Argumenta interna.

a) Stylus elegans, sublimis et comptus, quem nemo alter, nisi Isaias est assecutus, lingua pura, clara, oratio viva et efficax, parallelismis et figuris poëtico-rhetoricis excellens, ita ut nihil sublimius in universa Hebraeorum poësi inveniatur ac ipse primis oratoribus sit accensendus.

Hieronymus (praef.): *Ac primum quidem de Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admixtum; unde aceidit, ut prae ceteris florem sermonis ejus translatio non potuerit conservare.* De forma metrica cf. Liter. Zentralblatt 1902, Nr. 1.

b) Locutiones, omnino Isaiae propriae, quae in parte prima et secunda, secus autem fere nusquam in A. T. reperiuntur, v. g.: *Sanctus Israel*[1]), et *vocabitur* pro »et erit«, *justitia* pro salute etc.

1) Locutio haec in 39 prioribus capitibus 14ies in parte secunda 15ies et in reliquis libris A. T. sexies tantum (Ps. 70, 22; 77, 41; 88, 19. Jer. 50, 29; 51, 5), imo in sermone Isaiae 4 Reg. 19, 22 occurrit. Eaedem ideae in utraque parte observantur (3, 26; 5, 6; 6, 11, 12 col. 54, 11; 29, 16 col. 45, 9; 64, 8); *servus Jahve* idem est, qui tanquam *Emmanuel* in prima parte describitur (11, 2 seq. col. 42, 1 seq.; 9, 1 col. 49, 6; 50, 10; 11, 1 col. 53, 2; 61, 1 seq. 12, 3 col. 55, 1); huc pertinent phrases: *os Domini locutum est* (1, 30; 40, 5; 58, 14); אזר 24, 15; 31, 9; 44, 16; 47, 14; *sic dixit Dominus* (12ies in I., 24ies in II. parte) etc. Confer Herbst, II, 2, p. 19—21. — Knabenbauer, Com. 24. — Nägelsbach, Is. 769 seq.

c) Totum argumentum illius partis; supponit enim eam temporum faciem (Jerusalem stantem 40, 2, 9; 62, 6; sacrificia oblata 56, 5; 43, 22, populum idololatram 65, 3 et corruptum ideoque castigandum 56, 9; 57, 11), quam circa finem Ezechiae regis et tempus Manassis invenimus[1]); praeterea assertio, ab Isaia prima vice ruinam Babelis fuisse praedictam (41, 26; 42, 9), prophetam ante exilium viventem supponit, siquidem Jeremias (50, 51) illam diserte praedixerat.

1) Confer Stára in Österr. Vierteljschr. 1873, 161.

C) Commissio Pontificia de Re Biblica propositis sequentibus dubiis de libri Isaiae indole et auctore negative respondit:

1. Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae — et passim in Scripturis — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id phrophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae jam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, conjiciendo praenuntiasse?

2. Utrum sententia quae tenet, Isaiam cetorosque prophetas vaticinia non edidisse nisi ex his quae in continenti vel post non grande temporis spatiam eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, nec non cum communi ss. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda?

3. Utrum admitti possit, prophetas non modo tanquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tanquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. XL—LXVI), in qua vates non Judaeos Isaiae aequales, sed Judaeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam jamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exules viventi assignare?

4. Utrum ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

5. Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum?

Sanctissimus praedicta responsa die 28. Junii 1908 rata habuit ac publici juris fieri mandavit[1]).

1) Cf. Acta s. Sed. Vol. XLI, pag. 613.

Objectiones.

Adversarii nullum argumentum externum in partem contrariam adducere valent; porro admissa prophetiae possibilitate etiam interna evanescunt.

1. Offendit adversarios rerum politicarum descriptio, quae supponat auctorem exulem; nam ponit templum eversum, urbem vastatam, populum exulantem, sacrificia intermissa nec non mox futuram liberationem (51, 17; 56, 2; 58, 12; 61, 4; 64, 9, 10). — Ast haec allata e prospectu prophetico sunt explicanda; saepe enim spiritus prophetae inspiratione divina transfertur in tempus futurum, quod prospicit tanquam praesens seu praeteritum, et inde sermonem ducendo futura, quae proprie sunt remotissima, describit tanquam proxime ventura, quod locum habet in parte secunda, in qua Isaias messiana depingit tempora. Nihilominus intermiscet propheta verba, quibus statum sui temporis (praeexilici) prodit; v. g. allocutiones ejus ad Jerusalem urbesque Juda (40, 2, 9; 41, 27; 51, 17), castigationes, quibus reprehendit sacrificia omissa (43, 23), idololatriam cujusvis generis (57, 3; 65, 3), ambitionem favoris peregrinorum (57, 9 col. 30, 1) etc. Confer Hengstenberg l. c. II. 189. — Quoad nomen Cyri, sive nomen proprium (Origenes in Gen. n. 4. Drechsler III, 390), sive apellativum habeatur, utpote Judaeorum liberatoris ab Isaia expresse (44, 28; 45, 1) praenuntiatum, non est necesse, explicationis gratia ad illam sententiam confugere, quae (Schegg II, 87) partem Isaiae secundam quoad formam discipulo prophetae adscribit, qui fragmenta sermonum, a magistro ultimis vitae annis habitorum, juxta memoriam conscripserit, aut quae nomen illud glossam esse censet, sed facile e praescientia divina et inspiratione prophetae deducitur eodem modo, quo Josias jam tempore Jeroboami tanquam destructor idolorum (3 Reg. 13, 1—3) nominabatur.

2. Provocant ad styli diversitatem inter partem primam et secundam. — Attamen *a)* illa repetenda est α) e diverso tempore, quo scripta est pars altera, puta Isaia sene; β) e diverso argumento et scopo, quem vates intendit; scripsit enim non tam pro coaevis, quam pro posteris, non tam vituperandi, quam consolandi causa, non abrupte, sed sermone intime connexo. *b)* Magna porro intercedit inter secundam partem et priorem similitudo expressionum, imaginum ac comparationum. *c)* Tandem character linguisticus generatim statum

literaturae hebraicae florentissimum praeexilicum postulat, et a postexilica totus quantus distat, ne una quidem metaphora aut imago observatur, quae vel ex aspectu regionis Babel vel ex incolarum ejus moribus vitaque sit desumta. Lingua non tantum libera est a serioris aetatis idiotismis et chaldaismis (quorum pauci tantum occurrunt), sed etiam insignita est multis idiotismis Isaiae propriis.

3. Adducunt provocationes prophetae ad priora sua vaticinia (41, 22; 42, 9; 45, 19, 21; 46, 10, 48, 16) et ad silentium Jeremiae Cap. 26. — Poterat autem Isaias e prospectu suo prophetico bene homines in fine exilii viventes, provocare ad attendenda vaticinia non tantum ab aliis, sed etiam a se ipso edita, et tunc jam completa in testimonium veritatis; nam illa 10, 5; 22, 15—25; 28, 1; 37. 22—38; 38, 5 versus finem exilii babylonici jam erant adimpleta. Herbst, l. c. 31. Dein auctor exul (48, 4—8) scribere non potuisset, ruinam Babel nondum fuisse praedictam, siquidem Jeremias (50; 51) illam deserte praedixerat — Argumento e silentio, quod Jeremias ad Mich. 3, 12, non vero ad Isaiam provocet, nil probatur, eo minus, quum Jeremias tam saepe aliorum vaticinia, omissis nominibus, vel verbotenus recitat, vel quoad sensum retractat. Confer Movers, de utriusque recens. vatic. Jeremiae pag. 44.

4. Si adversarios haec praescientia prophetica offendit, ut eam pro simplici praesagio e rebus partim praesentibus, partim naturaliter jam imminentibus habeant: reponimus, semina vaticiniorum de exilio et redemptione jam inveniri Lev. 26, 16, 17, 13—45; Dt. 28, 32—37; 30, 1—5. Nuntium de exilio futuro tunc fuisse notum, patet e ratione, qua Isaias Ezechiae regi abductionem filiorum et thesaurorum aununtiavit (39, 6—8).

5. Etiam aliarum partium authentia impugnababur ab adversariis, ut vaticinii contra Babel 13, 1—14, 23; 21, 1—10, et aliorum contra Moab (Cap. 15; 16), contra Aegyptum (Cap. 19), contra Tyrum (Cap. 23) et contra gentes (Cap. 24—27), nec non contra Edom (34. 35), et quidem ex iisdem fere argumentis, quibus Cap. 40—66 infirmare conabantur, qua in re causae jam allatae sunt repetendae. Aliaeque difficultates evanuerunt detectis monumentis assyriacis et aegyptiis; confer Schrader, Keilinsch. 168 seq., 213 seq., 254. — Lauth, Aus Ägyptens Vorzeit, 1881, 437. — De Is. 17, 12—14; 18, 20 vide Stade, de Is. vaticiniis Aethiopicis diatribe 1873. De corruptione praesumta Is. 19, 18—25 confer Tüb. Quartlsch. 1870. 1. 3. Reinke, Beit. VIII, 87. — Inprimis Vigouroux, Les Livres, h. V. 107.

4) Isaias respectu ambitus, argumenti et formae vaticiniorum inter prophetas A. T. locum occupat primum, et plus ceteris cunctis messiana tempora[1]), praedixit, non tantum in parte secunda, sed et in prima, uti: 2, 2—4; 4, 2—6; 8, 14, 15; 12, 3; 16, 1, 5; 22, 22; 28, 16; 29, 18, 19. Vaticinatus est de persona, fatis et factis Christi, de munere ejus regio, prophetico et sacerdotali, de nativitate e Virgine[2]), de divina ejus natura[3]), de operatione Messiae et de redemptione ejus[4]), de servo Jahve[5]) (42—53), et ante omnia de passione[6]) ejus vicaria (52, 13—53, 12 carnificina Rabbinorum); de felicitate, propagatione et gloria[7]) regni messiani (54; 55, 1—5; 59, 19, 20; 60, 1—22; 62, 1—12; 63, 1—6; 65; 66). Hinc vaticinia ejus prae ceteris in N. T. et a ss. Patribus citantur et allegantur, quibus perpensis non improbabile videtur, Isaiae nomen non absque divinae providentiae cura ipsi fuisse impositum[8]).

1) Vaticinia messiana illustrarunt, Reinke l. c. Bade, Christ. III., Mayer, Mess. Prophet. 1860. — Hengstenberg.

2) *Ecce Virgo (haalma) concipiet, et pariet filium (col. Mich. 5, 3), et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Is. 7, 14). Confer. Reinke, Weiss. v. d. Jungfr. 1848. — Kistemaker, Weiss. v. Immanuel, 1824. — Döller, Wessen Sohn ist Christus? Korresbl. f. k. Kler. 1908, 216 seq.

3) *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis* (9, 6) et: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortidudinis, spiritus scientiae et pietatis* etc. (11, 1—5).

4) *Ecce Deus Salvator meus* (12, 2), *urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator* (26, 1), *Deus ipse veniet et salvabit vos* (35, 4) et praeprimis 42, 1—7; 62, 11.

5) Sub servo Jahve nec universus populus judaicus (Rabbini, Hitzig, Hendewerk, Giesebrecht), nec melior populi pars (Gesenius, Seinecke) nec ordo prophetarum (Winer, Schenkel), nec aliquis specialis vir, propheta v. g. Isaias (Voltaire, Stäudlin), Jeremias (Bunsen) vel rex v. g. Ozias, Ezechias (Bahrdt), Josias, Jojachin (Sellin), sed unice Messias intelligitur; nam sensu vero et proprio omnia in Christo impleta sunt, *qui semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus . . humiliavit semeiipsum, factus obediens usque ad mortem crucis* (Philip. 2, 7, 8, Matth. 20, 28), et eos, qui sub lege erant, redemit, ut spiritum adoptionis filiorum Dei reciperent (Rom. 8, 15—17). Adest dein inter servum Jahve (49—53) descriptum et inter servum (42, 1—12; cp. 11) delineatum talis verborum et rerum parallelismus, ut nonnisi de una eademque persona sermo esse possit. Similiter paraphrasta chaldaicus et omnes Patres hoc locos de Christo interpretati sunt. Confer Reinke Mess. Weiss. II. 7, — Oehler, Der Knecht Jehovas, 1865. — Knabenbauer l. c. II. 325 seq. — Giesebrecht, Knecht Jahves u. Deutjes. 1902. — Fr. Feldmann, Knecht Gottes in Is. 1907. — Sellin, Das Rätsel d. Deutjes. Buches, 1908. — Orelli, Knecht Jahves. Berl. 1908.

6) Clare Messias describitur qua servus despectu et doloribus oneratus, et mediator, qui vicariam praestat satisfactionem pro omnibus nobis: *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus (50, 6). Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit . . . Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus . . . posuit Dominus in eo inquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit et non aperuit os suum . . . Propter scelus populi mei percussi eum . . . Justificabit ipse justus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit . . Cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit* (Cap. 53). Confer Reinke, Exeg. crit in Is. 52, 13—53, 12 seu de Messia expiatore, 1836. — W. Schenz, Die priest, Thät. d. Messias (Is. 49 ad 57) 1892.

7) Confluent enim ad Jerusalem, quae per Messiam glorificabitur, omnes gentes (2, 2 seq.), ibi eum tanquam Deum et regem suum adorabunt, munera sua offerent; Dominus ipse erit in lucem sempiternam et in gloriam Israel (60); ipse devincet Edom omnesque inimicos populi sui (62 et 63). Praevidens incredulitatem plurimorum Israelitarum, vocationem gentium, victoriam Christi de inimicis suis vaticinatur creationem novi coeli et novae terrae, nec non gloriam novae Jerusalem (64—66).

8) Abarbanel (praef. in Ez.) observat, non arbitrio aut voluntate parentum, sed divina providentia ejusmodi nomina prophetis esse indita, quae cum ipsorum fatis et rebus gestis convenirent.

5) Textus masorethicus libri Isaiae[1]) majoribus mendis caret, differt tamen multis in locis a textu LXX.

1) Confer: Scholz, Die alex. Übersetz. d. Isaias. 1880. — Strack, Zur Textkrit. d. Is. Zeitsch. f. luth. Theol. 1877. 17. — Studer, Beiträge zur Textkrit. Jahrq. f. prot. Theol. 1877. 706. — Lagarde, Semitica, Gött. 1878. I. 1. — Kaulen, Einl. 305. — Wilke, Jesaja u. Assur, 1905. — Dietrich, Ein Apparatus criticus zur Peschitto z. Proph. Jesaja, 1905. — Ottley, The Book of Isaiah according to the Septuag. Cambg. 1906. — De forma poëtica cap. 12 scripsit Seydl Tüb. Quartalschrift 1900.

Commentarii: Schegg 1850. — Rohling 1872. — Neteler 1876. — Le Hir 1877. — Knabenbauer 1887. — Condamin 1905. — Acath.: Drechsler 1865. — Andreä 1892. — Marti 1900. — Duhm-Nowack 1902. — Orelli (Strack) 1904.

§. 66. 6) Michaeas (anno circiter 730).

1) Michaeas (מִיכָה, מִיכָיְהוּ Μιχαίας), natus Morasthi[1]) (Moreschet Gad), in vico tribus Juda, vaticinabatur (1. 1) regibus Joatham, Achaz et Ezechia (740—698) adversus utrumque regnum, praeprimis autem adversus regnum Juda. Isaiae coaevus, etiam dictionis ejusdem propheticae virtutem imitatus, imo ex eodem mutuatus esse[2]) videtur, quare excellit inter minores[3]).

1) Hieronymus (Praef. in Mich.): *De Morasthi, qui usque hodie juxta Eleutheropolin, urbem Palaestinae, haud grandis est viculus.* Memoratur Michaeas etiam apud Jerem. 26, 18, ubi patriâ apposita ipse distinguitur ab aliis viris ejusdem nominis uti 3 Reg. 22, 8; 2 Par. 18, 7. Colitur die 15. Januarii.

2) Confer Mich. 4, 1—4 c. Jes. 2, 1—4; 1, 3 c. Jes. 26, 21; 5, 1 c. Jes. 7, 14; 7, 12 c. Jes. 11, 11; 7, 17 c. Jes. 49, 23.

3) Hieronymus (Praef. Mich.): *Quasi in corde voluminis positus, debet profunda contineri mysteria.*

2) Invehitur Michaeas 7 captibus (quae in 3 pericopas Cap. 1—2; 3—5; 6—7 dividuntur) in scelera et flagitia utriusque regni, praeprimis in idololatriam, hypocrisin et pseudoprophetismum, atque annuntiat excidium primo Samariae, dein Judae[1]). His pro more prophetico in parte secunda jungit consolationem de Sionis instauratione, temporum messianorum[2]) felicitatem describit, ac speciatim conversionem gentium (4, 1—8) et locum[3]) nativitatis Christi (5, 2 col. Matth. 2, 6; Joh. 7, 42) praedicit; tandem in parte tertia[4]) cum confessione connectit adhortationes. Utitur dictione[5]) vivida, dramatica, praecipue in sermonibus ethicis, qui tum parallelismo, tum linguae puritate eminent.

1) De ejus operatione observat Carpzov (Int. III, 375): *Quo certior esset doctrinae fides, voluit Deus Jesajam et Micham loqui simul quasi uno ore, et talem consensum profiteri, quo possent convinci omnes rebelles.*

2) Confer Reinke, M. W. III. 234. — Hengstenberg, Christ. 474.

3) Michaeas, qui libenter significationem locorum terrae sanctae describit, geographus inter prophetas nominari solet. — *Et tu Bethlehem, Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis* (5, 2).

4) Hinc in parte prima minae judicii, in altera annuntiatio salutis, in tertia paraeneses praevalent. Concepit autem ipse Michaeas (*Et dixi* 3, 1) librum suum Ezechia rege et quidem pro variis idololatriae criminationibus (1, 5; 5, 11—13; 6, 16), ante exstirpationem idololatriae (2 Par. 31) et ante dirutionem Samariae (1, 6), circa 728—722 ante Ch. Confer Stade in Zeitschr. für alttest. Wissensch. 1881, 161.

5) Michaeae consuetus est saltus ab una persona ad alteram, a genere ad genus, ab uno numero ad alterum (6, 16; 7, 14, 15, 17, 18, 19), transitus rapidus a comminando ad promittendum (2, 1—11, 12, 13; 3, 9—12; 4, 1 seq.; 7, 1—6 etc. Reinke l. c. 238), copia imaginum, comparationum (1, 8; 2, 12; 4, 9 etc.) et paronomasiarum (1, 10—15).

3) Authentiam, a nonnullis impugnatam, confirmant verba seniorum (Jer. 26, 18, 19), qui in patrocinium Jeremiae prophetae, captivitatem prae-

nuntiantis, Michaeam 3, 12 allegant, et scribae Herodis regis. quaestionem de loco nativitatis Messiae ex hoc oraculo decidentes (Matth. 2, 5, 6).

Versio LXX in multis locis discrepat a textu masorethico, uti jam observat s. Hieronymus (Mich. 1, 10): *Multum Hebraicum a LXX interpretatione discordat, et tantis tam mea, quam illorum translatio difficultatibus involuta est, ut si quando indiguimus spiritu Dei . . . nunc vel maxime eum adesse cupiamus.* De emendatione textus confer Ryssel, Unters. über Textesgestalt, Mich. 1887.

Comment.: Reinke 1874. — Acathol.: Caspari 1852. — Roorda, Leyd. 1869.

B Ab excidio regni Israel usque ad exilium babylonicum.

§. 67. 7) Nahum (anno circiter 660).

1) Nahum (נַחוּם. Ναοὺμ i. e. *consolator*) cujus patrem Hebraei etiam prophetam fuisse tradunt[1]), probabiliter Manasse regnante vaticinatus est; una enim ex parte Ninive urbem diruendam praedicit, altera ex parte regnum Juda invasione Assyriorum humiliatum (1, 12; 2, 12; 3, 1, 2), nec non expugnationem[2]) No Amon (Thebarum, juxta Vulg.: Alexandriae), urbis in Aegypto (3, 8—11), tanquam facta modo praeterita, adducit.

1) De determinatione patriae Nahum interpretes in duas abeunt partes: nonnulli (Assemani, Bibl. or. I, I, 525; Ritter, Erdk. IX, 742; Kleinert, etc.) putant, Elcosch esse vicum in Assyria prope Mossul, in parte orientali Tigridis (Alkusch), ubi hodiedum sepulchrum ejus ostenditur, ita ut Nahum esset exul regni Israel (Knobel, Proph. II, 207; confer Strauß, Nahumi de Nino vatic. expl. 1853), alii, praeeunte s. Hieronymo (Praef in Nah.), eum in Palaestina, et speciatim Galilaea, ex Elcesi loco, ortum fuisse defendunt; alii Epiphanium sequentes patriam prophetae in Juda prope Eleutheropolim (Bet-Dschibrin) quaerunt. Sed cf. Happel, Der Psalm Nahum, Würzb. 1900. Memoria sacra ejus habetur Calendis Decembris.

2) Haec expugnatio facta est per Assurbanipal, regem assyrium, anno 662 (Oppert, Memoir. 640, Vigouroux, Bible IV. 38, Schrader, Keilinsch. l. c, 287), provocata p expeditionem, quae 2 Par. 33, 11 commemoratur; unde patet, Nahum hoc vaticinium sub Manasse rege edidisse. Congruit traditio judaica (Seder Olam rabba, confer Kleinert, Nahum 1868, 98). Facta, 1, 12; 2, 1, 14 relata, minime spectant expeditionem, duce Sennacherib susceptam, e quo Hieronymus (Praef. in Nah.) conclusit, prophetam Ezechia rege, vel juxta Josephum (Ant. IX. 11, 2), sub Joatham rege prophetasse. Ipse saepe Isaiam respicit, ut 1, 4 col. Is. 33, 9 — 1, 15 col. Is. 52, 7 — 3, 5 col. Is. 47, 3, 9 — 3, 10 col. Is. 13, 16 — 3, 13 col Is. 19, 16.

2) Nahum (in 3 Capp.) Ninivitis, in scelera relapsis, interitum denuntiat, et eversionem Ninive urbis ac monarchiae assyriae praedicit.[1]) Interitus hujus potentissimi, ast populo Dei infensi regni, per judicium Jahve effectus, regno divino simul salvando et magnificando, saltem negative, inserviit. Dicendi genus est magnificum et augustum, sermo vividus, per formam apostrophes (cp. 3), et paronomasiis excellens[2]); lingua ejus pura. Auctoritas canonica certa est[3])

1) Cf. Döller, Bibl. Z. 1918, 164 seq.

2) Lowth (de poes. s. 246): *Ex omnibus minoribus prophetis nemo videtur aequar sublimitatem, ardorem et audaces spiritus Nahumi. Adde, quod ejus vaticinium integrum ac justum est poëma. Exordium magnificum est et plane augustum; apparatus ad excidi*

Ninive ejusque excidii descriptio et amplificatio ardentissimis coloribus exprimitur, et admirabilem habet evidentiam et pondus.

3) Confirmatur per constantem traditionem et monumenta recenter reperta. Confer Strauß, Niniveh und das Wort Gottes. 1855. — Kleinert, Com. 100.

§. 68. 8) Habacuc (anno circiter 646).

1) Habacuc (חֲבַקּוּק, Ἀμβακούμ.)[1]), cujus vitae circumstantias ignoramus, vaticinatus est ante invasionem Chaldaeorum (1, 5) in regnum Juda, et quidem verisimiliter ultimis annis Manassis regis[2])

1) I. e. *Amplexator vel ex eo, quod amabilis Domini est, vel quod in certamen et luctam et (ut ita dicam) amplexum cum Deo progreditur . . . Nullus enim tam audaci voce ausus est, Deum ad disceptationem justitiae provocare et dicere ei: cur in rebus humanis et in mundi istius πολιτεία tanta rerum versatur iniquitas,* ait Hieronymus (Prol ad Hab.) Colitur die 15. Januarii. Ex subscriptione 3, 19 et inscriptione partis deuterocanonicae Danielis concludere licet, eum de tribu Levi fuisse. Reinke, Proph. Hab. 1870, 5).

2) Quo anno, non constat, ast certe ante Jeremiam (Hab. 1, 6, 7, 8; 2, 13 col. Jer. 4, 13; 5, 6; 6, 15, 23; 51, 37) et ante Sophoniam (Hab. 2, 20 cum Soph. 1, 7), confer Delitzsch, De Hab. proph. vita et aetate diss. 1842. VII. — Küper, Jerem. p. 75. — Keil, Kl. Proph. 403; Jahn et traditio judaica (Seder Olam rab. 20) conceptionem in tempus Manassis post reditum ejus e Babel 2 Par. 33, 15 seq. ponunt, et quidem merito, quia inter crimina Judaeorum non recensetur idololatria. Nihil impedit, quominus nostrum vatem cum Habacuc Danielis (14, 32) eundem habeamus; ita Haneberg 328; Schegg, Kl. Proph. II. 81; Reusch, Reinke 16 contra Ackermann, Welte, Huetium, Scholz et alios.

2) Vaticinatus est Habacuc contra Juda et Jerusalem, praedicit enim (Cap. 1. 2) Judaeorum sceleratorum exitium, per Chaldaeos inferendum, et horum ac Babylonis excidium; et tandem in cantico sublimi (Cap. 3) in memoriam revocat mirabilia, a Deo potente et misericorde patrata, omnemque spem suam in Deo Salvatore reponit[1]).

1) Querenti prophetae de Judaeorum pravitate, respondet Deus, se hanc per Chaldaeos puniturum et Judaeae excidio vindicaturum, quocirca Chaldaeorum potentiam, crudelitatem et ferociam exaggerat (1, 1—11). His minis perterritus, Habacuc Deum precatur, ut populum virgâ corripiat, non gladio interimat, eo quod minora sunt peccata Judaeorum sceleribus Chaldaeorum (1, 12—17). Querelis prophetae occurrit Deus, dans laetum oraculum de excidio Chaldaeorum eorumque idolorum, ita ut coram Deo tota terra sileat (Cap. 2). Ideo Habacuc Deum obsecrat, ut opus redemptionis Hebraeorum promissum reipsa perficiat, et rogat, ut similia magnalia, edita in eorum liberatione ex Aegypto, praestet in liberatione a Babylone, et mox exultat in Deo, qui Judaeos liberabit eosque alacres in patriam reducet.

3) Dictio prophetae (imprimis Cap. 3) lyrica est, elegans ac sublimis; eminet in propheta immutabilis in Deum fiducia, gratiae amor, vivida imaginandi vis, describendi varietas et venustas ad Isaiae exemplum composita (v. g. Hab. 2, 13 c. Is. 11, 9), vi cujus in angustis spatiis sublimia continentur. Hinc non mirandum, si canticum[1]) unanimi consensu inter partes literaturae propheticae A. T. refertur praestantissimas. Capita 1 et 2 in forma dialogi, Deum inter et prophetam habiti, sunt scripta. Auctoritas canonica dubio caret[2]).

1) Canticum hoc nonnulli (Cyprianus, Hieronymus, Cyrillus Alex., Augustinus [Civ. D. 18, 32], Eusebius) directe, alii (uti Paraphrasta, Theodoretus, Lyra-

nus, confer Reinke, M. W. III, 398) indirecte messianum defendunt; hinc et in officio divino (fer. VI. ad Laudes) adhibetur. Intuetur autem propheta in Chaldaeis simul omnes futuros adversarios regni divini, horum interitum et finalem victoriam regni divini. Canticum hoc (versibus heptasyllabis compositum) Psalmorum instar cultui A. T. jam inserviisse, patet e subscriptione et Sella, quae Psalmis communia sunt. Cf. Sommer, Bibl. Abhdl. p. 68.

2) Hab. 1, 5 a s. Paulo (Act. 13, 40, 41) et Hab. 2, 4 in Rom. 1, 17; Gal. 3, 11; Heb. 10, 38 tanquam Scriptura sacra adducuntur, quod et usus liturgicus Capitis tertii in Ecclesia testatur. — Comm.: Reinke 1870. — Acath.: Baumgartner 1885. — Sinker, Camb. 1890.

§. 69. 9) Sophonias (anno circiter 634).

1) Sophonias (צְפַנְיָה, Σοφονίας), filius Chusi et Hisciae nepos, Hierosolymis degens (1, 4), vaticinatus est sub Josia, rege Juda, et quidem, indole vaticiniorum innuente (1, 3—5, 9, 11; 3, 4), initio regiminis hujus regis, ante cultus reformationem[1]), munere prophetico fungi incepisse creditur.

1) Confer Reinke, Mess. Weiss. III. 405. — Cölln, Spic. observ. exeg. crit. ad Zep. vatic. Vrat. 1818. — Strauß, Vatic. Zeph. 1843, nam cultu Jahve quidem stante (3, 4, 5) reliquias cultus Baalis aliasque idololatrias carpit (1, 4, 5), praesertim domum regiam (1, 8), vituperat, destructionem Ninive adhuc expectat (2, 13), ergo non post annum 18. Confer Kleinert, Zeph. 1868. Ceterum propheta regem Josiam in removendo cultu idololatrico ac promovendo instaurandoque cultu divino adjuvisse et serius summarium sermonum suorum scripsisse creditur. Colitur in Ecclesia die 3. Decembris.

2) Vaticinia Sophoniae in duas partes dividi possunt, quarum prior (Cap. 1. 2), in qua promulgatio justitiae divinae praevalet, peccatoribus, maxime idololatris regni Juda, mala gravissima comminatur (Cap. 1) ac gentibus hostilibus[1]: Philistaeis, Ammonitis, Moabitis, Aethiopibus et Assyriis exitium denuntiat (Cap. 2); in altera (Cap. 3) parte, in qua annuntiatio gratiae eminet, rursus judicium divinum regno Juda minatur eique tandem salutem divinam promittit, ambitum, laetum statum gloriamque regni Christi describens[2]).

1) Vaticinia haec adimpleta sunt per Nabuchodonosorem, non autem per Scythas, qui (circa 634—617) Palaestinam invaserunt (Herodot. 1, 104) et Scythopolin condiderunt (2 Mach. 12, 30), uti putant Bertheau, Ewald, Hitzig.

2) Bucer (Com. Soph. 1528): *Si cuncta quis consideret, secreta vatum oraculo brevi dari compendio, brevem hunc Sophoniam perlegat.*

3) Quamvis dictio Sophoniae praestantiam Isaiae et Habacuc non exaequet, tamen elegantia et vigore non caret, quemadmodum testatur frequens paronomasiarum usus. Lingua adhuc pure hebraica est, a chaldaismis immunis. Retractat quidem prophetas priores[1]), nihilominus tamen sui juris est. Auctoritas canonica libri certa est.

1) Confer 1, 7 cum Is. 34, 16; 3, 3 c. Hab. 1, 8; 1, 14, 15 c. Joel 2, 1, 2; 1, 16 c. Am. 2, 2 etc.; praeprimis tamen Deuteronomium respiciebat (1, 13 col. Dt. 28, 38. — 2. 7 col. Dt. 30, 3. — 3, 17 col. Dt. 28, 63). Similiter inter librum nostrum et primas libri Jeremiae conciones magna est affinitas. Confer Reinke, Zeph. 1868. — Schulz 1892.

§. 70. Jeremias (626—585).

1) Jeremias (יִרְמְיָה, יִרְמְיָהוּ) Ἱερεμίας, Itala *Hieremias*), filius Helciae sacerdotis ex Anathot, in tribu Benjamin prope Hierosolyma, in utero materno jam sanctificatus atque aliquantulum reluctans ad munus propheticum contra gentes destinatus fuit. Vaticinari coepit, juvenis adhuc (1, 6, 7), anno 13. regis Josiae (1, 2; 25, 3), et munere prophetico suo functus est sub Josiae successoribus usque ad exilium babylonicum, imo etiam initio ejusdem. Vita ejus non erat nisi lucta perpetua contra pseudoprophetas, reges et sacerdotes impios ac populum corruptum et promissionibus justo plus inhaerentem[2]). Cum inde a morte Josiae, quem lessu (2 Par. 35, 25) celebrarat, non desisteret, reges et populum increpare, atque instantem captivitatem 70 annorum (25, 11) ruinamque civitatis praedicere, subsannatur, pluries Joakim et Sedecia regibus verberatur, incarceratur ac in cisternam lutosam demittitur (26—29; 36—38). Nabuchodonosor, Hiersolymis captis, Jeremiam e vinculis liberavit (39), potestate ei, quo vellet, se recipiendi facta: qua licentia usus remansit in Judaea (39, 11, 12; 40. 1) et collegit ruricolas dispersos, quibuscum urbis excidium lugebat. Occiso Gedalja (Godolia) praeside, a Babyloniis in Judaea constituto, ipse in Aegyptum contendere a reliquiis regni Juda coactus (41), ibi per aliquot annos prophetavit, crimina commissa arguendo et Aegyptiis mala ventura annuntiando (42—44). Tandem juxta traditionem[3]) christianam, postquam 40 circiter annos munere prophetico functus est, ibi (Taphnis prope Pelusium) lapidibus obrutus interiisse fertur, quia idololatriae crimen suis vehementer exprobraverat.

1) Juxta Hieronymum (Jer. 23, 10) Jeremias = *excelsus est Dominus*, melius = *projecit Dominus* populum suum.

2) Talmudistae, qui librum Isaiae consolationem appellant, tradunt integram Jeremiae prophetiam esse vastationem. Cum Isaia ergo „*div. miseriordiarum praecone*“ comparatus Jeremias propheta *divinae justitiae* appellari potest (col. 1, 10).

3) Tertullianus (adv. Gnost. scorp. 8), Hieronymus (adv. Jov. 2, 37), Ps. Epiphanius (de vit. proph. 8), Isidorus (de ob. et. v. pat. 38), Fabricius (Codex pseudep. I, 1110). Martyrologium romanum ad diem 1. Maji, quo memoria ejus colitur, scribit: *In Aegypto S. Jeremiae prophetae, qui a populo lapidibus obrutus* (Heb. 11, 37), *apud Taphnas occubuit ibique sepultus est, ad cujus sepulchrum fideles, ut refert s. Epiphanius, supplicare consueverunt, indeque sumpto pulvere aspidum morsibus medentur.* Juxta traditionem judaicam (Sed. Ol. r. 26) una cum Baruch in Babyloniam abductus ibique mortuus est. Referente 2 Mach. 2, 4 seq. ipse tabernaculum, arcam et altare incensi, obsidione Hierosolymae durante, in spelunca montis Nebo abscondit. Patrem prophetae esse eundem cum Hilcia pontifice (4 Reg. 22, 4; 2 Par. 34, 9) nonnulli: Hieronymus (q. heb. in 1 Par. 9, 11), Clemens Alex. (Strom. 1, 21). Kimchi, assumunt, non obstante, quod Anathot inhabitata fuit a sacerdotibus e domo Ithamar, dum Helcias ortum duxit e domo Phinees (1 Par. 5, 38 seq.), ast immerito. De reliquis vitae circumstantiis incertis confer Neumann, Jeremias. 1856. I. 71.

Jeremias in suo charactere mitis naturâ, severus vi divina magnam prae se fert similitudinem cum Elia, aut Joanne Baptista, imo a ventre matris consecratus propheta (Eccli. 49, 8), segregatus a concilio ludentium (15, 17, 18), semper virgo (16, 1, 2), orationi intentus (7, 16; 11, 14; 14, 11), ruinae urbis sacrae praedicator, uti Christus alterius excidii (Matth. 23, 29—39), a suis hostiliter et dure tractatus, vexatus (11, 18, 19; 18, 18), verbe-

ratus, carceri inclusus, semper tamen populi amans, et tandem a suis occisus, typum Christi gessit Origenes (hom. 1. in Jer.), Augustinus (in Ps. 147), Hieronymus (23, 9): *Certe nullum puto sanctiorem esse Jeremia, qui virgo, propheta sanctificatusque in utero, ipso nomine praefigurat Dominum Salvatorem.* Athanasius (contr. Ar.) Jeremiam omnis criminis i. e. lethalis culpae expertem per totam vitam permansisse ait. Confer s. Ignatium (ep. ad. Philad.), Reusch (in Katholik 1860, 1, 394, Prophet Jerem., ein bibl. Charakterbild), Ghislerium (Jerem. 1623. I. Cap. 1). Honorem, quem vivus erat meritus, tandem mortuus accepit; vaticinia ejus in exilio, quod optime prophetam justificavit, sedulo legebantur (2 Par. 36, 20, 21; Dan. 9, 2; Esd. 1, 1); Judaei eum maximis elogiis celebrant (col. Eccli. 49, 8, 9), 2 Mach. 2, 1; 15, 14, 15: *Hic est fratrum amator et populi Israel . . . qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias, propheta Dei,* eumque prophetam suum (ὁ προφήτης) habent, ad quod alludunt Matth. 16, 14; Joh. 1, 21. Cf. Erbt, Jeremia u. s. Zeit. 1902. — Köberle, D. Prophet Jeremia. Sein Leben u. Wirken. 1908.

2) Vaticinia Jeremiae in duas partes dividi possunt: pars prior (Cap. 1—45) complectitur increpationes, adhortationes, narrationes historicas, vatem ipsum vel tempus ejus concernentes (20, 21; 26, 36), et vaticinia theocratica de excidio urbis et regni per Chaldaeos, de exilio 70 annorum (25, 11), de reditu populi (29, 10), quibus tamen nonnulla oracula miscet de Messia venturo[1]), et quidem de felicitate hujus temporis (3, 14—18; 23, 1—8; 30, 8), de novo foedere Dei cum populo feriendo (31, 31—40), de persona Messiae (23, 5; 30, 9), quo adveniente sacerdotium A. T. cessabit (33, 14—26), de incarnatione e muliere (31, 22), de infanticidio Bethlehemitico (31, 15 col. Matth. 2, 17, 18). — Pars altera (Cap. 46—51) continet vaticinia contra gentes exteras: Aegyptios, Philistaeos, Moabitas, Ammonitas, Edomitas, Damascum, Arabes, Aelam et Babelem, quarum ruinam non tantum praedicit, sed et exacte describit. Huic parti, epilogi instar, descriptio ruinae urbis et combustionis templi (Cap. 52) adnectitur, in qua via quasi sternitur ad sequentem librum Lamentationum[2]).

1) Confer Reinke, M. W. III. 414; Mayer, M. Prop. d. Jerem., Wien 1863; Hengstenberg, Christ. II, 399.

2) Alias dividendi rationes vide apud Neumann l. c. I. 81 et Neteler, Glied. d. B. J. 1870. Cornely Int. 377 seq.

3) Dicendi genus[1]) Jeremiae simplex et minus vivum est, ornamento caret, nec varietate delectat[1]), quod facile e temporis circumstantiis et tristi argumento sermonum ejus explicatur. Saepe ad easdem sententias eademque verba redit[2]). Ad praedicandam poenitentiam et observationem legis inculcandam vocatus, frequentissime legem, ac cum praedilectione retractat Deuteronomii ac prophetarum praecedentium argumentum, ostendendo, minas ibi indigitatas mox executioni mandatum iri, quarum eventu simul divina ipsius missio patefiat[3]). Praetereae lingua ad aramaicum (10, 11) inclinat[4]); vaticinia (contra gentes) non carent visionibus, actionibus symbolicis[5]) et rhythmo.

1) Hieronymus (Prol. in Jer.): *Jeremias propheta . . . sermone quidem apud Hebraeos Isaia, Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est* (Prooem. in Jer.): *qui quantum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in majestate sensuum profundissimus est.* Hinc bene observat Cunaeus (Resp. Heb. I. 3 Cap. 7): *Jeremiae omnis majestas posita in verborum neglectu est; adeo illum decet rustica dictio.* E contra poëticam

vaticiniorum indolem celebrant Ghislerius (com. prol. c. 3), Nägelsbach l. c. pg. XIV., Cornely l. c. 393.

2) Repetitiones sunt: 2, 28 et 11, 13; 5, 9, 29 et 9, 9; 6, 13—15 et 8, 10—12; 7, 1 et 26, 6 etc. Eadem verba occurrunt; 3, 17; 7, 24; 9, 14; 11, 8; 13, 10; 16, 12; 23, 17—4, 4; 21, 12; 23, 2, 22; 25, 5; 26, 3; 44, 22—14, 13; 15, 2; 18, 21 etc. Confer A. Küper, Jeremias libror. ss. interp. atque vindex. Ber. 1837, 115.

3) Reminiscentiae sunt: 10, 25 col. Ps. 78, 6; 20, 24—18 col. Job. 3, 3—12; 48, 5, 32—36 col. Is. 14, 5 etc. Confer Küper l. c. et König, Alttest. Studien, 2. Theil, Das Deuteron. u. d. Proph. Jerem.

4) Confer Knobel, Jerem. chaldaizans dis. Vrat. 1831.

5) Visiones: de virga vigilanti et olla succensa (1, 11, seq.), quibus indoles muneris ejus indicatur, de ficis pessimis (24, 1—10), quibus principes et populus exhibentur. — Actiones symbolycae: lumbare putridum (13, 1) symbolum est populi, lagunculâ figuli testea (19, 1) poena exhibetur, vincula et catenae in suo collo ponendae (27, 1—11) jugum babyl. repraesentat et emtio agri (32) reditum e captivitate indigitat.

4) Pericopae partis prioris partim ordine chronologico, partim juxta materiarum affinitatem et nexum realem sunt dispositae, nam quaedam oracula absque adnotatione temporis, quo edita sunt, referuntur[1]) tali modo, ut justitiam judiciorum div. contra regnum foedifragum clare doceant. Magna vero est differentia inter textum hebraicum (et Vulgatam) atque versionem graecam (et Italam), et quidem tum in dispositione vaticiniorum, tum in omissionibus et additamentis; oracula enim Cap. 46—51 in versione graeca post 25, 13 ponuntur simulque alio in ordine, quam in textu hebraico[2]).

1) Teste inscriptione 3, 6—6, 30 e tempore Josaiae Cap. 26 et 27 ex initio, Cap. 25. 35. 36, 45 ex anno quarto Joakimi regis, Cap. 21. 24. 28. 29. 32—34. 37. 38. 39; 49, 34 seq. 50. 51 e tempore Sediciae regis. Quo tempore edita sint Capita 7—20, incertum est; Cap. 40—45 post urbem captam scripta sunt.

2) Has differentias inter utrumque textum jam observarunt Origenes (ep. ad Afr. 4) et s. Hieronymus (Prooem.): *Ordinem visionum, qui apud Graecos et Latinos (Itala) omnino confusus est, correximus.* Ad difficultates inde enatas solvendas nonnuli hypothesin finxerunt, exstitisse duplicem recensionem vaticiniorum Jeremiae: palaestinensem, quae subesset textui hebraico, et alexandrinam, qua niteretur versio LXX, quarum priorem Eichhorn, Schneedorfer, Kaulen, Strack, alteram Movers (de utriusque recensionis vatic. Jerem. indole et origine. Hamb. 1837), Scholz, Streane, Workmann antiquiorem ac puriorem habent, ita, ut nulla utriusque recensionis textum originalem libri adaequet. Utraque autem gaudet auctoritate Ecclesiae, nam utrâque usi sunt Apostoli (v. g. Matth. 2. 18 hebraicâ, Heb. 8, 9 alexandrinâ); speciatim alexandrinâ usi sunt Christiani sex primis seculis, masorethicam vero inde a seculo VI. adhibet Occidens, et recte quidem, quia utraque in substantia vaticiniorum consentit. Juxta sententiam fere communem: Küper (l. c 167); — F. Wichelhaus (de Jerem. versione Alexand. Hallae 1846, 50). — Nägelsbach (Jerem. u. Babyl. Erl. 1850, 86). — Reusch (Einl. 104). — Kaulen (Einl. 311). — Knabenbauer (10) differentiae hae festinationi vel consilio interpretum graecorum sunt tribuendae.

Desunt in LXX, quae in textu hebraico habentur: 33, 14—26; 39, 4—13, 3, 17; 7, 1; 17, 1, 2; 27, 15—17; 27, 19—22; 29, 13—20; 48, 45—47, vel loci (reduplicati): 8, 10—12; 17, 3, 4; 30, 10, 11; sic et phrasis נְאֻם יְהוָה 65ies omissa est. Addita sunt in LXX: 2, 28; 4, 1, 26, 29; 5, 1; 7, 4, 10; 26, 15 etc. Vaticinia contra gentes (46—51) posita sunt post 25, 13 propter ultima verba hujus versiculi, quae illa vaticinia quasi introducunt. Separatam horum collectionem testatur inscriptio 46, 1. Confer Scholz, Der masor. Text und die LXX d. B. Jeremias, 1875, et Com. Jerem. 1880.

Textus masorethicus plenior est; majores ejus pericopae, quibus versio LXX caret, decreto Tridentino pro sacris et canonicis sunt habendae; ordine tamen versio alexandrina praestat masorethico textui, nam in ea omnia vaticinia optime cohaerent. Similiter etiam Isaias vaticinia contra gentes (13—27) et Ezechiel (25—32) oraculis de Israel interposuerunt.

5) Jeremiam esse auctorem[1]) libri, certo constat. Non autem manu propria scripsit vaticinia sua, sed in eis scribendis usus est operâ Baruchi socii, probabiliter, ut expeditior esset lectio scripturae manu sua exaratae, qui quarto Joakimi anno vaticinia, hucusque (plus quam per 20 annos) a Jeremia prolata, in unum volumen collegit (36, 1—4; 45, 1). Cum Baruch, Jeremiae jussu, volumen in templo atque dein in senatu et coram rege legisset, istud jussu regio combustum est; post haec propheta eundem librum, novis comminationibus et praedictionibus auctum, rursus manu Baruchi exarari jussit (36, 27—32), quae editio tamen a libro praesenti diversa est; nam plura vaticinia, tempore Sedeciae prolata, serius in illam inserta sunt ab ipso Baruch, qui etiam Cap. 52. (ex 4 Reg. 24, 18; 25, 30) adjecit, ut e clade Hierosolymorum oracula historica Jeremiae confirmaret (col. 51, 64: *hucusque verba Jeremiae;* 45, 1)

1) Jeremiam esse auctorem libri sui, testantur: *a)* inscriptio (1, 1) et subscriptio (51, 64); *b)* diserte 2 Par. 36, 21; Dan. 9, 2; Esr. 1, 1 Jeremiae prophetia de captivitate 70 annorum tribuitur; *c)* auctor Ecclesiastici (49, 8) ita de Jeremia loquitur, ut appareat, ipsum prae oculis habuisse totum illud volumen, quod nunc possidemus; *d)* s. Matthaeus (2, 17) expresse citat Jer. 31, 15 et s. Paulus ad eum provocavit (Rom. 11, 27; Heb. 10, 16 col. Jer. 31, 33 seq.; Heb. 8, 8—12 col. Jer. 31, 31—34); *e)* constans traditio Judaeorum et Christianorum; *f)* indoles prophetiarum perfecte in Jeremiam quadrat, circumstantiae et res narratae vaticiniisque continuo immixtae optime personae et temporibus prophetae accommodantur. *g)* Lingua, etiam vocibus chaldaicis ditata (10, 11 chaldaice scriptus est, quia pro Chaldaeis destinatus), aetati captivitatis convenit.

Praeeunte Spinoza rationalistae authentiam libri Jeremiae impugnarunt, provocantes *a)* ad minus aptam connexionem vaticiniorum. — Resp. nexus chronologicus non ubique stricte observatus est, *non enim,* ait Hieronymus (Jer, 25, 1), *curae erat prophetis; tempora conservare, quae historiae leges desiderant; sed scribere, utcunque audientibus atque lecturis utile noverant. b)* Ad contradictiones, quae vero tales non sunt. Nonnulli etiam integritatem libri negant et quasdam partes ignoto auctori (Pseupo-Isaiae) tribuunt propter magnam similitudinem tum quoad argumentum, tum quoad linguam cum Is. 40—66, quae tamen inde facile explicatur, quia Jeremias saepe Isaiam retractavit. Confer Cornely 398 seq.

Comm.: K. Mayer, Mess. Weiss. Is. u. Jer. 1860. — A. Scholz, Jer. 1880. — Knabenbauer 1889. — Schneedorfer (Schäfer) 1903. — Acath.: Duhm (Marti 1901). — Cornill, Lp. 1905. — Orelli[3] 1905. — Giesebrecht (Nowack) 1907.

§. 71. Lamentationes.

1) Lamentationes (heb. a voce prima אֵיכָה, vel ab argumento קִינוֹת = θρῆνοι, Vulg. Threni vocatae), quasi appendix vaticiniorum Jeremiae, prosequuntur fletibus amaris eversionem urbis sacrae ac templi, captivitatem, miseriam omniaque mala in populum irruentia[1]). Plangit Jeremias (5 Cap.) tantorum malorum causas, pseudoprophetas ac peccata populi, implorat gratiam divinam et poenitentiam emendationemque vitae urget[2]).

1) Liber hic plangit devastationem urbis Jerusalem, factam per Nabuchodonosorem regem, non autem mortem Josiae regis (2 Par. 35, 25, qui lessus non amplius exstat), quam-

vis huic sententiae favere videantur Josephus (Ant. X. 5, 1) et Hieronymus (Zach. 12, 11): *Super quo (Josia) lamentationes scripsit Jeremias, quae leguntur in Ecclesia et scripsisse eum Paral. testatur liber;* nam idem s. Doctor aliis in locis (Is. 63, 3 et pr. in Jer.) correxit hanc opinionem, asserendo, Jeremiam in Lamentationibus plangere eversionem Jerusalem. Probabiliter antiquitus talia carmina elegica collecta erant in libro speciali (Sefer-Hakinot) Fürst, Kanon 88.

2) Continent (Cap. 1, 2) querelas de miseriis et terroribus dirutionis urbis (quae sub imagine mulieris introducitur) et templi ita tamen, ut auctor mox mala perpessa ante oculos ponat (1, 1—11; 2, 1—12), mox urbem infelicem alloquatur (2, 13—19), mox ex ore urbis dolentis loquatur (1, 11—22; 2; 20—22). In Cap. 3. luget calamitates et afflictiones suas et populi, spem in Deum erigit, ostendendo utilitatem tribulationis, et cives hortatur, ut ad Deum convertantur; Cap. 4 docet, omnes has calamitates immissas a justitia divina, quae tamen simul misericordiam divinam involvat; tandem Cap. 5 mala, populo ob peccata a Deo immissa, enumerat et orat pro misericordia, ut Deus populum in pristinum statum restituat. Cum gradatio quaedam in describenda conditione urbis infelicis praeluceat, Jeremias quatuor priora capita tempore, 4 Reg. 25, 4—8 indicato, et caput quintum post urbem captam exarasse videtur, nisi auctor carmina ita exarasse credatur, ut, licet post urbem incensam ea exaraverit, tamen ordinem chronologicum in fatis deplorandis servaverit. Secundum Nägelsbach (Jerem. 1868, pag. VII.) propheta in capite tertio culmen querelarum attingit. ad quod in Cap. 1 et 2 ascendit, et de quo Cap. 4 et 5 descendit, materia et forma consentientibus.

2) Auctor hujus libri est Jeremias[1]), cui argumentum, indoles, lingua, loquendi genus et similitudo locutionum horum carminum atque libri vaticiniorum ejus conspirant[2]). Auctoritas canonica certa est[3]).

1) LXX et Vulgata in fronte habent: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens et planxit lamentatione hac in Jerusalem, et (amaro animo suspirans et ejulans) dixit.* Haec inscriptio auctoritate (non quidem canonica, utique autem) testimonii antiquissimi pollet, unde et in Vulgata apposita est inscriptio; *Threni i. e. lamentationes Jeremiae prophetae,* et in Cap. 5: *Oratio Jeremiae.* Idem obtinet in Peschito et Targum. Congruit traditio judaica: Josephus, Ant. X. 5, 1, Talmud (Bab. bath. 14), et christiana: Origines (ap. Euseb., Hist. eccl. 6, 25).

2) Auctor clare demonstrat, se interfuisse cladi huic et mala ipsum esse perpessum (3, 1—5, 15—19, 52—57). Phrases vaticiniis et Threnis communes sunt: *Virgo filia* pro Jerusalem (1, 15; 2, 13 col. Jer. 14, 7), circumscriptio plorandi (1, 16; 2, 11; 3, 48, 59 col. Jer. 9, 1; 13, 17; 14, 17), *contritio* (2, 11, 13; 47, 48; 4, 10 col. Jer. 4, 6. 20; 6, 1, 14 etc.). Confer: Engelhardt, Klagel. 1867, 6. A recentioribus (v. g. Ed. König) Threni Jeremiae qua auctori abjudicantur. Cf. Zenner Beit. z. Erkl. d. Klagel. Frb. 1905.

3) Testibus Josepho (c. Ap. 1, 8), Origine (in Ps. 1), Epiphanio (haer. 8, 6), Hilario (pr. in. Ps. 1) et Hieronymo (Prol. gal.) liber Threnorum ab antiquissimis temporibus erat conjunctus cum libro vaticiniorum Jeremiae; nam in LXX versione et Peschito appendicis instar libri vaticiniorum Jeremiae apparent; unde factum est, ut liber Threnorum tum a multis ss. Patribus, tum a Patribus Tridentinis non sint nominati, quia Jeremiae nomine vaticinia ejus et Threnos complexi sunt. Talmudistae, rationibus liturgicis ducti, serius Threnos separarunt a libro vaticiniorum Jeremiae et inter Megilloth numerarunt, atque ideo inter Hagiographa recensuerunt. Secundum traditionem judaicam Jeremias Threnos Hierosolymis (in spelunca Jeremiae ad septentrionem urbis) conscripsit.

3) Quatuor priora capita ad ordinem alphabeticum sunt disposita, ita ut in cap. 1. 2. et 4. singuli versus cum literis alphabeti hebraici incipiant et caput tertium tripliciter alphabeticum sit; ultimum carmen (Cap. 5), licet ad alphabeti hebraici literas non sit compositum, numerum tamen (vers. 22

hexamet.) servat, ergo alphabetizans est. Stylus, sicut canticis lugubribus convenit, sublimior est, quam in vaticiniis; tropi respondent materiae tristi et lingua (chaldaismis mixta) aetati auctorique est congrua. Versus 4 priorum capitum pentametri sunt, capitis 5. autem hexametri.

Quod Jeremias in Capp. 2, 3, 4 ordinem alphabeti, in Cap. 1. servatum, turbaverit, ע post ר collocando, alii ex licentia poëtica, alii (Kalkar) ex palaeographia nobis ignota repetunt. Talmud (Fürst l. c. 89) ethice explicat. Juxta Talmud usus est Jeremias illa forma alphabetica, quia Israel ab Aleph usque Tav. i. e. totam legem transgressus fuerit; septem alphabeta respondere feruntur septem summis populi peccatis.

4) Generatim hic Jeremias, qui, patriae amans, urbis loco se ipsum memorat (3, 7), proponit schema luctus et poenitentiae sacrae. Quamvis enim sensu literali calamitates sui temporis prosequatur, tamen longius prospexit ad destructionem templi vivi, in quo plenitudo divinitatis corporaliter habitavit (Joh. 2, 19. Col. 2, 9) i. e. ad Christi passionem et mortem (2, 15; 4, 20), unde Ecclesia catholica has Lamentationes memoriae passionis dominicae sacravit; aptissime enim funduntur ex ore Salvatoris patientis, cujus typum Jeremias gessit. hae querelae de populi electi incredulitate et repetuntur ab Ecclesia, passiones sponsi deplorante ac peccata delictaque natorum suorum plangente, quae non tantum causae sunt mortis Christi, sed et animas, templa Dei (1 Cor. 3, 16; 6, 19), et Ecclesiam devastant[1]).

1) Gregorius Naz. (de pace): *Equidem, quoties hunc libellum in manus sumo threnosque lectito (id autem facio, quoties secundarum rerum insolentiam coërcere hujusmodi lectione soleo), vocem mihi intercludi sentio lacrymisque obruor.* — Hieronymus (Tract. in Lam.): *Sciendum, quia possunt haec lamenta historialiter refert ad plebem israel., spiritualiter vero, etiam ad literam ad s. Ecclesiam, quae est civitas et plebs Dei, et moraliter ad unamquamqe animam.*

Commentarii: Seisenberger 1872. — Schneedorfer (1876 u. 1903). — Minvechi Rom 1897. — Zenner 1905. — Acathol.: Löhr (Nowack) 1907.

§. 72. Libri Samuel.

1) Libri hi duo primitus[1]) unicum volumen constituebant nomine Samuel, quod Alexandrini et Vulgata in duos libros diviserunt ac cum altero volumine Regum (rursus in duos libros diviso) conjunxerunt, imposito nomine communi Βασιλειῶν (Itala: regnorum, Hieronymus Regum), quia scilicet conjuncta regum Juda et Israel facta continent ab introductione regni usque ad exilium babylonicum. Dicuntur autem duo priores libri Samuel ideo, quia ab hujus nativitate incipiunt, seu quia facta Saulis Davidisque ad Samuelem, qui eos unxerat et primas egerat partes, referunt (a potiori). Quos libros textus hebraicus nomine I. et II. Regum recenset, iidem libri in LXX et Vulgata III. et IV. libri Regum sunt.

1) Cyrillus Hier. (Cat. IV, 34): Πρῶτη καί δεύτερα τῶν βασιλειῶν μία παρ' Ἑβραίοις ἐστὶ βίβλος. — Origines (apud Euseb., Hist. ecc. 6, 25): Βασιλειῶν πρώτη, δευτέρα παρ' αὐτοῖς ἓν Σαμουήλ, ὁ θεόκλετος. — Hieronymus (Prol. gal.): *Tertius sequitur Samuel, quem nos Regnorum primum et secundum vocamus. Melius multo et Melachim i. e. Regum, quam*

Regnorum dicere; non enim multarum gentium describit regna, sed unius israelit. populi. In Bibliis hebraicis typis editis inde a Daniele Bombergio 1517 numerantur similiter I. et II. libri Samuel.

2) Liber primus enarrat (Cap. 1—8) historiam Heli et Samuelis, (Cap. 8—15) historiam Saulis regis, usque ad ipsius rejectionem, et (16—31) Saulis et Davidis exulis gesta, usque ad illius mortem. Liber II. exponit res a Davide gestas usque ad ultimos annos ejus (Cap. 1—24).

Cornely l. c. 243 opus in duas partes dividit, quarum prior (I. 8—31) praeparationem regni aeterni, altera (II. 1—20) ejus fundationem et confirmationem enarrat. Accedunt introductio (I. 1—7) et epilogus (II. 21—24). Mors Davidis 3 Reg. 2 narratur. Historiam Saulis et Davidis etiam tractat 1 Par. 10—29. Ad 1 Sam. 13, 1, 2 confer Reinke, Beit. III, 271. Krit. Würdig. d. versch. Erklärg.

3) Scopus horum librorum est, describere evolutionem theocratiae a fine periodi Judicum usque ad obitum Davidis, salvationem ejusdem e jugo hostium et exaltationem super hostes exteros per Samuelem et Davidem, vasa Dei electa et spiritu ejus repleta, quorum vivendi ac agendi ratio fidelibus omnium temporum instructioni ac exemplo inservit, inprimis autem fidelitatem Dei in throni aeterni tribui Juda promissi fundatione et confirmatione demonstrare[1]).

1) Secundum Cornely l. c. 252 David, primus rex e tribu Juda divinitus vocatus, praeparatus, in thronum elevatus et in eo confirmatus, est thema libri; de eo enim major prioris libri pars et integer secundus diserte agunt; ad eum pertinent, quae in principio operis de Samuele et Saule traduntur, et epilogus iterum versatur totus in throni aeterni fundatione.

4) Auctor horum librorum ignotus est, nec credendus Samuel, sed recentior[1]) quidam, probabiliter propheta post schisma (1 Sam. 27, 6: *propter quam causam facta est Siceleg regum Juda usque in diem hanc*), ast ante exilium[2]) vivens, qui coaevorum commentariis i. e. fastis regis Davidis (1 Par. 27, 24), scriptis Samuelis, Gad et Nathan prophetarum (1 Par. 29. 29) usus est[3]). Eundem esse utriusque libri Samuel auctorem[4]), e styli et linguae unitate, intimo rerum omnium nexu, artificiosa singularum pericoparum dispositione et eodem fine in narrationum delectu patet; discrepantia[5]), si qua observatur, fontibus[6]), unde hausit auctor, attribuenda est.

1) Nam. 2 Sam. 5, 5 summa annorum regiminis Davidis notatur. Diu post Samuelem vixisse auctorem, concludere licet ex 1 Sam. 9, 9 col, 1 Par. 9, 22, 26, 28; 29, 29, nam nomen Videntis, quod erat cognomen Samuelis, olim loco prophetae usurpabatur.

2) Nihil enim occurrit, quod exilium aut ruinam regnorum indicaret. Ceterum puritas linguae, utpote liberae a chaldaismis, antiquiorem exilio aetatem poscit.

3) His locis nixi Rabbini, Theodoretus et antiqui interpretes librum a Samuele, Gad et Nathan conscriptum censent. Hummelauer (com. Sam.) hos secutus, 1 Sam. 1—7 a Samuele, cp. 8—16 a Samuele aut Gad, c. 17—31 a Gad, 2 Sam. 1—20 a Nathan, qui excerpta e fastis Davidis selegerit et simul redactor totius operis fuerit, ut educationi Salomonis inserviret, et appendicem (21—24) a Nathan conscriptum fuisse probare studet. Vigouroux et Cornely opus alicui prophetae tempore Roboami attribuunt.

4) Repetitiones, quas nonnulli (Thenius) allegant, ad plures auctores constituendos, rite exposuerunt Welte (Einheitl. Charakt. d. BB. Sam. T. Q. 1846, 183 seq.), Keil (Einl. 172), Herbst (II. 158). Repugnantiae, a Wette et Thenio allatae, non sunt nisi

apparentes; sic depulsio Philistaeorum 1 Sam. 7, 13 non pugnat cum 9, 16; 10, 5; 13, 3; relatio 1 S. 16, 14—23 bene conciliari potest cum 17, 15, 28, 33, 55. — 2 S. 13, 14 repugnat quidem 1 S. 18, 27, congruit tamen cum 1 Sam. 18, 25 etc. Conf. Welte l. c. 185. — Erdmann, Büch. Sam. 1863. 8. — Himpel, Über Widersprüche und versch. Quellenschrift. d. B. Sam. Tüb. Quartl. 1874. 71. 237. Recentiores critici auctorem seu redactorem libri fuisse insinuant compilatorem imperitum, qui serviliter a fontibus suis dependeret, ita ut alia breviter, alia diffuse exposuerit, imo ipsas clausulas et inter se pugnantia exinde transsumserit; contra quos confer Cornely Int. 260.

5) Confer Welte l. c. 226.

6) De fontibus confer G. E. Karo, de fontibus lib. Sam. Ber. 1862. Ratio. cur auctor fontes, e quibus hausit, non citaverit, est, quia non diu post illa tempora vixit, ita ut memoria factorum adhuc esset viva.

5) Libri Samuel praeterea continent illustria de Christo vaticinia: verba Nathan prophetae (2 Sam. 7, 12—14, 16 col. Heb. 1, 5, 8), qui eum e domo David oriundum praedicit, canticum Annae[1]) (1 Sam. 2, 1—10) et ultima Davidis verba[2]) (2 Sam. 23, 1—7). Stylus et lingua pura, vere classica, non raro poëtica[3]), statui literaturae hebraicae florentissimo conveniunt.

1) Confer Mally, Ö. Vierteljahrsschr. 1871. Über das Gebet u. d. Gesang Annas. De Anna confer Zschokke, Bibl. Frauen, §. 21.

2) Confer Reinke, Beit. IV, 211. — Multi Psalmi obscuri e narratione horum librorum illustrantur; conf. Ps. 7 col. cum. 2 Sam. 16; Ps. 50 cum 2 Sam. 12; Ps. 17 cum 2 Sam. 22; Ps. 53, 58, 63 cum 1 Sam. 23, 19; 19; 21, 12; 22, 1.

3) Partes poëticae narrationi historicae intertextae sunt: 1 Sam. 2, 1—10; 18, 6 seq. 2 Sam. 1, 17—27; 3, 33, 34; 7, 18—29; 22; 23, 1—7.

6) Fides historica evincitur ex accurata et simplici narrandi ratione auctoris, qui sine partium studio et cum maximo animi candore omnia refert, quamvis in populi confusionem et opprobrium vergant[1]). Alii etiam libri sacri libros Samuel respiciunt[2]). Hinc Judaei et Christiani[3]) semper eos inter canonicos numerarunt.

1) Usus est auctor fontibus supra citatis, traditionibus oralibus, quibus conservandis inserviebant monumenta (I, 6, 18; 7, 12), proverbia (I. 10, 12; II. 5, 8), nomina (I. 1, 20; 4, 21; 23, 28; II. 2, 16; 5, 20), et quidem »perite et fideliter«.

2) Sic auctor librorum Paralip. ex eodem fonte hausit col. 2. S. 8, 24 cum 1 Par. 11—21. Compendium hujus historiae quoddam facit auctor Eccli. 46, 16—47; Huc pertinent inscriptiones multorum Psalmorum (3, 7, 17, 33, 51, 53, 56, 58, 62, 141) vel alii loci, uti Ps. 77, 70; 98, 6. Is. 29, 1; Jer. 2, 37; 15, 1; 23, 5; 1 Mach. 2, 57; 4, 30, et ex Novo Testamento; Matth. 12, 3. Marc. 2, 25. Luc. 6, 3. Act. 7, 46: 13, 22; Heb. 1, 5; 11, 32, e quibus patet, haec facta semper tanquam historice vera fuisse habita.

3) Desumtae sunt lectiones in Breviario romano pro feria II. post Dom. Trin. et deinceps usque ab Sabbatum p. Dom. VI. post Pent. incl.

7) Textus masorethicus multis mendis scatet, quae haud facile corrigi possunt[1]).

1) Causa, quare menda textus heb. non possint corrigi ex Segtuaginata vel Vulgata, est, quia versiones Septuaginta et Vulgata ad amussim non sunt factae; nam in utraque v. g. idem locus bis est translatus, uti in LXX: 1 Sam. 2, 24; 5, 4; 6, 8; 10, 1 etc. 2 Sam. 5, 14—16; 12, 3, 4; 15, 20; in Vulgata: 1 Sam, 9, 25; 20, 15; 23, 13, 14. 2 Sam. 1, 18; 4, 5; 6, 12; 15, 18, 20; praeterea ex Itala in Vulgatam nonnulla additamenta sunt translata: 1 Sam. 4, 1; 5, 6, 9; 8, 18; 10, 1; 11, 1 etc. Confer Vercellone, Variant. Lect. II. pag. IX. In textu hebraico multa menda observantur, praeprimis in numeris, quae oscitantiae

et negligentiae librariorum sunt adscribenda. Confer Wellhausen, Der Text d. B. Sam. untersucht, 1872. — Kaulen, Einl. 192. — N. Peters, Beitr. z. Text- und Liter. Kritik, sowie z. Erkl. d. BB. Samuel. Freib. 1899, qui textum LXX textui masorethico praeferre vult.

Comment.: Hummelauer 1886. — Neteler, B. Sam. 1903 — N. Schlögl, D. Bücher Samuels, Wien 1904. — Acath.: Klostermann (Strack) 1887. — Benzinger 1899. — Budde-Marti 1902. — Nowack 1902. — Kirpatrik, Camb. 1902. — H. Smith, Edinb. 1904.

Sectio tertia.

Ab exilio usque ad Christum Jesum (588—1).

Articulus primus.

Ab exilio babylonico usque ad reditum de exilio.

§ 73. Exilium babylonicum.

1) Postquam anno 598 cum Joakim 10.000 hominum (principum, militum et artificum 4 Reg. 24, 14—17; Jer. 52, 27), pauperibus relictis, et rursus, post 11 annos, 832 viri, optimatibus occisis et plurimis bello et fame confectis (Jer. 52, 10, 29), et tandem, quinquennio elapso, 745 Judaei (Jer. 52, 30), qui in urbe jam diruta rursus sedes fixerant, a Nabuchodonosore exules sunt abducti, pauci tantum de infima plebe relinquebantur, ut tanquam servi Chaldaeis subjecti agros colerent[1]) (4 Reg. 25, 11, 22), et terrae regendae Godolias (Gedalja), filius Ahicam, fuit praefectus. Quum autem Ismahel judaeus, regia ex stirpe oriundus, Jeremia dissuadente, qui populi sui relicti curam spiritualem gessit, Godoliam et qui cum eo erant, occidisset, Judaei, iram Chaldaeorum veriti, in Aegyptum fugerunt, Jeremiam ac Baruch secum ire coëgerunt, ibique omni impietati se dederunt; attamen quum (573—571 et 568) Aegyptus a Nabuchodonosore devicta esset, aerumnis oppressi, partim neci, partim servituti sunt traditi, ut Jeremias (44, 27) prophetaverat. Aegyptiorum cladem subsecuta est Philistaeorum, Idumaeorum, Moabitarum, Arabum et Insularum subjectio per eundem regem babylonium (Soph. 2, 4 seq.; Jer. 49; Ez. 21, 28).

1) Exinde, quod Nabuchodonosor nullos colonos in Judaeam miserat, spes Judaeis fulgere poterat, eam aliquando, si permissum fuerit, recuperandi, secus in regno Israel. Judaei multi expugnata urbe in regiones Moab, Ammon, Edom etc. fugerant (Jer. 40, 11). Juxta Dozy (Israeliten in Mekka. Lpz. 1864, 134) Judaei una cum captis Arabibus ex Cutha in Babylonia fugerant (Gorhum) et Meccae sedes occuparuut, anno 538 ante Ch. Observandum est pseudoprophetas illo tempore magno in numero inter Israelitis surrexisse (Ez. 13, 17 seq.) populum falsis vaticiniis in errorem induxisse et catastropham illam tristem accelerasse eodem modo, quo ante eversionem urbis per Romanos fiebat. — Exilio hoc et assyriaco minae divinae Lev. 26, 14—45. Dt. 28, 15—68 prolatae executioni sunt mandatae.

2) Judaei, in Babyloniam[1]) exules abducti, cum moerore cessationem sacrorum, imperium gentium ac irrisionem hostium ferebant (Ps. 122. 136.

Ez. 1, 1), sors tamen eorum misera (Thr. 4, 19; 5, 5, 8, 9. Ez. 33, 27) mox levata fuisse videtur, nam Joachim anno 37. deportationis suae ab Evilmerodach rege liberatus, ad honores civiles elatus[2]) (Reg. 25, 27 seq.), et Judaeis non tantum religionem suam profiteri, sed et suos judices habere, permissum est (Ez. 41, 1; 20, 1; confer historiam Susannae Dan. 13, 5, 41). Daniel praeterea ejusque amici summis dignitatibus sunt functi, e quibus in exules multa commoda redundabant. Non defuerunt tunc temporis prophetae magni, qui vaticiniis suis lugentes et desperantes concives erigebant spe futurae redemptionis (confer Ps. 104—6), et quorum verba erant eo majoris auctoritatis, quo certius prophetiae de exilio jam erant completae. Foedere theocratico et munere regio ac sacerdotali ex parte suspensis, nec non integritate populi (non omnes enim redierunt) formaque theocratiae externa (reversi erant servi, quibus praesentia Jahve in templo deerat) sublatis, tanto magis prophetae (praeprimis Ezechiel, qui munus Jeremiae continuavit) sacras institutiones (v. g. sanctificationem sabbati) urgebant et per praedicationes suas et consilia (Ez. 8, 1; 11, 25; 14, 1), fidem in unum Deum, unitatem religiosam et nationalem contra idololatriam, ubique grassantem, quodammodo conservabant (initia synagogarum; Bar. 1, 3, 4)

1) Colonia Judaeorum principalis in urbe capitali degebat, unde aliae coloniae sunt egressae. Assignantur praecipue mansiones in viciniis Euphratis (Ps. 136), Sodi (Bar. 1, 4) ac fluvii i. e. canalis Chobar (Kebar) prope Nippur (Ez. 1, 3); manserunt enim Judaei exules magis congregati, quam 10 tribus Israel, quae in Assyria et Media dispersae erant. Series pontificum etiam in exilio non interrumpebatur.

2) Sic dirigente Jahve, ne semen Davidis plane rejiceretur stante promisso (2 Sam. 7, 13) et in consolationem atque signum liberationis futurae exulum.

3) Exilium hoc in manu Dei non tantum medium erat, exorbitantes Judaeos castigandi, seu judicium, sed et remedium salutare, ipsos corrigendi et tali modo in correctis reliquiis populi fidem foederalem adimplendi, simulque, per dispersos, viam salutis etiam gentibus praeparandi (transitus e particularismo ad universalismum). In exilio et per exilium purgatio ac separatio Judaeorum vere theocraticorum ab idololatris est effecta; exilium erat caminus, in quo argentum excoqueretur et purgaretur (Is. 48, 10), cribrum, in quo concutitur triticum (Am. 9, 9). Multi utique Judaeorum his judiciis non sunt correcti, imo in pejus ruentes (Jer. 44; Ez. 14, 3 seq.; 33, 31), vel saltem de salute desperantes, vitiis se dederunt; alii vero, malis his perterriti ac vocibus prophetarum, qui ruinam Babyloniae (Jer. 50) praedixerant, obsequentes, idololatriam omnem abominando, per poenitentiam et orationem ad Deum, unicum suum solatium, redierunt et, obstinatis illis concivibus resistentes, religionem avitam totis viribus ac sincere amplexi sunt, eo magis, quum gentes jam Jahven, Deum Israelis, magni aestimarent. Si cultus recentior passim formis magis externis, quam spiritui interno adhaerere coepit, degeneratio haec non est tribuenda prophetis, qui cum externa legis observatione semper internam sanctificationem urgebant (Ez. 11, 19; 18, 30; 36, 36; Dan. 9, 4).

Prophetis exilicis (ante omnes Danieli) a Deo concredita fuit missio ad gentes. Revelatio divina, vaticinia ac verba prophetarum hic cum cultu gentili ac divinatione chaldaica pugnam similem[1]) inibant, ac Jahve (per Moysen et Aaronem) jam cum idolis Aegypti, et dein cum diis Chanaan certaverat; voluit enim Deus, ut verbum suum esset lumen in loco caliginoso[2]). Conditionem Judaeorum exulum illustrant Baruch, Ezechiel, Daniel (et liber Esther).

1) Deum Judaeos ex exilio tam mirabiliter, quam ex Aegypto esse ducturum, jam Michaeas (7, 15) annuntiavit. Utrumque exilium magnam prae se fert similitudinem; in utroque Israel liberatur e servitute monarchiae gentilis, redemptio utrimque simul praeparatio erat ad regem divinum fundandum, ibi A., hic N. T.; utrobique regibus gentilibus futura in somniis (Pharaoni Gen. 41, et Nebucadnezari Dan. 2) revelantur, quae nonnisi Jahvae servi (Joseph — Daniel) interpretari possunt; utrobique omnipotentia divina super idola gentium mire comprobatur, hoc tamen discrimine, ut in Aegypto miracula (omnipotentia), in Babylonia vaticinia (omniscientia divina), ad confundendos ibi magos, hic sapientes, praevaluerint. Haec signa extraordinaria eo magis erant necessaria illo tempore, quo religio mosaica omni externo splendore erat expta. Omnes imagines et symbola horum prophetarum characterem assyrio-chaldaicum referunt. — Daniel, tum portentis tum vaticiniis clarus, in medio gentium sub tribus dynastiis summo munere functus ac rerum peritus, lumine divino collustratus, fata futura regni theocratici non ex historia Israel (momentis particularibus), sed ex historia monarchiarum (momentis universalibus) illustrat, ac regnum Israel, collatum cum his, ultimum aeternumque depingit (2, 44; 7, 27). Ideo Daniel non tam populi sui, quam gentium propheta, exstitit, et vaticinia ejus magis adhuc, quam vaticinia Isaiae, tempora remotissima complectuntur (hinc character vaticiniorum apocalypticus) — quibus Daniel praecipue a reliquis prophetis differt.

2) Interitus singularum monarchiarum, quarum una alteram consumpsit, gentibus demonstravit vanitatem idolorum, inanitatem gloriae terrestris, et excellentiam Jahve, cujus propheta illam sortem praedixerat; altera ex parte per illas monarchias parvae civitates, linguâ et moribus separatae, coadunabantur, quo modo optimo via saluti praepararetur. Miraculis et vaticiniis convicti Nabuchodonosor (Dan. 3, 98; 4, 31 seq.) et Darius (6, 26) edictis publicis honorem Jahve, Deo Israelis, vindicarunt ac promoverunt.

Prophetae exilici.

§. 74. Baruch.

1) Baruch, filius Neriae, e tribu Juda, comes et amanuensis Jeremiae (32, 12; 36, 4, 17), ob miserias proprias et populi sui afflictus ab hocce erigitur (45). Anno quarto Sedeciae (595), occasione legationis regiae, una cum Saraia fratre (Jer. 51, 61) exules in Babylonia visitat et ab his epistolam, Judaeis in terra sancta destinatam, accipit. In occupatione Hierosolymorum cum magistro in carcere detentus et a victore inde liberatus[1]) Jeremiae adhaesit (43, 3) eumque in Aegyptum est comitatus (v. 6); post mortem Jeremiae ex Aegypto discessisse ac Babylonem perrexisse ibique obiisse creditur.

1) Josephus, Ant. X, 9, 1.

2) Baruch scriptum a se digestum captivis praelegit (1, 1—10). Hi ingemiscentes epistolam (1, 11—3, 7) mittunt ad Judaeos, Hierosolymis

relictos, petentes, ut sacrificia e pecuniis collectis offerant simul vero piam orationem eis tradunt, ad Deum placandum, peccatorum remissionem implorandam, et misericordiam divinam invocandam. Huic epistolae Baruch adnectit reflexiones suas, in quibus monentur captivi, ut ad Deum ejusque legem redeant, ac praedicit, fore ut Deus appareat[1]) in terra (3, 8—4, 8). Introducitur dein Jerusalem ut vidua loquens ac filios promissione libertatis mox futurae felicitatisque subsecuturae exhilarans (4, 9—5, 9). Capite ultimo (Vulg. 6) recitatur epistola[2]) Jeremiae, ad Judaeos in captivitatem abducendos missa, in qua suos ab idololatria dehortatur et vanitatem idolorum demonstrat.

1) Quamvis Baruch in canone nec inter majores nec minores prophetas recenseatur, tamen ob argumentum libri vere prophetici inter prophetas numerandus est. Confer vaticinia ejus messiana, praeprimis 3, 38: *In terris visus est* (Messias, tanquam sapientia divina incarnata) *et cum hominibus conversatus est.* 2, 34, 35; 4, 37; 5, 1—5. Confer Mayer (M. P. d. Jerem. Wien 1863. 100). Reinke (Beit. IV, 587), Reusch (Baruch 1853).

2) Epistola Jeremiae proprie non pertinet ad librum Baruch, hinc in versione graeca etiam separata ac ἐπιστολὴ Ἱερεμίου est inscripta. In antiquissimis manuscriptis graecis Lamentationes inter librum Baruch et epistolam Jeremiae sunt collocatae. Epistola haec a Jeremia ipso conscripta est, quod docent: *a)* inscriptio (6, 1); *b)* traditio; nam Jeremiae attribuitur (2 Mach. 2, 1, 2) et in Septuaginta aliisque versionibus; Tertullianus (Scorp. c. Gn. 8) et Cyprianus (de or. Dom. 5), 6, 5 tanquam verba Jeremiae prophetae citant. Athanasius (ep. fest. 39) et Cyrillus Hier. (cat. 4, 35) eam in canone enumerant. *c)* Argumenta interna; scripta est epistola (teste 6, 1) ante deportationem Judaeorum hosque praeservare studet, ne idolis chaldaicis se maculent, qua in re optime cum Jer. 10 et 29 congruit, Quae de idolis (6, 14, 15) et moribus chaldaicis (v. 3, 7—10, 12, 18, 20) refert, confirmant monumenta recenter detecta. Confer Ménant, Babylone et Chald. Paris 1875. 230. Tandem describit idololatriam Babyloniorum tanquam rem, quae non tantum sanae menti, sed et expressae legi (Lev. 10, 6; 12, 4; 15, 9; 21, 5. Dt. 14, 29, 29) adversatur.

3) Anno quinto urbis deletae (583) Baruch[1]) librum in praesentem formam redegit (1, 2), cui serius, ipso approbante, epistola Jeremiae fuit adjuncta. Sine justa causa authentia libri ab acatholicis impugnatur[2]). Liber primo scriptus est hebraice, sed archetypon intercidit; exstat autem versio immediata graeca, quae hebraismis scatens, fontem suum manifeste prodit[3]).

1) Baruch esse auctorem hujus libri, testantur: *a)* inscriptio (1, 1), *b)* traditio christiana continua, Hieronymus (Prol. in Jer.): *Librum autem Baruch, notarii ejus, qui apud Hebraeos nec habetur nec legitur, praetermisimus; c)* magna cognatio idearum, quae inter librum Baruch et libros magistri sui adest, et quidam 1, 12; 2, 21 col. Jer. 29, 7; 27, 12. — 2, 3 col. Thr. 4, 10; — 2, 9 col. Jer. 44, 27. — 3, 22, 33 col. Jer. 49, 7 — 4, 9 usque ad 5, 9 col. Thr. 1, 1 seq. Huc pertinent repetitiones (1, 15 et 2, 6; 1, 20 et 2, 7) et phrases, quas habet communes cum Jeremia (Bar. 2, 23 col. Jer. 7, 34; 25, 10, 11 — 2, 24 col. Jer. 8, 1). Auctor destructionem urbis et deportationem tanquam res praeteritas adducit (1, 15; 2, 2, 20, 34; 3, 10; 4, 10, 19, 31).

2) Adversarii de auctore et tempore conscriptionis libri Baruch valde dissentiunt. Alii libellum conscriptum putant in ultima regni persici periodo, alii Ptolomaeorum aetate, vel machabaeo tempore (Reuß), alii exeunte seculo primo post Chr. (Hitzig, Kneucker, Schürer). Petunt argumenta aut e lingua graeca, quam primigeniam defendunt, aut ex historicis argumentis, aut ex nonnullis textibus, desumtis ex Danielis et Nehemiae libris. Cornely 420.

3) Versionem graecam e textu hebraico esse adornatam, praeter hebraismos evincunt asterisci et obelisci, quibus Origenes textum hexaplarem notavit, et magna similitudo cum Psalmo 11 Psalterii Salomonici (hebraice scripti) et Bar. Cap. 4 et 5. E versione graeca fluxerunt; *a)* syro-hexaplaris versio, edita a Ceriani (Monumenta sacra. Mediol. 1874, 138), in qua ter positum est(*non est in hebraeo; b)* Latina versio Vulgata (ex Itala) ejusque recensio, edita a Sabatier; *c)* armeniaca; *d)* antiqua syriaca (Peschito) in Polyglottis Lond. et a Lagarde, Libri V. T. apoc. Syriace 1861, pg. 93 seq.; *e)* versiones aethiopica et coptica. Confer Kneucker, Gesch. u. krit. Übersetz. Bar. 1879. §. 18 seq. — Hoberg, D. älteste lat. Übersetzung d. B. Baruch. 2. ed. 1902.

Idem valet de epistola Jeremiae, quae, primitus hebraice scripta, in versione graeca conservata est.

4) Protestantes librum Baruch inter apocrypha recensent, sed injuste; nam auctoritas canonica, tum libri ipsius[1]) tum epistolae Jeremiae[2]), firmis nititur argumentis:

1) *a)* Judaei librum Baruch antiquitus in canone numerabant; una cum ceteris libris sacris adest in LXX versione, qua Judaei hellenistae utebantur. Baruch ipse cum fratre Saraja inter prophetas recensebatur (Talm. Megilla 15a), quare et Theodotion hunc librum in linguam graecam vertit. *b)* Omnes antiquissimae versiones, Itala, syriaca et coptica eum tanquam canonicum recensent. *c)* Saepissime liber Baruch citatur a Patribus, non semper quidem nomine Baruch, sed Jeremiae, quia libri utriusque, tanquam magistri et notarii ejus, in unum volumen conjungebantur, et quidem ab: Athenagora (Leg. 9), Irenaeo (c. haer. 5, 35), Clemente Alex. (Paed. 1, 10; 2, 2), Hippolyto (c. haer. Noet, 2, 5), Origene (Ex. hom. 3, 9), Cypriano (Test. 2, 6), Lactantio (Inst. 4, 13), Athanasio (de trin. dial. 3, 7), Cyrillo Hier. (Cat. 4, 35), Basilio (adv. Eun. 4), Epiphanio (haer. 57), Hilario (Ps. 68, 19), Ephraemo (Serm. adv. Jud.), Ambrosio (de voc. gent. 1, 9), Augustino (Ep. 147, 5, 6), Cyrillo Alex. (Is. 1, 4) etc. Confer Reusch, Baruch l. c. pg. 3. — *d)* Si in antiquis catalogis librorum canonicorum liber Baruch nomine desideretur, hoc inde explicatur, quia cum libro Jeremiae unum volumen constituebat, uti patet ex Augustino (Civ. D. 18, 33): *Prophetans ergo de Christo Jeremias (Bar. 3, 36—38). Hoc testimonium quidam non Jeremiae, sed scribae ejus attribuunt, qui vocabatur Barueh: sed Jeremiae celebratius habetur.* Recensetur primo in canone 60. synodi Laodicenae (anno 372). *e)* E libro Baruch in liturgiam, antiquissimo jam tempore, partes receptae sunt, quae tamen in antiquis Sacramentariis, uti hodiedum in Missali romano (Sabbato majori), Jeremiae nomine leguntur.

Objectiones, quas adversarii contra fidem canonicam opponunt, jam diluerunt Herbst (Einl. 140) et Reusch (l. c. 56). Urgent enim illi aliquas difficultates historicas, in singulis libri partibus obvias: *a)* supponit urbem incendio deletam (1, 2), et templum adhuc stans (1, 14). — Verum partes libri e diversis temporibus descenderunt, et anno urbis captae quinto in praesentem formam sunt redactae. Praeterea Jer. 41, 5 ruinae templi vocantur *domus Domini* ibique sacrificia offerebantur. *b)* Liber Baruch legitur coram Jechonia (1, 3), qui autem tunc in carcere erat (4 Reg. 25, 27). — Attamen Jechonias non ita detinebatur in vinculis, ut Judaei eum convenire non potuerint, potius sub Evîlmerodach summos honores adeptus est (Jer. 52, 31). *c)* In libro Baruch allegantur loci ex libris recentioribus, Daniele et Nehemia. — Sed objectio haec quoad Nehemiam aperte falsa est, Daniel autem locos facile e libro Baruch assumpsit.

2) Canonica auctoritas epistolae Jeremiae evincitur *a)* e LXX versione, *b)* ex 2 Mach. 2, 2, *c)* e ss. Patribus, qui epistolam Jeremiae citant, et quidem a Tertulliano (Scorp. adv. gnost. 8), Cypriano (de or. dom. 5), Prospero Aq. (de praed. et prom. 2, 9, 33), et ex Origene (Eus. hist. ecc. 6, 25), Cyrillo Hier. (Cat. 4, 35), Concilio Laodiceno (can. 60) et Hilario (Prol. in Ps. 15), qui in canone Judaeorum etiam hanc epistolam

legunt. Quodsi Hieronymus (Prol. in Jer.) epistolam ψευδεπίγραφον nominat, sic e sententia Judaeorum sui temporis loquitur.

Comment.: Reusch 1853. — Trochon, Par. 1883. — Knabenbauer 1891. — Schneedorfer 1903. — Acath.: Zöckler 1891. — Rothstein 1900.

§. 75. Ezechiel.

1) Ezechiel[1]) (יְחֶזְקֵאל, Ἰεζεκιήλ, Luth. *Hesekiel*), Jeremiae coaevus, sed paulo junior. Buzi sacerdotis filius, cum Jechonia rege anno 599 captivus in Babyloniam abductus est, ibique apud fluvium i. e. canalem Chobar, matrimonio junctus, degebat (1, 3; 3, 15; 8, 1). Anno captivitatis suae quinto (et 30. regni novi Babylonici) coelitus vocatus est ad munus propheticum, quo usque ad annum exilii sui 27. (seu 16. post ruinam urbis 29, 17) fungebatur, inter exules magna gaudens auctoritate (8, 1; 14, 1; 20, 1; 33, 20). De reliquis vitae ejus circumstantiis nihil certi habetur. Juxta traditionem judaicam[2]) a Judaeo quodam occisus est, cujus idololatriam reprehenderat.

1) I. e. Deus fortis seu confortat; hoc nomen Judaeis tessera erat melioris sortis futurae. Reinke, M. W. IV. 1.

2) Pseudo-Epiphanius (de vitis proph.), Isidorus Hisp. (de vita et ob. pat. 39). Ejus memoria in Martyrologio romano die 10. Aprilis colitur. Etiam huic prophetae contigit, ut vivens odio habitus, post mortem summa veneratione coleretur (Matth. 23, 29 seq.). Praeterea Ezechiel, passionum populi sui particeps et commiserator patheticus, typus exstitit Christi patientis. Celebratur a Siracide 49, 10, 11. Mausoleum ejus juxta Bagdad hodiedum valde honoratur. Confer Z. Ausland 1853, 957.

Uti Jeremias inter Judaeos in Palaestina relictos, ita Ezechiel inter captivos munere prophetico fungitur; quum enim exules, per pseudoprophetas seducti (13, 10, 16 seq.), mox instantem reditum sperarent, Ezechiel verbo, factis symbolicis et visionibus destructionem urbis et templi annuntiat (Cap. 4—6); quum autem urbs exusta jaceret et vaticinia prophetae coram populo starent adimpleta, is, tanquam Dei praeco et legis custos invictus, exules desperantes solatio venturae restitutionis atque salutis erigebat. Tali modo Ezechiel fidelitatis divinae propheta exstitit; hinc phrasis 70ies repetita: *scietis quia ego Jahve.*

2) Liber in duas partes dividitur, quarum prior (Cap. 1—32) continet vaticinia ante excidium urbis prolata, et quidem: *a)* Cap 1—24) vaticinia ad Judaeos: post descriptionem vocationis suae ad munus propheticum (1—2), Judaeis sat severe exprobrat scelera et idololatriam, in cujus poenam destructionem urbis et exilium, tum regis tum populi, praedicit, plerumque in visionibus altissimis; *b)* a Cap. 25—32 vaticinatur contra gentes theocratiae adversarias: Ammonitas, Moabitas, Edomitas, Philistaeos, Tyrios, Sidonios et Aegyptios[1]). Pars altera (Cap. 33—48) continet vaticinia ad Judaeos post ruinam urbis, quibus primo eos reprehendit, statim vero consolatur, finem exilii ac reditum populi in terram sanctam praedicendo; immiscet simul his vaticiniis varia de futuro Messiae regno[2]), et quidem de Christo pastore (34, 23—31; 36, 15; 37, 24), rege (21, 27) simulque pontifice (v. 26), de felicitate aevi messiani (11, 17; 16, 60; 17, 22 seq.; 34, 23; 36, 22; 37, 1—14. 22); de Christi assumta (a Verbo) humanitate, et sub magnifica urbis templique descriptione novam et spiritualem Jerusalem depingit i. e. Ecclesiam Christi, in quam etiam gentes recipientur (Cap. 40—48).

1) Vaticinia illa contra gentes media inter minas ante ruinam et vaticinia consolatoria post ruinam urbis, poscente nexu interno reali et causali, collocata sunt, hoc modo: ruina populi electi non tanquam victoria ethnicismi de theocratia est consideranda, imo ethnicismus delendus est, theocratia vero ad novam vitam gloriamque resuscitabitur.

2) Confer Reinke, M. W. IV, 1; Bade, Christ. III, 2, 43; Mayer, M. Proph. Ezech. Wien 1865; Knabenbauer, Ezech. 1890. — Schmalzl, Das Buch Ezechiel. Wien 1901. — J. Herrmann, Ezechielstudien Lpz. 1908.

3) Ezechielem libri auctorem esse, tota agnovit antiquitas[1]); ideo semper inter libros canonicos recensitus fuit[2]).

1) Universalis haec traditio in ipso libro firmum habet fundamentum; nam initio et saepius in decursu auctor se Ezechielem nominat, et continuo in prima persona loquitur, quod et confirmat Eccli. 49, 10, 11; tempore ergo Siracidae liber noster locum suum jam occupavit in canone. In N. T. quidem non allegatur, frequentes autem sunt allusiones ad ejus vaticinia et symbola (v. g. Joh. 10, 11 seq. col. Ez. 34, 11 seq. Matth. 13, 32 col. Ez. 17, 23), maxime in Apocalypsi (v. g. cp. 18—21 col. Ez. 27. 38. 39, 47. 48).

2) Judaei quidem tradunt, Synagogam, spiritu pharisaico plenam, circa tempus Christi de auctoritate canonica hujus libri dubitasse, quia leges leviticae ibi contentae legibus Pentateuchi non convenirent; ast his non obstantibus mos antiquus praevaluit. A Christianis liber omni tempore tanquam divinus receptus est.

4) Ezechiel (prae ceteris prophetis) visionibus et actionibus symbolicis[1]) abundat, hinc obscurus et intellectu difficilis est; teste s. Hieronymo[2]) Hebraeis ante 30. aetatis annum lectio ejusdem non erat permissa. Vaticinia, paucis exceptis, in ordine chronologico sunt digesta et plerumque (12 orationes) annum inscriptum habent. Stylus ejus insignis est multis phrasibus et formulis propriis[3]). Sermo hebraicus mixtus est vocibus chaldaeis et formis singularibus[4]).

1) Jam in vocatione ejus apparet majestas divina super currum Cherubinorum (Cap. 1), quorum symbolica descriptio provocata est per tauros Chaldaeorum alatos. Vigouroux, Bible IV. p. 183 seq. — Jubetur (in visione) volumen comedere (cp. 3), obsidionem Jerosolymae in latere exhibere et brachio extento adversus istum laterem 390 (LXX : 19[0]) diebus in latus sinistrum et 40 diebus in dextrum cubare (cp. 4). cf. Schmalzl, p. 70 seq. Interitus urbis indicatur prunis igneis, super eandem sparsis, et fata populi adumbrantur capillis abscissis, quorum pars tertia comburitur, altera gladio conciditur et ultima in ventum dispergitur (Cap. 5); fuga regis incolarumque illustratur transmigratione prophetae, vasis suis instructi (Cap. 12). Eminent descriptiones infidelis sponsae Jerusalem (c. 16), duarum aquilarum ingentium (17), regis Tyri ut Cherub in monte sancto (18), Pharaonis, qui ut crocodilus capitur et in desertum pellitur (29). Israelitas dispersos et contemptos (36, 3) videt sub visione famosa *(omnium ecclesiarum lectione celebrata* Hieronymus) ossium siccorum, super campum dispersorum, et liberationem feliciaque (messiana) tempora indigitat spiritu, ossa vivificante (Cap. 37).

Tandem anno 25. deportationis suae restitutionem theocratiae, fundationem et gloriam Ecclesiae Christi sub novo templo ac nova terrae sanctae distributione exhibet (Cap. 40—48). Symbolica (typica) hujus pericopae significatio inde elucet, quia s. Joannes figuras Ezechielis saepe adhibuit (Apoc. 21, 10 col. Ez. 40, 2; Ap. 21, 12 c. Ez. 48, 31; Ap. 22, 1 seq. c. Ez. 47, 1 seq.). Alia de militante, alia de triumphante Ecclesia sunt intelligenda. Ideo interpretatio nec literalis, nec chiliastica admittenda est (Conf. Z. f. kath. Theol., Innsb. 1890, p. 331 seq.). — Valde ergo errant Rationalistae (vide p. 161 seq.), qui Ezechielem hac in parte cultum post exilium iterum exercendum praeformasse asserunt, praeceptis liturgicis collectis; venditant enim in Ezechielis Thora primum detexisse fundamentum codicis sacerdotalis i. e. illius legislationis leviticae, quae in Pentateucho quidem legitur, sed juxta eorum

opinionem post exilium orta et pia fraude Moysi auctori attributa est. — Attamen observandum est: *a)* in una e ademque visione (40—48) singulae partes (templum, urbs, praecepta ritualia) uno eodemque sensu (hic symbolico) sunt sumendae. *b)* Praecepta illa nunquam sunt observata et Thora Ezechielis ab illa Moysis in gravioribus discedit. *c)* Saepe vates indicat, quod verba sua non sensu proprio sint intelligenda. Confer Cornely, Int. l. c. 456 seq. Knabenbauer, Ez. p. 500. Hinc merito Crusius (Theol. proph. I, 133) observat: *Insignis est ipse visionum propheticarum apparatus et praedictionum amplitudo, quae ad fata orbis terrarum ad ultima usque tempora et magnam partem etiamnum futura extenditur.* Confer Reinke, l. c. 8. Ars symbolica Ezechielis partim est ex circumstantiis babylonicis repetenda, praeprimis autem fundata in ideis theocraticis, individuali vatis charactere et in circumstantiis temporis; nam pugnare debuit cum populo duro et pertinaci (3, 7—9, 26), hinc divinam urget originem suorum vaticiniorum et ortum suum sacerdotalem.

2) Hieronymus (Praef. in. Ez.) eum vocat *oceanum Scripturarum, ac mysteriorum Dei labyrinthum, qui principia voluminis ac finem magnis habet obscuritatibus involuta. Sermo ejus nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus* et ep. 53, 7 ad Paulin., prooem. in Ez. Ezechiel lectores quasi abripit, nam vi, impetu, pondere, granditate nemo scriptorum eum unquam aequavit. Confer Lowth, Poësis sac. 244. — Zunz, Gottesdienstl. Vortg. d. Jud. 163.

3) Huc spectant: allocutio ad prophetam constans: *fili hominis* 2, 1, 3, 6, 8; 3, 1, 3, 3 etc., formula: *scient, quia ego Dominus* 5, 13; 6, 10, 14, 8, 23; *facta est manus Domini super me* 1, 3; 3, 22; 37, 1; *domus exasperans* (Israel) 2, 5, 6, 8; 3, 9, 26, 27; 12, 2, 3, 9, 25; 17, 12; *obfirmabis faciem tuam* 4, 3, 7; 6, 2; 13, 17; 21, 2, 7; 25, 2; 28, 21; 29, 2; 35, 2; 38, 2; *vivo ego, dicit Dominus* 14, 16, 18; 16, 48; 17, 16; 18, 3; 20, 31, 33.

4) De singulis confer Keil, Einl. 268; Zunz l. c. 159; Knabenbauer, Ez. 10.

5) Hebraicus textus libri plurimis medis scatet, quae partim et in versione LXX inveniuntur.

Ista menda nec fraudi nec malitiae antiquae synagogae attribuenda sunt (Cornill B. Jerem. 1886), sed liberariis, temerariis emendatoribus et praesumtoribus imperitis, qui non semel glossas in textum libri obscuri recipiebant. De singulis locis confer Smend, Ezechiel, Leipzig. 1880.

Comment.: Knabenbauer 1890. — Schmalzl-Schäfer 1901. — Acath.: Keil 1882, — Orelli 1896. — Bertholet-Marti 1897. — Kraetschmar-Nowack 1900. — Jahn 1905.

§. 76. Daniel.

1) Daniel[1]) (דָּנִיֵּאל, Δανιήλ), de tribu Juda, e regia (Sedeciae, Jos. Ant. X. 10, 1), aut saltem nobili familia ortus, anno 605[2]) juvenis adhuc, cum Anania, Misael, Azaria aliisque nobilibus adolescentibus Babylonem deportatur, ac jussu Nabuchodonosoris sub nomine Baltassar scientias linguamque chaldaicas edoctus et ad officia regia (uti Joseph patriarcha in Aegypto) est evectus. Danielis tres socii propter constantem religionis suae confessionem in ardentem fornacem missi, sed inde divinitus incolumes servati sunt. Juvenis adhuc (παιδάριον νεώτερον) castam Susannam a duobus nefariis judicibus (probabiliter Achab et Sedecia, falsis prophetis, Jer. 29, 21) liberavit. Interpretatione visionum et somniorum celeber factus, sub variis regibus (Nabuchodonosore, Evilmerodacho, Neriglissere, Laborosoarchado, Nabonnedo, Dario Medo et Cyro) praecipua regni munera obtinuit. In leonum foveam (bis 6; 14) demissus et varie vexatus, semper autem divinitus (per fidem

Heb. 11, 33) ereptus et servatus, summam senectutem (ad minimum 90 annorum) est adeptus, quum anno post Babylonem a Cyro captam tertio visionem adhuc habuerit (Cap. 10).

1) Celebrat Ezechiel coaevus (14, 14, 20) Danielem (i. e. judex meus est Deus), eum justum cum Noe et Job comparat atque sapientem (28, 3) praedicat. Josephus (Ant. X. 11, 7): *Omnia ipsi, tanquam uni e vatum maximis, praeter opinionem prospere cesserunt, et dum viveret, honorem et gloriam apud reges populumque assecutus est atque mortuus memoria fruitur sempiterna . . . ex eventuum vero certitudine non solum in veridicis, sed et in divinis habitus a populo.* Colitur in Ecclesia 21. Julii; sepulcrum vero ejus prope Susas ab omnibus in summa veneratione habetur. Confer Z. Ausland 1853, 960. Passiones ejus, qui typum Messiae patientis gerit, Talmud describit (Jom. 69 b).

2) Annus primus regni Nabuchodonosoris incepit anno tertio Joakim regis, et finiebatur anno quarto ejusdem; sic Cornelius a. L., in Dan. 1, 1; Reinke, Beit. I. 256: vel expeditio incepta est anno tertio et finita anno quarto Joakim regis.

2) Liber plerumque in duas partes dividitur[1]): *a*) pars historica (Cap. 1—6) exhibet historiam Danielis sub Nabuchodonosore (Cap. 1—4), Baltassare (Cap. 5) et Dario Medo (6) — et Capita 13. et 14. deuterocanonica (Vulg.) historiam Susannae, Beli et draconis continent, quo occiso in lacum leonum projicitur, sed divinitus conservatur et ab Habacuc nutritur. In prioribus 6 capitibus nec continuam nec meram historiam descripsit, sed visiones[2]) Nebucadnezaris intermixtas refert. *b*) Pars altera prophetica (Cap. 7—12) exhibet celeberrimas visiones, quas ipse habuit de successione futura regnorum eorumque relatione ad populum Dei, de adventu Messiae post septuaginta (annuas) hebdomades[3]), de resurrectione judicioque extremo (12, 1—3), dignus utique, qui inter prophetas majores[4]) (Matth. 24, 15; Jos., Ant. X. 11, 7) recenseatur.

1) Secundum Keil, Auberlen (d. Proph. Daniel u. d. Off. Joh. Bas. 1874, 33), Kranichfeld (Daniel, 1868), Kliefoth (Daniel, 1868) liber dividitur in Cap. 1 (introductio), Cap. 2—7, Cap. 8—12, ita ut in parte prima (Cap. 2—7) tractet de monarchia mundi ejusque evolutione ac relatione ad regnum Dei ac finali illius interitu, et in altera (Cap. 8—12) de regno Dei ejusque evolutione ac relatione ad monarchiam mundi atque de illius victoria, superatis tribulationibus. Centrum utriusque partis sunt Cap. 2. et 9. — quacum divisione bene quidem cohaerent forma externa et lingua varians, non autem chronologia nec visionum dispositio.

2) Somnium Nebucadnezaris seu visionum statuae magnae Daniel ipse interpretatur (Cap. 2) de quatuor monarchiis sibi succedentibus (ita, ut juxta plurium explicationem caput aureum monarchiam babylonicam, pectus brachiaque argentea medo-persicam, venter et femora aenea macedonico-graecam, ac pedes partim ferrei et fictiles romanam, lapis vero nullius ope a monte avulsus, pedes statuae percutiens et mons maximus factus regnum messianum, devincens hostes, significet cf. Reinke, M. W. IV, I, 180). Huic visioni explicandae inserviunt duae alterae, quas ipse vidit, et quidem prior (anno primo Baltassaris Cap. 7) quatuor bestiarum, ex oceano (ethnicismo) commoto successive ascendentium: leonis alati (monarchiae assyrio-babylonicae col. Jer. 4, 7), ursi voracis (persicae), pardi (graecae) cum 4 alis et capitibus (col. 8. 5 seq.), ferae terribilis anonymae (romanae — utpote tunc nondum in relatione cum Israel — et antichristi col. Apoc. 13, 1—8; 17, 7—13), quae per judicium divinum delentur, et filii hominis in nubibus coeli venientis (regni divini aeterni, col. 2, 44; 3, 100; 4, 31), cui omnia in aeternum traduntur. Haec est sententia communis ss. Patrum et plurimorum Theologorum; cf. Düsterwald, Die Welt-

reiche u. d. Gottesreich nach Dan. 1890. p. 28 seq. — E Dan. 7, 13 phrasis N. T. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου (Matth. 20, 28: 26, 63; Luc. 24, 7; Joh. 1, 52; 12, 34 etc.) est desumta, qua ὁ λόγος (Christus) se Messiam, a Daniele praedictum (ergo filium Dei incarnatum), testatus est cf. Tillmann, D. Menschensohn. Bibl. Stud. 1907. Altera (anno tertio Baltassaris i. e. 538, Cap. 8) exhibet victoriam hirci (graeci) super arietem bicornem (medo-persicum regnum); insigne cornu (Alexander M.) hirci comminuitur et enata sunt 4 cornua (ejus duces vel diadochi, Seleucus, Ptolomaeus, Cassander et Lysimachus), et de uno eorum (Seleucidis) egressum est modicum (Antiochus Epiphanes typus antichristi); depingit ergo fata populi Dei sub secunda et tertia monarchia mundi (Mayer, M. Prop. Dan. 29; Hengstenberg, Christ. III, 1 seq., Auberlen 186). Per diversa illa metalla et bestias natura ac relatio harum monarchiarum ad regnum divinum diversa indicatur. Somnium Nabuchodonosoris *arborem celsissimam succisam* (Cap. 4) de hoc ipso e regno pulso, mente capto et cum bestiis victuro, et inscriptionem *Mane, Thekel, Phares* (T. H.: Mene, Mene, Thekel Upharsim) (Cap. 5) in pariete palatii Baltassaris de imminente ruina regis ac sortitione regni inter duos populos (Medos et Persas) est interpretatus. Recentissime istae voces, excepta prima Mene, non ut participia, sed ut substantiva explicantur, quae pondera: Mina, Schekel, Pharsin significant, ita ut transvertendum sit: Numerata est Mina, Schekel et Semiminae; Pharsin sunt enim duae Semiminae, ergo = 1 Mina; Schekel = 60. (50.) pars Minae. In Mina, maximo pondere babylonico, videmus allusionem ad magnum regem Nebucadnezar, dum Schekel parvum Baltassar reprachentat. In Pharsin insuper adest annominatio cum Persis. Pharsin i. e Semiminae repraesentant divisionem regni inter Medos et Persas. Confer Bezold, Z. f. Assyriolog. 1886. 4. H. — Delitzsch, Babel u. Bibel III. Stuttg. 1905, 10. Etiam in Talmude filius magni patris peras bemaneh = Semimina, filius Minae vocatur. Tandem in visione ultima (Cap. 10—12 ex anno tertio Cyri) comperit miserias et tribulationes, quas populus Dei a monarchiis mundi, praeprimis sub Antiocho Epiphane (persecutore synagogae), et Ecclesia ab antichristo tempore novissimo sit passura et quas secutura est salvatio.

3) In compensationem 70 annorum exilii Deus reipublicae hebraeae promittit durationem 70 hebdomadum annuarum i. e. septuplum durationis exilii (490 annorum, nam quivis annus sabbaticus erat hebdomas annua), et in fine hujus periodi integram ac perfectam theocratiae restaurationem, seu restitutionem spiritualem in integrum (9, 24—27): *Septuaginta* (7 + 62 + 1) *hebdomades abbreviatae (scissae — decretae) sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas* (pars negativa), *et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum* (pars positiva salutis). *Scito ergo, et animadverte; ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem* (terminus a quo i. e. decretum Artaxerxis Longimani, urbem reaedificandi anno 7. editum i. e. 457 a. Ch.) *usque ad Christum ducem hebdomades septem* (usque ad perfectam urbis restaurationem), *et hebdomades sexaginta duae* (exinde usque ad Christum publice prodeuntem) *erunt: et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades 62* (i. e. post 7 + 62 = 69 vel 483 annos, vel hebdomade 70. = terminus ad quem) *occidetur Christus . . . confirmabit autem pactum multis hebdomade una* (i. e. 70.) *et in dimidio hebdomadis* (mortuo Christo) *deficiet hostia et sacrificium* (abrogatio legitima sacrificiorum A. T. consummato sacrificio crucis Christi indicabatur scisso templi velo Matth. 27, 51), *et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* — Aera vulgaris incipit quadriennio p. Ch. n.; nam auctor illius Dionysius omissâ aerâ Martyrum coepit annos computare a nativitate Christi, quam per errorem posuit U. C. 754 (pro 749); Christus ergo natus desinente anno 5. ante aeram vulgarem, praedicare coepit anno 26. et passus anno 29., qui fuit annus I. Olympiadis 202.

De apparatione igitur Christi incarnati ejusque morte nec non de dirutione Hierosolymorum per Romanos, vaticinium hoc explicant plurimi ss. Patres, fere omnes catholici exegetae et plures etiam acatholici. Videsis Reinke (l. c. 206). — Bade (Christ. III, 396). — Reusch (Patrist. Berechnung der 70 Jahreswochen. T. Q. 1868, 536) etc. — Etiam Hengstenberg

(Christ. III. 1, 19). — Auberlen (l. c. 112). — Pusey anglus. Alteram sententiam, quae locum hunc ad Antiochum Epiphanem refert, amplectuntur rationalistae Eichorn, Lengerke, Mauer, Ewald, Hitzig, et modo variatam Hilgenfeld, Kranichfeld, Delitzsch, Zündel (Krit. Untersuchungen üb. d. Abfassgszeit d. B. Dan. Bas. 1861), Hofmann, Tandem eschatotogice hebdomades illas (incertae durationis periodos) de evolutione regni divini a fine exilii usque ad finem mundi, ita ut 7 hebdomades indicent tempus ab edicto Cyri usque ad Christum, et hebdomas 70. referatur ad victoriam antichristi et judicium novissimum de eo in fine mundi. interpretati sunt praeter nonnullos Patres (Hippolytum, Apollinarem Laod.) etiam Kliefoth, Leyrer (H. R. XVIII. 382), Keil (Com. 280—333) et R. Baxmann (St. u. Kr. 1863, 497). De diversis sententiis confer Ab. Calovii Ἐξήτασιν theol. de 70. septim. Dan. in Bibl. illust. ad Dan. IX. — Auberlen l. c. 144. — Neteler in Tüb. Quartl. 1875.

4) Hieronymus (Prol. Dan.); *Illud . . . commoneo, nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit, eum esse venturum, quod est commune cum ceteris: sed etiam, quo tempore venturus sit, docet.* Differunt autem vaticinia Danielis ab iis reliquorum prophetarum, quod futura clare et aperte praedixerit, et relationem imperiorum mundi non tam ad regnum judaicum, quam ad regnum messianum accurate definierit, et ita ampliorem de novissimis temporibus revelationem praeparaverit. Judaei librum Daniel non inter prophetas, sed inter hagiographa (respectu simul habito partis prioris historicae) posuerunt, quia propheta quidem, sed non ex officio erat, aut quia ad gentes potius missus videbatur. Positus autem est in Canone Judaeorum ante librum Esrae, quia cum hoc incepit adimpletio vaticinii 70 hebdomadum. Hugo a. S. Victore (de sacr. I, 1, 7) scribit: *Propheta tribus modis dicitur; officio, gratia, missione. Vulgo autem usitato vocabulo magis prophetae vocantur, qui vel officio vel aperta missione prophetae sunt . . . secundum quam acceptionem David et Daniel et ceteri complures prophetae non dicuntur, sed hagiographi.* Libro character vere apocalypticus inest. Confer Hengstenberg Beit. I, 23; Auberlen 30.

3) Liber Daniel partim hebraice, partim chaldaice[1]) est conscriptus. Lingua chaldaica sunt exarata Cap. 2, 4—7, 28, ubi fata et res, monarchiam chaldaicam concernentes, describuntur; lingua (sacra) hebraica 1, 1—2, 3 et Cap. 8—12, in quibus de evolutione regni divini est sermo. Fragmenta deuterocanonica 3, 24—90; Cap. 13 et 14 graece tantum ad nos pervenerunt.

1) Exstant duae antiquae libri Daniel versiones graecae: *a)* LXX interpretum (edita e codice Chisiano Romae 1722), qua usus est Justinus, et *b)* Theodotionis, qua inde a seculo III. utitur Ecclesia graeca — de quibus observat s. Hieronymus (Prol. Dan.; et Dan. 4, 6 c. Ruf. II. 33): *Danielem prophetam juxta LXX interpretes Domini Salvatoris Ecclesias non legere, utentes Theodotionis editione; et hoc, cur acciderit, nescio . . hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet, et recto judicio Ecclesiarum Christi repudiata sit.* Versio LXX saepius differt a textu primigenio partim, expressionibus mutatis 1, 3, 11, 16, 2, 8, 11, 28; 7, 6, 8; partim omissionibus 3, 31 seq.; 4, 3—6; 5, 17—25; partim additamentis 4, 34; 6, 20, 22—29. Versio Vulgatae per s. Hieronymum e textu originali modo liberiore et eleganti est elaborata, fragmenta autem deuterocanonica e versione Theodotionis retenta sunt. Confer Hieronymum, Adn. ante Cap. 13. Hoberg, De Hier. rat. int. p. 2. Versionem syriacam (617 p. Ch. Alexandriae confectam) Tetraplorum Origenis in librum Dan. edidit Bugati 1788. — Bludau, Die alex. Übersetzung des Buches Daniel und ihr Verhältniß zum mas. Text. Bibl. Stud. 2. Band. — Preiswerk, D. Sprachwechsel im B. Daniel, 1902. — Rießler, D. B. Daniel, Wien 1902. — Zumbiehl, D. Sprache d. B. Daniel Z. Kath. Th. 1905, 654 seq.

4) Liber Daniel (protocanonicus) ab ipso propheta conscriptus fuit, quod argumenta tum externa[1]), tum interna[2]) probant. Objectiones, ab adversariis factae, nullo solido nituntur fundamento[3]).

1) *a)* Traditio Judaeorum, qui librum Daniel semper Scripturis sacris annumerarunt: ponendo eum inter hagiographa auctoritatem canonicam ejusdem minime negant; nam librum spurium ne in canonem quidem recepissent. Traditionem hanc confirmant recepti libri in versionem LXX, in versio graeca Theodotionis et Symmachi. Praeterea Mathathias (1 Mach. 2, 59, 60) bene librum Daniel noverat. Insuper narrat Josephus (Ant, XI. 8, 5), Alexandro M., Hierosolyma ingresso, *ostensum fuisse librum Danielis, in quo fore significabat, ut Graecorum quidam Persarum imperium aboleret, ille se eum esse, qui significaretur, existimans, tunc quidem laetatus multitudinem dimisit;* confer X. 10, 4; XI. 7; XII. 7, 6. *b)* Christus ipse (Matth. 24, 15; Marc. 13, 14) praedictionem futurae templi vastationis Danieli prophetae (9, 27) tribuit. Libro Danielis velut prophetico usi sunt Apostoli, v. g. 1 Pet. 1, 10—12. c. Dan. 12, 6—12; Paulus in descriptione Antichristi (2 Thes. 2) Danielem (11, 26) ante oculos habuit, et Joannes adhibuit in Apocalypsi ejus vaticinia, v. g. 13, 1 (Dan. 7, 3). 11, 7 (7, 7), 20, 4, 11 (7, 9 seq.), 5, 11 (7, 10), 14, 4 (7, 13) etc. *c)* Traditio christiana, uti inferius patebit.

2) *a)* Daniel saepe loquitur in persona prima (7, 2; 8, 2, 15; 9, 2; 10, 2) et librum obsignare jubetur; non obstat usus personae tertiae in parte historica. *b)* Elocutio, partim hebraica partim chaldaica, auctorem utriusque linguae gnarum poscit, qualis erat Daniel, Hebraeus genere et in aula regia Babylone sermonem chaldaicum edoctus. Lingua hebraica Danielis tota convenit linguae hebraicae, qua usus est Ezechiel, chaldaica vero in suis formis antiquis majorem antiquitatem poscit, quam lingua chaldaica in libro Esrae obvia, unde concludimus, auctorem vixisse in Babylonia ante Esram, durante exilio. Hebraeum, non babylonicum auctorem postulant hebraismi, in sermone chaldaeo obvii. *c)* Liber Daniel in sua parte priori (protocanonica) tanquam opus unum, bene dispositum apparet; in toto enim recurrunt eaedem phrases (2, 28; 4, 2, 7, 10 col. 9, 23; 20, 11, 19), accuratae notae chronologicae (7, 25; 12, 7 — 8, 26; 10, 14 — 8, 19; 11, 27, 35), repetitiones (3, 7, 10, 15; 4, 22, 29), retractationes (3, 12 col. 2, 49; 5, 18 seq. col. 4, 22; 9, 21 col. 8, 16), atque iteratus usus linguae chaldaicae (2, 26 col. 10, 1; 4, 16; 5, 6, 9 col. 7, 28; 3, 4, 7, 31; 5, 19; 6, 26 col. 7, 14). *d)* Totum argumentum et forma vaticiniorum tempus exilicum produnt et muneri personaeque Danielis quam maxime conveniunt. Depingit enim liber pugnam monarchiarum contra theocratiam hujusque finalem victoriam de omnibus mundi potestatibus hostilibus. Ut autem sapientiam Chaldaeorum confunderet et praepotentem Jahvae sapientiam eos doceret, revelatio divina, a Daniele proposita, formam sapientiae, illis notae, induere debuit, puta symbolorum et locutionis figuratae Chaldaeorum. Quoniam autem revelatio finaliter destinata fuit populo electo, Daniel singulari industria ac claritate rationem nexus theocratiae cum mundi monarchiis proposuit. Inde facile explicabis ingentia miracula, quae Daniel, populi theocratici causam agens, Deo auspice, non tam in suam, quam in theocratiae gloriam patravit, idque effectu non minimo, uti patet ex edicto Cyri (Esr. 1, 1—4).

3) Quoniam liber Daniel tanti est momenti in commonstranda divinitate religionis christianae, authentia ejus saepe impugnabatur, conscriptione operis ad tempora Machabaeorum relegata: sic vero character propheticus vaticiniorum subvertitur. Jam seculo tertio neoplatonicus Porphyrius librum Daniel tempore Antiochi Epiphanis scriptum et ultra Antiochum praedicta mentitum esse contendit, verum ab Eusebio, Methodio ac praecipue Hieronymo refutatus est, qui (Prol. Dan.) scribit: *Contra prophetam Danielem scripsit Porphyrius nolens eum ab ipso, cujus inscriptus est nomine, esse compositum; sed a quodam, qui temporibus Antiochi Epiphanis fuerit in Judaea et non tam Danielem ventura dixisse, quam illum narasse praeterita,* et (Dan. 11, 4): *Et dicit eum, qui sub nomine Danielis scripsit librum, ad refocillandam spem suorum fuisse mentitum.* Assertum hoc Rationalistae recoxere, sequentibus ducti rationibus:

a) Obtendunt laudes, Danieli tributas (6, 3; 13, 64), et locutionem in tertia persona, nonnullis locis obviam. — Verum laudes hae eodem numero habendae sunt, quo elogia Moysis in Pentateucho, et s. Pauli in ipsius epistolis (1 Cor. 15, 10; 2 Cor. 11, 5; 12, 2 seq.); in persona tertia vero loquitur, quando quid prorsus objective narrat (1. 17; 5,

11; 6, 4 etc.). *b)* Auctor inserit scripto voces graecas instrumentorum קִיתָרוֹס κίθαρις, סוּמְפֹנְיָא συμφωνία פְּסַנְתֵּרִין ψαλτήριον, quae Hebraeis tempore Danielis ignotae fuerint. — Respondemus, quod haec instrumenta musicalia una cum nominibus facile jam illo aevo a Graecis asiaticis ad Chaldaeos delata, vel partim originis persicae aut babylonicae fuerint. — *c)* Judaei Danielem non recensent inter prophetas. — Verum quidem, idque e causis supra jam allatis fecerunt, sed nihilominus eum adnumerant hagiographis. *d)* Adpellant angelologiam (8, 16; 9, 21; 10, 13; 12, 1), quam Judaei a Persis demum susceperint. Sed doctrina de angelis, in libro Daniel proposita, apprime congruit fidei illius temporis traditae, jam in libris antiquioribus (v. g. Ez. 9 et 10, Tob., conf. Zach. 1—6). Similia objiciuntur quoad doctrinam de salute messiana (7, 13; 12, 1—3), de resurrectione mortuorum et judicio (12, 2), de variis ideis ethicis (4, 24; 1, 8—16; 6, 11), quae omnia cum aetate danielica consonant. *e)* Objiciunt, quod Siracides Cap. 49. inter viros (patres) illustres A. T. Danielem non adducat. — Ast e silentio Siracidae nullum argumentum contra librum Daniel deduci potest; quia et alios, eosque sat insignes viros, puta Jobum, Eliam, Esram etc. non nominat. Quodsi Ezechiel (14, 14) Danielem medium inter Noe et Job posuerit, non chronologice eos enumeravit, sed secundum virtutem intercessionis eorum, ut innuit Chrysostomus (in Gen. h. 43, 1). *f)* Oggerunt, quod libri recentiores non allegent librum Daniel. Gratis hoc; nam Zach. 1, 18—21; 2, 1—4; 6, 1; 11, 5 quoad monarchias mundi certissime respiciunt Dan. 7, 7, 8; 8, 3—9. Idem dicendum de Eccli. 10, 8 col. Dan. 4, 14; 17, 5 col. Dan. 10, 21; 17, 14 col. Dan. 10, 13; de Es. 9 et Neh. 9 col. Dan. 9, 3—19; de Sap. 3, 7 col. Dan. 12, 3; 1 Mach. 2, 59 col. Dan. 3, 50; 6, 22 et 1, 57 col. 9, 27. Confer Volck, Vindiciae Danielicae. Dorp. 1866. Düsterwald, Weltreiche l. c. p. 13.

5) Omnia, quae in libro Daniel protocanonico narrantur, etiam digna sunt fide, quae tum circumstantiis externis[1]), tum charactere libri interno[2]) commendatur.

1) Omnia, quae liber Daniel de statu interno regni babylonici refert, per inventas inscriptiones assyrio-cuneiformes confirmantur. Sic nomina Beltschazzar (Baltassar) et Abednego (servus Nego) in Dan. 1, 7 originis babylonicae sunt; item scientiae occultae, quibus magi Chaldaeorum eminebant (Lenormant, Les sciences occultes en Asie. Paris 1874); locutio: *Rex in sempiternum vive* (2, 4; 3, 9; 5, 10; 6, 6, 21), in eisdem inscriptionibus cuneiformibus redit (Smith, Assyr. Disc. 1875, 230, 309 etc.), item titulus *rex regnum* (Dan. 2, 37. — Kaulen, Assyr. u. Bab. 104). Campus Dura, ab Oppert detectus, est intra muros Babylonis cum substructione immensi cujusdam monumenti. Statuae immensae magnitudinis apud Babylonios frequentes erant. Vigouroux, Bible IV. c. 4. et 11. Comburi in fornace ardente, vel leonibus objici, in Assyria ac Babylonia consueta erat poena criminum politicorum (Ménant, Annal. des rois d'Ass. 263). Forma edictorum Nabuchodonosoris solemnis recurrit in omnibus publicis documentis (Esr. 4, 17; 7, 12). — Smith, Hist. of Assurb. 252). Si parietes coenaculi calce (5, 5) vestiti dicuntur, id erat e moribus babylonicis (Kaulen, Assyrien, 55). Etiam quae facta allegantur, historiae regni babylonici omnino congruunt, ac difficultates, de Baltassare (5, 30) et Dario Medo (6, 1) pro merito perpensae, evanescunt. Cf. Schöpfer p. 492 seq. Animantia in visionibus obvia etiam in monumentis inveniuntur et exinde lucem capiunt. Visionem de antiquo dierum ex picturis assyriacis illustrat praeter Lenormant Vigourouox, Bible et la crit. p. 42. Confer Kaulen, Einl. 235. — Floigl, Cyrus u. Herodot, 1881, 2 seq.

2) Offendunt rationalistas miracula et vaticinia, in libro Daniel relata, quae tamen, uti supra diximus, e circumstantiis temporis ac loci explicantur, semper ad Deum tanquam auctorem referuntur (1, 17; 2, 18, 19, 28; 5, 11) et mirabilibus consiliis divinae sapientiae et oeconomiae salutis inserviunt. Offendunt numeri tam definite praedicti (9, 24 seq. 12, 7, 12) et vaticinia, praeprimis in capite 11. contenta, quae tempora factaque Antiochi Epiphanis tam dilucide praesago calamo discribunt. — Ast etiam apud alios prophetas, licet rarius, accuratae notae chronologicae occurrunt, et definita adventus Messiae

determinatio necessaria erat, ut Judaei, de tempore ejusdem instructi, venientem fide amplecterentur. Quod attinet fata Antiochi Epiphanis, noster liber Judaeos ad extremas has calamitates voluit praeparare ac solatium praesturus necesse habuit, has plenius describere. De insania Nabuchodonosoris zoanthropia vel lycanthropia (4, 30, 33; 5, 20), cujus, indirecte saltem, mentionem fecerunt etiam Berosus (apud Josephum, c. Ap. 1, 20) et Abydenus (apud Eusebium, praep. ev. 9, 41), confer Calmetum, Diss. de metamorph. Nabuch., Hengstenberg, Beit. I. 101 et Vigouroux, Bible IV. l. 3. c. 7. Exempla hujusmodi morbi collegit C. Trusen, Sitten, Gebräuche und Krankheiten der alten Hebräer. 1853, 205. — Zöckler, Dan. 1870, 29.

6) Additamenta[1]) deuterocanonica (oratio Azariae et canticum trium puerorum in fornace 3, 24—90, historia Susannae Cap. 13 et narratio de Bel et dracone Cap. 14) exstant tantum in versionibus graecis, quae e textu originali hebraico aut chaldaico prodierunt[2]). Probabiliter etiam hae partes a Daniele conscriptae sunt[3]).

1) S. Hieronymus, qui (Dan. 3, 90) has partes e versione Theodotionis interpretabatur et eas, quia ad historiam Danielis pertinent, cum libro in opus continuum conjunxit. In versione Theodotionis historia Susannae ante caput primum est collocata, titulo: Σουσάννα vel διάκρισις τοῦ Δανιήλ; canticum: προσευχὴ Ἀζαρίου καὶ αἴνεσις τῶν τριῶν, in capite tertio insertum et Βήλ καὶ δράκων in calce adjectum est. In versione LXX canticum invenitur in capite tertio, et reliquae partes in fine libri, et quidem ultimum caput sub inscriptione: ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευί. C. Julius, gr. Danielzusätze B. St. VI.

2) Praeter plurimos hebraismos textum primigenium semiticum testatur etiam versio Theodotionis, quae a versione LXX adeo discedit, ut non potuerit ab hacce provenire; utramque versionem etiam syro-hexaplaris translatio respexit. Textus originalis adhuc primis aerae christianae seculis existebat. Non obstat lusus verborum σχῖνος σχίσει, πρῖνος πρίσει (13, 54, 55, 58, 59), quem jam textus originalis continuerat, et translator imitatus est. *Ejusmodi paronomasias in linguis semiticis facillimas esse, arabica quoque Susannae versio ostendit*, Delitzsch (de Hab. proph. vita 102). Confer Wiederholt in Tüb. Quartlsch. 1869, 296; 1871, 380; 1872, 559. Occurrunt etiam in Talmud et Midrasch, confer Fürst, Kanon 102 et C. Julius, Die griechischen Danielzusätze und ihre kanonische Geltung. Bibl. Studien. 6. Bd. 1901.

3) Additamenta haec, respectu tum argumenti tum styli, cum parte libri Daniel protocanonica ita concordant, ut nec graves difficultates priscam sententiam enervent, haec quoque Danielem conscripsisse. Adjecta autem sunt libro vaticiniorum eo modo, quo appendix libro Judicum. Alii vero (Cornelius a Lap., Reusch Wiederholt) putant, has partes a coaevo quopiam Danielis vel etiam recentiore viro, secundum servatam traditionem conscriptas et, quia a Daniele gesta et peracta sunt, ad calcem libri ejusdem quasi appendicem rejectas fuisse, uti ad librum Baruch epistola Jeremiae addita est.

7) Etiam hae partes deuterocanonicae recitant facta, quae omni ex parte fidem merentur.

A) Historiam Susannae primus rejecit Africanus, quem secuti sunt Porphyrius et acatholici. Difficultates contra veritatem historiae hujus jam diluit Origenes (ep. ad Afric. 7—9), qui asserit, sapientiores Judaeorum Palaestinensium historiam Susannae cognovisse, sed a cognitione populi surripuisse, ob vituperium, ex flagitio seniorum in primores populi redundans. Similiter Hieronymus, qui (Ruf. 2, 33) se ipsum de his partibus, quasi de fabulis loquentem, corrigit: *Non, quod ipse sentirem, sed quod illi contra nos dicere solebant, explicavi.* Confer Hippolytum, in Migne Patrol. gr. X. 691. Offendunt adversarios: *a)* Divitiae, aedes et spatiosi horti (13, 4) Judaeorum exulum. — Ast primores Judaeorum ante urbem destructam abducti erant tanquam obsides, unde etiam explicatur, quod Daniel exul summos honores (1, 4, 5 etc.) adipisci potuerit. *b)* Potestas Judaeorum, judicandi secundum

legem mosaicam et damnandi ad mortem. — Resp. Judaei magnam coloniam constituebant, cui Babylonii, uti postea Romani gentibus captivis, licet libertate minuta non adimebant omnem potestatem vivendi secundum leges et consuetudines patrias. *c)* Quod Daniel judicans παιδάριον νεώτερον (13, 45) vocatur. — Sed haec vox usurpata est respectu ad seniores; ceterum παιδάιον respondet hebraico נַעַר, quo (Gen. 43, 8) etiam viri, uti Absalom (2 Sam. 18, 5) et Salomon (3 Reg. 3, 7) appellantur. Confer Wiederholt, l. c. 1869, 383 seq. et Vigouroux, Mélang. bibl. 1882, p. 335 seq.

B) Azarias in sua oratione (3, 39) dicit: *Non est in tempore hoc princeps, et propheta, neque holocaustum etc.*, quod plane congruit Ps. 73, 9. Thr. 2, 9; si enim cum LXX et Theodotione hoc factum reponimus in tempus, quod destructionem urbis mox sequebatur (nempe annum 18. Nabuch.), talis querela verissima adparet. Si porro pueri in cantico (v. 84) etiam *sacerdotes* provocant ad laudandum Dominum, id non est mirum; sacerdotes etiam in exilio proprium statum constituebant. *Templum sanctum gloriae tuae* (v. 53) est coelum. Porro e versu (deuterocanonico): *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem*, explicatur v. 23. textus hebraei, quo dicuntur tres pueri missi in fornacem; nam Nabuchodonosor dein inducitur dicens; *Ecce video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis.* Secus intelligi nequit, cur Nabuchodonosor de quatuor, non de tribus loquatur. Confer Wiederholt l. c. 1871, 373.

C) In historia Bel 13, 65 pertinet ad Cap. 14, uti clare patet e 14, 1. Quod Cyrus deos babylonios coluisse refertur, dilucidatur ex Herodoto (1, 135), Strabone (11, 12, 9) et Xenophonte (Cyrop. 1, 6). Cultus serpentum (col. Bar. 6, 19) in Babylonia non erat ignotus: nam Arianus (7, 26) refert de templo serpentis, qui oracula dedit. Confer Lenormant la divin. p. 90. Quod de Habacuc narratur, qui Danieli prandium attulit (14, 33), contra fidem historicam non pugnat. Si eum cum propheta Habacuc eundem habeamus, ei anni 130—140 vitae assignandi essent, quod haud improbabile est, col. 2 Par. 24, 15. Ceterum juxta inscriptionem in LXX noster Ambacum erat filius Josue e tribu Levi. Confer Wiederholt l. c. 1872, 454, 555; A. Scholz (com. Esth. p. 13) has partes deuterocan. eodem modo, quo librum Esther, nempe prophetice interpretatur.

8) Exinde concludimus, non tantum librum protocanonicum[1]) Daniel, sed et additamenta deuterocanonica[2]) merito gaudere auctoritate canonica.

1) Judaei omnes statim ab initio librum Daniel susceperunt, et Scripturis divinis annumeraverunt; quam traditionem universalem secuti sunt Apostoli et ss. Patres.

2) Judaeos additamenta tanquam canonica suscepisse, inde patet: *a)* Quia LXX, Theodotion ea transtulerunt et inter libros sacros posuerunt. *b)* Idem prisci Patres et Scriptores Ecclesiae testantur et quidem *A)* quoad hymnum trium puerorum adducere sufficit Clementem R. (1 Cor. 45), Justinum (Ap. 1, 46), nam in codicibus omnium Ecclesiarum invenitur. *B)* Historiam Susannae velut partem canonicam agnoscunt: Irenaeus (c. haer. 4, 26), Clemens Alex. (strom. 4, 19), Hippolytus (expl. h. Sus.). Origenes (ad Afr.), Athanasius (c. Ar. 1, 13; ad Ser. 1, 6), Cyrillus Hier. (cat. 16, 3), et Latini: Tertullianus (de cor. 4), Cyprianus (ep. 40, 4), Hilarius (in Pr. 52, 19), Hieronymus (ad Inn. 1, 9; c. Jos. 1, 25, c. Ruf. 2, 33) etc. *C)* Historiam Beli allegant eaque in dogmatibus demonstrandis utuntur: Irenaeus (c. haer. 4, 5), Clemens Alex. (strom. 1. 21), Tertullianus (de idol. 18), Cyprianus (de or. Dom. 21), Origenes (ad Afr. 2), Athanasius (a. Arian. 2, 30), Cyrillus Hier. (cat. 14, 25) etc. *c)* Versiones antiquae omnes haec additamenta continent. *d)* In catacumbis romanis inveniuntur imagines Susannae, Danielis inter leones et trium puerorum in fornace. Confer Kraus, Roma Sotterranea 1873, 255. 245. 316. *e)* Mos antiquus est Ecclesiae, has partes in officio divino legendi, uti hymnum trium puerorum in Laudibus, historiam Susannae in Lectione Missae Sabbato post Dom. III. Quadrag., et historiam Bel et Danielis in Lect. Missae fer. III. post Dom. Passionis. Accedit *f)* decretum Concilii Tridentini statuens (sess. IV, de cans. s. Script,), libros omnes cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica publice legi consueverunt

et in versione Vulgata latina habentur, pro sacris et canonicis esse recipiendos. Cf. Zumbiehl, D. B. Daniel u. d. Geschichte, 1907. — G. Jahn, nach LXX hergestellt übers. u. krit. erklärt. Leipz. 1904.

Comment.: Rohling 1876. — Knabenbauer 1891. — Rießler-Schäfer 1902. — Acath.: Meinhold 1889. — Behrmann-Nowack 1894. — Driver, Camb. 1900. — Marti 1901.

§. 77. Liber Judith.

1) Rex potens Assyriae[1]), victoria de rege Mediae reportata superbiens, approbante concilio bellico, mittit Holofernem ducem, ut gentes occidentales armis sibi subjiciat. Postquam reges Syriae et Mesopotamiae sese dederunt, Judaei tremefacti, adhortante Eliachim pontifice, ad jejunium et orationem confugiunt. Achior, dux Ammonitarum, qui Judaeos nonnisi in Deum peccantes expugnari posse, alias inexpugnabiles esse asseruerat, ab Holoferne ligatus in Bethuliam mittitur, a Judaeis autem benigne excipitur. Dum Ozias incolis urbis undique cinctae jam desperantibus suadet, ut ad diem quintum adhuc exspectent (Cap. 1—7). Judith, vidua nobilis et casta, principes timidos increpat et patrum exemplo in spem opis divinae erigit. Cinere et jejunio praemisso, Judith ornata ad Holofernem tendit, eique victoriam pollicetur, qui, forma ejus captus, per quatriduum eam orationi vacare ac noctu egredi permittit, tandem cum ea convivatur, ut ejus amore se inebriet. Judith autem ebrii Holofernis caput amputat et in Bethuliam defert, quare a suis celebratur et Achior ad Judaismum convertitur. Judaei irruunt in Assyrios, fugientes caedunt, castra spoliant, Judith autem a toto populo benedicitur, eaque praecinente omnes epinicium Deo canunt. Transacta vita longaeva Judith gloriose moritur (Cap 8—16). — Voluit auctor exemplo demonstrare, Deum Israelitis etiam in gravissimis periculis nunquam defuturum, si diligenter Legem observaverint aut sincera poenitentia se ad ipsum converterint[2]).

1) De tempore, quo haec historia contigerit, diversae sunt sententiae. Augustinus (Civ. D. 18, 26), Severus, Estius, Cornelius a Lap. et alii historiam Judith in tempus postexilicum reponunt; obstat tamen, quod tempore postexilico Judaei Persis parebant, et Ninive jam pridem fuerat deleta. Alii (Movers Phöniz. II. 424, Nickes, l. Judith 1854. 46) in illud tempus, quod Sedecias rex Babylone degebat (Jer. 51, 59), alii (Reusch, Wolff, B. Judith als geschichtl. Urkunde vert. Leipzig 1861) in aevum Josiae (pupillaris) regis referunt, quia Jerusalem cum templo adhuc stare (4, 2, 10, 15; 5, 23; 16, 22, 24), lex mosaica adhuc observari (4, 16; 11, 11, 12; 16, 22, 24) edicuntur; non tamen rex, sed pontifex civitatem regebat (4, 11; 15, 9). Verum rectius jam Bellarminus (de verb. Dei I. 2) et post eum Calmetus, Scholz, Haneberg, B. de Montfaucon (la vérité de l'histoire de Judith, 1690. II. Cap. 7—8) hic tempus captivitatis Manassis regis cogitant, quod per inscriptiones assyriacas confirmatur. Vigouroux, Bible IV. l. 3. cp. 5. Nabuchodonoser, rex Assyriae, est Assurbanipal (668—626); vel (juxta Alker) Asarhaddon, qui anno 669 (22. Manassis) expeditionem suscepit. Eliachim, filius pontificis, sub Ezechia rege commemoratur (4 Reg. 18, 18; Is. 22, 20). Confer Cornely Int. 403. — Schöpfer 433 seq.

2) Finis hic primarius indicatur verbis Achior (5, 25); accedit alter didacticus, praeclarum castitatis et fortitudinis exemplum ante oculos ponere, uti demonstrant Hieronymus (praef.) et Origenes (Judic. h. 9, 1).

2) Librum Judith revera esse historicum, comprobant accuratissima rerum et personarum descriptio, geographicae et chronologicae adnotationes. festum in memoriam liberationis Bethuliae institutum, quod Judaei adhuc celebrabant, cum liber conscriberetur (16, 31).

Judaei librum hunc, quamvis inter historicos computarent, tamen ex canone antiquo excluserunt. Hieronymus (Praef- in Judith) ait: *Apud Hebraeos liber Judith inter apocrypha legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentiones veniunt, minus idonea judicatur. Chaldaeo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur.* Historicam libri auctoritatem tuebantur Patres: Clemens Rom. (1 Cor. 55), Clemens Alex. (strom. 4, 9), Origenes (Judic. h. 9, 1), Tertullianus (de mon. 17), Ambrosius (de off. 3, 13), Hieronymus (ad Princ. 65, 1) et catholici interpretes fere omnes praeter Jahn, Movers et A. Scholz (Com. Judith), qui historicae libri interpretationi adversantur. Scholz libro characterem propheticum seu eschatologicum tribuit, describi enim sub forma historica expeditionem hostis ultimi contra regnum Dei. Contra eum confer Neteler, Untersuch. 1886. D. Palmieri S. J. De veritate hist. l. Jud. 1886. — Lutherus primus narrationem inter fictas fabulas amandavit. Difficultates historicas in libro Judith observatas Steinmetzer (Neue Untersuchg. ü. d. Geschichtlichkeit der Judithерzählung. Lpz. 1907) eo solvere vult, quod 4 stadia exarationis libri statuit, quae diversis seculis (annis 600, 500, 350, 160) attribuit. Secundum ipsum tantum primaevae formae e seculo 6. stricte historicus character vindicari potest. Sed quomodo hujusmodi theoria cum natura inspirationis conciliari possit, non liquet.

3) Fides historica rerum involvit simul axiopistiam libri, quae per objectiones adversariorum non concutitur.

Ut praetereamus argumentum a silentio, quod reliqui Libri sacri de his factis observant, mores et consuetudines Assyriorum, quae in libro Judith describuntur, uti titulus regius: *dominus universae terrae* (6, 4), statutum, ut rex solus dicatur deus a nationibus (3, 13), exactio tributi (1, 7) etc. inscriptionibus assyriis confirmantur. Confer Ménant, Annal. des rois d'Assyr. 91. 240 seq. Γερουσία (4, 8; 15, 8 in LXX) non est synedrium, sed congregatio seniorum (col. 15, 9. Vulg.: *cum universis presbyteris*). Quoad difficultates geographicas dicendum, multa nomina geographica in versionibus valde fuisse corrupta, ut probavit Wolff, l. c. Bethulia arx erat in monte Scheich Schibel sita, cf. Vigouroux, Diction. de la Bible ar. Bethulie. Character viduae hujus piae, gerendique ratio Achioris, qui convictus fuit de fide in Jahven tanquam Deum verum, nihil continent, quod auctoritatem libri everteret. Si Judith 8. 1 dicitur oriunda e tribu Ruben, contra 9, 2 e tribu Simeon, locus prior, testantibus versionibus graeca et syriaca, manifestum continent mendum.

4) Auctor[1]) hujus libri ignotus est, probabiliter Judaeus palaestinensis, qui brevi ante exilium babyl. aut initio ejusdem vixit[2]). Scripsit opus sermone chaldaico[3]), sed textus originalis deperditus est, extant autem duae versiones immediatae: versio LXX et latina s. Hieronymi[4]).

1) Non est conscriptus ab ipsa Judith, uti aliqui concludere volebant e. s. Hieronymo (Ag. 1, 6): *Si quis tamen vult librum mulieris recipere;* Stridonensis dictum suum explicat in ep. 63, 1 ad Princip.: *Ruth et Esther et Judith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.* Quisquis fuit, in libro suo conscribendo commentariis coaevorum (v. g. Achioris) usus esse creditur.

2) Ita Cornely l. c. 413. — Welte, Herbst (Einl. 115. Tüb. Quartl. 1854, 477) eum post exilium, Nickes (l. c. 47) exilii tempore scriptum censent; Wolff (l. c. 188) coaevum Judithae, Achiorem ducem, Sixtus Senensis Eliachim pontificem auctorem libri habent. Juxta Scholz tempore machabaico a Judaeo in Persia degente scriptus est.

3) Testatur hoc. s. Hieronymus (Praef. Judith): *Chaldaeo sermone conscriptus.* Textus ergo originalis chaldaicus tempore s. Hieronymi adhuc existebat, nunc autem periit, pro-

babiliter, quia Judaei librum hunc e canone relegarunt. Movers, Scholz archetypum hebraicum defendunt, quia versio graeca scateat hebraismis.

4) Versionis graecae (vitiosae) duplex est recensio: una in codicibus et editionibus impressis, altera in codice Sinaitico obvia, e qua versiones Itala (ed a Sabatier) et syriaca fluxerunt. — S. Hieronymus versionem suam Vulgatam ex textu chaldaico, respectu tamen versionis Italae habito, exaravit, et quidem *magis sensum e sensu, quam verbum e verbo. Multorum codicum* (addit. in Praef.) *varietatem vitiosissimam amputavi; sola ea, quae intelligentia integra in verbis chaldaeis invenire potui, latinis expressi.* Textus Vulgatae ergo plerumque brevior est; frequens est in numeris et nominibus propriis diversitas. Uterque textus, longo Ecclesiarum usu approbatus, dicitur authenticus; critice graecus est praeferendus. Textus ergo originalis certe cognoscitur in illis tantum locis, in quibus utraque versio convenit.

5) Merito liber Judith ab Ecclesia[1]) inter Scripturas canonicas recensetur; difficultates, e libro petitae, canonicam ejus auctoritatem nullatenus evertere possunt[2]).

1) *a)* Judaeis ante Christum librum Judith notum fuisse, et quidem tanquam librum divinum, demonstrant Lipsius (Hilgenf, Zeitschr. 1867, 345), R. Martini (Pugio fidei, 1867, 127), et testatur receptio ejusdem in versione LXX, unde in usum Ecclesiae transiit. *b)* Etiam Novum Testamentum (Matth. 13, 42, 50 col. Jud. 16, 21; Act. 4, 24 col. Jud. 9, 17; 1 Cor. 2, 10 col. Jud. 9, 5 seq.; 10, 9 col, Jud. 8, 24, 25) librum Judith respexisse videtur. Confer Theol. Stud. u. Krit. 1853, 344. *c)* Citatur a Clemente Rom. (ep. Cor. 1, 55), Clemente Alex. (Strom. 4, 19), Origene (Hom. 19 in Jer,), Tertulliano (Mon. 17), Ambrosio (de off. 3, 13; de vid. 7), Fulgentio (ep. 2, 14). Hieronymus (Praef. in Jud.) asserit, Synodum Nicaenam hunc librum computasse in numero sanctarum Scripturarum.

2) Objiciunt: auctor Juditham tanquam exemplar virtutis et pietatis imitandum proponit, sed sanctam et castam dici non posse mulierem, quae laquees Holoferni tetendit, ut eum in sui amorem irretiret, quae mendaciis eum decepit et proditione jugulavit. — Verum auctor, laudando pietatem et castitatem Judith, eam non asserit ab omni labe immunem. Non ornatus et forma mulieris erant causae illiciti amoris, sed Holofernis libido, ad quam Judith permissive tantum se habuit. Ad recte dijudicandum characterem ejus moralem addit auctor: *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quia omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat* (10, 4), et: *erat etiam virtuti castitas adjuncta* (16, 26). Injustum patriae oppressorem dolo et fallaciis decipiens et deceptum interimens, usa est strategemate, in bellis licito; confer Thomam 2. 2. q, 110 a. 3 ad 3: *Judith laudatur, non quia mentita est Holopherni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit: quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.* — Elogia 13, 23—25; 15, 10, 11 ss. Patret applicant ad immaculatam Virginem Mariam, cujus typum Judith gessit, quae contrito serpentis capite salutem et triumphum mundo attulit. Confer Passaglia, De imm. Deip. Concept. I. 2. 47. Insuper ea etiam typus Ecclesiae est, hostes occidendo et periturum Israel de periculo liberando (Hieronymus, Praef. in Soph.). Confer Zschokke, Bibl. Frauen, § 37. — Neteler, Gesch. u. kanon. Geltung d. B. Judith. Münst. 1886. — Mythologice: Fourrière, Les emprunts d'Homère au livre de Judith. 1892. Judith 1890. — Comm.: A. Scholz 1896. — Acath.: Fritsche 1853. — Weißmann 1890.

§ 78. Libri Regum.

(Vulg. III. et IV.)

1) Libri duo Regum — olim unum volumen[1]) — continent historiam ab inauguratione Salomonis usque ad excidium urbis Jerosolymae (972—588

et quidem historiam Salomonis (3 Reg. 1—11), historiam synchronisticam regum Juda et Israel (3 Reg. 12—4 Reg. 17), et, regno Israel deleto, historiam regum Juda usque ad excidium urbis (Cap. 18—25), ergo 384 annos complectuntur. Auctor vel potius redactor sibi non proposuit, exhibere historiam politicam utriusque regni, sed rebus praecipuis selectis[2]) ostendere voluit, quomodo Deus, promissionum suarum memor, theocratiam ac religionem in populo suo conservare et promovere studuerit, ac tandem, impietate undique abundante, primo regnum Israel, dein Juda rejicere debuerit; hinc scopus librorum prophetico-historicus est.

1) Origenes apud Eusebium, hist. ecc. VI, 25: Βασιλειῶν τρίτη τετάρτη ἐν ἑνὶ Οδαμμέλεχ Δαβίδ, ὅπερ ἐστὶ βασιλεία Δαβίδ. Hieronymus (Prol. gal.): *Quartus Melachim i. e. Regum, qui III. et IV. regnorum volumine continetur.*

2) Auctor vel potius redactor multa facta, v. g. bella, internam regnorum administrationem, breviter tantum tangit et lectorem ad fontes prolixiores (3 Reg. 14, 19, 29; 15, 7, 23 etc.) relegat, illas autem res, quae religionem, Legem et cultum concernunt, et activitatem prophetarum, accurate describit.

2) Auctor horum librorum — diversus[1]) ab auctore librorum Samuel — et aetas scriptionis sunt incerti, putant tamen plurimi, eos durante exilio babylonico esse conscriptos[2]). Usus est auctor commentariis sacris et politicis, et quidem: diariis Salomonis (3 Reg. 11, 41), annalibus regum Juda et Israel (3 Reg. 14, 19, 29; 15, 7, 23, 31; 16, 5, 14; 4 Reg. 1, 18 etc.) et adnotationibus prophetarum (3 Reg. 17)[3]).

1) Auctorem LL. Regum diversum ab auctore LL. Samuel probant: *a)* Quod libri Samuel historiam specialem eamque fusius tractant, dum LL. Regum res summatim magis referunt. *b)* Hi saepius allegant fontes (3 Reg. 11, 41: 14, 19, 29; 15, 7, 23, 31; 16. 5, 14 — 4 Reg. 1. 18; 8, 23 etc.) et adnotationes chronologicas, illi autem fontes non adducunt, et in computo numeris utuntur rotundis (1 Sam. 4, 18; 17, 16. 2 Sam. 2, 10). *c)* In libris Regum nominibus propriis saepe epitheta adjuncta sunt et lex mosaica respicitur (3 Reg. 2, 3; 8, 58; 9, 4, 6; 11, 2, 38. 4 Reg. 10, 31; 11, 12; 14, 6 etc.). *d)* In LL. Samuel genus scribendi aequaliter fluens et diffusum, formae poëticae nec non locutiones, cum libro Judicum communes, obviae sunt, dum e contra ratio scribendi in LL. Regum succinctior et in phrasibus quibusdam constantior est; accedunt chaldaismi nec non vestigia aetatis recentioris. *e)* Diversus scopus. — Unitatem LL. Samuel et Regum (respectu inscriptionis LXX, nexus 3 Reg. inter et 2 Sam. ac narrationis de morte Davidis in 3 Reg.) defendunt Jahn (II, §. 46); Herbst (II, 1, §. 37); Haneberg 374. — Diversitatem probant Welte; Reusch 125; Cornely 256.

2) Ultimum factum (4 Reg. 25, 27) quod narratur, est liberatio Joachim regis e carcere, facta anno 37. exilii. Talmud (bab. bath. 14), Isidorus (de off. I, 12), Haneberg 376, Vigouroux, Clair, Scholz, Cornely etc. — permoti maxime consensu inter librum nostrum et librum Jeremiae, hunc prophetam statuunt auctorem LL. Regum. Juxta Welte, Keil in secunda exilii parte, post mortem Joachin (4 Reg. 25, 29), a Judaeo exule, juxta alios (ast improbabiliter) post exilium scripti sunt. Pro Esra auctore stant Huetius (dem. ev. IV, 261) et Calmetus (Prol.).

3) De fontibus consule Movers (Bibl. Chron. 185), Herbst II, 1, 155; Hävernick II, 1, §. 169; Keil, §. 59.

3) Libri Regum non sunt compilatio plurium fragmentorum, a variis auctoribus successive adornata, sed ab unico auctore, secundum certum scopum, prodierunt; eorum unitas evincitur unitate materiae, bene limitatae,

eadem ubique narrandi ratione[1]), atque eadem dictione[2]) (si excipias singulas phrases, e fontibus adoptatas), quae minime redolet aetatem recentiorem; nusquam occurrunt repugnantiae[3]), quae contra unitatem librorum militarent.

1) Auctor semper initium, characterem et finem cujusvis regis nec non mortem ac sepulturam iisdem fere verbis describit. v. g. 3 Reg. 11, 43; 14, 20, 31; 15, 8; 4 Reg. 12, 3; 14, 3, 4; 15, 3 — 3 Reg. 14, 8; 15, 36, 31; 4 Reg. 3, 3; etc.

2) Usus frequens particulae אֵ 3 Reg. 3, 16; 4 Reg. 12, 18 etc. formae speciales אֵתִּי pro אֵתָּ 3 Reg. 14, 4; 4 Reg. 4, 16, 23, ac voces uti נִיר 3 Reg. 11, 36; 4 Reg. 18, 19 pro נֵר 2 Sam. 21, 17; alia confer apud Keil § 57.

3) 3 Reg. 9, 22 non obstat 11, 28, si respicitur 9, 21, nec vaticinium 3 Reg. 21, 18 eidem (ad sensum tantum) citato 4 Reg. 9, 26. De integritate orationis Salomonis in dedicatione templi fusae 3 Reg. 8, 12—61, quam negavit Thenius, confer Z. f. kath. Theol. Wien 1863, 331—367 et Cornely 288.

4) Character historicus horum librorum evincitur accurata fontium citatione, multis insertis notis chronologicis[1]) et geographicis, relatione 2 LL. Reg. ad 2 LL. Par., qui ex iisdem fontibus sunt compositi, objectiva sine partium studio narratione rerum, bene et male gestarum, et aliis documentis, speciatim recenter detectis[2]). In Novo Testamento Luc. 4, 24—27 et Rom. 11, 3, 4) hi libri tanquam Scriptura sacra allegantur. Miracula et vaticinia prophetarum, ibi relata, theocratiae et muneri prophetico quam maxime conveniunt. Idcirco omnes Judaei et Christiani eos semper inter libros canonicos numerabant.

1) Occurunt in chronologia librorum Regum, praeprimis in synchronistico ordine regum Juda et Israel, multi numeri pugnantes, qui per amanuenses et librarios textui illati sunt. Quoad chronologiam etiam inscriptiones assyriacae nen omnia dubia removere valent. Chronologiam LL. Regum adhibitis synchronismis aegyptiis, assyriacis etc. restituere conati sunt Oppert (Salom.), Clair, Hummelauer (Laach St. IV. 148. VII. 314 seq.). Neteler (Zeitrechn.), Schäfer (Chron.), Raska, Himpel (Kirchenlex. III. 327 seq.). Alker, Chronolog. 1889. Per omnia tamen haec menda accidentalia auctoritas et integritas Librorum non labefactantur.

2) Huc pertinent Libri Paralipomenon, qui easdem res, independenter a Libris Regum, e fontibus tractant. Multa horum facta etiam in Psalmis celebrantur, qui valde obscuri essent, nisi ex hac narratione lucem haberent (Ps. 3 col. 4 Reg. 15, 14; Ps. 7 col. cp. 16, 5 etc.). Conveniunt, quae Isaias, Jeremias, Osee, Amos, Michaeas et Sophonias vaticinantes de his temporibus referunt. Ejusdem historiae compendium quoddam facit Ecclesiasticus (Cap. 47—49), laudibus extollendo praeclara Samuelis, Davidis aliorumque regum gesta. — Factis his illustrandis multum contulerunt monumenta antiqua. Sic inscriptio templi, a rege aegyptio Scheschonk I. (Sesac 3 Reg. 11, 40; 14, 25) in Karnak aedificati, idem refert de ejus expeditione bellica contra Palaestinam, quod 3 Reg. 14, 25 (Zeitschrift d. d. morg. Gesellsch. 1861, 233); columna Mesae, regis Moab, facta hujus clare dilucidat. Maximam vero utilitatem hac in re praestant inscriptiones cuneiformes, in monumentis assyriacis detectae, de quibus consule Schrader, Keilinschriften u. A. T.; Keilinschriften u. Geschichtsforschung 1878, Mênant, Annales des rois d'Assyrie, Paris 1874, Kaulen, Assyrien und Babylonien, Freiburg 1882, Vigouroux Bible.

Comm.: Neteler, BB. Kön. 1899. — Acath.: Thenius 1873. — Keil 1876. — Klostermann (Strack) 1887. — Benzinger (Marti) 1899. — Kittel (Nowack) 1900.

Articulus secundus.

A reditu de exilio usque ad Christum Jesum.

§. 79. Reditus Judaeorum de exilio.

1) Cyrus[1]), rex Persiae, regno Babyloniae potitus, primo novi hujus principatus anno 538 a Ch.), Judaeis publico decreto facultatem concessit, in patriam redeundi et templum reaedificandi. Iam 538—537 Judaei duce Sassabasar in patriam redierunt. Postea 42,360 exules, potissimum e tribubus Juda et Benjamin oriundi, hac licentia usi surrexerunt, atque ducibus Zorobabel, nepote Jechoniae tanquam principe, et Josue pontifice, in Palaestinam remigrarunt. Nonnulli utique Sassabasar et Zorobabel habent unam eandemque personam, ita ut etiam de una tantum expeditione ageretur. Non omnes redierunt, sed multi, ob possessiones et divitias in Babylonia comparatas, remanebant, mandato tamen regis jussi sunt, redeuntes adjuvare[2]).

1) Anno primo regni Cyri (538) septuaginta anni exilii jam praeterlapsi erant (Esr. 1, 1; 2 Par. 36, 21). Cyrum (Coresch) liberatorem populi Israel divinitus suscitatum annuntiant Prophetae (Is. 41, 25; 44, 28; 45, 1. Jer. 50, 44 col. Joseph. Ant. XI. 1, 2). Rex simul vasa templi, quae Nabuchodonosor abstulerat, Sassabasar (Zorobabeli), principi Juda, restituit. Domus David post exilium non amplius quidem thronum occupavit, principatum tamen et dignitatem quandam semper retinuit. Nec omnes sacerdotes redierunt, sed tantum quatuor ordines Jadaia, Emmer, Phashur et Arem (4289 col. Neh. 7, 39 seq.). Quta maxima pars. reversorum de tribu Juda erat, Israelitae abhinc vocabantur Judaei.

2) Babylonia, altera patria Judaeorum exulum, nova culturae ac scientiis serioris Judaismi incunabula paraverat; hinc varia literaturae genera, Haggada, traditiones (παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων Matth. 15, 2, quae seriori tempore legi mosaicae aequiparabantur, imo et pluris aestimabantur), poësis religiosa, gnomica et Midraschim i. e. commentarii ad libros sacros, originem trahunt. Confer Fürst, Kultur- u. Literaturgesch. d. Jud. in Asien. Lpz. 1849. Hinc magistri (inde ab Hillele Rab, Rabbi et Rabbon dicti) in Palaestinam venerunt, scientias docentes, v. g. R. Hillel (32 a Ch.), R. Nathan, R. Chijja et alii. In Babylonia erectae sunt academiae (Beth Ulfana, Beth Midrasch, Jeschiba i. e. consessus discipulorum, aram. Metibta), quae eo laetius florebant, quo liberiores erant ab infaustis illis temporum injuriis, quae evolutionem academiarum palaestinensium (Jamniae. Caesareae, Lyddae, Tiberiade, Sepphori) retardabant ac praematurum interitum efficiebant. Inter celeberrimas Babyloniae academias fuit Nehardensis (Naarda, Nearda), cujus originem Judaei a tempore Jechoniae regis, alii ab aevo Esrae repetunt. Excelluit ibi R. Rab, qui e Palaestina huc venerat anno 188 p. Ch., fundamenta Talmudis babylonici jecit et anno 219 academiam in urbe Sora fundavit. Successorem rectorem habuit R. Samuel, astronomum doctissimum. Academia Nehardeae, multum celebrata usque 258 p. Ch., refloruit annis 300—420. Aemula hujus exstitit academia in urbe Pum-Baditha, fundata a. R. Jehuda ben Jecheskel 250 p. Ch., quae una cum Sorensi usque ad 498 p. Ch., quo Talmud absolutus est, florens stabat. Confer Fürst l. c. — Vitringa, De synag. vetere, 1696. I. 137 seq. — E. Schürer, Das Judentum in d. Zerstreuung u. d. jüd. Literatur, 3. Bd. 1909[4].

2) Reducti[1]) occuparunt urbes suas desertas et destructas, ut eas restaurarent; mense septimo 537, altari in ruderibus templi erecto et festo tabernaculorum celebrato, ad templum aedificandum (in testimonium foederis renovati) advolarunt, cujus fundamenta, Levitis fabricam urgentibus, jacta sunt anno secundo, aliis gaudentibus, aliis, qui templum prius viderant,

lacrymantibus (Esr. 3). Samaritani, ob religionis diversitatem a societate operis, quam petierant, repulsi, structuram templi impedire conabantur, et quidem sub Cyro (fautore Judaeorum) fraudibus, Cambyse et Pseudo-Smerde regibus vi aperta usi, donec Israelitae a Dario Hystaspis (anno secundo regni i. e. 520 ante Ch.) templi aedificandi copiam plenissimam obtinerent[2]), ad cujus structuram, prophetis Aggaeo et Zacharia cohortantibus, 520 templum aedificare denuo coeperunt (Cap. 4, 1—5, 24). Tandem anno 516 ante Ch. templum finitum ac solemniter dedicatum est, quod festum solemnia paschalia exceperunt (Cap. 6).

1) Genealogias reducum secundum singulas tribus non plane fuisse obliteratas, testantur Es. 2, 62; Neh. 7, 64; Matth. 1, 1 seq. Luc. 2, 36; 3, 15 seq. Act. 13, 21; Rom. 11, 1; Phil. 3, 5.

2) Nonnulli (Haneberg 408; Keil, Vaihinger, St. u. Kr. 1857, 87; Bertheau, Hengstenberg Christ. III. 143; Schulz, St. u. Kr. 1853. 685) ea, quae in Esr. 4, 6—22 narrantur, ad Xerxem et Artaxerxem referunt. Praeterea Haneberg sub Dario, quo rege templum est exstructum, non Darium Hystaspis, sed Darium Nothum intelligit, et sub Artaxerxe, quo rege Esras et Nehemias floruerunt, non Longimanum, sed Mnemonem sumit, contra quam sententiam confer Welte, Entstehungszeit d. 2. Zerub. Tempels; T. Q. 1851, 223. Templum anno secundo Darii aedificari coeptum esse (contra Esr. 5, 2), probare studet Schrader, Stud. u. Krit. 1867, 460. — Schöpfer 505 seq. Hoonacker, Notes sur l'histoire de la Restauration juive après l'exil de Babylone, Revue bibl. 1901. p. 5 et 175 seq. — Meyer, Entstehung d. Judenthums. Halle 1896.

3) Anno 20. regiminis Artaxerxis[1]) Longimani (444 a. Ch.), Nehemias (נְחֶמְיָה, Νεεμίας), pincerna ejusdem regis, tristem statum populi in Palaestina edoctus ac gravi dolore affectus, ferventi oratione ad Deum effusa, a rege facultatem obtinuit Palaestinam petendi et aedificandi muros Jerusalem. Regiis literis munitus, Hierosolyma venit et muros restituere coepit (Neh. 1—3). Restaurationem urbis et populi Sanaballet, praeses Persarum in Samaria, ac Samaritani ipsi aegre ferentes, quod ab isto opere excluderentur, impedire conabantur, sed frustra; nam alii aedificabant, aliis dimicantibus (*una manu sua faciebat opus et altera tenebat gladium* Cap. 4); dein Nehemias occasione famis iniquum foenus removit et populo levamen tributi fecit (Cap. 5). Omnibus hostium moliminibus superatis, restauratio urbis, murorum, portarum ac turrium 52 diebus est finita (Cap. 6; 7). Civitate restituta, Nehemias etiam moribus e lege divina componendis operam navabat. Cum enim Esras sacerdos legis peritus cuncto populo, ad festum tabernaculorum Hierosolymis congregato, per 8 dies legem praelegisset et explicasset (Cap. 8), omnes, de peccatis suis poenitentes, uxores alienigenas dimiserunt, jejunio instituto, in quo ardentissima illa oratio poenitentialis (9, 6—37) fuit recitata, quam subsecuta est publica fidelitatis sponsio et renovatio foederis, in scriptum redacta et subscriptione procerum munita[2]) (Cap. 9; 10). Nehemias dignus profecto erat, qui pater patriae et alter conditor Jerosolymae nominaretur.

1) Saulcy (Étude chronologique de livres d'Esdras et de Neh. Paris 1868, 41 seq.) et Kaulen (Einl. 211), putant, Artaxerxem, qui Esr. 7, 1; 11, 12 et in libro Nehemiae adducitur, esse Artaxerxem II. Mnemonem.

2) Nehemias quaerens ignem sacrum, initio exilii absconditum, invenit aquam crassam, qua aspergi jussit sacrificia, quo facto sol oriens ignem magnam accendit, qui sacrificium consumpsit. Rex Persarum, de hac re certior factus, locum (Nephtar i. e. purificatio) circumsepsit (2 Mach. 1, 18—36). Opere finitio Nehemias ritibus sacris moenia urbemque solemniter dedicavit (Cap. 12).

4) Nehemias, cum annos 12 in urbe sancta moratus erat, in Persiam ad regem rediit, attamen non ita multo post[1]), quum mores civium se absente iterum prolapsos intelligeret. Palaestinam repetiit, sacerdotem Eliasib, qui ordinem disturbaverat, castigavit (13. 7), vita ac connubia cum mulieribus exteris severe interdixit, Levitis reditus restituit et, a propheta Malachia adjutus, efficere conatus est, ut e lege omnia rite instituerentur, sed, ut videtur, non felici successu. Nepotem Eliasibi pontificis de filiis Jojadae. Manassen, qui cum populi totius scandalo filiam Sanaballat Horonitis duxerat, in exilium abegit (13, 28, 29); Sanaballat dein templum in monte Garizim aedificavit[2]). Quam restaurationem religiosam absolvit demum Esras sacerdos aetate provectus. Artaxerxes II. Mnemon enim anno regni sui septimo (398 a. Ch.) Esram (עֶזְרָא, Ἔζρας, Ἔσδρας), virum peritum de genere sacerdotali, cum summae potestatis auctoritate in Judaeum misit et omnibus Judaeis, adhuc in regno persico dispersis, facultatem dedit, una cum bonis suis in patriam redeundi ibique secundum leges mosaicas vivendi, superadditis muneribus ac vasis aureis, quae Babylonii nondum restituerant (Cap. 7). Esras cum turba magna Hierosolyma venit et alacri animo mores corruptos populi emendare studuit, maxime autem connubia Judaeorum cum alienigenis[3]) dissolvit, cujus mandatis et populus obsequebatur (Cap. 8—10).

1) Probabiliter sub Dario Notho — circa annum 420 ant. Ch., juxta alios anno uno elapso (Neh. 13, 6 col. 2 Par. 21, 19).

Esras narrante Josepho (Ant. XI. 5, 5) Hierosolymis mortuus et sepultus est, juxta alios in itinere ad Persarum regem, 120 annos natus, obiit; sepulcrum ejus prope Tigridem ostenditur. De morte Nehemiae (εἰς γῆρας ἀφιπόμενος Ant. XI. 5, 8) nihil certe habetur; ipse de collectione librorum sacrorum meritus fuit (2 Mach. 12, 13). — Nihil quidem impedit, quominus (cum Origene, Eusebio, Bonfrerio, Sanctio, Calmeto aliisque) credamus, Esram Scripturam sacram, collatis variis codicibus, a mendis, quae irrepserant, purgasse et castigasse, atque libros sacros collegisse; attamen s. Scriptura A. T. tantum Nehemiam id fecisse indicat, cf. II. Mach. 2, 13. 14. Secundum relationem Judaeorum (Gem. Sanh. 21, 2), quam sequitur Hieronymus (Prol. gal.), loco literarum hebraicarum, quas Judaei hucusque cum Samaritanis communes habuerant, Esras characteres novos (scripturam quadratam seu assyriacam) invexit, partim ad velocius scribendum, partim quia Judaei in Babylonia eisdem assueverant, quae opinio vix probabilis est, quia LXX ex exemplari literis samaritanis scripto exarata fuit. Utebantur enim Judaei inde a reditu utraque scriptura, uti videre licet e nummis Machabaeorum cum literis samaritanis cusis. Verisimiliter Libri A. T. jam tempore Christi (Matth. 5, 18) scriptura quadrata descripti erant. Hac transscriptione nonnulli loci, minime in rebus dogmaticis, quasdam mutationes subierunt.

2) Si juxta Flavium (Ant. XI. 8, 2) iste Sanaballat vocatur Cuthaeus, qui vixerit Darii tempore, et Manasse tanquam frater Jaddi (ex parte Johanne) discribitur, de eodem quidem facto sermo est, ast erroneae relationes Josepho sunt adscribendae. Templum samaritanum ergo non tempore Alexandri Magni (Joseph.) est aedificatum, sed Nehemiae aetate.

3) Verisimiliter Judaei reversi propter penuriam Israelitidum alienigenas duxerant uxores. Dissolvit autem Esras ista matrimonia mixta, timens, ne Judaei denuo per mulieres

gentiles ad idololatriam traherentur. Cf. Kosters-Basedow, D. Wiederherstellg. Jsr. in d. pers. Periode. Heidlb. 1895. — Wellhausen, D. Rückkehr der Juden a. d. babyl. Exile, Gött. Gel. Anz. 1895. — Sellin, Serubabel, 1898. — Cheyne-Stocks, D. relig. Leben d. Juden n. d. Exile, 1899. — Nikel, D. Wiederherstellung d. jüd. Gemeindewesens n. d. babyl. Exile, 1900. — Gelbhaus, Nehem. u. s. socialpol. Bestrebungen, 1902. Esra. u. s. reform. Bestrebungen 1903. — Jampel, D. Wiederherstellung Isr. unter d. Achämeniden, 1904. — G. Klameth, Ezras Leben u. Wirken. Wien 1908.

§. 80. Palaestina post exilium.

1) Stante templo Zorobabelico terra Israelitarum cis Jordamen distingui coepit in provincias: Judaeam, Samariam et Galilaeam[1]), trans Jordanem provincia Peraea audiebat.

A) Judaea (Ἰουδαία Matth. 2, 1; Luc. 1, 65), quae tribus Juda, Benjamin, Simeon, Dan, et nonnullas partes Ephraim complectebatur, teste Flavio (B. J. III. 2) usque ad Ptolomaiden extensa, in septentrione limitabatur Samaria, ab oriente Jordane, a meridie Hebron, in occidente Joppe ac mari. Tempore Josephi divisa erat in 11 districtus (τοπαρχίας), a Plinio vero in 10 toparchias. Tempore Christi ad provinciam hanc pertinebant civitates transjordanenses: Gamalitica (= Gaulanitis, ab urbe capitali Gamala), Batanaea et Trachonitis.

1) Tres illae provinciae jam adducuntur 1 Mach. 10, 30 et saepius in N. T., imo tripartitionis hujus semina jam in divisione urbium refugii (Jos. 20, 7) conspiciuntur.

B) Samaria (Σαμάρεια Luc. 17, 11; Σαμάρειτις et Σαμαρίς 1 Mach. 10. 30), media ac minima provinciarum cisjordanensium, dicta fuit ab urbe principali Schomron, quam Amri rex aedificaverat (3 Reg. 16, 24). Incipit autem a vico Ginaea, in campo magno, et protenditur usque ad toparchiam quae vocatur Acrabatene, montosa quidem, sed fertilis (B. J. III. 3, 4); complectebatur tribus Ephraim, Manasse cisjord. et partem tribus Issachar. Cum incolae, ab aedificatione templi hierosolymitani exclusi, templum proprium in monte Garizim aedificassent, a Judaeis communitate sunt privati indeque mutuum odium internecinum evasit[1]). Multi tamen e Samaritis Christo nomen dederunt (Joh. 4, 39; Act. 8, 5; 9, 31). Urbes principales erant Bethsan, Bethulia, Caesarea Pal., Gilgal, Ginaea, Megiddo, Samaria, Sanur, Sichem, Thamnathsara, Thirza.

1) Testatur odium hoc Ecclesiasticus (50, 37, 28): *Duas gentis odit anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim, qui sedent in monte Seir, et Philisthiim et stultus populus habitat in Sichimis*, col. Luc. 9, 52, 53. Ideo Samaritanus appellatur a Christo ἀλλογενὴς (Luc. 17, 18), et Apostoli mirantur, Jesum loqui cum muliere Samaritana (Joh. 4, 27), et ipsa, quod Christus judaeus ab ea bibere poposcerit (4, 9 col. 8, 48), Sanhed f. 104, 1: *Si quis Cuthaeum (Samaritanum) in domum suam recipit eique ministrat, ille causa est, ut filii ipsius in exilium abire cogantur.* Tanch. f. 43, 1: *Ne comedat quispiam ex Israel buccellam Samaritani: nam quicunque comedit buccellam Samaritanam, est ac si comedat carnem porcinam.*

C) Provincia septentrionalis Galilaea[1]) (Γαλιλαία 1 Mach. 5, 14; 11. 63; Matth. 2, 22) complectebatur partem tribus Issachar, tribus Zabulon.

Aser et Nephthali, ac limitabatur a septentrione monte Libano et Syria, ab oriente Jordane, lacubus Merom et Genesareth, a meridie Samaria, et ab occidente mari mediterraneo. A Josepho Fl. (B. J. III., 3, 1) in superiorem et inferiorem distinguebatur; illa, montosa, comprehendebat montes Nephthali (Dschebel Safed), maximam partem a Phoenicibus, Syris, Graecis (Galilaea gentium) inhabitatos, haec autem regionem Tiberiadis et stagni Genesareth (tribum Zabulon) amplectebatur. Galilaea fertilissima erat provinciarum. Urbes principales: Acco (Ptolomais). Bethsaida. Dan, Endor, Hazor, Capharnaum, Kedes, Nazareth, Safed. Sepphoris, Sidon, Tiberias, Sarepta (Zarpath).

1) Antiquissimo jam tempore fit mentio districtus septentrionalis הַגָּלִיל cum urbe Kedes (Jos. 20, 7; 1 Par. 6, 76), ubi Salomon Hiramo regi 20 oppida donavit, quae hic, non contentus, Chabul dixit (3 Reg. 9, 11—13). Vocatur vero provincia haec districtus gentium (Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν Matth. 4, 15; Is. 9, 1), quia post occupationem terrae multi Chananaei illuc secesserant (Jud. 1, 30—33) et deinceps Judaei mixti cum Phoenicibus aliisque gentibus ibi habitabant; hinc habitatores Galilaeae reliquis odiosi erant (Joh. 1, 46; 7, 31, 52; Act. 2, 7, 8). Galilaei praeterea dialecto propria utebantur (Matth. 26, 73; Marc. 14, 70). S. Klein, Beitrag zur Geographie und Geschichte Galiläas 1909.

2) Peraea (Περαία = τὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου Matth. 4, 25), *asperis dispersa montibus et a ceteris Judaeis Jordane amne discreta* (Plinius h. n. V. 15), sensu latiore complectebatur omnem ditionem trans Jordanem, a fontibus ejusdem usque ad Arnonem torrentem (= עִבְרֵי הַיַּרְדֵּן Gen. 50, 10. 11; Jos. 2, 23), qui tractus olim regiones Basan et Gilead comprehendebat; sensu strictiore (B. J. III. 3, 3) regionem, limitatam Arnone usque ad Pellam et versus Orientem districtu Gerasae, Rabboth Ammon et Arabia. Post exilium regio transjordanensis simpliciter Γαλαάδ (1 Mach. 5, 9, 17, 20, 25) vocabatur. Tempore Christi Basan antiquum sequentes districtus constituebant: *a)* Ituraea (Dschedur), a Jethur Ismaelis filio (Gen. 25, 15) appellata, ad orientalem montis Hermon plagam. *b)* Trachonitis (Ledscha), ad austrum Damasci. *c)* Gaulanitis (Gaulonitis = Dscholan), ab oriente lacus Genesareth ad fontes Jordanis sese extendens. *d)* Auranitis (Auran Ez. 47, 16, 18 nunc Hauran), ad orientem regionis Gaulanitidis et meridiem Trachonitidis, et *e)* Batanaea (Dschebel Hauran), ad austrum Trachonitidis et Auranitidis. Peraea (B. J. III. 3, 3) pleraque aspera est et deserta agrestiorque, quam ut alat fructus mansuetiores, ceterum autem regio fertilis, camposque habet variis arboribus consitos. Ibi sitae erant (excepta Scythopoli) decem urbes = Decapolis (Matth. 4, 25; Marc. 5, 20). Tempore Christi incolae harum provinciarum, saltem cultiores, linguam graecam callebant.

Herode M. mortuo, imperium dividebatur in unam ethnarchiam et duas tetrarchias, ita ut Archelaus ethnarcha Judaeam, Samariam et Idumaeam, Philippus tetrarcha Trachonitiden, Herodes Antipas tetrarcha Galilaeam et Peraeam acciperet. Archelai, post 10 regiminis annos in exilium missi, ethnarchia (Judaea et Samaria) per procuratores romanos, Caesareae residentes, administrabatur. Eversa republica judaica Palaestina Syriae cessit et a praefectis romanis regebatur. Ineunte seculo V. p. Ch. in tres provincias divisa est; in Palaestinam primam, quae maximam partem (septentrionalem) Judaeae, simul inclusa ora philistaea, Samariam, et partem Petraeae septentrionalem complectebatur, cum Jerusalem metropoli; in

Palaestinam secundam i. e. Galilaeam cum metropoli Caesarea, et Palaestinam tertiam vel salutarem i. e. partem Judaeae inferiorem ac Peraeae australem nec non partem Arabiae Petraeae, capite Petra.

§. 81. Jerusalem post exilium.

1) Jerusalem nova in ruderibus priscae reaedificata est, prout eam accuratius describit Josephus (Bell. jud. V. 4). In monte Sion, et quidem in parte ejus orientali et australi exstructa est urbs superior, quae in septentrione dividebatur ab urbe inferiore (Acra), et in oriente a colle Moria per vallem Tyropoeon, quae, a piscina Hisciae incipiens, dein austrum versus usque ad fontem Siloe se extendebat. Acra rursus, in qua urbs inferior ad speciem amphitheatri erat fabricata, a Moria separabatur per vallem (Wad), quae, a porta Damasci incipiens, austrum versus percurrebat. In monte Acra Antiochus Epiphanes arcem Acram[1]) aedificavit, probabiliter in angulo, in quo duae illae valles jungebantur, quae arx a Simone Machabaeo expugnata et diruta est, simul ipso monte Acra depresso, ita ut templum omnibus superemineret[1]); rudera arcis et montis Acrae serviebant implendae valli interjacenti. Crescente incolarum numero pars nova, Bezetha, sub Herode rege civitati fuit adjecta, quae in colle, ad septentrionem Moriae, aedificata et a Moria per fossam profundam separata erat. Terminabatur ergo in meridie fossa illa (Bethesda), ab ortu valle Cedron, versus aquilonem solo declivi et versus occidentem valle (Wad).

1) Confer Josephum (Ant. XIII. 7; XV. 7, 8. Bell. Jud. V. 4, 1). — Spieß, Jerusalem des Josephus, 1881. — Gatt, Die Hügel von Jerusalem. Fbg. 1897 et Sion in Jerusalem. Brixen 1900. — Rückert, Die Lage des Berges Sion (Bibl. Stud. III. 1).

2) Teste Josepho civitas versus septentrionem triplice muro erat cincta, nisi qua collibus inviis cingebatur. Murus primus isque antiquissimus, montem Sion vel urbem superiorem ambiens, incipiebat a boreali turri Hippico et, protensus ad Xystum, in occidentalem templi porticum desinebat; altera ex parte ab Hippico egrediens in occidentalem, australem et orientalem partem montis Sion ambibat, dein πρὸς νότον ad fontem Siloe flectens, et rursus in orientem tendens, incluso colle Ophel, cum orientali templi porticu erat conjunctus. In angulo muri septentrionali, versus orientem, exstructus erat Xystus, locus quadratus, egregie stratus, porticibus instructus et per pontem cum templo conjunctus erat; ad austrum hujus pontis porta graduum ex area templi in urbem, in valle Tyropoeon exstructam, deducebat; alter pons, cujus rudera adhuc conspiciuntur, montem Sion cum Moria conjungebat. In angulo septentrionali, ad occidentem montis Sion, sita erat aula Herodis, muro cincta, quae ambulacra hortosque includebat. Prope Xystum erat palatium Hasmonaeorum, cui Agrippa aedificium tanta magnitudine adjunxit, ut exinde, quidquid in templo agebatur, spectari posset, quam ob rem Judaei altum parietem excitarunt super exedram, quae erat in interiore templo ad solem occiduum.

Murus secundus incipiebat a porta Gennath (primi muri), solum septentrionalem tractum i. e. Acram ambiens, ad Antoniam[1]) usque pertingebat, quo facto mons Calvariae muro erat exclusus. Murus tertius a turri Hippico se extendebat ad turrim Psephinum (in angulo septentrionali ad occidentem urbis, quae etiam turris Tancredi, nunc Kalaa Dschelud vocatur), dein ex adverso monumenti Helenae sese protendens et per speluncas regias in longum ductus, muro antiquo in valle Cedron conjungebatur[2]). Aedificari coepit hic murus ab Herode Agrippa I. anno 44 p. Ch., ut muniret Bezetham, urbi adjectam, quae prius tota fuerat nuda. Murus antiquus 60 turres habuit (praecipuas: Hippicum, Phasael et Mariamne), medius 14 et tertius 90; circuitus autem urbis universus erat 33 stadiorum.

1) In aquilonari angulo muri templi ad occidentem (non in tota aquilonari parte, Robinson) ab Hasmonaeis aedificatum erat praesidium, bene munitum ac firmum, Baris vocatum, quod Herodes ulterius munivit et in gratiam sui fautoris Antoniam (Fig. Antonia) apellavit (Ant. XV. 11, 4). Exstructa erat in speciem turris super saxo, 50 cubitos alto et undique praerupto, atque in quatuor angulis turres habuit et exinde totum templum posset conspici, intus prae se ferebat amplitudinem ac formam aulae regiae; quae vero pars templi porticibus jungebatur, utrimque descensus habebat, per quos descendentes vigilatores populum in festis observabant; custodia enim urbis erat templum, templi Antonia; a Bezetha arx haec per fossam (Birket Israin) abscissa erat, praeterea fossa subterranea, ad orientalem templi portam ducens, Antoniam cum templo conjungebat (Ant. XV. 11, 7).

2) Juxta Krafft, Raumer (Pal. 437), Rosen etc. murus hodiernus septentrionalis, qui 1538—1540 p. Ch. a Solimano II. aedificabatur, plane correspondet muro tertio, cui et circuitus urbis 34 stadiorum convenit. Monumentum Helenae correspondet sepulcris regiis a parte septentrionali urbis (contra Williams et Schultz, qui speluncas regias sepulcra regia habent), et speluncae regiae Josephi sepulcris Herodis seu speluncae Jeremiae conveniunt, quae cum opposita spelunca (Megaret el-Kotton), nunc per fossam separata, olim cohaesisse videntur. De muro secundo confer Z. D. P. V. VIII. 245 seq. XI. 46 seq.

3) Nehemiae tempore urbs 11 portas habuit (Neh. cp. 3 recensitas); in parte orientali erant portae piscium et ovium seu gregis (= porta s. Stephani), per quam greges in templum introducebantur, cui proxima erat piscina probatica (Bethesda = Birket Israin in viciniis ecclesiae s. Annae), portae carceris, equorum et aquarum versus Ophel; in austro: portae fontis (Siloe) et sterquilinii (hodiernae respondens) vel Essenorum (in valle Tyropoeon); in occidente: porta vallis (nunc Jaffa), in septentrione: portae anguli (2 Par. 26, 9), Ephraimitarum (Benjamin Jer. 38, 7; Neh. 12, 38, hodierna damascena) ac porta vetus[1]).

1) De topographia confer Z. D. P. V. III. 189, IV. 18; V.; X, 182; XI, 1 seq. Tübinger Quartschr. 1888. — Guerin, Jerusalem son histoire, sa description. Par. 1889. — Mommert, Topog. d. alten Jerus. Leipz. 1900—1907.

§. 82. Templum secundum.

1) Templum[1]) novum Zorobabele[2]) duce in eadem area et juxta eandem formam, qua templum Salomonis, exstructum est, ornatu autem ac magnificentia priori multum cedebat (Esr. 3, 12; Ag. 2, 1—9). E tributis Judaeorum annuariis ac donis, quae Judaei, proselyti ac ethnici consecrabant,

paulatim exornabatur, donec (anno 18 ante Ch.) ab Herode rege magnificentissime decorari coepit et — cum atriis — post annos $9^1/_2$ absolutum est, dum fabrica aedificiorum annexorum usque ad annum 64 post Christum (Agrippa II.) durabat.

1) Confer Flavium, Ant. XV. 11; B. J. 5. Mischna, tract. Middoth — qui duo fontes saepe divergunt.

2) Templum Zorobabelis ab Herode restauratum quidem, attamen in essentialibus non fuit mutatum, hinc templum Herodianum non convenit tertium adpellare. Confer Ag. 2, 10: *Magna erit gloria domus istius novissimae, plus quam primae . . . et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quamvis vero templum zorobabelicum ornatu et opulentia inferius esset priore (Salomonis), tamen ejus magnificentia, quam Christus per praesentiam suam huic contulerat, prioris gloriam superavit. Teste Josepho (Ant. XV. 11, 1) Herodes ei ampliorem ambitum dabat et in altitudinem magnificentissimam erigebat.

2) Templum a Zorobabele restauratum easdem mensuras templi Salomonici habuit; erant duo atria (cum cellulis et portis), quorum exterius (amplificatum) erat quadratum 500 cubitorum, muris, porticibus et turribus cinctum. Aderant altare et labrum aeneum in atrio interiore, candelabrum aureum, mensa et altare thymiamatis in Sancto. Sanctissimum vero erat vacuum.

3) Area templi ab Herode restaurati duplo major priore erat, nam amplificata fuit versus Aquilonem. Occidentem et Austrum, magnis substructionibus, et muris cingebatur. Erant autem tria atria, unum altius altero. Primum, τὸ πρῶτον ἱερόν vel atrium-gentium (חוּל profanum, τὸ ἔξωθεν ἱερόν, plures habuit portas[1]) et a tribus plagis duplici, a meridie triplici porticu cinctum[2]) ac lapidibus stratum erat. Hoc atrium ingredi poterant gentes et Judaei immundi. In medio atrio, in parte australi latissimo, erat septum lapideum, januis (13 Mischna) hinc inde patentibus et columnis adstantibus, quarum inscriptiones (graecae et latinae) immundis et ethnicis ingressum in aream sub poena capitis interdicebant. Abhinc 14 gradus ducebant in aream planam (חֵל antemurale), 10 cubitos latam, unde 5 (Mischna 12) gradus ducebant ad portas muri secundi, exterius 40, interius 25 cubitos alti[3]), qui concludebat atrium internum (τὸ ἔσωθεν ἱερόν); totum hoc atrium in parte septentrionali et australi quaternas portas[3]), laminis aureis et argenteis coopertas, in orientali unam, aere corinthio fulgentem (speciosam Act. 3, 2, ἡ κορινθία Joseph.), habuit.

1) Murus australis templi duas portas bipartitam Huldae et tripartitam, orientalis unam, septentrionalis parvam (Teri vel Tedi juxta Mischnam), occidentalis quatuor habuit, quarum duae in suburbia ducebant. Praeterea porta graduum exitum in vallem Tyropoeon praebuit.

2) Quaevis porticus 30 cubitos lata et 50 alta erat, excepta media partis australis, quae mensuram ceterarum dimidio superabat. Tectum cedrinum sustentabatur columnis, 25 cubitos altis, ex marmore albo; porticus meridionalis 162 columnas habuit, singulas duplici basi et capitulo corinthio ornatas; omnium porticuum pretiosissima erat, ideo porticus regia vel Salomonis dicta. In hoc atrio nummularii sedebant et mercatores victimarum (Matth. 21, 12. Joh. 2, 14) aderant, ibi etiam cubicula in usum Levitarum.

3) Ergo »murus« significat aedificia atrium duplex interius circumdantia. Cf. Schick l. 2. p. 132 seq. Hae portae 20 cubitos altae et latae, duabus valvis constabant, eis super-

structa erant cubicula. Hildesheimer, Beschr. d. Herod. Tempels im Trac. Middoth u. bei Jos. Flav. 1876. — E. Spieß, D. Tempel zu Jerus. 1881. — Bloch, Entwurf e. Grundrisses v. Herodian. Tempel nach talm. Quellen, 1882.

4) A parte orientali erat atrium mulierum (γυναικωνίς Joseph.) quadratum 135 cubitorum, ab atrio sacerdotum et Israelitarum per murum separatum. In hoc atrium mulierum a septentrione et meridie portae ducebant; exinde mulieres ulterius progredi non poterant, sed ibi in podiis suis, quae columnis pulcherrimis sustinebantur, viri autem infra haec sacris aderant. In hoc atrio erat γαζοφυλάκιον (Marc. 12, 41), sive cistae ad modum tubarum, in quas nummi sponte oblati condebantur. In quatuor angulis atrii mulierum erant cubicula pro Naziraeis, leprosis sanatis, asservando oleo et ligno. Occidentem versus, 15 gradibus altius, quam atrium mulierum, erat atrium interius, quod per loricam quandam, ex pulchro saxo, divisum erat in atrium Israelitarum et atrium sacerdotum. Atrium interius per sex portas cum atrio externo, per unam portam magnam (Nicanoris) cum atrio mulierum erat junctum. In atrio Israelitarum stabant Israelitae, qui immediate in sacris occupati erant, nec non musici et cantores levitici. In parietibus interioribus muri atrii illius multa erant cubicula, in quibus utensilia sacra conservabantur, panes propositioneis conficiebantur, sacerdotes hebdomadarii cubabant, agni pro sacrificio jugi conservabantur, synedria habebantur etc.

5) Atrium sacerdotum (τὸ δεύτερον ἱερόν), 189 cubitos longum et 135 latum, immediate circumdabat sanctuarium, et continebat altare holocausti e lapidibus impolitis erectum, 10 cubitos altum cum 4 articulis; basis ejusdem erat quadrata 32 cubitorum, cum ascensu leniter acclivi a parte meridionali. Sub altari cisterna sanguinem victimarum excipiebat et ulterius in torrentem Cedron emittebat. Insuper in atrio sacerdotum erat labrum magnum, quod implebatur aquis, e fonte prope Bethlehem specialiter deductis.

6) Sanctuarium sensu strictiore (ὁ ναός vel τὸ ἅγιον ἱερὸν), ex albo marmore exstructum 100 cubitos longum, altum atque in parte orientali latum erat, sed demum tempore Herodis, qui solarium et turres aedificavit. Pronaos enim erat 100 cubitos latum (ab utraque parte prominens) et altum, et 11 cubitos ab oriente ad occidentem extendebatur. intus totum deauratum, cum porta 70 (Mischna 40) cubitos alta et 25 (Mischna 20) cubitos lata, valvis carente et velo clausa. Janua biforis, 40 (Mischna 20) cubitos alta et 16 (Mischna 10) lata, e vestibulo in Sanctum ducebat; hujus aperiendae strepitus »usque Jerichuntem audiebatur«, et insuper sipario acu picto claudebatur. Supra hanc januam conspiciebatur vitis aurea (symbolum populi Is. 3, 14. Jer. 2, 21; Ez. 19, 10), unde botri magnitudinis staturae humanae dependebant. In Sanctuario, 20 cubitos lato, 40 longo et alto[1]), erat candelabrum aureum, mensa deaurata et altare[2]) suffitus (1 Mach. 1, 23 seq.; 4, 49). Sanctissimum, 20 cubitos longum, latum et 50 altum, habebat januam, itidem sipario (καταπέτασμα Heb. 9, 3; Matth. 27, 51) eoque duplici

elausam; fuit vacuum, obscurum, et solus lapis locum indicabat, ubi arca foederis (cujus vestigia, una cum tabulis foederis inde a Jeremia perierunt 2 Mach. 2) fuisset collocanda[3]).

1) Juxta Wolff (Temp. S. 94) altitudo totalis templi erat 117 (templi solius 100), latitudo 234 et longitudo 312 cubitorum.

2) Probabiliter candelabrum, mensa et thuribulum ad exemplar prioris templi confecta erant. Antiochus quidem candelabrum aureum rapuerat, sed Machabaei, pulsis Syris, novum fecerunt (1 Mach. 4, 49), quod Titus cum mensa et aliis vasis in triumpho circumtulit quodque in arcu triumphali Romae conspicitur. Confer Reland, De spoliis ed. Ugolini, Thes. XI. 1109.

3) In Mischna (Jom. 5, 2) lapis positionis vocatur, in quo pontifex die expiationum thuribulum deponebat. Juxta Talmud babyl. (Joma Cap. 1) ex eis, quae fuerant in templo primo, haecce deerant in secundo: arca (Jer. 3, 16), ignis sacer, Schechina (Gem. hiers: oleum unctionis), Spiritus sanctus ac Urim et Thummim (Es. 2, 63 heb.; Neh. 7, 65). — In dedicatione templum hoc nube non replebatur; noluit enim Deus foedus cum populo pactum in forma antiqua resuscitare, sed novum (Jer. 31, 31) ferire et legem in cordibus hominum scribere intendit.

7) Sanctuarium parietes habebat, intus et foris laqueari auroque obductos: porro a triplici latere (orientali excepto) aedificiis trium contignationum (οἶκοι τριστεγοι Josephus), 54 cubitos altarum, cum 38 cubiculis, circumdatum erat, et superne fenestris instructum. In has domunculas e templi porta utrinque patebat ingressus. Contignatio super Sancto et Sanctissimo (25 cubitos alta) includebat conclavia, ad conservandas res antiquas et pretiosas, et portabat cameras et tectum, non planum, sed acclive, horrens aureis verubus hisque acutissimis, ne ab insidentibus avibus inquinaretur. Tali modo domus templi accessionibus supereminebat ac marmore candidissimo auroque splendens oculos mirantium attrahebat[1]).

1) Josephus (B. Jud. VI, 6): *Exterior autem ejus facies nihil habuit, quod animus et oculi non mirarentur; laminis enim gravissimis aureis undequaque obtecta erat; ita ut primum ad solis exortum igni simillimum ejacularetur splendorem, et oculos eorum, qui eam intueri necesse haberent, quasi radiis solaribus inde averteret. Porro hospitibus advenientibus e longinquo monte niveo similis videbatur: nam ubi deaurata non erat, candidissimo marmore constabat. Saxorum autem, quibus exstructum erat templum, quaedam erant 45 cubitos longa, alta 5 et lata 6.*

§. 83. Libri Paralipomenon (Chronicorum).

1) Libri duo[1]) quo דִּבְרֵי הַיָּמִים (verba vel res gestae dierum = annales vel Chronica) inscribuntur, graece Παραλειπομένων (praetermissa), Vulg. Paralipomenon[2]) appellantur. In libro I. (Cap. 1—9) genealogiae populi judaici ab Adamo usque ad Zorobabelem, cum notis historicis, geographicis ac topographicis, continentur, dein (Cap. 10—29) sequitur narratio mortis Saul et gestorum David. In libro II. recitatur historia Salomonis (1—9) et regum Juda usque ad exilium (10—36). Auctor incidenter tantum loquitur de regibus Israel, plura in libris Regum omissa supplet, praeprimis, quae spectant religionem et cultum Jahve (1 Par. 13, 5—14; 22—29; 2 Par. 2—7; 30;

31; 35). In fine breviter epilogi instar narrat excidium urbis, captivitatem et licentiam, a Cyro datam Israelitis, in patriam redeundi.

1) Libri illi duo olim unum volumen constituebant, testibus Josepho (c. Ap. I. 8), Origene (apud. Eus. hist. occ. VI. 25), Hieronymo, et Masora, quae 1 Par. 27, 25 tanquam medium libri habet. LXX interpretes hoc volumen in duos libros distinxerunt.

2) Hieronymus (Prol. gal.): *Dibre hajamim i. e. verba dierum, quod significantius* Χρονικόν *totius divinae historiae possumus appellare, qui liber apud nos* Παραλειπομένων *primus et secundus inscribitur.* (Praef. in Par.): *Hoc primum sciendum est, quod apud Hebraeos liber Paralipomenon unus sit et apud illos vocatur dibre hajamin . . . qui propter magnitudinem apud nos divisus est;* confer epist. ad Paulin. 23. 7, in qua Par. librum *instrumenti veteris epitomen* vocat. — Isidorus (Etym. 6, 1): *Paralipomenon graece dicitur, quod praetermissorum vel reliquorum nos dicere possumus, quia ea, quae in lege vel in regum libris vel omissa, vel non plene relata sunt, in isto summatim et breviter explicantur.*

2) Libri hi post exilium, probabiliter ab Esra, scripti sunt[1]). Noluit tamen auctor merum supplementum librorum historicorum tradere, potius id prae oculis habuisse videtur, ut describendo statum familiarum (praeprimis tribuum Juda et Benjamin) ac distributionem terrae ante et post exilium, quasi tabulas reversis praestaret ad expediendam restitutionem proprietatum. Diligentissime recensuit familias Levitarum et sacerdotum, ut munera et avita hereditas eorum constarent ac cultus Jahvae ordinatis vicibus promoveretur[2]).

1) Sententia, Esram esse auctorem horum Librorum, confirmatur: *a)* ex Talmud (Bab. bath. I. f. 15): *Esras scripsit librum suum et genealogias libri Chronicorum; b)* inde, quod, quae auctor in fine libri 2 Par. dixerat, eadem initio libri Esrae repetit; *c)* quod in libris Par. et Esrae eaedem dictiones, eaedem formulae in citatione legis, eaedem rituum et festivitatum descriptiones, nec non ordines genealogiarum et personarum aequaliter conscripti inveniuntur, et *d)* quod *Esras scriba velox in lege Moysi* (Es. 7, 6) vocatur, cui proinde multa in acceptis sunt referenda. Ita plurimi recentiores. Minime tamen libri Par. cum libro Esrae unum volumen constituebant, uti vult Movers (Krit. Uutersuch. über die bibl. Chronik. 1834, 11), nec tempore Machabaeorum vel Alexandri Magni conscripti sunt, uti nonnulli (Zunz, Ewald, Gramberg, Chronik nach ihr. gesch. Carakt. geprüft. 1823), nixi genealogia 1 Par. 3, 19—24, putant. Huic hypothesi obstant commemorati (1 Par. 29, 7) nummi persici darici, pro quibus ab Alexandro M. talenta sunt introducta et drachmae (1 Mach. 11, 28; 2 Mach. 4, 19), dein menses numeris designati (1 P. 27, 2, 4, 5; 2 P. 31, 7), qui serius nominibus propriis designabantur, tum mensurae (2 P. 3, 3) et aliae voces, uti בִּירָה *arx* pro templo (1 Par. 29, 1, 19), in quibus adhuc influxus babylonius clare dignoscitur. Confer Movers 202 seq. — Genealogia Zorobabelis (1 Par, 3, 19) nonnisi ad tertiam generationem deducitur, et quae inde a Raphaja v. 21 sequuntur nomina, non sunt generationes Zorobabelis successivae, sed familiae coaevae, a familia Zorobabelis distinctae. Ceternm hoc fragmentum facile etiam e juniore potuit adjici.

2) Hunc fuisse auctoris scopum, evincunt accuratae descriptiones laborum David circa cultum divinum stabiliendum et structuram templi (1 Par. 13, 15—17; 22—26; 28; 29), relatae ad brevem ceterorum ejus gestorum narrationem, Salomon uti templi aedificator depictus, conamina Josaphat regis de cognitione legis promovenda (2 Par. 17, 7), accuratae enarrationes eorum, quae spectant ad cultum divinum v. g. celebrationem Paschatis, Hiscia (30; 31) et Josias (35) regibus etc. Keil, Ap. Vors. 226. Com. 429, et Kaulen, Einl. 205.

3) Usus est auctor fontibus probatissimis[1]): annalibus regum Juda et Israel (2 Par. 16, 11; 27, 7), fastis David (1 Par. 27, 24), commentariis historicis prophetarum Samuelis. Nathan. Gad (1 Par. 29, 29), Semeiae et

Addo (2 Par. 12, 15), Jehu, Isaiae (2 Par. 26, 22; 32, 32), et quidem fideliter; nam multa decora et in honorem Judaeorum edita omisit, e contra probrosa multa memorat, quae in libris aliis omissa erant.

1) Usus est (1 Par. 1—2; 2) genealogiis in Genesi (5, 10, 11, 10 seq. 36, 10 seq.) consignatis. Annales seu libri (verba) regum Juda et Israel diversi sunt ab his libris (III. IV.) Regum, probabiliter majus opus historicum (nunc deperditum) constituebant, quod variis titulis (2 Par. 16, 11; 20, 34; 24, 27 etc.) in sacra Scriptura adhibetur; ex illo pariter auctor LL. Regum hausit, unde magna analogia inter utrumque opus. Confer Tüb. Quartlsch. 1831, 201 seq. Commentarii prophetarum pariter distincti sunt a libris Samuel et Regum, nec cum illis annalibus confundendi, potius collectiones variorum scriptorum propheticorum censeri debent (Keil, Ap. V. 419. Herbst, l. c. 92). Ceterum auctor etiam libris Samuel et Regum, praeter fontes citatos, usus esse videtur.

4) Libri Paral. multis in locis[1]) fere ad verbum concordant cum libris Samuel et Regum, nihilominus tamen ab his discrepant, tum structura grammaticali et orthographia[2]), tum quod vocibus obscurioribus aut obsoletis clariores substituunt, tum quod narrationes, adjectis quibusdam verbis aut circumstantiis, reflexionibus paraeneticis et pragmaticis explicant, aut nonnunquam in libris Regum fusius dicta perstringunt, aut alio ordine recensent[3]). Praeter hos locos parallelos LL. Par. etiam pericopas sibi proprias ac majores continent, e quibus patet, auctorem fontibus suis ad arbitrium, scopo suo congruenter, esse usum.

1) In 40 pericopis conveniunt; confer Tüb. Quartlsch. l. c. 209—288. — Keil, Einl. 479.

2) Huc pertinet frequens usus scriptionis plenae pro defectiva in locis parallelis vel vice versa, scriptio juxta dialectum aramaicum, usus recentiorum formarum etc.

3) Confer Herbst, l. c. 177. — Movers 200.

5) Auctoritas historica, quae ab omnibus criticis scholae negativae fuit impugnata, quo Pentateuchi antiquitas facilius negaretur, probatur accurata citatione fontium publicorum, concordantia factorum et eventuum omnibus notorum cum libris Regum, dein eo, quod libri recentiores plura et Evangelistae genealogiam Salvatoris, ex eis depromserunt[1]): hinc Judaei et Christiani[2]) libros Paral. semper in canone numerarunt. Differentiae[3]), si quae occurrant in Libris Par. et Regum, sunt vel contradictiones mere apparentes vel e mendis librariorum[4]) repetendae, uti potissimum, quae nomina propria et numeros annorum concernunt.

1) Matth. 1, 9—11; 23, 34, 35, Luc. 3; 11, 51; Act. 7, 4, 8 seq. Comprobatur etiam inscriptionibus assyriacis; confer Vigouroux, Bible IV.

2) Hieronymus (ep. ad Paulin. 53, 7): *Paralipomenon i. e. instrumenti veteris epitome tantus ac talis est, ut absque illo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat: per singula quippe nomina juncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae et innumerabiles explicantur evangeliorum quaestiones.*

3) Differentiae in locis parallelis e scopo auctoris explicandae sunt, non autem ac si auctor ex ignorantia aut dissidio, ex trajectione veritatis, methodo dogmatico-mythologica, e veneratione cultus levitici, vel partium studio regum theocraticorum et odio in reges Israel veritatem historicam corrupisset ac depravasset. Eadem valent de partibus, libris Paralipomenon propriis. Confer Herbst 181, Cornely Int. I. 338 seq.

4) Jam s. Hieronymus (Praef. ad. LL. Par.) ait: *Libere enim vobis loquor, ita in graecis et latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam hebraea, quam barbara quaedam et sarmatica nomina congesta arbitrandum sit.* Potuerunt librarii in transcribendis nominibus (et scriptura samaritana) quasdam literas immutare, voces omittere, etiam nonnullis nominibus locorum aut virorum alia substituere, aut quia antiqua nomina obsoleverant, aut quia recentiora rem magis dilucidabant, et in recensendis numeris, qui olim literis scribebantur, errare. Omnes hae differentiae substantiam narrationis non afficiunt, sed minutas circumstantias tantum attingunt. De singulis confer Scholz, Einl. II. 435. — Reinke, Beit. I. 1; II. 551. VIII. 115. Tüb. Q. 1884, 403. — Comm.: Neteler 1899. — Hummelauer 1905. — Acath.: Oettli (Strack) 1889. — Benzinger-Marti 1901. — Kittel-Nowack 1902.

§. 84. Libri Esrae et Nehemiae.

1) Liber Esrae (Vulg. I. liber Esdrae) enarrat reditum exulum, Zorobabele duce, et templi reaedificationem (Cap. 1—6), reditum alterius partis exulum sub Esra, ejusque gesta in restauranda civitate (7—10); complectitur tempus circiter 80 annorum. Liber Nehemiae (Vulg. II. liber Esdrae)[1] exponit res, a Nehemia gestas in aedificandis Jerosolymae muris (1—7), cultu ordinando ac populi moribus corrigendis (8—10), et alia quaedam Nehemiae facta (restaurationem foederis), quae tamen res ab Esra gestas et I. Esd. 7—10 relatas praecedunt, variosque indices (11—18).

1) Uterque liber apud Josephum (cp. Ap. I. 8). Talmudistas (Bab. hath. 14) et plures Patres unus liber recensetur; vocatur autem liber Nehemiae etiam II. Esdrae, quia narrationem instaurationis templi, in I. Esdrae coeptam, ulterius prosequitur. Origenes (apud Eusebium, Hist. ecc. VI. 25): Ἔσδρας πρῶτος καὶ δεύτερος ἐν ἑνὶ Ἐζρᾶ, ὅς ἐστι βοηθός, Hieronymus (ep. 53, 7 ad Paul.): *Esdras et Neemias, adjutor videlicet et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur;* Prol. gal. Praeterea in multis codicibus LXX uterque liber unum volumen constituit quod ab initio majus fuit cujusque ordo hic erat; 1 Esdr. 1, 1—4, 5; 4, 24; 5, 1—6, 22: 4, 6—23; II. Esd. 1—13; I. Esd. 7—10. Cum liber contraheretur et amputaretur, II. Esd. propter proprium titulum separatus et post I. Esdr. cp. 10 collocatus est. Cf. Hoonacker l. c. et Schöpfer-Schlögl l. c. In priore libro templi cultusque divini restauratio, in altero civitatis et foederis divini renovatio praecipuum constituunt argumentum, ita ut ambo completam nobis exhibeant restaurationis imaginem.

2) Scopus libri Esrae fuit, ostendere, quomodo Deus, exilio finito, secundum suam promissionem populum electum e Babel reduxerit, restitutionem templi et cultus legitimi promoverit ac coetum novum a relapsu in idololatriam servaverit; libri Nehemiae autem, docere, quomodo ultima restauratio civitatis et populi executioni mandata fuerit, atque monere, ut eandem solerter conservarent.

3) Communiori sententia Esras habetur auctor libri, suo nomine inscripti (I), et quidem non tantum illius partis (7, 27—9, 15), ubi persona prima utitur, sed totius libri[1]), quod suadet connexio utriusque partis (7, 1), dispositio narrationis ac stylus, qui per universum librum cernitur aequalis, nec non traditio judaica. Pericopas chaldaicas[2]) Esras e fontibus antiquioribus hausit et libro suo addidit.

1) Unitati libri non obstat, quod Esras in 7, 1—26 et 10 persona tertia utitur; id enim objectivae narrationi rerum hic perbene convenit; ceterum pars altera libri Esrae sine

his fragmentis esset obscura. Nec magis obstant laudes, Esrae tributae (7, 6, 10, 11), quae nil nisi vera enuntiant.

2) Totus liber Esrae, uti Nehemiae scriptus est hebraice, exceptis Esr. 4, 8—6, 15 (de impedimentis structurae templi) et 7, 12—26 (exemplar epistolae edicti Artaxerxis), quae in sermone chaldaico sunt exarata.

4) Eadem ex causa liber alter (exceptis quibusdam versiculis)[1] Nehemiae auctori adscribitur. Sunt tamen, qui utrumque librum a recentiore redactore e diariis Esrae et Nehemiae in formam praesentem compositum esse putant[2]. Fontes, e quibus auctores hauserunt, in utroque libro consignati sunt, et quidem: varia documenta et edicta regum Persarum nec non tabulae genealogicae familiarum; insuper Esras et Nehemias plurium eventuum, quos narrant, testes fuerunt vel praecipui agentes, ut igitur de auctoritate librorum historica[3] et divina[4] non sit dubitandum.

1) Primam libri partem (Cap. 1—7) a Nehemia esse conscriptam, indicat locutio in persona prima nec non dictiones propriae, a qua parte index genealogicus 7, 6—71 separari nequit (Kleinert, Beitg. z. theol. Wiss. 1. Bd. Hamb. 1832, 116). Secunda pars (7, 73—10, 39) differt quidem a priore, nihil tamen continet, quod contra Nehemiam auctorem, vel contra aetatem ejus testaretur. Confer Welte, contra Kleinert 131 et Keil, qui partem hanc ab Esra conceptam et a Nehemia redactam fuisse putant, et contra Wette, Bertheau, Zunz (Gott. Vort. 24), qui eam interpolatam opinantur. Difficultates autem in parte tertia, in qua (12, 10, 11, 22) genealogia pontificum usque ad Jeddoam pontificem deducitur, quem Josephus (Ant. XI. 8, 4) Alexandri M. coaevum habuit, eo solvuntur, quod Jeddoa distinguendus sit ab illo, coaevo Alexandri M. (Ἰαδδοῦς), vel quod relatio Josephi vaga videatur et quod v. 22 Darius, rex Persarum, non sit Codomannus, sed Notus (Kleinert 162, 204; Keil, Einl. 465. Chron. Esr. 493. Nägelsbach) vel, quod hi versiculi a recentiori manu adjici potuerint (Welte 246, Vitringa, Obs. sac. VI, p. 337). Etiam 12, 26, 46 interpolati esse videntur.

2) Zunz, Ewald, Bertheau XV, Schrader (in Stud. et Krit. 1867, 460 seq. et apud Wette §. 235 seq.) utrumque librum pro parte libri Chronicorum habent et integrum opus a redactore aliquo (Chroniker) circa aetatem Alexandri M. (juxta Haneberg a Nehemia, et secundum Cornely ab Esra) conscriptum opinantur, cui sententiae favere videtur traditio Judaeorum, qui hos libros Esrae adtribuerunt (Merx, Trad. Rab. 1884, 53). cf. J. Fischer, Chronol. Fragen in B. Es. et Neh. Bibl. Stud. 1903.

3) Axiopistiam librorum evincunt fontes publici, dicta Aggaei, Zachariae et Malachiae prophetarum de statu rerum illius temporis, praeterea accuratae notae chronologicae (Esr. 7, 9; 8, 15; 10, 9. Neh. 1. 1; 2, 1; 5, 14; 6, 15; 9, 1; 13, 6) et descriptiones rerum, quae reali statui regni Persarum, qualem etiam profani scriptores depinxerunt, omnino conveniunt.

4) Hi libri semper a Judaeis et Christianis habebantur canonici. Licet in N. T. nulla allusio ad hos libros reperiatur, Siracides (49, 13—15) tamen ad hoc opus respexit.

Comm. Seisenberger, D. Bücher Esr., Neh. u. Esther. Wien 1901. — K. Holzhey, B. Esr. u. Neh. 1902. — Neteler, Es. Neh. 1907. — Acath.: Oettli (Strack) 1889. — Siegfried-Nowack 1901. — Guthe, Lond. 1901. — Bertholet-Marti 1902.

§. 85. Liber Esther.

1) Liber hic quaedam e fatis Judaeorum narrat, qui non redierant in Palaestinam, sed in regno persico remanserant, et quidem historiam Esther[1], virginis judaeae, quam Achaschwerosch[2], Persarum et Medorum rex repu-

diata Vasthi regina, in matrimonium duxit. Quae, per Mardochaeum patruum de perverso consilio Amani ministri certior facta, regem adiit ac revocationem fatalis edicti obtinuit. In memoriam hujus liberationis institutum est festum sortium (פּוּרִים, Purim)[3] (Cap. 1—10, 3). Hucusque textus hebraicus[4]. Additamenta (deuterocanonica)[5], quae in versione latina Vulgata inde a Cap. 10, 4—16, 24 habentur, accuratiorem narrationem quorumdam eventuum proponunt, qui in libro breviter tanguntur, vel summatim referuntur, ideoque historiam apte complent.

1) Esther (Ἐσθήρ, nomen persicum ستارہ, ἀστήρ, stella) erat judaea, Benjaminitis, nomine Hadassae (myrtina).

2) De tempore, quo historia Esther contigerit, et de rege Achaschwerosch (LXX Ἀρταξέρξης, Vulg. Cap. 1—10 Assuerus. Cap. 11 seq. Artaxerxes), quisnam is fuerit, dissentiunt interpretes. Veteres eum Cambysen, vel Darium Hystaspis, Josephus Fl. (Ant. XI, 6) Artaxerxem Longimanum, recentiorum alii (Herbst II, 1. 252) regem quemdam Medorum, J. Nickes (De Estherae libro l. 3. Romae 1856—58) in specie Cyaxarem, longe plures autem (inde a Scaligero) Xerxem I. habent, et hoc quidem maxima cum probabilitate. Convenit hujusce regis nomen et character, historice notus. In nomine Chshayârshâ, quo Xerxes in monumentis scripturae cuneatae adpellatur (Spiegel, Altpers. Keilinschriften, 194), omnes consonantes biblici nominis אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ recurrunt, solo א prosthetico excepto. Apprime etiam characterem et facta Xerxis huc quadrare, infra discemus.

3) Vocatur festum hoc 2 Mach. 15, 36 ἡ Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα, et celebratur die 14. et 15. mensis Adar, praelecta Megilla Esther, cui festo praecedebat dies jejunii, in memoriam diei ad deletionem Judaeorum per Aman decretae.

4) Assuerus ad potentiae suae ostentationem solemne instituit convivium; ad illud vocat Vasthi uxorem, sed renuentem venire repudiat et pro ea reginam sibi adsciscit Esther, per quam Mardochaeus, patruus et nutritor ejus, Assuero revelat conjurationem duorum palatinorum, quibus in crucem subactis rex Mardochaei fidem in annales referri jubet. Quum autem Mardochaeus ipse Amanum ministrum adorare renuat, hic ab Assuero impetrat decretum, ut omnes Judaei stato die occidantur (Cap. 1—3). Ob hoc crudele necis edictum lugens, Mardochaeus rogat Estheram, ut regem pro eorum vita deprecetur, quae, triduano sibi et Judaeis omnibus indicto jejunio, id se facturam, licet cum vitae periculo, pollicetur. Esther non vocata ingreditur ad Assuerum, comiter excepta, eum cum Amano semel et iterum ad convivium invitat; interim Aman Mardochaeo parat crucem (4. 5). Assuerus, renovata conjurationis per Mardochaeum dedectae memoria, jubet hunc regiis honoribus augeri, et quidem per ipsum Amanum. Esther inter convivium sibi et Judaeis vitam precatur et Amanum accusat, quem rex illico suspendi jubet, Mardochaeo autem dignitatem Amani confert. Esther jam a rege flagitat et impetrat, ut literae Amani de occidendis Judaeis irritentur, et novae in favorem eorum scribantur (6—8). Judaei hostes suos eodem die, quem hi suae neci destinaverant, occidunt et decem Amani filios suspendunt; in hujus beneficii memoriam festum perenne a Mardochaeo instituitur (9—10, 4).

5) Partes deuterocanonicae continent somnium Mardochaei ejusque explicationem de Judaeorum in Persia afflictione, liberatione et exaltatione (10, 4—11, 12); porro conjurationem eunuchorum contra regem detectam (12), exemplar epistolae Assueri, missae ab Amano ad communem Judaeorum caedem, et Mardochaei orationem pro hac caede avertenda (13), Estherae orationem et planctum (14), narrationem introitus ad regem (15) atque Assueri epistolam, pro salute Judaeorum emissam (16). Cf. Vigouroux, La Bible IV. 621 seq. — Schöpfer-Schlögl p. 519 seq. — Herodot VII, 7 seq.

2) Capita 1—10, 3 hebraice sunt conscripta; additamenta deuterocanonica e textu hebraico fluxerunt, sed nunc nonnisi in versione graeca et

versionibus inde derivatis (Itala, arabica, coptica, aethiopica, armeniaca, syriaca) inveniuntur, et quidem narrationi versionis graecae juxta rerum seriem intermixta[1]), in Vulgata autem ad finem libri adjecta, cum notis indicantibus, quo loco libri juste ponenda forent[2]), intime autem ad librum pertinent[3]).

1) Et quidem somnium Mardochaei et detectio conjurationis initio libri; Cap. 12. ordine historico 2, 31 inserendum est; exemplar epistolae (Cap. 13) post 3, 13, oratio Mardochaei post 4, 47, et immediate post oratio Estherae (Cap. 14); introitus reginae ad Assuerum (15) initio capitis 5., epistola Assueri pro salute Judaeorum (16) post 8, 13, et tandem explicatio somnii (10, 4) in fine libri sunt ponenda.

2) Translator hebraici libri Esther etiam additamenta ejusdem versioni graecae addidisse creditur, uti ex eodem dicendi genere patet. Non est absimile, exstitisse duo volumina hebraica libri Esther, alterum locupletius, alterum brevius, quod praelectioni in festo Purim inserviens, seriori tempore exemplar longius removerit, e quo dein translator additamenta sua deprompserit. Additamenta chaldaica, a de Rossi (Specimem var. lect. . . chald. Estheris fragm. Romae 1782) et Beelen (Chrest. Rabb. et Chald. I, 2 Cap. 2) edita, confirmant hanc sententiam de existentia voluminis locupletioris hebraici, at ista non sunt, nisi paraphrases textus primigenii. Minime vero probanda est hypothesis, quasi additamenta haec originetenus scripta essent graece; obstant enim multi hebraismi, in versione graeca obvii, et existentia duarum versionum graecarum libri Esther, quarum prior seculo II. ante Ch. tempore Ptolomaei Philometoris (11, 1) e textu originali est confecta, altera paulo junior, etiam e textu originali instituta, nec non duplex recensio textus graeci additamentorum, et quidem LXX interpretum et altera ab Usserio (1655) edita. Confer Langen (Die beid. griech. Texte d. B. Est. T. Q. 1860, 244), O. F. Fritzsche (Esther. dupl. lib. textus etc. Tur. 1848); et Lagarde (Lib. V. T. can. 1883).

Exstant duae versiones latiuae: *a)* antehieronymiana, corrupta et additamentis spuriis vitiata (Hieronymus in prf. Est.), et *b)* versio Vulgata, quam s. Doctor e textu hebraico, verbum e verbo, pressius transtulit, cuique in calce additamenta adjecit, e versione graeca sumpta.

3) Nexus additamentorum cum libro Esther est apertus. Somnium Mardochaei initio libri ejusque explicatio in calce hunc tanquam opus continuum, bene dispositum, evincunt. Oratio Esther 14, 15—18 et nota 15, 10 optime ex 2, 15—18 explicantur. Textui edicta inserere, ex usu illius temporis fuit (Esr. 1, 2; 4, 18; 6, 3). Item odium Amani in Mardochaeum bene explicatur ex 12. 6, quia illius conjurationis conscius, vel auctor fuerat (col. 16, 12) — Repugnantiae, quas inter librum ejusque additamenta nonnulli Protestantes invenire voluerunt, non sunt nisi apparentes. Confer Langen 49. Si in his partibus sensus religiosi magis urgentur, quam in ipso libro, non essentialis, sed formalis tantum differentia est; quamvis in libro non fiat mentio Dei (dum *rex, regina, regnum* 200ies occurrunt), tamen character religiosus ei impressus est, uti patet e 1, 14, e jejunio (4, 1) et inde, quod Mardochaeus genu non flecteret coram Amano (4, 2—5).

3) Liber Esther probabiliter a Judaeo, in regno persico degente, non diu post eventum, stante adhuc Persarum imperio, conscriptus est; scriptor[1]) authenticis Mardochaei autographis et regni persici annalibus usus, in componendo libro eo consilio ductus est, ut non tantum natales festi Purim ostenderet librumque eodem praelegendum suppeditaret, sed et ut providentiam divinam circa populum electum exemplo demonstraret, quippe quae Israelem e summo discrimine et e manibus gentium liberaverit, atque ut fideles ad observandam Legem incitaret[2]).

1) Nonnulli (Clemens Alex. strom. 1, 21, Abenesra, Sanctius etc.) Mardochaeum auctorem libri habent, cui sententiae favet versio s. Hieronymi: *Scripsit itaque Mardochaeus omnia haec et litteris comprehensa misit ad Judaeos . . . Scripserunt Esther et Mardochaeus Judaeus etiam secundam epistolam* (8, 20. 29), quo supposito clausula libri (9, 23—32) Esrae vel synagogae attribuitur a Kaulen, Einl. 230, Cornely, l. c. 432. Librum non diu post eventum scriptum esse, testantur accurata et minuta rerum descriptio (1, 4 seq.; 1, 10; 9, 7—10; 15, 5 seq.) et explicatio nominum mensium, quae recenter introducta fuerunt, per numeros appositos. Auctorem in Persia vixisse, inde patet, quia nullibi consuetudines Persarum, quas adducit, interpretatur nec mentionem facit Hierosolymae et institutionum leviticarum. Juxta Talmud liber noster est recensio scripti Mardochaei de festo Purim, a Synagoga magna confecta. Fürst, Kanon 108 seq. A. Scholz librum an. 150—100 a. Ch. scriptum et textum masorethicum anno 220 p. Ch. recensitum fuisse autumat. Ex eo, quod secundum 1, 1 seq. Susa non amplius urbs capitalis fuisse videtur, quod tempore Alexandri M. (332) factum est, et quod 1, 13, 19; 4, 11; 8, 8 mores Persici lectoribus explicantur, alii non absque probabilitate librum tempori seriori attribuunt (Rösch, D. heil. Schriften d. A. T. 225),

2) Hic finis cognoscitur imprimis ex oratione Mardochaei (13, 15 seq.), Estherae (14, 5 seq.) et e verbis auctoris 10, 12, 13.

4) Estherae historia non est conficta parabola vel fabula, uti Rationalistae autumant, sed historia vera; fidem enim historicam evincunt argumenta tum externa[1]), tum interna[2]).

1) *a)* Quamvis auctores profani de historia Vasthi et Estherae sileant, tamen tenor bri cum historia Xerxis regis optime conciliari potest, uti probavit Oppert (Commentaire histor, et philosoph. du livre d'Esther d'après la lecture des inscriptiones Perses. Paris 1864). Expeditione contra Aegyptum feliciter peracta (Herod. 7, 5), Xerxes anno 483 a. Ch. arma Graeciae inferre cogitavit, ideo magnates Susis ad concilium vocavit (Herod. 7, 8), cui convenit Esth. 1, 3. Devictus autem anno 479 Susa rediit, et deliciis se tradidit, uti Herod. 9, 108 et Esth. Cap. 2 narratur. Esther regina, contra priscas Persarum leges, extranea quidem fuit, attamen jam inde a Cambyse, teste Herodoto (3, 31), regibus persicis, quam vellent, eligere licebat. Exaltatio Amani ad summas dignitates facile explicatur, quia origine Medus fuit. Confiscatio bonorum Judaeorum eo facilius obtineri poterat, quia aerarium publicum bella exhauserant. Omnia praeclare gesta Mardochaei scripta erant in scriptis Medorum et Persarum; quia autem haec perierunt, inde explicatur silentium scriptorum profanorum de his factis. *b)* Universa narratio apprime respondet institutis ac consuetudinibus Persarum. Sic attributum: *regnans ab India usque Aethiopiam super 127 provincias* (1, 1), erat titulus consuetus regum Persiae. Si regina Vasthi renuit apparere coram rege et satrapis convivantibus, inde explicatur, quia hoc tantum concubinae facere solebant. Decreta regia, annulo signata (3, 12), non amplius revocari potuisse, patet etiam ex Dan. 6, 8. Usus, literas per cursores mittendi (3, 13, 15; 8, 13), ab Herodoto (5, 14; 8, 98) describitur. Edicta regum persicorum pro varietate linguarum totius imperii scripta fuisse testantur inscriptiones cuneiformes. *c)* Confirmat veritatem institutio festi Purim, quod quotannis celebrabatur (2 Mach. 15, 37); nam inauditum est, institutam unquam fuisse solemnitatem in memoriam cujuspiam fictionis. *d)* Accedunt aliqui persicismi, in nostro libro obvii (Oppert l. c. 17. 20 seq.).

2) Fidem historicam testantur tota libri indoles, accurata narratio etiam in minoribus rebus (1, 10, 14; 2, 8, 14, 21: 5, 10; 9, 7) v. g. annis (1, 3; 2, 16; 3, 7), mensibus et diebus (3, 13; 8, 12; 9, 1) referendis. Omnia quae in libro Esther narrantur, de dominatione superba regum, repudio reginae, gynaeceo, occisione ministri potentis et alia, ex asse conveniunt usibus orientalibus, uti demonstravit Cassel (Buch. Esther. Berlin 1878). Cf. Vigouroux, Les Livres saints T. 579 seq. Etiam indoles et conditiones personarum, uti regis, Mardochaei, Amani et Estherae, fidei historicae quam maxime respondent. Edicta priora, irrevocabilia, per alias epistolas fecit irrita (16, 17), quibus Judaeis indulsit, ut armis vitam

suam defenderent contra aggressores (8, 11), et suis principibus injunxit, ut hac in re Judaeis essent adminiculo (16, 20). Occisio et suspensio filiorum Amani necessaria erat (9, 13 seq.), ut hostes Judaeorum deterrerentur, ne manus in eos conjicerent. A. Scholz (com.) more suo etiam hunc librum allegorice interpretatur et tanquam propheticam repetitionem et explicationem vaticinii Ezechielis de Gog. (cp. 38. 39) habet. — Jampel, D. B. Esther a. s. Geschichtlichkeit kritisch untersucht. 1907.

5) Liber Esther a Judaeis inter libros canonicos recensebatur; serius quidem a Rabbinis variis e causis divinitas ejusdem in dubium vocabatur, donec ipse, ast amputatus ergo seclusis partibus sic dictis deuterocanonicis, rursus in canonem reciperetur[1]). Ecclesia autem catholica, antiquam traditionem secuta, etiam has partes, ergo librum integrum, tanquam canonicum et inspiratum veneratur[2]).

1) Canonica auctoritas libri per testimonium Dosithei et Ptolomaei sacerdotum vindicatur (11, 1). Si liber hic synagogae magnae tribuitur, istud non de conscriptione, sed de assumptione ejusdem in canonem intelligendum est (9, 32), quod paulo post introductionem festi Purim contigit (9, 23). Josephus, qui 22 libros A. T. canonicos numerat, librum Esther inter eos recenset eoque usus est (Ant. XI. 6, 1 seq.), Post Josephum Rabbini divinitatem ejusdem in dubium vocarunt, sive quia in Persia conscriptus est, sive ex aliis nescio quibus causis; quum autem cognovissent, librum amputatum (protocanonicum) cum reliquis libris sanctis seu potius cum festo Purim (quod serius in festum mere profanum degeneravit), bene congruere, hunc inde a seculo tertio p. Ch. retinuerunt.

2) Ecclesia catholica statim ab initio integrum librum, etiam additamenta, quae deuterocanonica vocamus, pro inspirato recepit. Sic jam Clemens Rom. (ep. 1 Cor. 55) pie respexit ad orationem Esther; idem fecit Clemens Alex. (strom. 4, 19). Origenes (Euseb. Hist. eccl. 6, 25), Epiphanius (de pond. et mens 4), Cyrillus Hier. (4, 35) librum Esther in canone recensent, Melito Sard. eum in canone omittit, citat tamen additamenta in Clavi. Si autem a quibusdam: Athanasio (ep. 39), Gregorio Naz. (Carm. 1, 1—12), Amphilochio (ad Sel. 288) etc. in canone non adducitur, hic ideo factum, quia in controversia cum Judaeis ea non censebant proferenda, quae in ipsorum canone desunt. S. Hieronymus ad ea tanquam eloquia divina provocat (ep. 48 ad Pam. ep. 130 ad Demetriad. Is. 1, 17 etc.). Porro Ecclesia partes deuterocanonicas etiam in sacram liturgiam recepit uti Cap. 13. in Lect. fer. IV. post. Dom. II. Quad. et in Missa contra paganos — et Cap. 14. in Offertor. Dom. XXII. p. Pentec. Merito itaque Concilium Tridentinum (sess. 4) totum librum Esther cum suis partibus canonicum declaravit.

Comm.: Neteler 1877. — Scholz 1892. — Seisenberger 1901. — Acath.: Oettli (Strack) 1889. — Wildeboer-Marti 1898. — Siegfried-Nowack 1901.

Prophetae post exilium.

§. 86. 10) Aggaeus (520 a. Ch.).

1) Aggaeus (חַגַּי, Ἀγγαῖος[1]), qui anno secundo Darii Hystaspis regis munus propheticum initiavit (1, 1), una cum Zacharia vate Judaeos, qui reaedificationem templi, sub Zorobabele ac Josue coeptam, intermiserant, ad opus continuandum vel potius denuo suscipiendum hortabatur; quo effectu, refert Esras (6, 14, 15). Templo finito Jahven in promissis suis minime cunctaturum praedicit.

1) I. e. festivus, vel solemnis, probabiliter sic dictus, quia die festo (tabernaculorum Reinke com. 4) natus est. Teste s. Hieronymo (Ag. 1, 13) quidam putabant, eum fuisse

(uti Joannem B. et Malachiam) angelum divinum, corpore humano vestitum, quam sententiam jam Cyrillus Alex. (Ag. 1, 13) refutavit. Rabbini veteres prophetas postexilicos membra et assessores synagogae magnae faciunt. Haud improbabile est, Aggaeum fuisse inter illos, qui cum Zorobabele et Josua e captivitate redierunt, et inter paucos illos, qui (2, 3, 4) templum primum viderant. Diversas traditiones de vitae ejus circumstantiis videsis apud Carpzov, Int. III, 423. — Knobel, Proph. II, 378. Colitur die 4. Julii.

2) Hortatur (Cap. 1) Aggaeus ad celeriorem templi fabricam, cui obsequentes Judaei opus inchoatum continuant; sermone altero (2, 1—10) praedicit, templum hoc Salomonico, licet inferius magnificentia et auri argentique copia, multo tamen gloriosius fore, quia *desideratus cunctis gentibus* illud sua gloria impleturus erat. Sermone tertio (2, 11—20) invehitur in externam tantum legis observationem. quarto denique (2, 21—24) Zorobabeli duci praemii instar gratiam divinam et stabilem seminis ejus (Davidici) progeniem usque ad Christum principem promittit[1]).

1) Propheta flagrans studio veri cultus Jahvae ac salutis populi sui, castigans indifferentiam religiosam, monens et instigans, nec non tempora meliora promittens, digne reliquis prophetis associatur. De vaticiniis ejus messianis confer Reinke, M. W. IV, 1, 400.

Laudat s. Hieronymus (Praef. Ag.) magnum spiritum Aggaei (et Zachariae), quod adversus novi regis edictum et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum, aedificationem templi impedientes, templum exstruendum curabat.

3) Dicendi genere utitur in adhortationibus gravi, in rebus messianis festivo. Lingua libri hebraica, passim chaldaismis referta, simplex et plana, non attingit quidem sublimitatem et puritatem prophetarum antiquiorum, minime tamen poëtico ornatu caret[1]). Auctoritas canonica testimonio Apostoli (Heb. 12, 26 col. Ag. 2, 7) comprobatur.

1) Observa frequentes interrogationes 1, 4, 9; 2, 4, 12, 13, 20 et rhythmum oratorium 1, 6, 9—11; 3, 6—8, 22. — Comment.: Reinke 1868. — Andrée, Par. 189[illegible].

§. 87. 11) Zacharias.

1) Zacharias (זְכַרְיָה Sacharja, Ζαχαρίας), filius Barachiae[1]) filii Addo, e genere sacerdotali, duobus mensibus post Aggaeum, cui se comitem praebuit, juvenis adhuc (Zach. 2, 4), munus propheticum auspicabatur.

1) Zacharias = memoria Domini (Hieronym.), vel cujus Dominus meminit, diversus est a Zacharia, filio Barachiae, qui intra templum et altare occisus est Matth. 23, 35 col. 2 Par. 24, 20 (Reinke, M. W. IV, 2, 3) et idem, qui Esr. 5, 1; 6, 14 tanquam filius (i. e. nepos) Addo adducitur. Colitur die 6. Septembris. De reliquis vitae conditionibus nil certi habetur.

2) Liber in duas partes dividi potest: pars prior symbolica (Cap. 1—8) post hortationem ad poenitentiam (1, 1—6) refert octo visiones[1]) partim consolatorias, partim comminatorias. et actionem symbolicam, quae spectant futura populi fata i. e. aevum postexilicum, tanquam praeambulum temporis messiani (1, 7—6, 15); dein (Cap. 7) responsum dat ad quaestiones circa jejunium, et (Cap. 8) describit futuram Jerusalem ac regni messiani

felicitatem. In parte altera (Cap. 9—14), prophetica, praedicit interitum Syriae et Philistaeorum omniumque hostium, regno divino adversantium, simul autem fata populi electi et adventum Messiae[2]), qui veniet tanquam rex justus, salvator et pauper, vectus super asinam et pullum asinae, et pacem annuntiabit gentibus, atque dominabitur a mari usque ad mare. Pergit describere regnum messianum, in quo effundet Dominus super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum. Prodetur Messias et vendetur 30 argenteis (11, 12); transfigetur (12, 10), percutietur pastor et dispergentur oves (13, 7—9); sed Israel poenitentiam aget et salvabitur, et aperietur fons in ablutionem peccatorum. Tandem omnes hostes devincentur et gentes ad urbem sanctam advolabunt. Utitur Zacharias dicendi genere, prae ceteris prophetis minoribus, obscuro ac praecipiti[3]), et quidem in parte priore oratione prosaica, in altera autem poëtica.

1) Prima visionum nocturnarum (1, 8) est visio equitum super equis varii coloris, duce viro super equo rufo, qui stat inter myrteta (1, 7—17); 2), altera est visio quatuor cornuum (hostium, qui ventilaverunt Israel), quae a quatuor fabris conteruntur (1, 18—21). Utrâque destructio potestatis gentilis proponitur, 3) Vidit virum mensuraturum Jerusalem (instaurationem ejus), quae replenda est habitatoribus ex Judaeis et gentibus (Cap. 2). 4) Jesus sacerdos exutus vestibus sordidis, induitur mutatoriis, qui judicaturus est domum Domini; adducet Deus servum suum, lapidem cum septem oculis — restitutio sanctitatis sacerdotalis (Cap. 3). 5) Visio de candelabro aureo cum duabus olivis, quod templum, a Zorobabele fundatum, ab ipso terminabitur (Cap. 4). 6) Volumen volans, quo iniqui judicabuntur (5, 1—4). 7) Mulier, in amphora sedens, quae a duabus mulieribus in terram Sennaar transportatur = ablatio iniquitatis populi (5, 5—11). 8) Quatuor quadrigae cum equis varii coloris, visae de medio duorum montium aeneorum, qui judicium venturum in gentes symbolice indicant (6, 1—8). Claudit has visiones actio symbolica, mandatum divinum, Jesum pontificem tanquam typum futuri Messiae sacerdotis coronis ornandi, unde gloria et beatitas populi deducuntur (6, 9—15).

2) Quanto propinquior Zacharias Messiae, tanto exactior de eo est in vaticiniis. Confer Reinke l. c.; F. H. Patritium, De Christo Zach. et Mal. vaticiniis praenuntiato. Rom. 1853. — Knabenbauer, Com.

3) Hieronymus (Prol. in Zach.): *Obscurissimus liber Zachariae prophetae et inter duodecim longissimus.* Obscuritas prophetiae non tam ex dicendi genere, quam ex argumento exoritur. Antiquiores prophetas saepe retractat et cum Ezechiele et Daniele visiones symbolicas habet communes. Non caret comparationibus audacioribus 2, 8, 9; 9, 15, 16; 10, 3—5; 11, 7, 10, 14; 12, 3, 4, 6, 8; 14, 4, 20 etc. — Hengstenberg, Christ. 250. Lingua paucis in locis colorem chaldaicum prodit et nonnunquam est dura; confer 1, 7, 8; 5, 11; 9, 1, 9; 2, 12; 7, 2, 3; 8, 12, 16.

3) Zachariam esse auctorem partis prioris, omnes conveniunt; partem autem alteram nonnulli, praeprimis protestantes[1]), Zachariae auctori abjudicarunt, et antiquiori aetati, nempe prophetae cuidam anteexilico (Jeremiae) tribuunt, hoc praeprimis ducti argumento, quia oratio partis secundae discrepet ab illa prioris, et quia s. Matthaeus 27, 9 locum Zach. 11, 12 sub nomine Jeremiae alleget[2]). — Sed etiam partem alteram Zachariae esse vindicandam, probant *a)* intimus ejusdem partis nexus cum priore; atque insolitum est, ut in tam arcta serie rerum unius libri vaticinia diversorum prophetarum conjungantur; *b)* auctores canonis, huic tempori vicini, qui istam

partem sub nomine Zachariae in canonem recipientes, de ejusdem scriptis probe scire debuerunt, eo magis, cum nomina reliquorum quoque 11 minorum, imo et modici Abdiae, fideliter conservata sint: *c)* affinitas argumenti, sermonis, phrasium[3]) et imaginum, felicitatem aevi messiani depingentium, nonnulla quoque vocabula, Zachariae propria, in utraque parte obvia, *d)* Idem docet versio graeca, quae, non diu post confecta, totum librum Zachariae tribuit. Tandem *e)* aetatem postexilicam[4]) poscunt frequentes provocationes et relationes ad prophetas anteexilicos et exilicos (v. g. 10, 3 c. Ez. 34, 17; 14, 8 c. Joel 3, 18; 9, 10, c. Mich. 5, 9; 14, 10, 11 c. Jer. 31, 38 etc.).

1) Primus, qui partem alterem libri Zachariae abjudicavit, erat Jos. Mede anglus (1653), quem secuti sunt B. G. Flügge, germanus, 1788, J. D. Michaelis, Seiler, qui eam vati cuidam incerto adscribunt, Ortenberg (Bestandt. d. B. Sach. 1859), Bertholdt tempori Achaz, Uziae vel Josiae regum adscribunt, et quidem aut integram partem, aut sectiones quasdam hujus partis. Inter criticos modernos tot sunt sententiae, quot interpretes; nam diverso modo tempora inde a seculo VIII. usque ad II. designant, imo ultima capita ex pluribus vaticiniis vario tempore exortis conflata statuunt. Contra hos authentiam libri vindicarunt catholici et plures protestantici interpretes.

2) Diversitas sermonis in diversitate argumenti fundatur, dum enim pars prior visiones et orationes propheticas, tempori praesenti destinatas, continet, altera revelationes temporis futuri evolvit, juxta analogiam Os. 1—3 cum 4—14; Is. 40—66; Dan. 8, 10—12. Citatio apud Matthaeum inde explicatur, quia vaticinium Zachariae nititur in Jer. 18 et 19 vel quia Matthaeus tum ex Zacharia, tum ex Jeremia citat, sed. ultimum tantum nominat (col. Marc. 1, 2). Praeter hoc argumentum externum criticis illis nullum testimonium historicum praesto est.

3) Utrique parti communes sunt expressio מֵעִבֵר וּמֵשֵׁב 7, 14; 9, 8; significatio providentiae divinae Symbolica per oculos Dei 2, 9; 4, 10; 9, 1, 3; theocratiae per domum Juda et Israel (aut Ephraim et Joseph) 1, 12; 8, 15; 9, 13; 11, 14 etc. Plane conveniunt 2, 10 et 9, 9; confer Keil, §. 103. — Reinke 7. De difficultatibus historicis confer Hengstenberg, Christ. 389; Knabenbauer, Com. 217; de nomine Hadrach consule Schrader, Keilinsch. u. A. T. 324 seq.

4) In 10, 2 populi dispersio et captivitas jam facta exhibetur; v. 6 ejus restitutio promittitur, 9, 11, 12 exules ad reditum invitantur, v. 13 Javan (Graecia) tanquam potestas praecipua theocratiae adversaria describitur etc.

4) Auctoritas canonica est certa; textus hebraicus autem mendis non caret, quae plerumque e LXX versione corrigi possunt.

Cum noster liber multa vaticinia messiana contineat, saepe in N. T. citatur; uti Zach. 9, 9 col. Matth. 21, 4, 5; Joh. 12, 15; Zach. 11, 12 c. Matth. 27, 9; Zach. 12, 10 col. Joh. 19, 37. Apoc. 1, 7; Zach. 13, 7 col. Matth. 26, 31. Marc. 14, 27; Zach. 8, 16 col. Eph. 4, 25. De textu emendando confer Bredencamp, Proph. Sacharja erkl. 1879.

§. 88. 12) Malachias (anno circ. 420 a. Ch.).

1) Malachias[1]) (מַלְאָכִי. Malachi, Μαλαχίας), prophetarum minorum ultimus, claudit seriem omnium prophetarum A. T.; nam ab eo tempore usque ad Christum siluerunt oracula prophetica, hinc et a Judaeis *sigillum vel terminus* prophetarum vocatur. Aggaeo et Zacharia prophetis posterior, templi

structurâ jam absolutâ (1, 10; 3. 1), vaticinatus est probabiliter tempore Nehemiae, quo hic altera vice e Persia rediit[2]).

1) Quum מַלְאָכִי = מַלְאָכָיו angelum Jahvae denotet, Judaei nonnulli et etiam Christiani putabant, Malachiam uti Aggaeum non fuisse hominem, sed angelum corpore humano indutum, quam sententiam refutarunt Cyrillus Alex. (com.) et Hieronymus. Alii autem, quibus Jonathan paraphrasta (Mal. 1, 1) et ipse Hieronymus (Mal. 3, 7) assentiunt, eum Esram scribam aut alium virum insignem intellexerunt, vitia ordinis sui taxantem, qui se Malachiae nomine symbolico appellaret; potior tamen scriptorum pars eum prophetam habet, cujus nomen scire nos voluit Deus, non autem genus et patriam. Confer Reinke, Proph. Malachi 1856, 2.

2) Nam taxat eadem crimina, in quae etiam Nehemias invehitur (Neh. 13, 4, 5, 10—13, 23—31). Ceterum accuratior temporis definitio stabiliri nequit; liber epitome concionum, quas longo vitae tempore habuit, esse videtur.

2) Propheta nomine Dei Judaeos arguit ingratitudinis[1]), et sacerdotes, quod sacrificia polluta offerant, quibus se substituturum, ait, oblationem mundissimam[2]), in omni loco offerendam (sacrificium Eucharistiae) eisque maledictionem minatur (1, 1—2, 9). Perstringit Judaeos, qui uxores alienigenas ducebant (2. 10—16). Impatientibus annuntiat diem Domini magnum, ejusque praecursorem (Joannem Baptistam 2, 17—3, 1), in quo judicio discrimen patebit inter justum et impium; ideo monet, ut legem Dei custodiant, quia per eam sint judicandi, et asserit, se ante diem judicii praemissurum Eliam[3]), qui ipsos ad Dei legis custodiam exstimulet, ut judicis non iram, sed remunerationem aeternam experiantur (3, 2—4, 6).

1) Idololatriâ crassa exstincta Malachias carpere coepit fidem operibus vacuam, et hypocrisin, unde sensim diversae sectae sunt enatae.

2) De vaticiniis messianis confer Reinke, M. W. IV, 2; 339. Beit. II, 465.

3) Praedicit Malachias hoc vaticinio Joannem Baptistam, primo Christi adventui praecessurum in spiritu et virtute Eliae (Matth. 11, 14; 17, 12. Luc. 1, 17), et Eliam, ante secundum Christi adventum in fine temporum in terris rediturum. Confer Reinke l. c. Tüb. Quartalsch. 1855, 529—91: Hist. Krit. Abhandl. über Mal. 3, 23, 24.

3) Lingua utitur hebraica pura quidem, sed aetatem recentiorem redolente; dictio ejus, quamvis facilis ac plana, vigore poëtico non caret[1]). Authentia et auctoritas canonica[2]) nunquam in dubium vocabantur.

1) Malachiae propria sunt: interrogationes et responsiones (forma dialogica) frequenter obviae (1, 2, 6, 7, 8, 9, 13; 2, 10, 14, 15, 17; 3, 2, 7, 8, 13, 14); significatio Joannis B. per »angelum meum« et Messiae per »angelum testamenti«. Reinke, Com. 49. — Isobes. cul, D. Proph. Malachias. Czernow. 1908.

2) Paulus Rom. 9, 13) exordium ejus velut Scripturam divinam allegat, Christus ejus verba (3, 1) de Joanne B. interpretatus est (Matth. 11, 10) et 4, 5, 6 a Gabriele Archangelo (Luc. 1, 17) et Christo (Matth. 11, 14; 17, 10. Marc. 9, 10) ad Joanem B. applicantur.

Nota. Exspiravit prophetia, non exhaustis plene viribus (quod censet de Wette, Einl. 340), sed absoluto praeconio promissionum evangelicarum, uti ex argumento ultimorum prophetarum videre licet. Rationes cessationis prophetismi sunt: *a)* quia inclinatio Judaeorum ad idololatriam calamitatibus exilii exstincta, et *b)* vaticinia ad Messiam fide amplectendum absoluta erant; conservandae revelationi sufficiebant scribae, quin tamen prohibere possent, quominus falsae legum interpretationes (sectae) propagarentur. Nullum quidem prophetam post Malachiam usque ad Joannem B. surrexisse (Matth. 11, 9 seq), spem tamen Israelitis fuisse, prophetiam resuscitatum iri, patet ex 1 Mach. 4, 46; 9, 27; 14, 41. Confer

de hac spe Carpzov (Intr. III, 71). Inde a Malachia usque ad Christum non plane defecisse revelationes divinas, demonstrat Vitringa, in Observ. sac. l. VI. Cap. 6—14. Confer Hengstenberg, Beit. I, 246. — Comm.: Reinke 1856. — Moor, Amsterd. 1903. — Isobescul 1908.

§. 89. Status politicus et religiosus Judaeorum post exilium.

1) Post reditum e captivitate regnum Davidicum non amplius suscitatum est, sed suspensum[1]) mansit, donec veniret, cujus est judicium et cui Dominus daret sedem David patris ejus (Luc. 1, 32); regis loco primo pontifices[2]), et dein tempore Seleucidarum synedrium[3]) res summas politicas civiles et religiosas decernebant. Populus castigatus et correctus rediit e captivitate; per tot vaticinia insignia, eventu completa, convictus, Jahven esse omnipotentem et omniscium mundi gubernatorem, inanes autem deos alienos, omnem idololatriam abominando abhinc Jahvae constanter adhaerebat, ut pro religionis suae confessione omnia tormenta libenter sustineret, imo, in alterum extremum lapsus, legi mosaicae ac ceremoniis vim absolute obligantem et sempiternam inesse crederet (Judaismus — Rabbinismus). Hanc ob causam Judaei, odium gentium, magis adhuc contra se excitarunt[4]), quod tamen non impedivit, quominus gentiles (Romani) deum Judaeorum victimis, templum donis, et populum foederibus aliquamdiu honoraverint[5]).

1) Per Esram et Nehemiam theocratia non penitus redintegrata, sed tantum ordo legalis restitutus fuit. Israelitae non prorsus erant liberi, sed uti ipsi fatentur: *Ecce nos ipsi hodie servi sumus et terra . . . servi sumus in ea, et fruges ejus multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra* (Neh. 9, 36). Familia Davidica regia conservata quidem, attamen sensim in paupertatem redacta est.

2) Teste Josepho (Ant. XI. 4, 8) post dedicationem templi *instituta est ea reipublicae forma, quae optimatum est paucorum potestate mixta; nam pontifices summae rerum praefuerunt, donec Asmonaeorum genus regnum obtinuit.* Hinc Persis et Graecis Judaei subjecti quidem erant, non autem a praeside extero gubernabantur.

3) Synedrium (talm. Sanhedrin) summum tribunal erat (juxta relationes rabbinicas jam a Moyse Num. 11, 46 repetitur), cujus jurisdictionis etiam res graviores ecclesiasticae subjectae erant; sed primum ejus vestigium historicum probabiliter habetur in γερουσία τῶν Ἰουδαίων (2 Mach. 1, 10 4, 44; 11, 27 col. Joseph. Ant. XII, 3, 3; XIII, 5, 8) sub Seleucidis; duravit autem tribunal istud usque ad excidium civitatis anno 70 p. Ch. Rabbini collegium hoc appellant synagogam magnam, quam alii (ut Jost) a synedrio distinguunt, docentes, eam fuisse collegium legis peritorum, ad quaestiones theologicas dijudicandas, ac prophetas postexilicos et viros illustres, Esram, Nehemiam etc. assessores ejusdem habent. Constabat hoc tribunal (senatus, γερουσία Act. 5, 21, πρεσβυτέριον Luc. 22, 66, vel βουλή Marc. 15, 43, Joseph. B. J. II. 15, 6) inde a temporibus Hasmonaeorum e praeside, qui plerumque pontifex erat, et (70) assessoribus, partim summis sacerdotibus (principibus 24 classium sacerdotum) atque pontificibus, qui summa hac dignitate jam functi vel saltem ex familia pontificia orti erant = ἀρχιερεῖς), partim πρεσβυτέροις i. e. senioribus et sacerdotibus, partim scribis seu eruditis (Soferim laicis = γραμματεῖς, qui tunc praeter sacerdotes ad interpretationem scripturae adhibebantur); dicuntur in orbem semicirculi consedisse, ita ut praeses cum 2 pro-praesidibus medium occuparet locum. Habebantur autem consessus in loco quodam inter atrium sacerdotum et atrium Israelitarum, serius in tabernis partis orientalis templi, tempore matutino, quotidie, diebus festis exceptis. Pertinebant ad jurisdictionem synedrii:

facultes docendi, administratio rerum graviorum, tum politicarum tum ecclesiasticarum (v. g. neomeniarum, mensis intercalaris et ejusmodi), summa jurisdictio ac ipsum jus gladii, quod quidem 40 annis ante dirutionem templum per Romanos minutum, ni penitus ademptum (Babyl. Sanhed. fol. 24, 2) erat; nam Judaei Pilato dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam* (Joh. 18, 31); Stephanum (Act. 7, 56) contra legem obstantem tumultarie morte plectebant. Huic synedrio magno subjecta erant synedria minora (tribunalia synagogarum), quorum singula constabant e 23 assessoribus i. e. senioribus et judicibus in diversis Palaestinae urbibus (Matth. 10, 17; Masc. 13, 9) cum 120 oeconomiis, et tribunalia seu judicia septem virorum (κρίσις Matth. 5, 22), quae causas minores decidebant et quorum erant plura in urbibus majoribus. Non immerito ab eis initium traditionis oralis (Mischna) repetitur.

Confer Tractat. Sanhed. Gem. hieros. Ugolinum, Thes. XXV, 1—302. — J. Selden, De synedriis et praef. jurid. vet. Eb. Amst. 1679 etc. — P. D. Huetium, Demonst. evg. IV, 14. — Vitringa, De synagoga vet. p. 414. — Carpzov, Apparat. crit. 664. — J. E. Rau, Diatriebe de syn. magna 1726. — C. Aurivillium, De synag. vulgo dicta magna diss. (de a Michaelis). — Buxtorf, Tiberias Cap. 10, 11. — Relandus, Antiq. sac. II, 7. — Langen, Das jüd. Synedrium in Tüb. Quartlsch. 1862, 411 seq. — Schürer, Geschichte d. jüdisch. Volkes II.[3] 188 fl. — A. Büchler, D. Synedrion in Jer. u. das große Beth din, Wien. 1902.

4) Philosophis gentium religio judaica tanquam *barbara superstitio* adparebat (Cicero pro Flacco c. 28). Carpebantur Judaei, quia abstinebant a carne porcina et nulla simulacra habebant, a Tacito (Hist. 5, 5) et a Plinio (Hist. n. 13, 4) *gens contumelia numinum insignis* appellabantur, *apud quos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium.* (Tacitus l. c.). Romani eos tanquam *despectissimam partem servientium et teterrimam gentem* habuerunt (Tacitus l. c. 5, 8). Confer Hausrath, Neutest. Zeitgeschichte, 1873, I. — Schürer, Lehrbuch. d. n. Zeitgesch. 1874, 388. — L. Geiger, Quid de moribus atq. institutis script. rom. persuasum fuerit. 1872.

5) Praeter Ptolomaeos etiam Augustus imperator, Pompejus, Agrippa, Vitellius templum hierosolymitanum donis et sacrificiis honorarunt, ut testatur Josephus; confer Luc. 21, 5 et Tertullianum Apol. c. 26. Merito igitur dicit Josephus (Bell. Jud. IV. 4, 3) de templo tanquam loco, qui *adoratur per orbem universum*, et (V. 1, 3) *fama celebratus et omnibus hominibus sacer habitus est.* Ideo in secundo templo erat atrium gentium.

2) Orthodoxia haec crassa et extrema inter Judaeos Palaestinenses ideo promovebatur, quia magna pars Judaeorum inter gentes dispersorum culturae graecae assuescebat, quae Judaismo crasso e diametro erat opposita. Nihilominus influxu philosophiae graecae (allegoriae) praeprimis, nonnullae ideae religiosae tunc temporis magis evolvebantur (testibus libris deuterocanonicis et apocryphis), quamvis nonnunquam etiam falsi quid in his admisceretur, quod in N. T. corrigendum, emendandum, perficiendum erat.

Sacerdotium pariter paulatim degeneravit, quod eo facilius factum, quia praecipua vehicula auctoritatis (arca foederis, Urim et Thummim) deerant, idea muneris eorum vicarii minuebatur et praedicatio verbi divini in synagogis sacrificia magis magisque arcebat, quinimo et laici eruditi (Soferim) ad Scripturas interpretandas sunt admissi. Ad Judaeos in fide roborandos, et gentiles religione mosaica imbuendos, multum contulerunt synagogae[1]), ubique erectae; praeterea per varias Judaeorum colonias monotheismus et exspectationes messianae etiam gentibus innotuerunt, et vice versa Judaei dispersi literas, artes ac linguas gentium (praeprimis Graecorum) sunt edocti. Tunc etiam libri sacri, ne perirent, colligi coeperunt (initium canonis).

1) De origene synagogarum ambigitur. Probabiliter in exilio babylonico institutae sunt; cum enim templo diruto sacrificia praescripta cessassent (Is. 43, 25 seq.), exules, ns omni religionis exercitio carerent, apud prophetam vel alium virum pium (Ez. 8, 1; 14, 1; 20, 1) conveniebant, qui religionem docebat, ad probitatem hortabatur et libros sacros praelegebat (Neh. 8, 1; 9, 1; 13, 1); imo talis mos jam ante exiliium hac illac viguisse videtur (4 Reg. 4, 22). Quum dein hae congregationes certis locis figerentur, ortae sunt synagogae בָּתֵּי (הַכְּנֶסֶת) כְּנֵסִיוֹת = συναγωγαί (ecclesiae) vel בָּתֵּי תְּפִלָּה (Is. 56, 7) = προσευχαί (oratoria, nonnunquam tamen ab illis distincta. sub divo (Ant. XIV. 10, 23 col. Act. 16, 13), quibus archisynagogus (Luc. 8, 49) et seniores (πρεσβύτεροι Luc. 7, 3, vel ποιμένες vel προεστῶτες ei subjecti) praeerant; his accedebant legatus synagogae, seu praelector, et minister (ὑπηρέτες Luc. 4, 20). Reversi ex exilio in patriam, etiam post aedificationem templi, institutionem hanc retinuerunt; hinc non tantum in coloniis exteris et Palaestinae urbibus v. g. Nazareth (Matth. 13, 54), Capharnaum (Marc. 1, 21), sed et Hierosolymis ipsis, praeter templum, erectae erant multae synagogae; Jerusalem tempore dirutionis 480 (?) synagogas habuisse fertur, nam quaevis colonia judaica (alexandrina, cyrenensis, libertina etc.) propriam habuit synagogam (Fürst, Culturg. 28). Synagogae plerumque in altioribus locis sitae, ad formam templi erant dispositae, ut atrium cum porticibus haberent; in medio atrio erat sacrarium, quatuor columnis innixum, ubi in loco, nonnihil elevato (בִּימָה), liber legis ponebatur; volumen, quando ex eo non praelegebant, in armario (sacello) involutum asservabatur. Subsellia vocabantur κάθεδραι, illa vero legisperitorum πρωτοκαθεδρίαι (Matth. 23, 6). Conveniebat autem ibi coetus (mulieres a viris separatae) sabbato et festis, imo et aliis diebus (feriis II. et V.), atque pro sacrificiis (in templo oblatis) orationes, hymni et Psalmi substituebantur additis tamen insuper aliis precibus, si sacrificiis oblatis aliae quaedam jungebantur in templo. Orationes principales quotidianae (matutinae et vespertinae) erant Schma (Dt. 6, 4—9, 11, 13—23) et Schmoneh Esre (i. e. 18 eulogiae, Vitringa Synag. p. 1033), quas excipiebant sabbato lectio legis (in Paraschas) et Prophetiarum (in Haphtaras divisarum), vel Megilloth, pericopae praelectae explicatio (Midrasch Luc. 5, 20 seq.) atque benedictio sacerdotalis. Has praedicationes antiquas testatur Apostolus (Act. 15, 21): *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Initio sacerdotes verba faciebant (Mal. 2, 7. Neh. 8, 8 seq.; 9, 5), postea et legisperiti (γραμματεῖς et νομοδιδάσκαλοι N. T.). Haec synagogarum institutio adoptata est ab Ecclesia christiana in basilicis suis. — Rosenmann, D. Ursprung d. Synagoge u. ihre allmähl. Entwicklung. Berl. 1907. — Oesterley and Box, The Religion and Worship of the Synagogue. Lond. 1907. — Friedländer, Synagoge und Kirche in ihren Anfängen. Berl. 1908.

§. 90. Ulterior evolutio quarumdam veritatum religionis.

I. Dogmatica.

Plures veritates, quarum semina jam primis stadiis divinae revelationis sparsa erant, influente prophetismo et rationibus exilii ulterius evolvebantur clariusque patefiebant. Huc in primis spectant mysterium ss. Trinitatis, nominatim quoad secundam et tertiam in divinitate personas, dein peccatum originale, immortalitas animae, doctrina de angelis et daemonibus, ac tandem novissima hominis.

1) Mysterium ss. Trinitatis.

Unitas divinitatis, quae in A. T. prae cunctis urgebatur, non excludit pluralitatem personarum. Verum evolutio hujus mysterii sensim procedebat, ita quidem, ut levia ejusdem vestigia jam ab initio revelationis apparerent,

manifestiora, prout oeconomia salutis ferebat, decursu seculorum accederent, plena autem veritatis lux in N. T. resplenderet.

A) Pluralitatem in Deo Subjectorum generatim jam Dei nomen Elohim[1]) innuit, quod de solo plurali dignitatis acceptum, imperfecte explicatur, praesertim, ubi praedicatum sibi jungit in singulari numero. Idem multo clarius docent verba, quibus Deus, hominem creaturus, quasi consultans ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26), item verba, quae, linguas confusurus, profert: *Venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum* (Gen. 11, 7). Utrobique dein consilium suum executus dicitur Deus, cum praedicato et suffixis in singulari numero, quae loquendi ratio in Bibliis non potest dici simpliciter otiari[2]).

1) Confer Zschokka, Theol. d. Propheten pag. 103 seq.

2) Confer Gregorium Nyss. h. l.; Irenaeum, haer. 20. l. 4; Chrysostomum, hom. 8. in Gen.; Theodoretum qu. 19 in Pen.; Augustinum, Civ. Dei, 16, 6. Insigniter huc spectant etiam Gen. 3, 22; Isaias 6, 8 et alii loci, quos videsis citatos apud Zschokke op. c. pag. 106 seq.

B) In specie Trinitatem personarum in divinitate indigitat numerus ternarius[1]), toties in A. T. frequentatus, ac tres personae in Divinis singillatim memoratae.

1) Numerus ternarius in A. T. erat numerus vel signatura Dei, unde nil mirum, quod Deus, de se loquens, in eadem propositione ter utitur nomine divino, v. g. Is. 48, 12; 33, 22; 43, 11, 12; 44, 6; 45, 5, 7, 21. Jer. 10, 10; 33, 2. Hos. 12, 6. Zach. 3, 2; 14, 9 etc., vel tria attributa ipsi dantur, Is. 33, 2; 43, 15; Dan. 9, 19; Ez. 21; 27, 1, quorsum praeprimis spectat illud augustissimum Trisagion: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* (Isr. 6, 3), de quo confer Augustinum (de fid. ad Pet. Cap. 6): *Ubi prorsus in eo, quod dicitur tertio sanctus, personarum Trinitatem, in eo vero, quod dicit semel Dominus Deus Sabaoth, divinae naturae cognoscimus unitatem,* et canticu trium puerorum *benedictus, laudabilis et superexaltatus* (Dan. 3, 52 seq.), *benedicite, laudate et superexaltate,* quae verba (Dan. 3, 57—90) 33ies iterantur.

2) Tres in Divinis personas singillatim A. T. distinguere, hinc perspicimus, quod in eo primum innumeris locis laudari, ac celebrari, resp. offendi et derelinqui reperimus Deum, puta Deum patrem, dein ab eodem Deo missum videmus Angelum Jahvae, tum promissum audimus Messiam Deum, ac revelatam in Logo Sapientiam substantialem, nec non subobscure etiam Spiritum Sanctum indigitari.

Primam in ss. Trinitate personam, Deum Elohim Jahven, in A. T. notam fuisse, sacrae paginae nobis continuo clamant, unde specialis hujus veritatis demonstratio superflua foret. Distingui vero in Divinis praeter Patrem secundam personam, documento est Angelus Jahvae, Messias promissus et Sapientia increata.

I. Angelus Jahvae.

a) Pluries in s. Scriptura memoratur insignis quidam מַלְאַךְ יְהוָה[1]), qui, visibili apparens specie, multifariam exstitit mediator Deum inter et homines, quique neque angelus creatus, Dei nomine agens[2]), censeri potest, neque Deus Pater ipse meraque apparitionis divinae forma, sed, pro attributis et actionibus suis, credi debet secunda Trinitatis persona[3]).

1) Vox Malach Jahvae generatim designat nuntium vel legatum, a Jahve missum, qua appellatione missus diserte secernitur a Jahve mittente (Patre); quia vero phrasis haec saepe variat cum phrasi מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים cum articulo, tali modo dicit legatum aliquem certum ac definitum.

2) Angelum creatum habent Hieronymus (in Gal. 3, 19), Augustinus (l. 7 de Trin. Cap. 3; Civ. D. 26, 29), Gregorius M. (l. 28 Mor. Cap. 1), Theodoretus, recentiores interpretes judaici et nonnulli Protestantes: Hofmann, Delitzsch, Kurtz, Gesenius et alii.

3) Malach Jahvae esse τὸν λόγον, defendunt reliqui ss. Patres, docti catholici: Allioli, Reinke, Störmann, Bade, Danko, Rohling, et protestantes: Hengstenberg, Lange, Auberlen, Keil, Oehler etc.

b) Malach Jahvae esse revera personam divinam, docent nomina, attributa et actiones, quibus in s. Scriptura insignitus apparet.

Apparet Angelus Jahvae Hagari in deserto erranti (Gen. 16, 7, 10 seq.) dicens: *Multiplicans multiplicabo semen tuum . . . ecce concepisti et paries filium vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Jahve afflictionem tuam.* Hagar admiratione affecta, se Deum vidisse nec tamen obiisse, *vocavit nomen Jahvae, qui loquebatur ad eam: Tu Deus, qui vidisti me . . . Propterea appellavit puteum illum Puteum Viventis et Videntis me.* Iterata vice (Gen. 21, 17, 18) cum Hagare colloquitur ejusque oculos aperuit, ut videret puteum aquae. Abrahamo filium suum offerenti apparet Angelus Dei, dicens: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidpiam; nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Angelum istum fuisse Deum, confirmant Abraham appellando nomen loci illius: *Jahve videbit,* et ipse Angelus dicens: *Per memetipsum juravi, dicit Jahve, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum* (Gen. 22). Jacobo, Bethele pernoctanti, in somnio apparet Angelus Dei, qui se dicit Jahven, Deum Abrahae et Isaac eique promissa repetit: quare Jacob de somno evigilans ait: *Vere Jahve est in loco isto, et ego nesciebam,* vocavitque nomen urbis Bethel (domum Dei), eique altare erexit et votum vovit (Gen. 28). Idem Angelus Dei mandat Jacobo in somnis, ut e Mesopotamia in terram nativitatis suae revertatur, et expresse se dicit Deum Bethelis (Gen. 31, 11 seq.). Cum eo redeunte ad vadum Jacob colluctatur vir, quem Hoseas (12, 5) Angelum Dei appellat. Istum virum colluctatorem fuisse Deum, ipse innuit, quod nomen Jacob propter hanc colluctationem mutavit in Israel (pugnator Dei), et confirmat Jacob, petendo ejus benedictionem et appellando nomen loci Phanuel (Gen. 32, 24 seq.); ideo s. Athanasius (orat. 3. cont. Ar.) merito hunc angelum vocat Filium Dei. Confer etiam theophaniam, Abrahae factam in valle Mambre (Gen. 18).

Angelus Dei (heb. Vulg. *Dominus*) apparuit Moysi in flamma rubi ardentis (Ex. 3, 2 seq.) nomen suum: *sum qui sum,* ei manifestans, se Deum Patriarcharum et ductorem populi revelans, et Moysen facultate miracula patrandi armans. Ipse dux atque tutor populi fuit in via per desertum (Ex. 13, 21); unde Angelus Dei, qui hucusque Jahve (Ex. 14, 1, 13—18) vocabatur, narratur praesens in columna ignis (Ex. 14, 19), qui castra Israelitarum ab impetu Aegyptiorum protegebat; ideo columna illa appellatur nubes Jahvae (Num. 9, 15; 10, 34 col. 1 Cor. 10, 9). Huc spectant ex 23, 20 seq. 32, 34; 33. Num. 20, 16; 22, 22—35. Jos. 5, 13—16. Angelus Jahve Israelitis in Bochim apparens, eos ex Aegypto se duxisse, legem dedisse et in Chanaan deduxisse asserit (Jud. 2, 1—3). Angelus Dei, qui Gideoni videndum se exhibuit, ab autore libri dicitur Jahve et a Gideone salutatur Adonai, sacrificium oblatum igne consumpsit eumque timore exclamantem: *Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Jahvae facie ad faciem!* solatur (Jud. 6). Uxori Manue Angelus Dei filium promittit et a viro sacrificium oblatum accipit. (Jud. 13).

Inde a regno introducto Angelus Domini sensim desiit apparere; nam ordine regio et prophetico introducto, Deus ad populum docendum magis utebatur organis et vicariis ordi-

nariis; nec tamen desiit ejusdem Angeli operatio et memoratio. Isaias (63, 9) celebrat *Angelum faciei Dei* tanquam salvatorem populi, Ezechiel vidit in ecstasi super thronum divinum *similitudinem, quasi aspectus hominis* (1, 26), et Daniel *cum nubibus coeli quasi filium hominis venientem, et usque ad antiquum dierum venientem, qui dedit ei potestatem et honorem et regnum* (7, 13, 14). Angelus Domini descendit cum tribus pueris in fornacem et excussit flammam ignis, qui Deum in fornace benedicebant (Dan. 3, 49—51). Saepius mentionem Angeli Dei facit Zacharias in visionibus suis, et impatientibus Judaeis, respondet Malachias (3, 1): *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis;* hic judicium exercebit de impiis.

c) Angelum Dei esse personam divinam a Patre distinctam, seu τὸν λόγον, probant materia substrata[1]), relatio Antiqui ad Novum Testamentum[2]), Scriptura Novi Foederis[3]), traditio judaica[4]) et christiana[5]).

1) Jam ipsum nomen Angelus Jahvae indigitat distinctionem personarum, angeli a Jahve. Praecisius vero hanc distinctionem enuntiant plures loci, ubi angelo et Jahvae diversae actiones attribuuntur, v. g.: *Jahve pluere faciet super Sodomam sulphur et ignem a Jahve* (Gen. 19, 24 heb.), quae verba Concilium Sirmiense sic interpretatur: *Pluit Dei Filius a Deo Patre.* Jahve ad montem Sinai Moysen alloquitur (Ex. 23, 20 seq.): *Ecce ego mittam Angelum meum qui praecedat te, et custodiat te in via, et introducat te in locum, quem paravi. Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes quia non dimittet, cum peccaveris* (contra eum), *et est nomen meum* (i. e. essentia mea) *in illo.* Hujus loci contextu spectato Angelus Dei est ejusdem essentiae divinae, sed distinctus a Patre (col. Heb. 12, 26. Philo, Lib. de agric. Mangey 308). Appellatur *Angelus faciei Jahvae* (Is. 63, 9), utpote per quem Deus hominibus faciem ostendat, se manifestet, eodem sensu, quo Christus celebratur *imago Dei invisibilis* (Col. 1, 15), *splendor gloriae et figura substantiae Patris* (Heb. 1, 3).

2) Tota relatio A. T. ad novum postulat, ut operatio Messiae, qui est centrum omnis historiae, inde, a prima ejus promissione (Gen. 3, 14) non maneat ignota; quod enim Deus in salutem mundi operatur, per Filium suum operatur (Joh. 1, 3). Operatus est primo tanquam Angelus Dei, theophania usus, sine carne (ἄσαρκος), idque propter proclivitatem Israel ad cultum idolorum. Tali modo autem simul incarnatio praeparabatur, ut, cum venerit, animos ad fidem sui dispositos haberet.

3) Congruit Scriptura Novi Testamenti. Sic operatio τοῦ λόγου in A. T., a Joanne Evangelista (Cap. 1) descripta, respondet operationi Angeli Jahvae A. T. Docente s. Paulo (1 Cor. 10, 4, 9) Christus erat dux Israel, a populo tentatus; ipse (Heb. 12, 26) movit terram in legislatione sinaitica; *Abraham exsultavit, ut videret diem meum,* ait ipse Dominus (Joh. 8, 56), *vidit et gavisus est.* Christus *est agnus, occisus ab origine mundi* (Apoc. 13, 8).

4) Paraphrases chaldaicae saepe pro Malach Jahvae et ipso Jahve ponunt מימרא דיי i. e. *verbum Jahvae,* vel ὁ λόγος, et Schechina. Rabbini huic Angelo nomen metatronis tribuunt, cujus origo obscura est; alii radicem latinam statuunt metari, i. e. ducis instar loca signare castris figendis, ut itaque metatron significaret ducem Israel; alii a voce mater vel matrona derivant, quasi hoc nomine principium in Deo femininum, ἡ σοφία, exprimatur; alii vocabulum graecum supponunt μετά-θρονος = σύνθρονος; alii rectius ex hebraico interpretantur מָטַר = *tegere,* ut hoc epitheto appelletur custos Israel. Distinguunt Rabbini metatronem inferiorem (Henochum), et superiorem, quem dicunt increatum, per emanationem existentem, unitate essentiali arctissimaque necessitudine cum Deo supremo conjunctum, unde eum passim cum Schechina et Messia identificant. Confer Reinke, Diss. de div. Mess. natur. pag. 469. — Buxtorf. Lex. rabb. Metatron.

5) Plurimi ss. Patrum et Scriptorum sub specie Angeli Dei latuisse τὸν λόγον mediatorem docent; uti Justinus (Apol. 1, 63. dial. c. Tryph. §. 56, 59). Irenaeus (haer. 3, 6,

2; 4, 7, 4), Clemens Alex. (Paed. 1, 7), Tertullianus (de praesc. 3, 7, 1 ad Prax. 15, 16), Cyprianus (Testim. 2, 1—6), Eusebius (Dem. ev. 5, 10, 15), Athanasius (or. c. Arian. 3, 12), Hilarius, Ambrosius (l. l. de fide Cap. 5): *Non Pater in rubo, non Pater in eremo. sed Filius Moysi locutus est. Hic est ergo, qui legem dedit, ipse, qui locutus est Moysi dicens: Ego sum Deus Abraham . . . Hic est Deus Patriarcharum, hic est Deus Prophetarum* etc. Confer Petavium l. 8. c. 2. n. 3 seq. Patritium, De interp. orac. ad Christ. pertin. pag 70 seq. — Concilium Antiochenum (269) Paulo Samosateno Angelum, qui Abrahae apparuit, fuisse Christum Dominum probat, et concilium, Sirmii habitum, illos anathematizat, qui Angelum A. T. λόγον fuisse negant. Consentit Ecclesia catholica in Antiphona 18. Decembris: *O Adonai et dux domus Israel, qui Moysi in igne flammae rubi apparuisti, et ei in Sinai legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento!*

Confer: Reinke, Diss. de div. Mess. nat. Is. 52 seq. et Beitr. IV. 355. — Störmann, in Oest. Viertelj. 1868. — Bade, Christotheologie 1870. — Kahnis, de angelo Domini diatribe 1858. — Hengstenberg, Christ. I. 124. Beitr. III. 2. — Lagrange, Revue bibl. XII, 212 seq.

II. Clare in Antiquo Testamento divinitas Messiae enuntiatur, uti Christus ipse Pharisaeis probat (Matth. 22, 41—45). Messiae enim adscribuntur divina origo[1]), nomina[2]), attributa[3]), et opera[4]).

1) Designatur Messias tanquam filius Dei Ps. 2, 7: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (col. Heb. 1, 5). et Ps. 109, 3: *Ex utero ante luciferum genui te;* Ipse venit cum nubibus coeli (Dan. 7, 13), est *germen Jahvae* (Is. 4, 2; Jer. 23, 5. Zach. 3, 8).

2) Messias vocatur *Emmanuel, i. e. Deus nobiscum* (Is. 7, 14), *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi* (Is. 9, 6), *Deus, qui veniet* (Is. 40, 3 seq.), *Jahve justitia nostra* (Jer. 23, 6), *Dominus exercituum* (Is. 44, 6).

3) Messiae attributa divina accommodantur: *a)* est enim aeternus (Is. 9, 6; Mich. 5, 2), *b) Sanctus Israel* (apud Isaiam) et *Sanctissimus* (Dan. 9, 24), *c)* absolute justus (Jer. 23, 6; Is. 11, 4) et *germen justitiae* (Jer. 33, 16), *d)* omniscius (Is. 11, 3, Jer. 11, 20; 17. 10), *e)* omnipotens (Is. 11, 4), *fortis* (Is. 9, 5), super quem Spiritus Dei cum omnibus suis donis requiescit (Is. 11, 2; 61, 1), *f) lux* et *lumen magnum* (Is. 9, 1, 2), lumen Jerusalem (Is. 60, 1—3; 61, 1), sol justitiae (Mal. 4, 2), *g)* dominator omnium (Is. 9, 5, 6; 11, 10; 53, 12; Zach. 9, 9, 10. Dan. 7, 14), *h) lapis angularis,* in quem credendum est (Is. 28, 16), *i)* ei competit honor divinus (Is. 45, 23—25; 49, 7; 52, 13, 15).

4) Messiae attribuuntur opera divina: est enim *a)* Salvator et redemptor, *b)* pontifex in aeternnm (Ps 109, 4), *c)* creator omnium rerum (Jer. 10, 12); ideo vocatur *brachium Domini* (Jer. 32, 17. Is. 48, 13; 51, 5; 52, 10; 53, 1), *d)* mediator inter Deum et homines (Job. 16, 19—21; 17, 3; 33, 23, 24) et *e)* judex mundi (Is. 35, 4; 45, 23; 50, 10, 11. Mal. 3, 2, 3).

III. In libris sapientialibus saepe mentio fit Sapientiae increatae, personalis (Sapientia notionalis), cui eadem, quae prius Malacho Jahve attribuuntur.

Attribuunter Sapientiae 1) divina origo et essentia (Prov. 8, 22—26; Job 28, 27; Eccli. 1, 3, 4, 9; 24, 5, 14), sapientia est *imago consubstantialis* Patris, *contubernium habens Dei* (Sap. 7, 22 seq. 8, 3); 2) proprietates, jura et opera divina: creatio (Prov. 3, 19, 20), opificium creationis (Prov. 8, 27—31; Job 28, 25—27), ipsa penetrat omnia et dominatur (Sap. 7, 24; 8, 1; Eccli. 24, 8—10); 3); ab ea derivantur potestas, prudentia, consilium (Eccli. 24, 7; Prov. 8, 12—16), nam est *sedium div. assistrix* (Sap. 9, 4); 4) omnes gratiae et charismata (Bar. 3, 38), *omnia innovat, in animas sanctas se transfert* (Sap. 7, 25), *aedificat sibi domum* (Prov. 9, 1—12), *deducit in operibus sobrie* (Sap. 9, 11, 12), est fons, radix donorum supernaturalium: *in me gratia omnis viae et veritatis, omnis spes vitae et virtutis* (Eccli. 24, 24—31); 5) omnes perfectiones divinae: *una*

est omnia innovat (Sap. 7, 27), *doctrix disciplinae Dei et electrix operum ejus* (Sap. 8, 4). Quod autem haec Sapientia sit personalis, testantur attributa personalia, et rursus distincta a Patre, probant Prov. 8, 22, 27, 30; Sap. 9, 4, 9, 17; Eccli. 1, 1, 9, *prodivit ex ore Altissimi* (Eccli. 24, 5), est *emanatio claritatis Dei, candor lucis aeternae, speculum sine macula Dei majestatis, imago bonitatis illius* (Sap. 7, 25, 26), *primogenita, ante omnem creaturam* (Eccli. 24, 5). Saepius sermo est de Verbo Dei, quod Sapientiae identificatur (Sap. 9, 1, 2; Eccli. 1, 5; 45, 15), cui salvatio attribuitur (Sap. 16, 7, 12; 10, 15; 18, 14, 15). August. (de Trin. 7, 3, 5): *Cum pronuntiatur in Scripturis aliquid de sapientia ... Filius nobis potissimum insinuatur.* Confer Zschokke, Lehrgehalt d. a. t. Weishtb. §. 16.

3) רוּחַ יְהוָה Spiritus Jahvae in Bibliis denotat non tantum virtutem Dei vitalem, sed et ipsam substantiam divinam, quae est vivens et personalis dum idola vita et personalitate destituuntur, quia spiritum non habent[1]; in primis vero significat Spiritum sanctum[2]), tertiam Trinitatis personam[3]).

1) Spiritus Jahvae passim tanquam principium et fons vitae depingitur (Gen. 1, 3; Zach. 12, 1; Is. 42, 5; Job 26, 13; 33, 4; Sap. 1, 7), qui in spiritum hominis agit, mysteria revelat, auctor est prophetiae, gratia sua (excitante et adjuvante) in voluntatem hominis influit (Ag. 1, 14), et tanquam judex, spiritus judicii et ardoris apparet (Is. 4, 4; 6, 8; 28, 6; 29, 6; Jer. 23, 19; Joel 2, 2. Zach. 9, 14).

2) Spiritus Jahvae etiam ut Deus vel persona divina describitur; nam ipse est *a)* Spiritus sanctus, quem posuit Deus in medio populi (Is. 63, 11. Neh. 9, 20. Agg. 2, 5), *b)* creator omnium rerum; *emittes Spiritum tuum et creabuntur* (Ps. 103, 30), *c)* vivificator mundi: *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (Gen. 1, 3), *d)* illustrator prophetarum, *e)* largitor charismatum, quae Deus cum Spiritu sancto super omnem carnem effundet (Joel 3, 1, 2. Is. 44, 3. Ez. 39, 29; Job 32, 8), *f)* largitor gratiae sanctificantis, qui omnem injustitiam et peccatum expurgat (Ps. 50, 12. Zach. 12, 10; 13, 1, 2. Ez. 11, 19, 20; 36, 27 col. Jer. 31, 33; 32, 39), quem afflixit Israel, ideo conversus est eis in inimicum (Is. 63, 10).

3) Spiritus sanctus tanquam persona divina distinguitur a Patre et Filio, licet, ex causis paedagogicis, plerumque subobscure tantum. Huc spectat Gen 1, 1—3 col. Is. 40, 13. *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Ps. 32, 6). Messias de se ait: *Et nunc Jahve misit me et Spiritus ejus* (Is. 48, 16). *Sensum tuum, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis* (Sap. 9, 17). *Super ipsum Messiam requiescet Spiritus Jahvae* (Is. 11, 2; 61, 1). *Ideo vocatur Spiritus de Excelso* (Is. 32, 15). Ipse (Deus) *creavit Sapientiam in Spiritu sancto* (Eccli. 1, 9).

Confer: Zschokke, Theologie d. Prophet. 104 seq. et Lehrgehalt der a. t. Weisheitsbücher §. 18. — Gerhardi, Loci communes theolog. loc. III. de Trinit. myst. Cap. 8—12); et: de tribus Elohim unius indivisae Deitatis Cap. 2, 3. — Petavium, De Trin. lib. 2. Cap. 7. — Franzelin, Tract. de Deo Trino, 1869. — A. Schulte, Mess. Weissagung. A. T. Padb. 1908. — M. Lagrange, Le Messianisme chez les Juifs. Par. 1909.

4) Praeter ss. Trinitatem etiam mater Messiae in variis prophetiis sat clare praenuntiatur.

Mater Messiae in Antiquo Testamento annuntiatur *a)* tanquam **Virgo**, nam filius ejus (Messias) est *semen mulieris* (Gen. 3, 15 col. Gal. 4, 4: *factus ex muliere);* convenienter Scriptura de matre tantum Messiae loquitur: *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meae Deus meus es tu* (Ps. 21, 11), *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei* (Is. 49, 1, 5), et Deum ejus patrem nominat (Ps. 2, 7 col. Heb. 1, 5). Achazo regi incredulo signum datur: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Is. 7, 14); ipse egredietur tanquam virga et flos e *trunco et radice Jesse* (Maria) mirabiliter (Is. 11, 1), velut ros de coelo descendet: *aperiatur terra (Maria) et germinet Salvatorem* (Is. 45, 8) et *ascendet*

sicut radix de terra sitienti (absque ullo hominis semine Is. 53, 2). *Dominatorem Israel, cujus egressus a diebus aeternitatis, parturiens pariet* (Mich. 5, 2, 3) et juxta Jeremiam (31, 22) *creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum.* Perpetuam ejus virginitatem praenuntiat Ezechiel (44, 2): *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. b)* Tanquam **mater Dei** (Deipara), nam filius hujus virginis matris est Deus, Emmanuel (Is. 9, 6; 7, 14) a diebus aeternitatis (Mich. 5, 3, 2); ipsa est *mons Sion, mons Dei, in quo habitabit Dominus* (Ps. 67, 16, 17), civitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt, quam fundavit Dominus (Ps. 86, 3 seq.), thronus Dei in columna nubis (Eccli. 24, 7) et arca foederis. Ipsa est mater Sapientiae personalis τοῦ λόγου, *ab aeterno ordinata* (Prov. 8, 22—31), quae *ex ore Altissimi prodivit primogenita ante omnem creaturam, in altissimis habitavit . . . et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo . . . Ego mater pulchrae dilectionis . . . in me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes et a generationibus (fructibus) meis implemini* (Eccli. 24, 5 seq.) Matrem Salvatoris innuunt Gen. 3, 15; Mich. 5, 2, 3; gerendi ratio mulierum Jahel (Jud. 5, 26; 4, 21—23), Judith (13. 23, 24), Esther. Ipsa *terribilis est at castrorum acies ordinata* (Cant. 6, 3, 9). *c)* Mater Messiae est Sponsa a Deo electa, pura, gratia plena, *formosa* (Cant. 1, 4), *pulcherrima inter mulieres* (1, 7), *lilium inter spinas* (2, 2), *macula non est in te* (4, 7), *perfecta mea una est matris suae electa genitrici suae; beatissimam praedicaverunt filiae: Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens pulchra ut luna, electa ut sol* (6, 8, 9), *suavis et decora sicut Jerusalem* (6, 3). *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Concupiscit rex decorem tuum. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis aureis* (Ps. 44, 10 seq.). Praefigurata fuit per Annam, quae gratiam invenit coram oculis Domini et grates ei rependit (1 Sam. c. 1. 2), et Mariam Moysis sororem, quae in principio foederis antiqui pangendi, tanquam prophetissa apparet, et cum choro mulierum laudes Deo cantat (Ex. 15) et per preces Moysis sanata fuit (Num. 12).

Confer Zschokke, Bibl. Frauen, pag. 383 seq. — Schäfer, Die Gottesmutter in der hl. Schrift. Münster 1887.

5) Doctrina de angelis et daemonibus, ab origine mundi in nuce tradita, sensim clarius exponebatur, speciatim post exilium.

Doctrina haec jam ante exilium innotuerat (Gen. 16, 7; 18, 1; 28, 12; 3 Reg. 22, 19; Job 1, 6), plenius vero exilio finito illustrabatur (Eccli. 39, 33). Teste Daniele (10, 13 col. Eccli. 48, 24) quivis populus sub tutela alicujus angelicae potestatis collocatus est (confer Augustinum, Quaest. 83, 79). Fidem in angelos tutelares testantur Gen. 48, 16; Jud. 13, 20. Tob. 3, 25; 12, 12. Zach. 1, 12. 2 Mach. 3, 25. Describuntur alis instructi (Dan. 9, 21; Is. 6, 2. Zach. 5, 9) ad celeritatem denotandam, qua exequuntur mandata divina, ideo sunt et vocantur servi et ministri Dei, qui Deum laudant (Is. 6, 3; 37, 36; Zach. 1, 9—14; 2, 2—6; 3, 1, 5; 4, 1, 4; 5, 5, 10. Ez. 40, 3; 43, 5. Ps. 148, 2), *Sancti* (Job 1, 5; 15, 15. Zach 14, 5. Ps. 88, 6, 8), *filii Dei* (Ps. 28, 1, 9; 89, 8. Job 1, 6: 2, 1), magno in numero (Dan. 7, 10; Ps. 67, 18), ideo vocatur Jahve *Deus exercituum* Varios inter eos fuisse gradus, quos Novum Testamentum (Col. 1, 16) docet, innuunt nomina et officia diversa eorum; Cherubim, qui ab Ezechiele (Cap. 1; 10, 12) describuntur, Seraphim qui throno Dei assistunt (Is. 6), Michael princeps angelorum et custos theocratiae (Dan. 10, 13, 21; 11, 1; 12, 1), Gabriel, annuntiatur adventus Messiae (Dan. 9, 21). — Daemon, auctor peccati (Gen. 3; Sap. 2, 24), semper tanquam adversarius hominum apparet (Job 1, 2; Zach. 3, 1), incitando ad peccatum (1 Par. 21, 1; 2 Sam. 24, 1), superbiam et lapsum; — judicium angelorum innuunt Is. 24, 21, 22; 14, 12—15; Ez. 28, 12—19; Job 52, 2; ipse est Leviathan tortuosus serpens, cujus invidia mors intravit in mundum (Sap. 2, 24) et quem occidet Deus (Is. 27, 1 seq.). Congruenter ruinae spirituali, quam dae-

mones efficiunt, desertum inhabitare dicuntur (Lev. 16; Tob. 8, 3. Is. 13, 21; 34, 13—15); sunt auctores idolorum (Bar. 4, 7. Ps. 95, 5; 105, 37) et vocantur spiritus immunditiae (Zach. 13, 2), spiritus vertiginis (Is. 29, 10) et spiritus fornicationum (Os. 4, 12; 5, 4 cf. Asmodaeum Tob. 3, 8). Quamvis negari omnis influxus nequeat externus (v. g. graecae doctrinae de geniis et ideis platonicis), qui obvius videtur in Thargumim (3 Reg. 9, 11) et in libris apocryphis (Henoch 18, 13 seq.), tamen rejicienda est opinio eorum, qui judaicam daemonologiam a Persis (Rénan, Rosskoff, Geschichte des Teufels, 1869. — Kohut, Ueber d. jüd. Angelol. und Dämonol. in ihr. Abh. vom Parsismus, 1866), vel ab Aegyptiis (Diestel, Stud. u. Kr. 1860) mutuatam autumant. Quae daemonologiae judaicae (in apocryphis) admixta sunt falsa vestigia peregrina, corrigi videntur 2 Pet. 2, 4. Ep. Jud. 4. Confer Langen, l. c. — Herzfeld, Gesch. III. 275. — Atzberger, Eschatol. l. c. p. 110 seq. — Nikel, D. Lehre d. A. T. über d. Cherubim u. Seraphim. Breslau 1890.

6) Non sine consilio universalitas culpae seu peccatum originale[1]) ejusque nexus cum poena urgetur[2]), et poenitentia tanquam unicum remedium recommendatur[3]).

1) Lapsum protoparentis describit Osee (6, 7); David in iniquitatibus se conceptum a matre sua dolet (Ps. 50, 7). Similiter Job ejulat (14, 4; 15, 14): *Facti sumus ut immundus, omnes nos* (Is. 64, 6), *omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* (Is. 53, 6). *Pravum est cor omnium*, dicit Jeremias (17, 9).

2) Quia Deus est judex justus, visitat peccata, appendit in statera (Dan. 5, 27; Jer. 3, 11; Ez. 16, 50—52), damnat impios (Is. 50, 11; 65, 14, 15; 48, 22; 13, 9. Jer. 12, 12; 30, 11. Os. 5, 12. Mich. 2, 5 etc.), non obliviscitur scelera, sed reservat in diem judicii (Am. 8, 7. Os. 13, 12. Is. 17, 11. Jer. 12, 13. Os. 6, 11; 8, 7. Joel 3, 13). Cf. Zschokke, Weishtsb. § 78.

3) Deus misericors, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a viis suis et vivat (Ez. 18, 23, 32; 33, 11), invitat peccatores ad poenitentiam (Jer. 3, 12, 22; 7, 3; 36, 3. Ez. 33, 11 seq.), requirit animam peccatoris de manu mali pastoris (Ez. 33, 1 seq.), expandit manum suam ad populum incredulum (Is. 65, 2 seq.) et aperit fontem in ablutionem peccatorum (Zach. 13, 1). Requiruntur autem a peccatore (Eccli. 17, 21—27), ut peccata sua cognoscat (Jer. 13, 15. Thr. 3, 40. Jon. 2, 8), de eis doleat eaque contritus confiteatur (Jer. 31, 18, 19; Thr. 1, 9 seq. 3, 41, 42. Os. 10, 11; Eccli. 4, 31), ad Deum revertatur (Is. 30, 15; 31, 6; 44, 22; 45, 22; Jer. 15, 19. Bar. 4, 2; Ez. 18, 30 seq. 33, 11; Os. 14, 2. Zach. 1, 3, 4 etc.), et quidem ex toto corde, ne relabatur in peccata (Jer. 24, 7; 8, 5; 6, 12; Os. 6, 4. Mal 3, 7. Is. 27, 9; 57, 15 etc.), in semita virtutis ambulet (Is. 1, 16; 56, 1; 58, 8. Jer. 4, 2; 7, 3; 22, 3; Os. 12, 6. Zach. 8, 16, 17. Bar. 4, 28. Ez. 18, 21; 33, 14 seq.) atque opera bona exerceat (Prov. 25, 21, 22; 15, 27) et ut hoc efficere valeat, debet cum gratia Dei praeveniente (Jer, 31, 18; 32, 39. Thr. 5, 21. Bar. 3, 7. Ez. 6, 9; 11, 19. Soph. 3, 9. Mich. 7, 8; Prov. 1, 24, 25; Eccli. 23, 1—6) homo cooperari (Is. 50, 10; 55, 6. Jer. 13, 15, 16. Am. 5, 4, 6).

7) Praeprimis autem res hominis novissimae (eschatologia) et quidem infernus[1]), judicium[2]), resurrectio mortuorum[3]), et remuneratio futura[4]) evolvuntur.

1) Infernus seu Scheol describitur tanquam fovea, summa abyssus, ad quam animae descendunt, umbra mortis et caliginis (Jer. 13, 16), terra tenebrosa, miseriae, in qua nullus ordo (Job. 10, 21, 22), tanquam arx cum portis (Is. 38, 10; Job 17, 16; 38, 17; Sap. 16, 14), infernus, qui dilatat animam et aperit os suum sine termino (Is. 5, 14), in quo nemo Deum laudat (Ps. 6, 6; 29, 10; Is. 38, 18), ubi habitant degentes in pulvere (Is. 26, 19), umbrae, ubi omnes, etiam reges, ceteris sunt pares (Job 3, 3, 13. Ps. 48, 15. Is. 14, 9, 10), omnis gloria terrestris disparet (Is. 14, 11, 15; Ez. 32, 22); dum justus in pace requiescit in cubili suo (Is. 57, 1, 2), impii portant ignominiam suam et iniquitates eorum sunt in

ossibus eorum (Ez. 32, 18 seq.), impiissimi sunt in medio inferni (Ez. 32, 21). Dari post mortem locum, in quo peccata (levia eorumque poena) remittuntur (purgatorium), patet ex fide Judae, qui 12000 drachmarum misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, est enim *salubris et sancta cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (2 Mach. 12, 43—46. Eccli. 7, 37. Tob. 4, 18).

2) Judicium speciale post mortem hominis innuunt Eccli. 11, 28, 29; 16, 22; 18, 24 seq. Divinus judex non respicit personam (Eccli. 35, 14, 15), eiusque judicium est irrevocabile (Eccli. 11, 3). Deus judicium exercebit non tantum de gentibus, sed et de Israel; est dies Domini, vel dies ultionis divinae (Jer. 30, 7. Am. 5, 18. Hos. 8, 13 etc.), praeambulus et typus judicii universalis novissimi, cujus phaenomena describuntur (Is. 24, 34: 66, 15—18, 24; Ps. 71, 7. 4 Esr. 5, 9; 13, 37); locum habebit in valle Josaphat (Joel 3, 3—5), in quo omnes gentes delebuntur de terra et judicabuntur (Soph. 1, 2 seq. 2; 11; 3, 8. Zach. 2, 1 seq. 6, 1 seq. 12, 2 seq. Mal. 3, 2 seq. Ez. 38, 1 seq. 39, 1 seq. Dan. 11). Patefient omnia facta homiunm, quae sunt in libris consignata (Dan. 12, 1), et bestia (daemon) igni ad comburendum tradetur (Dan. 7, 11, 12).

3) Doctrina de immortalitate animae, jam Patriarchis nota, maxime promovetur doctrinâ de resurrectione mortuorum; Deus enim *praecipitabit mortem in sempiternum* (Is. 25, 8), *mortui vivent et interfecti resurgent* (Is. 26, 19, 21), *de manu mortis liberabo eos, et de morte redimam eos; ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne* (Hos. 13, 14). Praeter Job, qui diserte resurrectionem carnis prophetat (19, 25), celebris est visio Ezechielis de ossibus, quae Spiritus Dei vivificat (Cap. 38) et verbum Danielis (12, 2, 3): *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper*, et: *Tu vade ad praefinitum, et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum* (Dan. 12, 13).

4) Post resurrectionem unusquisque sortem promeritam (Dan. 12, 13) accipiet; justi beatam mercedem et vitam obtinebunt (Sap. 5, 16; Prov. 8, 35), fulgebunt sicut stellae, impii autem videbunt opprobrium sempiternum et poenas subibunt (Dan. 12, 2, 3; Sap. 3; 4, 18, 19; Bar. 4, 1): *fortioribus fortior instat cruciatio* (Sap. 6, 9), nam *peccatores traducent iniquitates eorum* (Sap 4, 20). Dum impii habitant cum igne devorante et cum ardoribus sempiternis, justus *vivit in aeternum* (Sap. 5, 16; Prov. 10, 16, 17; 13, 14), *nam immortalis est memoria ejus* (Sap. 4, 1), habitat in excelsis (Is. 33, 14 seq.), laetatur in salutari suo (Is. 25. 9), *accipiet regnum decoris et diadema speciei de manu Domini* (Sap. 5, 17); *computati sunt* (justi) *inter filios Dei et inter sanctos sors illorum* (Sap. 5, 5). Justus Deum conspiciet (Eccli. 6, 23) et laetitia sempiterna super caput ejus (Is. 35, 10; 51, 3, 11; 61, 7). Impii sunt mortui sempiterni (Thr. 3, 6; Jer. 51, 39, 57); vermis eorum non morietur et ignis non extinguetur (Is. 66, 24. col. 33, 14; 34, 9, 10; 65, 5. Eccli. 7. 19. Judith 16, 21); spe vitae aeternae fulti fratres Machabaei fortiter sustinuerunt martyrium (2 Mach. 6, 26; 7, 14). In libris apocryphis varia narrantur de gehenna ejusque poenis aeternis, de statu justorum clarificato post resurrectionem. Confer Langen, Judenth. 465 seq. Vigouroux, Bible III. 2, 3. Zschokke, Theol. d. Proph. § 78 et Weisheitsbücher § 34—39. Atzberger, Eschat. p. 40 seq. Fr. Schmid, D. Unsterblichk. u. Auferstehungslehre in d. Bibel, Brix. 1902. Gressmann, D. Ursprung d. israel.-jüd. Eschatologie, 1905. Flunk, Eschatologie Altisraels, 1907.

8) Orientur demum novi coeli et nova terra, cujus lux Deus ipse erit.

Gloria coelestis describitur sub imagine novae Jerusalem, quae aedificabitur ex lapidibus pretiosis et gemmis, in qua non amplius vox fletus et clamoris, sed gaudii et exultationis audietur; Deus ipse erit in lucem sempiternam (Is. 25, 6; 30, 26; 51, 16; 60, 19—21; 65, 17; 66, 22 seq. Zach. 9, 17); tota urbs cum omnibus incolis erit sancta (Jer. 31, 40. Zach. 14, 10, 11), et Dominus solus rex (Zach. 14, 9) et in medio fortis, gaudebit et exultabit super te in laude (Soph. 3, 17); justis orietur sol justitiae et ipsi calcabunt impios (Mal. 4, 2, 3).

9) Quamvis Prophetae omnes vitae circumstantias, personam et munera Messiae vividis coloribus depinxerint, tamen tempore post exilium idea Messiana apud multos Judaeorum pessime degeneravit.

Rebus Judaeorum in pejus ruentibus Messias desiderari coepit sensu carnali qua rex non spiritualis, sed terrestris, qui ipsos a jugo hostium liberaret et in populum potentem redderet; e contra falsus mysticismus Hellenistarum (Philo) Messiam visibilem et personalem explodebat. Non defuisse autem Judaeos rectam viam tenentes, qui Messiam a prophetis descriptum desiderarent, inter alia testantur liber Henoch, in quo (105, 2) Messias vocatur filius Dei, qui sedet in throno majestatis apud Deum (55, 4; 69, 29), ab omnibus adoratur (48, 5), super omnia regnabit (62, 6; 69, 29), propheta et magister erit nec non homines angelosque judicabit (55, 4) — et Psalterium Salomonicum (17, 29, 36, 41, 46, 48 seq.), quod spiritualem renovationem tanquam conditionem Messiae adventus urget. — Cf. Hühn, D. mess. Weissag. d. israel.-jüd. Volkes, 1899. — W. Möller, D. mess. Erwart. d. vorexil. Propheten, 1899. — Baldensperger, D. mess. apok. Hoffnungen d. Judent. 1903.

II. Ethica.

A) Doctrinae morales evolvebantur in Libris sapientialibus et praeprimis virtutes efferuntur.

1. Sapientia subjective est reflexio in lege Domini (Eccli. 39, 1—12), et non tam speculativa, quam religioso-practica erat *(sapientia est intelligere viam suam* Prov. 14, 8, *ambulare in via bona* 2, 20); hinc vocatur *prudentia, disciplina, scientia, judicium, aequitas* (Prov. 1, 1 seq.). *Labores ejus magnas habent virtutes* (Sap. 8, 7). Ipsa est *candor lucis aeternae* (Sap. 7, 26) et *donum Dei* (Ssp. 8, 21; Job 28, 12—28). Pretium ejus est inaestimabile: *infinitus thesaurus* (Sap. 7, 8, 14; Prov. 8, 11; 20, 15; Job. 28, 15—19), *protegit* (Eccli. 7, 13), est *gratiosa* (Eccli. 21, 19), *omnia disponit suaviter* (Sap. 8). Fructus ejus innumerabiles sunt: *omnia bona veniunt pariter cum illa* (Sap. 7. 11), tum terrestria: *divitiae* (Prov. 8, 18—21), *securitas* (Prov. 1, 33), *gloria et honor* (Eccli. 15, 5), *solatium in adversis* (Sap. 8, 9, 16), *longa vita* (Prov. 3, 16; 9, 11), tum coelestia: est *doctrix disciplinae Dei* (Sap. 8, 4), *fons vitae* (Prov. 3, 18), in ea *gratia omnis viae et veritatis, omnis spes vitae et virtutis* (Eccli. 24, 25), *immortalitas* (Sap. 8, 13; Eccli. 15, 6). Sapientia facile comparatur, nam *ultro se offert et clamat* (Sap. 6, 11; Prov. 1, 20 seq.) eis, qui sedulo eam quaerunt (Prov. 2, 2—5: Eccli. 6, 24—34). Principium aut fundamentum sapientiae est *timor Dei* (Prov. 9, 10; Eccli. 1, 17, 18). Ei contraria est stultitia i. e. impietas.

2. Inter virtutes religiosas pertinent: *a)* oratio peragenda cum praeparatione (Eccli. 18, 23), perseveranter (Eccli. 17, 24; 18, 22), laete (35, 20), animo contrito (nam preces impoenitentium non exaudiuntur Is. 1, 15), et in morbo (Eccli. 38, 9, 14). *b)* Sacrificia piorum cum recta intentione oblata Deo grata sunt: *facere misericordiam et judicium magis placet Domino, quam victimae* (Prov. 21, 3), sacrificia peccatorum rejicit Deos. *c)* Vota sunt solvenda (Nah. 2, 1), ast vota temeraria praecavenda (Prov. 20, 25. Eccli. 5, 3, 4). *d)* Jejunia sanctificanda (Joel 1, 14) et cum oratione conjungenda (Dan. 9, 3; 10, 12). — M. Kegel, Das Gebet im A. T. Gütersloh. 1908.

3. Virtutes theologicae conjunctae Eccli. 2, 8—10 inveniuntur. Primo requiritur fides (Eccli. 33, 3) et quidem operans (Eccli. 32. 28; Prov, 15, 27), spes, quae non confundit (Eccli. 2, 6, 7; 32, 28), sed beatificat (Prov. 16, 20) et charitas (Eccli. 7, 32; 13, 18; 25, 16; Sap. 6, 19).

4. Virtutes cardinales docet Sap. 8, 7, et quidem: *a)* prudentia, quae est *scientia sanctorum* (Prov. 9, 10), *evitat malum et occasionem* (Prov. 14, 16; 16, 17; 4, 13); *b)* fortitudo (Eccli. 6, 27, 30), qua *viae stabiliuntur, ne declines ad dexteram, neque ad sinistram* (Prov. 4, 26, 27), quae pusillanimitatem pellit (Eccli. 7, 9) et patienter sustinet (Eccli. 2, 1 seq., 3, 19); *c)* moderantia in lingua, cibo et potu (Prov. 23, Eccli. 31),

castitas (Sap. 4, 1, 2; Job 31. Eccli. 23, 6) et *d)* justitia, quae maxime necessaria est: *initium viae bonae facere justitiam* (Prov. 16, 5) et a Deo maxime recompensatur. Accedunt humilitas (Eccli. 13, 9; 2, 2, 4; 7, 19), veracitas (51, 30), quare lingua est coercenda (4, 34; 5, 14).

5. Virtutes sociales: praecipitur amor proximi (Eccli. 13. 19; 25, 2; 27, 18, 19), cui condonandum (28, 2), misericordia exhibenda, (Ez. 18; Is. 32, 6; Eccli. 4, 26) nec offendiculum ponendum est (Eccli. 27, 29). Laudantur amicitia (Eccli. 6, 11 seq. 7, 20; 23, 20. Eccli. 4, 9) et officia ejus (Prov. 17, 9; 25, 8; 11, 26), sed praecautio est necessaria (Eccli. 37). Divitiae dantur a Deo et varia commoda praebent (Prov. 10, 15; 18, 11; Eccli. 13, 25 seq.), dummodo sunt juste partae (Eccli. 31, 5); paupertas saepe est poena delictorum (Prov. 6, 11; 19, 15), nihilominus nonnunquam divitiis est praeferenda (Eccli. 30, 14; Prov. 19, 1), continentia tamen laudabilis est. (Prov. 30, 8, 9; 15, 16, 17; 17, 1).

Inter opera misericordiae recensentur: eleemosyna (Eccli. 4, 1—7; 7, 10; Tob. 12, 9), mortuis gratia est exhibenda (Eccli. 7, 37) lugentes sunt consolandi, aegroti visitandi (Eccli. 7, 38, 39. Job 30, 25), esurientes nutriendi, nudi vestiendi (Is. 58, 7, 10). Praemium promittitur: gratia Dei, vita, honor (Prov. 3, 4; 21, 20), remissio peccatorum (Eccli. 3, 23), paradisus (Eccli. 40, 17, 24; Tob. 4, 11). Commendantur: decor et urbanitas comedentium (Eccli. 31 et bibentium sobrietas) atque industria (Prov. 14, 23; 31, 27), damnantur ebrietas (Prov. 20, 1; 23, 20 seq.) et pigritia (Prov. 6, 6 seq. Eccli. 22, 12).

B) Vitia autem evitanda sunt.

Superbia, quae est *initium omnis peccati* (Eccli. 10, 15); abominabilis est (Prov. 16, 5) et punitur (Prov. 14, 11; 16, 18; 29, 23; Eccli. 10, 15); avaritia summum scelus est (Eccli, 10, 9, 10; 14, 3—10); invidia a diabolo est (Sap. 2, 24), confundit (Eccli. 6, 1; 31, 15). Ira stultis est propria (Prov. 12, 16; Eccli 7, 10) et abominabilis (Eccli. 27, 33), hinc iracundus est vitandus (Prov. 22, 24; Eccli. 8, 19), nam provocat rixas (Prov. 29, 22); 30, 33). Impudicitia fugienda (Sap. 2, 7, 8) et consequenter meretrices (Eccli. 42, 14; 19, 2, 3; Sap. 4, 24), quae decipiunt (Prov. 2, 16; 22, 14; 5, 2—13), adulterium vitandum tanquam contumeliosum (Prov. 5, 20; 6, 27; 24, 15; Eccli. 23, 25) et concupiscentia coercenda (Eccli. 9, 3—12; 18, 30), filiae autem custodiendae (Eccli. 42, 11; 26, 13; 7, 26). Mendacium *Domino abominatio est* (Prov. 12, 22) et opprobrium in homine (Eccli. 20, 26), occidit animam (Sap. 1, 11). Os bilingue (Prov. 8, 13; Eccli. 5, 11, 12), susurro in omnibus odietur et maledicetur (Eccli. 21, 31; 28, 15), detractor (Eccli. 7. 8; Eccli. 26, 7) et subsannator (Eccli. 33, 6; Prov. 14, 6, 9; 24, 9) non corriguntur (Prov. 15, 12). Evitandi sunt: simulator (Prov. 11, 9; 26, 23; Eccli. 12, 15 seq.) et adulator (Prov. 27, 14; 28, 23. Eccli. 27, 25).

Confer: Zschokke, Dogm. ethisch. Lehrgehalt d. A. T. Weisheitsbücher, 1889.

§. 91. Judaei sub monarchia graeca.

1) Alexander Magnus, Philippi Macedonis regis filius, a Daniele (Cap. 8) sub hirci, terram non tangentis et cornutum arietem Persam conculcantis forma descriptus, postquam, imperio medopersico occupato, Tyrum obsidens, a Jaddo (Jaddua) Judaeorum pontifice commeatum frustra exegit, Tyro capta Palaestinam ingressus et contra Jerusalem cum exercitu est profectus. Alexander, cui Jaddus pontifex cum sacerdotibus in ornatu solemni divinitus jussus occurrebat, somnii sui recordatus, »prior pontificem salutavit« et nomen Jahvae in lamina diadematis pontificii insculptum adoravit, Hierosolyma ingressus in templo sacrificia offerri curavit, vaticinia a Daniele de se edita (10, 20; 11, 2—4) cognovit atque Judaeis (etiam in Babylonia degentibus) facultatem dedit, juxta leges patrias vivendi[1]).

1) Sic narrat Joseph. Fl. (Ant. XI, 8, 4), sed a multis ista relatio in dubium vocatur. In Talmude idem de pontifice Simone M. edicitur. — De historia Judaeorum ab anno 400—200 ante Ch. in ss. Literis nihil continetur; lacunae ex Josepho sunt supplendae. Confer Josephum Ant. XI, 8, 5 seq. Joma f. 69. Megilla fol. 11, ubi circumstantiae ingressus Alexandri accurate describuntur, Judaei illis 200 annis (536—330 ante Ch.), quibus regno persico subjecti erant, generatim bene se habebant; praeter alia beneficia (v. g. aedificationem templi partim ex aere persico) jure fruebantur, religionem avitam libere profitendi et exercendi. Utraque monarchia (persica et graeca) indogermanica, in oriente stabilita (Japhet in tentoriis Sem), pro oeconomia salutis magni momenti erat; nam religio persica multum conferebat, ut crassa idololatria chamitica eradicaretur, graeca autem philosophia ac literatura (in Aegypto) salutarem influxum in scientias Judaeorum excercebat.

2) Imperium Alexandri M., mortui anno 323 a. Chr., divisum est (Dan. 11, 4) in 4 regna, quorum praecipua erant syriacum, Seleucidarum, et aegyptium, Ptolemaeorum. Palaestina, quam Laomedon dux sortitus erat, jam post 3 annos cessit Ptolemaeo I. Lagi (Soter 323—285), regi aegyptio, qui, eam veluti Aegypti vestibulum ac propugnaculum adversus reges Asiae intelligens, Hierosolyma petiit, sabbatica quiete civium (Onia pontifice) abusus, urbem occupavit, et ingentem Judaeorum multitudinem (100.000) in Aegyptum, praecipue Alexandriam, abduxit[1]) ibique eis, fidei sacramento sibi adstrictis, colonias concessit (Ant. XII, 1). Illo tempore Simon I. Justus, Oniae I. pontificis filius, templum civitatemque ampliavit atque munivit, gentem suam curavit, cultum sacrum splendide restituit ac pietate singulari enituit. Sub Ptolemaeo II (Philadelpho, 285—247, Dan. 11, 6) et Ptolemaeo III. (Euergete, 246—221, Dan. 11, 7) Judaei aegyptii bene se habebant; Scriptura sacra in linguam graecam (LXX) vertebatur, nonnulli Judaei ad aulam admissi ac permulti, ad militiam vocati, fiducia regis honestabantur, scholas, synagogas nec non synedrium Alexandriae condiderunt, imo Onias IV. (Oniae III. pontificis filius) anno 150 ante Ch Leontopoli templum aedificavit. Tali modo Aegyptus evasit Judaeorum patria altera.

1) Teste Josepho non pauci Judaeorum sua sponte in Aegyptum profecti sunt, allecti partim fertilitate terrae, partim Ptolemaei liberalitate, — victimas tamen in templum hierosolymitanum mittebant.

3) Ptolemaeo IV. (Philopatore) regnante (221—205) Antiochus III. Magnus, rex Syriae, Palaestina potitus est, a quo tempore terra haec per nonnulla decennia causa litium Ptolemaeos inter et Seleucidas exstitit, donec possessionem ejus Seleucidae sibi vindicarent, quibus circiter 60 annos imperantibus, Judaei maximas perpessi sunt calamitates. Antiochus Judaeis quidem favebat nonnullaque privilegia concessit (Ant. XII, 3, 3; Dan. 11, 11), ast Seleucus IV. (Philopator, 187—175), Antiochi filius ac successor, qui initio regiminis templum muneribus illustraverat, Heliodorum, aerarii regii praefectum, ad compilandas res templi misit, quod conamen vi superna successu carebat (2 Mach. 3, 3—4, 7; Dan. 11, 20). Rege occiso Antiochus IV. (Epiphanes 175—164), ejusdem frater, veri Dei osor ac persecutor, maxima cum crudelitate in Judaeos saeviit, quos ad religionem atque ritus gentilium acceptandos cogeret. Judaeis tantum sacrilegium abominan-

tibus, Antiochus Hierosolymis potitus, 40.000 civium occidi, urbem cum templo diripi, muros destrui, libros sacros comburi, statuam Jovis in templo erigi, incolas ad aras idolorum trahi jussit, in monte Sion arcem exstruxit ac cultum sacrum, dies solemnes, circumcisionem severissime interdixit, renitentes autem gravissimis affecit suppliciis. Multi idcirco religionem avitam deseruerunt, imo et sacerdotes ipsi, secuti exemplum Jasonis, e familia pontificia apostatae, qui pecunia ab Antiochio promissionem obtinuit, Oniam III. fratrem sacerdotio privatum iri. Inter paucos, qui pia cum audacia tyranno (Epimani i. e. furibundo) obluctabantur, eminebant Eleazarus nonagenarius et septem fratres Machabaei cum matre heroica[1]), qui religionis ac fidei gratia (probabiliter Antiochiae) martyrium gloriosissimum subierunt anno 167 (1 Mach. 1, 11—6, 16; 2 Mach. 4, 7—9, 28).

1) Celebrat Ecclesia memoriam eorum 1. Augusti. Gregorius Naz. (or. 20. in Mach.): *Qui martyrium subiere ante Christi passionem, quid facturi erant, si post Christum persecutionem passi fuissent ejusque mortem, nostrae salutis causa susceptam, ad imitandum propositam habuissent . . . mystica quaedum et occulta ratio valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.* Confer Zschokke, Biblische Frauen. § 39.

§. 92. Machabaei.

1) Tristissimis Antiochi Epiphanis temporibus Deus Mathathiam sacerdotem ejusque quinque filios: Joannem, Simonem, Judam, Eleazarum, Jonathan ad civitatem ac religionem Judaeorum restaurandam servandamque suscitavit. Hi extorres, cum aliis viris cordatis in solitudinibus errantes, liberationem populi sui magno animo aggressi sunt. Mathathias Judaeum perfidum, idolis sacrificantem, zelo incensus, et legatum Antiochi occidit et aram subvertit, quo signo dato, cum concivibus, avitam religionem amantibus, proeliis minoribus salutem populi defendere coepit et graviter in apostatas animadvertit (1 Mach. 2.) Patre defuncto (anno 166) Judas Makkabi[1]) (Machabaeus), unde commune et fratribus nomen advenit, ingentes Antiochi copias fudit, coelestibus subsidiis adjutus totam regionem a flagitiis expiavit et cultum divinum in templo restituit (164), in cujus memoriam festum encaeniorum seu dedicationis[2]), quotannis celebrandum, institutum est (1 Mach. 5). Idumaeis et Arabibus superatis, Timotheum, Ammonitarum ducem, auxilio equitum, coelitus missorum (2 Mach. 10, 29), fudit. Antiochus, de clade ducis sui certior factus, ulciscendi causa contra Judaeos exercitum paravit, sed insanabili morbo a Deo percussus, misere periit (1 Mach. 6; 2 Mach. 9). Lysiam, Antiochi V. Eupatoris regis ducem, suorum cladis vindicandae cupidum, non sine miraculo (2 Mach. 11) in fugam vertit. Novo bello cum Syris exorto (2 Mach. 12) Timotheum ducem et Gorgiam, Idumaeorum praepositum, devicit ac, facta collatione, 12.000 drachmarum argenti pro sacrificiis interfectorum Judaeorum, qui sub tunicis donaria idolorum absconderant, Hierosolyma misit. Cum Judas Syros in arce Sion urgeret, rex cum

Lysia Jerusalem occupat, mox autem rebellione in Syria exorta, rediit et templum oblatis sacrificiis et muneribus honoravit (2 Mach. 13). Antiocho V. rege et Lysia occisis, Demetrius I. (162—150), Seleuci IV. filius, thronum occupavit, loco filii Oniae III. pontificis Alcimum impium pontificem creavit, et quum hic a Juda pulsus esset, Nicanor, regius dux, Hierosolyma occupat, ast caesus occubuit, cujus rei laeta instituta est annua memoria (1 Mach. 7; 2 Mach. 14, 15).

Judas, his victoriis celeber factus, amicitias et foedus cum Romanis, legatione missa, iniit (1 Mach. 8). Demetrius, de clade suorum iratus, Bacchidem ducem in Judaeam misit, Judas vero in acie fortiter dimicans vulneribus succubuit (161) et a fratribus in Modin (Chörbet el-Medieh) est sepultus (1 Mach. 9).

Cf. H. Weiß, Judas Makk. Frb. 1897.

Judae suffectus est frater natu minimus Jonathan (161—143), qui Bacchidem percussit et cum victo pacem composuit. Ab Alexandro Bala (Antiochi IV, filio), imperii Demetrii I. aemulo, cui erat addictus, pontificatum ac principatum obtinuit (150), quae munera Demetrius II., Alexandro fugato (145), ei denuo confirmavit; cum autem rex fidem datam frangeret, Jonathan iu partes Antiochi VI. (filii Alexandri) aemuli transiit eumque contra Demetrium adjuvit (145), hinc ille gratus Jonathae dignitates confirmavit. Rebus feliciter gestis, Jonathan foedus cum Romanis renovavit, novam cum Spartanis societatem iniit et tandem a Tryphone, Antiochi duce, Ptolomaide per insidias captus, cum 2 filiis occisus est (1 Mach. 9, 31—13, 23).

1) Vocantur Machabaei a Juda Makkabi (מַקַּבִּי *malleator* a מַקֶּבֶת *malleus*, LXX, Μακκαβαῖος), qui propter virtutem bellicam hoc cognomen (col. Carolus Martellus) est sortitus. Sententia, nomen hoc esse derivandum a literis initialibus: Mi Kamoka Baelim Jahve, *quis similis tui Jahve in fortibus* (Ex. 15, 11), vexillo Machabaeorum intextis, nequit probari. A Juda nomen hoc ad posteros ipsius, et sensu latissimo ad omnes illos transiit, qui, ipso ac fratribus ducibus, pro religione certamen subierunt, ergo evasit apellativum, ad distinctionem nominis Hasmonaeorum gentilicii (Joseph. Ant. XIV, 16, 4: ἡ Ἀσαμωναίων γενεά), quod posterius originem trahit ab avo Mathathiae (Ant. XII. 6, 1) Ἀσαμωναῖος i. e. oriundus de חַשְׁמוֹן in tribu Juda (Jos. 15, 27), vel חַשְׁמַן *pinguis, dives* vel *unctus* (Ps. 78, 31 heb.). Confer Gesenium, Thes. II. p. 534.

2) Festum hoc (τὰ ἐγκαίνια Joh. 10, 22; Josephus: φῶτα) celebrabatur accensione candelarum et comessationibus, in symbolum potestatis ac libertatis ex insperato recuperatae (Ant. XII, 7, 7).

2) Simon (143—135), qui unicus e Mathathiae filiis supererat, foedus cum Demetrio II. Nicatore, qostquam Antiochus VI. a Triphone est occisus, renovavit, ab eo Judaeae libertatem impetravit, imo arcem Hierosolymis recuperavit, ut ipso principe res Judaeorum essent florentissimae. Romani ac Spartani amicitiam cum eis renovabant, imo Antiochus VII. Sidetes, Demetrii successor, Simoni percussuram numismatis proprii concessit. Populus gratus summo omnium consensu Simoni ejusque filiis principatum cum pontificatu hereditarium contulerunt (141), donec surgeret propheta fidelis (contestatio desiderii Messiae ac defectus oraculi): hoc eo facilius fieri potuit,

quum Onias IV., filius Oniae III. occisi, cum sacerdotibus in Aegyptum confugisset et, Ptolemaeo Philometore permittente, ibi proprium templum condidisset. Jerichunte ad epulas a Ptolomaeo genero, pontificali dignitati inhiante, vocatus, Simon in ipso convivio dolose cum 2 filiis trucidatus est anno 135 (1 Mach. 13, 1—16, 16).

Ejus filius superstes[1]) ac successor Joannes Hyrcanus (135—106) regno ampliando eminuit, Samariam et Galilaeam expugnavit, templum Samaritanorum, in monte Garizim erectum, funditus evertit et Idumaeos, regione eorum subjecta, ad circumcisionem suscipiendam compulit. Ab externo hoste immunis intestinis discordiis agitari coepit; quum enim e secta Pharisaeorum, procacitate Eleazari cujusdem percitus, ad Sadducaeorum partes transiisset, illi plebem in ejus ac filiorum odium concitarunt.

1) Cum Libri historici (1 Mach.) morte Simonis et memoria Joannis Hyrcani terminantur, sequens rerum gestarum series e Josepho, Hegesippo et aliis non canonicis scriptoribus est haurienda.

3) Successit filius ejus Judas Aristobulus I. (106), qui primus post Sedeciam nomen regium assumpsit. Si Josepho Flavio fides est, matrem regni aemulam in carcerem conjecit et fame consumpsit, Antigonum fratrem calumniis circumventum interfici ceterosque fratres claudi jussit. Reliquit regnum fratri Alexandro Jannaeo (105—78), qui solium caede fratris funestavit. In bellis suis, praecipue contra Ptolemaeum gestis, infelix, propter morum asperitatem populi quoque et sacerdotum odium in se concitavit et a popularibus, quibus Pharisaei duces se praestiterant, vexabatur. Tyrannide insignis 6000 Judaeorum interfici et 800 nobiles rebelles crucifigi jussit. Moriturus administrationem regni commissit Alexandrae uxori (78—69), quae e consilio mariti Pharisaeorum factioni, nunc admodum invalescenti, plurima indulgebat. Filio natu majori Hyrcano II., rebus gerendis minus idoneo, pontificatum contulit; quum autem Pharisaei, indulgentia reginae abusi, maxime in Sadducaeos, Jannaei amicos, saevirent, Aristobulus II. audax materni regiminis dudum pertaesus, matre aegrotante ad castella Sadducaeorum se contulit et ab iis benevole exceptus conductis auxiliis regem se proclamavit[1]).

1) L. Lewin, D. makkab. Erhebung b. z. Tode Jud. Mak. 1875. — Saulcy, Histoire des Maccabées. Par. 1850.

§. 93. Herodiani (Monarchia romana).

1) Matre mortua, Aristobulus fratri Hyrcano bellum intulit, eique regnum et pontificatum eripuit. Antipater, Herodis Magni parens, Idumaeus factiosis et dissidiis fraternis abusus, Hyrcano suasit, ut auxilio Aretae, regis Arabiae, fretus, bellum contra Aristobulum pararet; hic autem Aemilium Scaurum, Pompeji in Oriente legatum, adiit, qui Hircanum in proelio devicit et Aristobulum regem confirmavit. Cum paulo post Pompejus ipse, Mithridate victo, Damascum ingrederetur, causa utriusque fratris ad eum est

delata (63), Aristobulus, qui Pompejum sibi minime faventem videbat, armis restitit; hinc Pompejus Hierosolyma obsedit, post tres menses sabbato cepit, moenia urbis diruit, templum intravit, quin tamen thesauros arriperet, Hyrcanum pontificem et ethnarcham constituit, urbem Romanis vectigalem fecit atque Aristobulum ejusque filios Alexandrum, qui tamen aufugit, et Antigonum multosque Judaeos[1]) vinctos Romam abduxit. Tali modo Judaea Romanis facta est tributaria, et, licet nondum in provinciae formam redacta, fatente Josepho Fl. (Ant. XIV 4, 5) abhinc libertatem amisit.

1) Judaei Romae degentes serius libertate et civitate donati, in regione transtiberiensi coloniam judaicam constituerunt, quae, in dies aucta, suas synagogas habebat. Sic. legationi Judaeorum, quae Quintilio Varo. Syriae praeside, Romam venit, ultra 8000 Judaeorum romanorum se adjunxerunt. Confer Act. 28, 17. Josephum Ant. XVII. 11, 1. — Ciceronem, pro Flac. c. 28. — Philonem, Leg. ad Caj. §. 23. — Auer, Die Juden in Rom, in Zeitsch. f. kath. Theol. Wien 1852. IV. 56. De coemeteriis judaicis Romae confer Kraus, Roma sotteranea pag 61 seq., 489 seq. — Praecipua colonia in Italia praeter romanam erat Puteolis (Dicaearchia). Confer Josephum, Ant. XVII. 12, 1; Bell. jud. II. 7, 1. — Friedländer, Darstellung aus d. Sittengesch. Roms. 1871. III. Bd. 511.

2) Alexandrum, qui Judaeam incursionibus vexabat, Hyrcanus ope Gabinii, proconsulis Syriae, devicit, Aristobulum, Roma profugum, oppressit et captum Romam remisit. Interea Antipater, a quo Hyrcanus totus dependebat, animos Romanorum sibi conciliavit. Pompejo a Caesare fugato, Aristobulus cum 2 legionibus in Syriam mittitur, sed ab asseclis Pompeji veneno sublatus est filiusque ejus securi percussus, quo exstincto Antipater ad partes Caesaris transiit, ob res feliciter gestas civitate romana donatus et procurator (ἐπίτροπος) in Judaea (47) constitutus est, postquam Hyrcanum in pontificatu confirmavit. Ipse filio suo majori, Phasaëli, Hierosolymorum, et Herodi juniori Galilaeae administrationem commisit, postea autem a Malicho Judaeo veneno sublatus est. Antigonus, Aristobuli II. filius, a Parthis adjutus, Hierosolyma cepit, Hyrcanum patruum abscissis auribus Parthis tradidit, qui vinctum Babylonem abduxerunt, et Phasaëlem, Herodis fratrem, in carcerem conjecit, ubi se ipse occidit. Herodes, audita fratris morte, Romam aufugit et senatus consulto, annuente Octaviano, Judaeorum rex est proclamatus (40 ante Ch.) In Judaeam redux, triennio elapso, ope Romanorum urbe sacra est potitus (37). Antigonus a Sosio captus ad Antonium Antiochiam ducitur, qui, Herodis pecunia inductus, securi eum percussit, quo sublato Machabaeorum imperium regnumque ad Herodem, primum alienigenam (Idumaeum), translatum est.

3) Herodes, regno accepto, Hyrcanum a Parthis Babylonem abductum, revocavit, mox tamen interfecit, Mariamnem uxorem, falso adulterii accusatam, peremit ejusque fratrem Aristobulum III. in balneo suffocavit. Ultimo hasmonaeo pontifice exstincto, Herodes jus, pontifices creandi et deponendi (hinc vestes pontificias in arce Baris asservari jussit) ad libitum, uti post eum Romani, sibi arrogavit. Parem vitae exitum nacti sunt Alexandra, mater Mariamnae, nec non ipsi ex Mariamnae filii Aristobulus IV. et Alexander, frater Pheroras et Antipater ex Doride filius. Ut animos Judaeorum sibi

conciliaret, templum splendide decoravit, arcem Barim, ab Hasmonaeis in angulo areae templi septentrionali, aedificatam, renovavit, Antoniam vocavit atque cum templo conjunxit, urbem Samariam (Sebaste) magnificis aedificiis exornavit aliasque urbes (Agrippeion, Antipatrin, Phasaelin), castella (Herodium, Cyprum), turres (Stratonis Caesareae, Phasael, Mariamne Hierosolymis) aliaque aedificia, templa (Caesareae Philippi, in insula Rhodi), amphitheatra (Caesareae) aedificavit eisque nomina imperatoris vel cognatorum imposuit. Vectigalia tributaque aucta populum exacerbarunt quidem, eum tamen sibi reconciliavit rex, dum grassante fame et peste in maxima rerum inopia frumentum suppeditabat. Ipso regnante quum 70 hebdomades Danielis in finem vergerent, natus est Jesus Christus, Salvator mundi.

Confer Ant. XIV—XVIII; B. J. I. 10—30.

§. 94. Coloniae Judaeorum.

1) Inde ab exilio Judaei etiam extra Palaestinam sedes fixerunt et colonias fundarunt, constituentes dispersionem, διασποράν, quae appellatio e LXX Dt. 30, 4; Is. 49, 6 desumta, jam 2 Mach. 1, 27 adhibetur. Diaspora duplex distinguitur: aramaica et palaestinensis; illa complectebatur colonias, ab exulibus ad Euphratem et Tigridem conditas, haec autem colonias in terris, mari mediterraeno adjacentibus (Ἑλληνιστάς), comprehendebat. Primum Aegyptus a Judaeis frequentata fuisse videtur. Jam ante destructionem Hierosolymorum per Chaldaeos exstitisse conjunctionem[1]) Aegyptios inter atque Judaeos, patet ex Is. 30, 2; Jer. 2, 18). Godolia occiso Judaei cum Jeremia in Aegyptum fugerunt ibique urbes inter Memphin et Pelusium inhabitabant (Jer. 43); ab Alexandro in urbe Alexandria recens fundata sedes et aequalia cum indigenis jura et munera civitatis obtinuerunt, quae a Julio Caesare eis confirmabantur. Colonia haec valde aucta fuit Judaeis, a Ptolemaeo Lagi adductis captivis, aliisque sua sponte mercaturae quaestusque causa emigrantibus; erant subjecti etnarchae vel archonti[2]) judaeo et inde ab Augusto τῇ γερουσίᾳ (synedrio alexandrino).

Ibi Simon, filius Simonis Justi pontificis (anno 300), synagogam aedificavit, in qua initio etiam sacrificia offerebantur. Onias IV., legitimus quidem pontifex, sed munere privatus, anno 150 a. Ch. licentiam accepit, aedem deae Bubastis Leontopoli (Litopoli) in nomo heliopolitano, in templum judaeum mutandi ibique[3]) sacerdotes e genere suo et cultum introduxit[4]), quem Palaestinenses tanquam illegitimum abominabantur, quamvis Hellenistae hoc sanctuario nihil juris templo hierosolymitano derogarent. Templum hoc centrum Judaeorum aegyptiorum exstitit, et quia talis unio Vespasiano videbatur periculosa, ejus jussu a Lupo, Alexandriae praeside, clausum (72 p. Ch.) ac paulo post a Paulino dirutum fuit[5]). Etiam in castello Elephantina templum judaicum jam ante 525 a. Ch. aedificatum exstat, quod anno 411—410 a. Ch. dirutum fuit[6]). Quum inde ab Alexandro M. cultura graeca (philosophia) in

Aegypto, praeprimis Alexandriae, in qua a Ptolemaeis condita sunt museum et bibliotheca regia, sensim invalesceret, Judaei quoque eandem participabant. Testimonium praebet versio legis mosaicae, in linguam graecam sub Ptolemaeo II. Philadelpho instituta, quam dein translatio reliquorum librorum sacrorum excipiebat.

1) Jam Psammetich coloniam Joniorum et Cariorum Bubasti, prope Pelusium, fundaverat (650 ante Ch.), ac propter linguam graecam statum interpretum introduxerat; Amasi rege (φιλέλλην an. 530) Graeci in Aegypto septentrionali teste Herodoto (II. c. 178) multas urbes (Naucratim maritimam) acceperunt. Tempore Philonis (in Flav. §. 6) circa decies centena millia Judaeorum in Aegypto morabantur.

2) Confer: Wesseling, Diatribe de Jud. archontibus in Ugolin. Thesaur. XXIV.

3) Josephus Ant. XIII. 3, 1 et 2; B. J. VII. 10, 3.

4) Nixus Is. 19, 18, 19: *In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan . . . et erit altare Domino in medio terrae Aegypti.*

5) Templum hoc minusculum et pauperculum lychnucho aureo suspenso et altari erat instructum (Ant. XIII. 3, 3); dispar templo hierosolymitano, turri haud dissimile, a Ptolemaeo VI. Philometore circumjacentibus agris ad sustentandos sacerdotes dotatum est (B. J. VII. 10, 3). Christum infantem, in Aegypto profugum, praesentia sua idem sanctificasse, autumat Haneberg, Gesch. 466. De hoc templo confer Wieseler in Stud. u. Krit. 1867. 665 seq.

6) Conf. A. Sayce, Aram. papyri Disc. at Assuan. — Lond. 1906. Ed. Sachau: Drei aram. Papyrusurkunden aus Elephantine. Berl. Akad. d. Wiss. 1907. — Döller, Papyrifund von Assuan. Tüb. Quart. 1907 u. 1908, 376. — Steuernagel, Theol. Stud. u. Krit. Gotha 1909, 1. — J. Nikel, Neue Quellen z. ält. Gesch. d. jüd. Diaspora, Wien 1908.

2) Ex Aegypto Judaei in alias terras se Propagarunt: in urbe Cyrene (Lybiae), in quam a Ptolemaeo Lagi (1 Mach. 15, 23; Joseph., c. Ap. 2, 4) sunt translati, quartam incolarum partem constituebant; vexati a Graecis, jura et literas provinciales acceperunt (Ant. XVI. 6, 1) ab imperatore atque propriam synagogam Hierosolymis habebant (Act. 2, 10; 6, 9). In Syria, praecipue, Antiochiae, magna incolarum pars Judaei erant, qui eodem jure, quo Graeci, gaudebant, proprium ethnarcham habentes (Ant. XII. 3, 1); ibi Eleazarus et 7 fratres Machabaei martyrio sunt decorati. Praeterea coloniae judaico-hellenisticae inveniuntur in urbibus: Seleuciae, Ctesiphonte, Abilene, Emessae (Homs), Edessae, Damasci.

In Asiam minorem Antiochus M. e Babylonia et Mesopotamia 2000 familiarum Judaeorum transtulit ibique domos et agros eis assignavit (Ant. XII. 3, 4; Act. 13—18). Mercaturae causa praeprimis in urbibus maritimis sedem constituerunt, uti Ephesi et in urbibus Joniae; ex Asia diaspora in insulas Cyprum, Cretam, Cos, Euboeam, Melum etc. (Ant. XIV. 10. 11 seq.) propagabatur. Ptolemaeo VII. Physcone (170—116), Demetrio et sequentibus regibus Judaei Lampsaci, Spartae, Deli, Sicyone Pamphiliae, in Lydia, Rhodo etc. (1 Mach. 15, 23) a Romanis stationes obtinuerunt[1]); hinc improbabile non est, jam ante Augustum in Hispaniam colonos judaeos (captivos) venisse. Coloniae hae (etiam Romae) omnes fundatae sunt aut per deportatos aut per fugitivos, aut per captivos, imo et per Judaeos, iter mercaturae causa facientes atque suos habebant archontes. Propter legem sabbaticam Judaei, Romanis subjecti, a militia liberi erant.

1) S. Apostulus Paulus, Tarsi Ciliciae natus, civis romanus (Act. 22, 25) erat, et in itineribus apostolicis suis synagogas Salaminae (Act. 13, 5), Antiochiae Pisidiae (Act. 13, 14), Iconii (14, 1) Philippis Macedoniae (16, 13), Thessalonicae (17, 1), Athenis (17, 17), Corinthi (18, 1) invenit ac visitavit. Josephus Flav. (B. J. VII. 3, 3): *Multum quidem Judaicae gentis per totum terrarum orbem indigenis erat interspersum.* Philo, in Flac. §. 7. Leg. ad Caj. §. 36.

3) Quamvis Judaei in diaspora viventes in omnes mundi partes essent dispersi, eadem tamen lege, quae in synagogis ubique erectis praedicabatur, et praeprimis unico sacrificandi loco, templo hierosolymitano, erant uniti[1]). Illuc adulti Judaei festis majoribus peregrinari[2]) vel saltem tributum pro templo solvere (etiam e Nehardea et Nisibi Ant. XVIII. 9) tenebantur et collectas statis temporibus per legatos singularum urbium Jerosolymam mittebant; cum lingua ergo et cultura graeca minime mutarunt religionem. Monotheismus, Scriptura sacra, Lex ac promissiones divinae populum hunc, inter gentes dispersum, conservaverunt integrum ac ceteris non permixtum; civitate donati nec Graeci nec Romani fiebant. sed semper Judaei manebant, contra polytheismum ritusque gentiles se obmunientes.

1) Cultus et sacrificia in templo hierosolymitano secundum praeceptum Legis stricte celebrabantur, novilunium publice per ignes et dein per nuntios e Jerusalem missos annuntiabatur. Accesserunt festa nova: Purim, encaeniorum, festum ligniferii (B. J. II. 17, 6 seu ignis Neh. 10, 34; 13, 31) die 15. mensis Ab, ad alendum ignem in altari holocaustorum, aliaque minora: Nicanoris die 13. Adar (1 Mach. 7, 26 seq.; 2 Mach. 14, 15), occisionis Holofernis per Judith (16, 31). Leges ceremoniales ad minutissima quaeque, non sine hypocrisi, in Palaestina observabantur. Confer Herzfeld, Ges. III. 106 seq.

2) Confer Act. 2, 9—11. Narrat Josephus (B. J. VI. 9, 3), festis majoribus (Paschatis) in urbe sancta una cum incolis degisse vicies septies centena millia Judaeorum.

4) Diaspora judaica in gentes influxum exseruit salutarem[1]); gentiles enim philosophi et alii sapientes, polytheismi in pejus ruentis pertaesi, synagogas adibant ibique Deum Israelis, ritus, orationes, virtutes sibi ignotas ac salutem futuram discebant. Ita mirabili Dei providentia ethnicis via aperta est ad religionem A. T. cognoscendam (universalismus), quod magnam habuit vim ad praedicationem evangelii expeditiorem reddendam. Qui e gentibus religioni judaicae sese addicebant — quod eo facilius fieri poterat, quia Judaei romanae civitatis jure gaudebant — proselyti[2]) vocabantur. Hellenistae, a perversis Pharisaeorum doctrinis remoti, praeconium evangelii facilius admiserunt, quam Judaei palaestinenses. Judaeos hellenistas cum gentilibus conversantes philosophia et literatura graeca minime latebat, uti videre licet e libris Eccli. et Sapientiae, quae caute adhibita et legi subordinata religioni christianae vias planare eamque propagare debuit; e contra philosophiâ graeca praevalente ac religioni hebraicae admixta eclecticismus seu judaeo-alexandrina theosophia (explicatio allegorica — Philo) est enata, quae e diametro orthodoxiae crassae Judaismi palaestinensis opposita, aeque ac haec christianae religioni nec salutarem nec utilem se praebuit.

1) Josephus (c. Ap II. 38) testatur: *Conantur mutuam nostram imitari concordiam et bonorum largitionem et in artibus exercendis sedulitatem et tolerantiam in tormentis, quae pro legibus nostris sustinemus . . . sicut Deus universum mundum permeavit, ita lex*

universos mortales pervasit. Seneca (Aug. Civ. Dei. 6, 11): *Cum interim usque eo sceleratissimae gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt.* Dio Cassius (37, 17). Praeprimis feminae (Damasci) religionem judaicam professae sunt (B. J. II. 20, 2. Act. 13, 50; 17, 4), atque domus regia Adiabene (Izates cum Helena matre Ant. XX. 2—4).

2) Proselytorum (προσήλυτος — advena 1 Par. 22, 2 LXX) alteri erant justitiae seu foederis, qui interrogati de sinceritate conversionis suae, circumcisione (masculorum) praemissa baptizabantur (Ez. 19, 10 col. Ez. 19, 10; Zach. 13, 1 quod baptisma e lustrationibus facile explicatur) holocaustumque offerebant (Ex. 24, 5), quorum multi erant, praecipue feminae (col. Juvenal. Sat. 14, v. 96 seq.); alteri vero proselyti portae seu inquilini (Ex. 20, 10; Dt. 5, 14: *advena qui est inter portas tuas)*, etiam timentes Dominum (Ps. 117, 4) nominati, qui ab idololatria tantum abstinentes, praecepta noachitica et sabbatum observabant et cum Israelitis in urbibus cohabitare ac conservari poterant. Lex mosaica (Ex. 20, 10; Dt. 31, 12) tolerantiam ejusmodi permisit (Jethronem, Ruth, Rahab): altera ex parte reges gentium, uti ex eorum edictis patet, religioni judaicae propagandae non resistebant. Confer Ugolinum, Thes. XX. 837 seq. Distinctio inter proselytos justitiae et portae a recentioribus negatur, cum ista denominatio demum medio aevo introducta sit. Praeter proselytos, qui cum circumcisione Judaismum acceptaverunt, existebant multi alii, amici Judaismi, qui nonnullas veritates, nonnullos ritus tantum Judaeorum adoptaverunt, quique in Act. 13, 26; 17, 4, 17 timentes Dominum vocantur. Cf. Bertholet, D. Stellung d. Israel. u. Juden zu den Fremden. 1896. — Fr. Sieffert, D. Heidenbekehruug im A. T. u. im Judentum, Gr. Lichterfelde-Berlin 1908, 21—30.

§. 95. Libri Machabaeorum.

1) Liber primus enarrat (in 16 Cap.) triumphos Machabaeorum[1]), contra Seleucidas libertatis et religionis causa pugnantium, ab initio Antiochi Epiphanis usque ad mortem Simonis pontificis, ideoque complectitur historiam 40 annorum.

Liber secundus historiam prioris non continuat, sed quaedam Machabaeorum facta, quae jam in primo sunt relata, fusius exponit et illustrat; enarrat enim (Cap. 3—5) persecutiones et bella, quae sub Seleuco Philopatore, Antiocho Epiphane, Antiocho Eupatore et Demetrio in Judaea sunt gesta ab anno 176—161. Deinde (6—7) refert Eleazari senis ac matris ejusque 7 filiorum martyrium, et (8—15) praeclara faustaque Judae Machabaei proelia adversus duces regum Syriae. Praemissae sunt huic libro duae epistolae (1, 1—9 et 1, 10—2, 19) Judaeorum hierosolymitanorum ad Judaeos aegyptios directae, in quibus inter alia festum encaeniorum eis indicant[2]); epistolas sequitur praefatio (2, 20—33), in qua auctor se Jasonis Cyrenaei historiam quinque libris comprehensam, in epitomen egisse dicit.

1) Inter finem libri Nehemiae et initium libri primi Machabaeorum est lacuna in historia, quae praeprimis e scriptis Josephi Flavii complenda est.

2) In prima epistola post apprecationem salutis alludunt ad tribulationes regnante Demetrio (a. 144) toleratas, ad div. auxilium et exhortantur contribules suos, ut secum celebrent encaenia. Altera epistola inviat Judaeos aegyptios, ut diem dedicationis templi et ignis coelitus dati celebrent, adducendo miraculosam inventionem ignis sacri tempore Nehemiae et rationem, cur arca et tabernaculum a Jeremia ablata nondum sint inventa. Cf. Schlatter, Jason v. Kyrene. Münch. 1891.

2) Liber primus lingua hebraica exaratus fuit, quod testantur loquendi ratio et frequentes hebraismi[1]), nec non Origenes et s. Hieronymus[2]). E textu illo deperdito confecta est versio graeca; liber probabiliter versus finem seculi II. ante Ch. a Judaeo palaestinensi conceptus nec multo post in linguam graecam translatus est.

Liber II. graece scriptus est, nam graecam redolet idolem ac styli elegantiam[3]), et quidem, quum prior epistola annum 188 (i. e. 123 ante Ch.) inscriptum habet, circa finem seculi II. ante Ch. a Judaeo Palaestinensi est conceptus.

1) V. g. 1, 16: καὶ ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία 1, 16, οἶκος τῆς βασιλείας 2, 19, ἰσχυροὶ δυνάμει 2, 42, μετὰ δὲ τά ῥήματα ταῦτα 5, 37, phrasis καὶ ἐγένετο saepe repetita etc. Cf. Vetter, Ein hebr. Text vom 1. Makk. Buch (Theol. Quart. 1901. IV).

2) Hieronymus (Prol. gal.): *Machabaeorum librum primum hebraicum reperi, secundus graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* Teste Origene (apud Eusebium, Hist. ec. 6, 25) titulus librum erat (Σαρβὴθ Σαβαναίελ, Σαρβὴδ σὰρ βανὲ ἔλ) i. e. שַׂרְבֵת שַׂר בְּנֵי אֵל = historia principium filiorum Dei.

3) Conceptionem graecam suadent verborum compositio, rari hebraismi (8, 15; 9, 5; 14, 24), sententiarum conformatio graeca (4, 40; 12, 22; 15, 12), nomina composita et paronomasiae: εὐημερίαν δυσημερίαν 5, 6; ἄλλος ἀλλαχῇ 12, 22, δυςφόρως φέρειν 14, 28. E textu graeco derivatur utriusque libri versio latina, quae, quum a. s. Hieronymo non fuerit correcta, in editione Vulgata habetur, prout olim exstabat in veteri Itala (nec non versio syriaca). Inde explicantur voces et phrases graecae in libro primo Machabaeorum: *bahis* 13. 37, *cinyra* 4, 54, *pentacontarchus* 3, 55, *scenopegia* 10, 21, *in navium multitudine* 1, 18. Versio quidem fidelis est, mendis tamen non caret. Confer Grimm, Handb. z. d. Apokryphen III. pg. XV. et IV. pg. 7 seq.

3) Auctor libri I. pro fontibus, quos quidem non citat, usus est documentis antiquioribus e tempore Machabaeorum, quae aut verbotenus (8, 23—32; 10, 18) aut epitome (10, 6; 15, 22 etc.) adducit. Ex annalibus Joannis Hyrcani (1 Mach. 16, 23, 24) concludere licet, tales etiam de reliquis Machabaeis esse conceptos[1]). Auctor libri II. praeter duas illas epistolas[2]) opere Jasonis tantum (circa annum 160 ante Ch. [graece?] scripto) est usus.

1) Confer 1 Mach. 9, 22; 2 Mach. 2, 13, 14; Herbst, Einl. 19; Grimm l. c. pag. XXII.

2) Epistolae probabiliter ab auctore ipso adjectae sunt libro. Quum ad Hellenistas sint directae, probabiliter Judaei Palaestinenses, qui illas scripserunt, lingua graeca utebantur, quae characterem hebraicum sapit, ut Herkenne (D. Briefe zu Beginn d. 2. Mac. B. Bibl. Stud. VIII, 4) demonstravit.

4) Fides historica rerum gestarum, quae in utroque libro narrantur, in dubium vocari nequit, nam maximam partem cum scriptis auctorum profanorum[1]) congruunt, Antilogiae, quae occurrunt, sunt aut apparentes aut libris his deputari nequeunt[2]).

1) De congruentia scriptorum graecorum et romanorum cum nostris libris confer Scholz, Com. z. Bb. d. Mach. Frankft. 1833.

2) Quum e collatione utriusque libri sese mutuo collustrantis oriantur antilogiae apparentes, nonnulli veritatem historicam horum librorum negant, uti E. Fr. Wernsdorf (de font. hist. Syr. in lib. Mach. prol. Lips. 1746) et G. Wernsdorf (com. hist. crit. de fid. hist. lib. Mach. Vrat. 1747). Defenderunt historicitatem Er. Fröhlich S. J. (Annales comp.

reg. etc. nummis vet. ill. Vien. 1744) et Khell S. J. (Auctor utriusq. lib. Mach. can. hist. 1749). Quod Spartiatae ac Judaei de genere Abrahae esse dicantur (1 Mach. 12, 21; 2 M. 5, 9), auctoritati canonicae libri non obstat, nam sententia haec in priori loco non auctori tribuitur, sed in epistola Arii, regis Spartiatarum, ad Oniam pontificem invenitur; existebat autem Spartae jam circa annum 150 ante Ch. colonia Judaeorum (1 Mach. 15). Confer Haneberg 501 et E. Palmer (De epistolarum, quas Spart. atq. Jud. invicem sibi misisse dicuntur, veritate Darmst. 1828). Eodem modo dijudicanda sunt, quae Judas de Romanis audiebat (1 Mach. 8, 1 seq.). Inter 1 Mach. 6 et 2 Mach. 9, non est contradictio; nam utraque narratio apprime concordat hac cum differentia, quod auctor libri I. summatim rem refert, dum in libro II. auctor varias recitat circumstantias, in priore omissas. Alias objectiones, praeprimis contra authentiam 2 Mach. vide apud F. H. Patritium S. J. (de consensu utriusque libri Mach. Rom 1856); Welte-Herbst 21, 49; A. Cigoi (Hist. chron. Schwierigkeiten in 2 Mach. Klagenf. 1868). Cf. Schöpfer (Schlögl) p. 538 seq.

Sequitur liber uterque in annis computandis aeram Seleucidarum (ἐν ἔτει . . . Ἑλλήνων 1 Mach. 1, 11), quae incipit mense Octobri anni 312 ante Ch. (quo Seleucus I. Nicator ducem Antigoni fudit ac regnum Syriae maxime ampliavit), diverso tamen modo; auctor enim libri I. pro Judaeis palaestinensibus annum orditur juxta Judaeorum morem a mense Nisan 312, alter vero, supputationem Jasonis servans, ab insequente mense Tischri ejusdem anni (confer Patritium l. c. 41), vel 1 Mach. a Nisan 312 et 2 Mach. a Tischri 311 (Reusch 141), alli rursus (Herbst 58; Röckerath, Chron. 232; Ideler, Chronl. I. 530) aliter, ita ut in chronologia nonnullorum eventuum differentia quaedam exoriatur, v. g 1 Mach. 6, 16 col Mach. 11, 27—33. Cf. Niese, Kritik der 2 Makk. B. 1900. Objectiones contra epistolas, libro praemissas, vide apud Herbst 40, Schlünkes l. c. Cornely 466. Cf. etiam Schürer, Geschichte d. jüd. Volkes. Unger, Seleukidenära d. Makk. BB. (bayr. Akad. d. W. 1895).

5) In narrandi ratione differunt libri: prior res gestas objective narrat stylo simplici, qui similis est dictioni LL. antiquiorum V. T., alter vero stylo magis rhetorico est conceptus; nonnulla enim fusius tractat auctor et reflexiones, scopo suo religioso-didactico et paraenetico congruas, connectit[1]).

1) Auctores utriusque libri usi sunt historia, ut memoriam eorum, quae magni illi viri pro religione avita defendenda et populi libertate vindicanda gesserant, posteris traderent (I, lib.), atque confirmarent lectores in fide paterna et imprimis, ut Judaeos aegyptios ad celebrandam purificationem templi, ab Anticho Epiph. profanati, vel potius ad templum frequentandum, idque cum sacrificiis et oblationibus, instigarent (II. l.). Auctor l. I. maxime Judaeos palaest. prae oculis habuit, alter librum suum proxime Hellenistis destinasse videtur. Quamvis auctores libri utriusque in hoc conveniant, ut saepe loco vocis Dei utantur coelo (1 Mach. 3, 50, 60; 4, 10, 40; 9, 46; 12, 15; 2 Mach. 7, 11; 8, 20; 11, 10), tamen in multis differunt. In libro primo mere historico notae chronologicae frequentiores sunt, quam in altero, in quo pragmatismus religiosus praevalet; in I. libro nomen κύριος 9ies et θεός 14ies, in II. libro κύριος 48ies et θεὸς 64ies occurrit. Instituuntur ab auctore II. libri saepe reflexiones de rebus narratis (4, 17; 5, 6; 6, 12—17: 7, 21; 12, 44 seq.) earumque nexu cum fide et religione (3, 28; 4, 16, 26; 5, 9, 17 seq. 8, 11, 24, 36; 9, 4, 16; 11, 4, 10; 12, 16, 40 etc.). Ante omnia autem effert dignitatem et sanctitatem templi hierosolymitani (3, 2; 4, 14, 39, 5, 15; 6, 2, 4; 8, 2, 17; 10, 1, 3, 5; 11, 3, 25; 13, 11, 14, 23; 14, 41—35; 15, 17, 18, 33), respectu probabiliter habito ad templum Leontopoli erectum, eo fine, ut Judaei aegyptii templum hieros. semper tanquam centrum cultus Jahvae considerent. In libro secundo (in opere Jasonis) sat clare influxus historiographiae graecae obsereari potest. quae in scholis rhetoricis tractabatur, unde magna similitudo scribendi rationis Polybii (220) cum II. libro Mach. explicatur. Confer Grimm. l. c. 7.

6) Libri hi divinitus inspirati creduntur; adnumerantur enim a LXX et in antiqua versione Itala aliis libris divinis, a Josepho Flavio et scriptoribus judaeis allegantur, a s. Paulo (Heb. 11, 35) ad 2 Mach. 6, 19 alluditur, et licet a nonnullis Patribus in Canone omittantur, tamen ut Scriptura sacra citantur[1]). Libri non tantum historiam subministrant periodi, in evolutione regni divini praecipuae, sed etiam doctrinas de immortalitate animae et resurrectione (2 Mach. 6, 26 seq.; 7, 15 seq.), de suffragiis pro mortuis (12, 42 seq.), de intercessione Sanctorum (15, 14) evolvunt.

1) Tertullianus (adv. Jud. 4), Cyprianus (exh. ad. mar. 5), Hippolytus (de Chr. et ant. 49), Hilarius (Ps. 134, 25), Ambrosius (de Jac. 2, 10, Augustinus (doct. ch. 2, 8), Hieronymus (Is. 23, 2; Gal. 3, 14). Clemens Alex. (strom. 1, 21; 5, 14), Origenes (de Princ. 2, 1; ep. Rom. 4), Athanasius (in Ps. 78), Chrysostomus (hom. in Mach. de cons. mar. 4), Ephraemus (Dan. 8, 11). — Concilia Hipponense et Carthaginiense eos catalogis librorum ss. inserunt, similiter concilium Trullanum.

Comment.: Knabenbauer 1907. — Acath.: Keil 1875. — Zöckler 1891.

§. 96. Liber Sapientiae.

1) Liber Sapientiae (LXX σοφία Σαλομών vel Σαλομῶντος)[1]) quoad argumentum in tres[2]) partes dispesci potest: *a)* (1—6) invitat auctor ad studium sapientiae[3]), cujus vim magnificis verbis effert, eamque hominibus, praecipue regibus et principibus, commendat; *b)* (7—9) assumpta Salomonis persona originem, impetrationem et commoda verae sapientiae pandit, ac *c)* (10—19) efficaciam sapientiae divinae ostendit exemplis, ex historia populi electi atque Patriarcharum, a creatione usque ad Moysen petitis; praeterea (a Cap. 13—15) de origine et turpitudine idololatriae disputat[4]).

1) In antiqua Ecclesia sic vocabatur, quia Salomon auctor libri habebatur, vel de quadem similitudine Salomonis dicebatur. Inde a tempore s. Augustini et Hieronymi simpliciter liber Sapientiae nominatus est. A Pseudo-Athanasio (Sym. 45) et Epiphanio (de pond. et m. 4), Clemente Alex. (strom. 4, 6) πανάρετος σοφία vel ἡ θεία σοφία vocatur.

2) A Gutberlet (Buch d. Weisht. 1874, 5) in duas partes dispescitur: tractatus phylosophicus de sapientia (Cap. 1—10) et historicus (11—19).

3) Sapientia (σοφία) in libris sapientialibus, praeprimis in libro Sapientiae proposita, non est sapientia mere humana, sed theosophia seu sapientia, quae reflexione et meditatione in lege et rebus a Deo revelatis acquiritur non tam ope humana, quam auxilio divino ideoque est donum Dei (9, 10), sive sapientia intellectualis, tum naturalis (7, 17) tum supernaturalis, sive practica (7, 14), quae praecepta de vita probe instituenda monstrat. Praeter hanc sapientiam sic dictam creatam in libro Sapientiae praeprimis celebratur Sapientia divina seu increata, et quidem non tantum qua attributum totius divinitatis essentiale, sed etiam qua Sapientia personalis vel nationalis, qua Verbum divinum seu secunda Trinitatis persona designatur (7, 12, 21, 27; 8, 3, 4). Tali modo revelatio mysterii ss. Trinitatis sensim evolvebatur, quo sub respectu libri deuterocanonici pontem quasi constituunt inter libros protocanonicos A. T. et Novum Testamentum. Merito itaque ss. Patres librum Sapientiae inter scripta prophetica recensent, quatenus illos locos de Filio Dei interpretati sunt. Celeber locus 2, 12—20 a. ss. Patribus Hippolyto, Cypriano, Augustino (Civ. D. 17, 20: *Passio Christi apertissime prophetatur*) et recentioribus interpretibus (col. Matth. 23, 25; Joh. 7, 19. Luc. 11, 39, 45) tanquam vaticinium directe messianum consideratur. Confer Tüb. Quartlsch. 1864, 330. Loci dogmatici sunt: 1, 4 seq., 7, 13; 2, 23; 4, 1, 10; 8, 21; 13, 1; 16, 20.

4) Intendit auctor libro suo adhortari ad veram sapientiam et dehortari ab idololatria, et quidem non tantum principes, sed et populum.

2) Liber hic non est anthologia e variis dissertationibus conflata; unitatem[1]) enim ejus testantur internus idearum nexus et extrinseca omnium partium constructio. Similiter integritas[2]) non est addubitanda.

1) Unitatem primus impugnavit C. Houbingantius C. Or., qui c. 1—9 Salomoni, reliqua alteri scriptori tribuit. Rationalistae librum e variis diversorum auctorum fragmentis constare defendunt. Objiciunt *a)* varietatem styli, — quae tamen e varietate rerum explicatur, *b)* vituperationem idololatriae, quae Salomoni seni non conveniat. — Sed loquens introducitur Salomon juvenis. Confer Gutberlet §. 7.

2) Gratis liber mutilus nec ab auctore terminatus asseritur; nam liber gaudet aptis clausulis. Loci 2, 24; 3, 13; 4, 1; 14, 7 non a Christianis sunt interpolati (Grätz), sed judaico scriptori inspirato bene cenveniunt.

3) Multi[1]), inscriptione graeca (Σοφία Σαλομωντος) et Capp. 8. 9 nixi, in quibus Salomon loquens introducitur, librum Salomoni tribuunt, cui opinioni contradixerunt jam ss. Hieronymus et Augustinus[2]). Textus originalis graecus, indoles sermonis et styli, respectus ad philosophemata recentiora auctorem a Salomone diversum testantur. Si hic liber esset Salomonis, certo in canone s. Scripturae sub ejusdem nomine positus fuisset. Juxta sententiam probabiliorem auctor libri creditur fuisse Judaeus aegyptius (alex.), graece loquens Graecorumque moribus imbutus, qui opus suum exeunte seculo tertio (tempore Ptolemaeorum)[3]) ideo exaravit, ut suos ad amorem sapientiae et perseverantiam in fide adhortaretur, contra infidelitatem et idololatriam muniret, ac in rebus adversis consolaretur, simulque in eis spem libertatis excitaret. Alii ut Schürer, ex catholicis Heinisch librum Sap. in primam partem I. saeculi a. Ch. reponere volunt.

1) Clemens Alex. (strom. 6, 14). — Origenes (Joh. 20, 21). — Tertullianus (praesc. haer. 7). — Hippolytus (adv. Jud. 9). — Epiphanius (haer. 64, 54). — Cyprianus (exh. ad mar. 12). — Ambrosius (de par. 12, 54).

2) Hieronymus (Praef. in ll. Sal.): *Fertur et alias* ψευδεπίγραφος, *qui Sapientia Salomonis inscribitur, . . . qui apud Hebraeos nusquam est, quia et ipse stylus graecam eloquentiam redolet; et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judaei Philonis affirmant.* Augustinus (Civ. D. 17, 20): *Alii vero duo, quorum unus Sap., alter Eccli. dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo; non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.* — Potuit autem auctor Salomonem, Judaeorum sapientissimum, non tantum citare, sed et loquentem inducere, et liber noster dici Salomonis (pseudosalomonicus) ideo, quia auctor e libris, sapientiâ Salomonis refertis, multa mutuatus sit et varias hinc inde sententias collegerit, e quibus novum opus componeret; confer Prov. 8, 1—9, 6 col. Sap. 7, 7—8, 6, Vincenzi, Sess. IV. C. T. 3, 4, §. 8. Tali ratione dicta Patrum conciliantur et sufficiens ratio datur, cur Salomon loquens introducatur et exempla historica ex antiquiore sola historia desumantur.

3) Huc pertinet mentio certaminum (4, 2), Hadis (1, 14; 16, 13), fluminis Lethe (16, 11), etc. Invehitur auctor praeprimis contra materialismum tunc grassantem (Cap. 2) et eos, qui providentiam divinam negant (3, 5 seq.), in idololatriam (cultum animalium 15, 14, 18 seq.) et injustitiam potentum, quae omnia optime quadrant in tempora Ptolemaei IV. Philopātoris, qui crudeliter in Judaeos saeviit. Gutberlet, l. c. §. 4. Cornely Comp. 351. Auctor libri scriptis salomonicis nunc deperditis usus est ideoque Salomonem loquentem iutroduxit.

Ob similitudinem argumenti nonnulli auctorem Eccli. etiam librum Sapientiae scripsisse putant, ut s. Augustinus (doct. chr. 2, 8), quam sententiam ipse serius retractavit (Ret. 2, 4, 2). Alii (col. Hieronymo Praef. In ll. Sal.) Philonem auctorem libri Sapientiae fecerunt, ast s. Hieronymus, Eusebius, qui opera Philonis recensent, eis nunquam librum Sapientiae adnumerant, nec Ecclesia ullum Philonis librum recepit. Praeter similitudinem inter doctrinam Sapientiae et Philonis, qui sine dubio ex illa hausit, magna etiam invenitur discrepantia; confer Herbst 187. Gutberlet §. 5.

4) Liber Sap. primitus graece[1]) fuisse scriptus creditur. Praeter assertionem s. Hieronymi stylus, eloquentiam graecam redolens, copia phrasium, dictionum pure graecarum, quam plurima vocabula composita, quae lingua hebraica ignorat, frequentes paronomasiae, assonantiae et lusus verborum, conceptus abstracti et speculatio dialectica, hanc sententiam confirmant.

1) Constructio graeca adest in participiis adhibitis 17, 17—19, 12, 21, 22, in periodis 12, 3—8, 27; 13, 11—15; vocabula composita: κακότεχνος (1, 4; 15, 4), ὀλιγοχρόνιος (9, 5), ὁμοιοπαθής (7, 3), πρωτόπλαστος (7, 1), τεκνογόνος (14, 23); Consonantia et paronomasiae: ἀγαπήσατε — φρονήστε — ζητήσατε (1, 1), ἀδόλως — ἀφθόνως (7, 13), ἄργα — ἔργα (14, 5). Confer Grimm Apocryph. 1860. Linguam graecam non puram, sed hebraizantem testantur hebraimsi (1, 1; 2, 16; 9, 9; 13, 9) et parallelismus membrorum, e quibus autem concludi nequit (cum Huetio, Engelbreth, Schmidt), librum conscriptum fuisse hebraice.

Versio latina in Vulgata est s. Hieronymo antiquior et, quia presse de verbo ad verbum ex originali graeco facta, in re critica maximae est auctoritatis. Perpauca additamenta (Herbst 202) non sunt essentialia. Versio arabica, quamvis presse textum graecum sequatur, nonnunquam paraphrastica est. Minoris pretii est versio syriaca, majoris versio armeniaca; confer Reusch, Obj. crit. in lib. Sap. Frib. 1861. — Gutberlet l. c. pag. 48.— Feldmann, Textkrit. Materialien z. B. d. Weisht. 1902.

5) Auctoritatem canonicam testantur versiones LXX et Itala, citationes N. T. e libro Sap., qui tamen non nominatur, desumtae[1]), ss. Patres[2]), qui frequenter librum Sapientiae tanquam divinum allegant et concilium Tridentinum.

1) V. g. Sap. 13 col. Rom. 1, 17—31: Sap. 7, 26 col. Heb. 1, 3; 12, 13 c. 1 Pet. 5, 7; 8, 8 c. Act. 1, 7. Reliqua vide apud Nachtigal (Buch der Weisheit 1799, 195 seq.).

2) Clemens Rom. (1 Cor. 27, 1). — Clemens Alex. (strom. 4, 16; 6, 11) Hippolytus (adv. Jud. 9). — Tertullianus (adv. Valent 2). — Cyprianus (de hab. vir. 10; de mort. 25), Athanasius (in Ar. 2, 32, ep. fest. 11, 5; 19, 5), Ambrosius (de parad. 12; de Jac. 2, 8), Hilarius (de Trin. 1, 7. Ps. 41, 12) ad Sapientiam provocant contra Arianos; Augustinus (de praed. Sanct. 1, 14), qui librum Sapientiae in Canone adducit, adversus Pelagianos dixit: *Non debuit repudiari sententia libri Sap., qui meruit in Ecclesia Christi tam longa annositate recitari et ab omnibus christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos cum veneratione divinae auctoritatis audiri . . . Qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum Sap. librum, ubi legitur: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, omnibus tractatoribus anteponant, quoniam eum sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt.* Contra haereticos aut in dogmaticis tractatibus eum adhibent Epiphanius (haer. 26, 15), Basilius (c. Eun. 5, ep. 8, 10), Gregorius Naz. (or. 28, 8), Chrysostomus (in Gen. h. 11, 1; 22, 3) et Athanasius (c. Ar. Apol.). Tandem Ecclesia catholica frequenter libro Sapientiae in liturgia sacra utitur.

6) Objectiones, quas Acatholici ex interna libri indole petunt, non sunt tales, quales hanc auctoritatem canonicam evertere possint.

Adducunt nonnulla facta historica tanquam erronea, quibus tamen recta interpretatio characterem vere historicum vindicat; v. g. quae de vestigiis Pentapolis deletae, imprimis de statua uxoris Loti refert (10, 7), confirmantur non tantum Genesi 19, sed et aliis testimoniis; epitheta: populus justus et semen sine querela (10, 15), vocationem et dignitatem Israel designant, Abominationes idololatriae Cananaeorum (12, 9 seq.), perturbatio Aegyptiorum per spectra (17, 3) etc. nihil contra veritatem continent.

Palmare autem argumentum acatholicorum contra characterem divinum libri Sapientiae est hoc: in eodem multas doctrinas erroneas philosophiae alexandrinae, stoicae et platonicae inveniri, quod gratis asseritur. Inter praecipuas hujus philosophiae notas pertinent: *a)* Interpretatio allegorica (Philo), quae sensum literalem explodit, haec autem in nostro libro non invenitur, qui ipsa historia nititur. *b)* Syncretismus sive philosophiae ethnicae cum doctrina revelata commixtio frustra in libro Sapientiae quaeritur: nam omnes doctrinae ibi propositae conveniunt cum his, quae in Proverbiis et Ecclesiastico leguntur. Non est sermo de duobus principiis, Deo et materia (aeterna), sed de Deo creatore et materia creata, non de numine intermedio, inter Deum et mundum partes intercessoris agente, sed de providentia divina omnia regente et disponente (1, 1 seq. v. 13, 14; 3, 1 seq.; 12, 1 seq.) et de Sapientia divina personali (λόγος), quae cum illo numine intermedio nihil habet commune, non de ideis platonicis, v. g. de praeexistentia animae, de trichotomia; nam doctrina libri Sapientiae (2, 23—25; 3, 7, 18; 13, 1 seq.) e diametro contraria est systemati philosophiae alexandrinae. Dum vero evictum est, librum Sapientiae quoad argumentum esse independentem a philosophia graeca, minime negamus influxum ejusdem in loquendi rationem, uti patet ex vocabulis ὕλη ἄμορφος (11, 18), epithetis Sapientiae (7, 22 seq.), forma dialectica (13, seq.) etc.; auctor enim libri Sapientiae, eruditionis graecae gnarus, quia errores tunc grassantes refutare sibi proposuerat, eadem scribendi ratione et terminis technicis uti debuit, in quibus doctrinae falsae propositae erant. Confer Herbst l. c. 161. — Gutberlet, §. 5. — Lesétre, Com. 13. — Cornely 232. — Heinisch, Griech. Philos. im B. d. Weisheit (alt. Abh. I.). Münst. 1908.

Comm.: J. A. Schmid 1865. — Gutberlet 1874. — P. Acath.; Deane, Oxf, 1881. — Zöckler 1891.

§. 97. Liber Ecclesiasticus.

1) Liber, qui in versione graeca inscribitur σοφία Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ Σειράχ. vel brevius σοφία Σειράχ[1]). quae inscriptio libri auctorem et argumentum indicat, a Latinis inde a tempore s. Cypriani Ecclesiasticus (Eccli.)[2]) appellatur, quia ad catechumenos instruendos in Ecclesia adhibebatur vel ad imitationem simul et distinctionem libri Salomonis Ecclesiastes.

1) Liber vocatur simpliciter ἡ σοφία a Clemente Alex. (Paed. 1, 8, 69), Origene in Matth. 13, 4) vel *liber sapientiae* (Hieronymus, cont. Pelg. 1. 33), πανάρετος σοφία (Hieronymus, Prf. in l. Sap.), vel σοφία Σειράχ (Origenes, c. Cels. 6, 7; Clemens Alex., Strom. 1, 4, 27), *sapientia filii Sirach* (Hieronymus, Eccl. 3, 16). Hic liber cum libro Sapientiae (libri sapientiales) ab antiquis scriptoribus saepe cum 3 libris Salomonis jungitur ideoque 5 libri Salomonis numerantur, quemadmodum Psalmi sub Davidis nomine allegari solent, uti ab Origene (in Num. hom. 18, 3): *In libro, qui apud nos inter Salomonis volumina haberi solet et Eccli. dici, apud Graecos vero Sapientia Jesu, filii Sirach appellatur.* Hinc sub nomine Salomonis citatur a Cypriano (c. Jud. 3, 6, 12), Leone (serm. 39), Optato (c. Don. 3, 3), Lactantio (div. iust. 4, 8), Hieronymo (in Ez. 33, 1); a concilio Hipponensi 393, Carthaginiensi 397, Augustino (C. D. 17, 20): *Alii vero duo, quorum unus Sap. et alter Eccli. dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo, non autem esse ipsius, non dubitant doctiores,* et Cypriano (c. Jud. 3, 35, 95): *apud Salomonem in Ecclesiastico.*

2) **Rufinus** (in Symb. Ap. 38): *Sapientia, quae dicitur filii Sirach, qui liber apud Latinos generali vocabulo Eccli. appellatur, quo vocabulo non auctor libri, sed scripturae qualitas cognominata est.* **Augustinus** (div. qu. 1, 20).

2) Dividitur liber quoad argumentum in duas partes, quarum prior (Cap. 1—42, 14) proverbiorum Salomonis instar continet collectionem parabolarum, sententiarum, adhortationum, quae concernunt res morales, et praecepta omnium vitae officiorum atque conditionum in quocumque statu, praeprimis vero laudes sapientiae celebrat, eamque sectandam monet[1]). Differt tamen scopus libri a consilio Proverbiorum, quod Siracides de singulis rebus orationes instituit una serie, et reflexiones adhortationesque suas magis specialibus vitae conditionibus adaptat; medium ergo tenet inter Proverbia et librum Sapientiae. In altera parte (42, 15—43, 37) Deum in rebus creatis admiratur laudatque; prosequitur dein (44—50) laudes illustrium virorum gentis electae ab Henocho usque ad Simonem, Oniae filium[2]); tandem Cap. 51 cum oratione paraenetica, qua omnes ad sapientiam sectandam invitat, librum claudit. Immiscet porro auctor his dictis effata prophetica de conversione gentium et Judaeorum in fine temporum (36, 1—5), de adventu Eliae et Henochi ad praedicandam gentibus poenitentiam (44, 16; 48, 10); verba autem magnifica de Sapientia divina (15, 1 seq.; Cap. 24) doctrinae de Verbo Dei personali quasi viam sternunt. Voluit auctor studiosus sapientiae viam monstrare, qua vitam secundum Legis praecepta instituere possent.

1) Saepe sententiae de eadem re agentes in prima parte conjunguntur Cap. 1; 4, 12—22; 6, 18—37; 14, 22—27; Cap. 16 et 16; 51, 18—38 generatim de sapientia tractant; 16, 16—31; 18, 1—6; Cap. 24 de sapientia divina in rebus creatis se manifestante, 21, 12—31; 22, 6—23 de sapientia et stultitia; 22, 24—33; 37, 1—6 de amicitia; 25, 17—36 de nequitia mulieris; 36, 1—24 de bona et mala muliere; 28, 13—30 de mala lingua; 30, 1—13 de disciplina liberorum; 31, 1—11 de desiderio divitiarum; 31, 12—42; 32, 1 seq. de agendi ratione in conviviis, 32, 4—28 de regulis consuetudinis; 41, 19—42; 8 de verecundia; 23, 1—6 et 36, 1—19 de orationibus agunt, Non inepte in textu graeco his pericopis inscriptiones sunt appositae, uti: 18. 30 Ἐγκράτεια ψυχῆς; 20, 29 λόγοι παραβολῶν, 23, 7 παιδεία στόματος, 24, 1 αἴνεσις σοφίας, 30, 1 περὶ τέκνων; 30, 14 περὶ ὑγιείας, 30, 25 περὶ δούλων, 35, 1 περὶ ἡγουμένων, 44, 1 πατέρων ὕμνος etc.

2) Post laudem communem Patrum (44, 1—15) adducit illustres viros, ut ostendat omni tempore exstitisse, qui sapientia et pietate excelluerint, et quidem celebrantur Henoch, Noe, Abraham (Cap. 44). Moyses, Aaron, Phinees (45), Josue, Caleb, Judices, Samuel (46), Nathan, David, Salomon (47), Elias, Eliseus, Ezechias, Isaias (48), Josias, Jeremias, Ezechiel, Job, duodecim Prophetae, Zorobabel, Jesus, filius Josedec, Nehemias, Henoch, Joseph, Sem Seth, Enos, Adam (49), Simon, filius Oniae (50).

3) Auctor libri est Jesus, filius Sirach, cives hierosolymitanus, vir eximiae pietatis ac profundissimae doctrinae[1]), qui eo vixit tempore, quo Simon, Oniae filius, summum sacerdotium tenebat (50, 1—26)[2]). Scripsit vero hebraice, e quo originali textu, quem s. Hieronymus[3]) superstitem adhuc vidit, nunc deperdito, nuperrime autem maximam partem iterum invento nepos Siracidae in Aegypto versionem graecam sub regno Ptolemaei Euergetis elaboravit.

1) Eccli. 50, 29: *Doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto Jesus, filius Sirach, Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo.*

2) Si nominatus hic assumitur Simon I. cognomine Justus pontifex (410—291), et Ptolemaeus III. rex (247—221), liber circa a. 290 conceptus et quia in prologo graeco translator ἐν τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου βασιλέως in Aegyptum venisse dicitur, circa 230 translatus est, uti praeeunte s. Hieronymo, putant J. L. Hug. (diss. Üb. das Zeitalter d. Sohn. Sir. Zeit. Erzb. Freib. 1834. VII. 38), Herbst, Scholz, Jahn, Danko, Keil, Vaihinger (St. u. Kr. 1857. 94). Hi ergo illos 38 annos in prologo assignatos non ad regimen Ptolemaei, sed ad aevum translatoris referunt, hoc modo: »anno 38, vitae meae sub Euergete«, quod tamen improbabile videtur. Si autem, quod probabilius est, Simon II. (219—199) et Ptolemaeus VII. Physcon (170—117) intelliguntur, conscriptio circa 190 et translatio circa 130 ante Ch. est facta.

3) Hieronymus, Prf. in libr. Sal.: *Librum Jesu, filii Sirach, hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos, sed parabolas* (מְשָׁלִים) *praenotatum.* In prologo ipse translator dicit se ἑβραϊστί λεγόμενα transtulisse. Textus primigenius, in multis vitiatus ac insertis auctus (Huetius dem. evg. 270), diu servatus fuisse videtur, nam in Talmude et scriptis rabbinicis exinde citantur 43 sententiae in lingua hebraica et nonnullae in chaldaica, quae ex paraphrasi chaldaica sunt desumtae. Hinc probabiliter opus illud mox in linguam chaldaicam translatum et multis additamentis auctum est, nam multae sententiae citatae in nostro libro non amplius exstant. Eas collegit Delitzsch (zur Gesch. d. heb. Poesie 1836. 20).

Praeter versionem hanc aramaicam adhuc exstat libellus recentior: Alphabetum seu libellus Ben Sira nominatus, qui vestigia quaedam antiqui illius Siracidae continet. Confer Zunz l. c. 100. De aliis scriptis Ben Sira interpolatis confer L. Dukes, Rabbin. Blumenlese. Lpz. 1844. 32. Alphabetum Siracidae utrumque edidit Steinschneider, Berl. 1858. Fragmenta hebraica gnomologiae in Ben Sira confer apud Delitzsch l. c. 204; Dukes l. c. 67.

Textum origine hebraicum probant multi parallelismi (synonymi), frequentes hebraismi et literales translationes phrasium in versione LXX obviae. E versione graeca derivantur ceterae versiones, praeprimis Vulgata latina antehieronymiana, quae non raro voces graecas adoptavit, v. g. *eucharis* 6, 5; *acharis* 20, 21, *poderes* 27, 9, *apostatare* 10, 14, *agonizare* 4, 33; vel: *induit eum stolam* 45, 9 etc. Confer Herbst 115. Capita 30—36 alio in ordine disposita sunt in latina editione ac in graeca. A versione utraque discrepat syriaca recensio, e qua confecta est arabica. De strophica dispositione libri conf. Bickell, Z. K. f. Morg. 1893, p. 87 seq. — N. Peters, Liber J. Sirach heb. secundum codices nuper repertos. Frb. 1905.

Quoad fragmenta textus originalis libri Ecclesiastici (adhuc desunt 1—3, 6; 16, 26—30, 11; 33, 3—35, 9 et 38, 27—39, 15) nuperrime detecta cf. Driver-Rothstein, Einleitung in das A. T., Anhang. Berl. 1896. Cowley and Neubauer, The original Hebrew of a portion of Ecclesiasticus. Oxford 1897. König, Die Originalität des neulich entdeckten hebr. Sirach-Textes, Freib. i. B. 1899. Schechter and Taylor, The Wisdom of Ben Sira. Cambridge 1899. Grimme, Strophenartige Abschnitte im Ecclesiasticus (Orientalist. Literatur-Zeitung 1899). Herkenne, De Veteris Latinae Eccli. cap. 1—43, Lipsiae 1899. Halèvy Étude sur la partie tu texte hébreu de l'Ecclesiastique recemment decouverte, Paris 1897. Lévi Israel, L'Ecclèsiastique ou la Sagesse de Jésus, fils de Sira, text original hébreu, édité, traduit et commenté, Paris 1898; La Sagesse de Jésus, fils de Sirach (Revue des Études Juives 1897, XXXIV, 67 et 68) et Les nouveaux fragments de l'Ecclesiastique (ibid. XXXIX, 77 et 78). Müller D. H., Strophenbau und Responsion, Wien 1898, Peters, Die sahidisch-koptische Übersetzung des Buches Eccli (Bibt. Stud. III, 3). Ryssel, Die Sprüche Jesus, des Sohnes Sirachs. Kautzsch, Die Apokryphen und Pseudepigraphen des A. T. Freiburg i. Br. 1899. Schlatter, Das neuaufgefundene Stück des Sirach, Gütersloh 1897. Schloegl, Das Alphabet des Siraciden. Z D M G 1899, pag. 673 seqq.; Ecclesiasticus (39, 12—49, 16) ope artis criticae et metricae in formam originalem redactus, Vindobonae 1901. Touzard, L'original hébreu de l'Ecclesiastique, Revue Biblique, 1897 et 1898 etc. — Seydl, Bericht

über d. Sirach-Literatur, 1897—1900, Graz. Lit. Anzeiger 1901. — Peters, D. heb. Text d. B. Eccli untersucht, 1902. — Strack, D. Sprüche Jesus, d. Sohnes, Sir. 1903. — J. Levi, The Hebrew Text of the Book of Eccli. Leyden 1904. — Smend, D. Weisheit des Jesus Sirach, 1906.

4) Liber Ecclesiasticus ab antiqua synagoga[1]), in Novo Testamento[2]) et a ss. Patribus[3]) tanquam canonicus est habitus. Accedunt argumenta interna[4]).

1) Citata in Talmude ex Ben Sira introducuntur eo modo *(scriptum est)*, quo loci e libris canonicis. Confer Zunz, Gott. Wort 102. Scholz, Einl. III. 204.

2) Praeterea scriptores N. T. allegant plures sententias, quae cum libro Ecclesiastici prorsus conveniunt; v. g. Jac. 1, 19 (Ec. 5, 13), Joh. 4, 23 (2, 18), 1 Tim. 6, 9 (11, 10), Luc. 12, 19 (11, 18, 19), Matth. 19, 17 (15, 16) etc. Ecclesia denique ex hoc libro multos locos in usum liturgicum adhibuit et elogia sapientiae divinae (Cap. 24) B. Mariae Virgini (v. g. in festo assumptionis, festo Mariae de monte Carmeli) applicuit. Confer Katholik 1859, 118.

3) Allegantur loci ex Eccli. tanquam eloquia divina a Clemente Rom (1 Cor. 60), Cypriano (de mort. cont. Quir.: *divina magisteria*), Lactantio (div. inst. 4, 8). Testimonia in dogmaticis ex Eccli. desumserunt: Hilarius (Ps. 66. n. 9), Hippolytus (in Ps. 7), Ambrosius (de bon. m. 8, Ps. 1. n. 6). Juxta Augustinum (C. D. 17, 20) liber hic ab Ecclesia occidentali in auctoritatem est receptus; similiter scribit Hieronymus (c. Jul. ep. 118, 1; c. Pel. 1, 34; 2, 5; in Is. 3, 12). Concinit Ecclesia orientalis: Clemens Alex. (Paed. saepius), Origenes (de princ. 2, 8; in Jer. h. 6, 2; 16, 6; Ez. h. 9, 2), Athanasius (c. Arian. 2, 79, in Ps. 118, 60), Cyrillus Alex. (cat. 6, 4; 11, 9; 13, 8), Epiphanius (haer. 24, 6; 33, 8), Chrysostomus (ad vid. 6) — Ephraemus, Basilius (hex. h. 6, 10; Ps. 14, 4), Gregorius Naz. (or. 4, 12; 7, 1; 14, 30), Nyssenus (de vit. Moys. c. Eun. 1).

4) Inspirationem divinam ipse auctor testatur verbis: *Beatus, qui in istis versatur bonis; si enim haec fecerit ad omnia valebit, quia lux Dei vestigium ejus est* (50, 29—31).

5) Versio graeca LXX multis in locis a textu originali discrepat, ad quam rite dijudicandam versio latina Itala magis confert quam Syriaca.

Versionem graecam additamentis abundare, non solum e collatione cum libello Ben Sira, sed etiam e relatione variorum codicum manuscriptorum patet; sic v. g. recensio Complutensis plures versus et additamenta continet, quae in reliquis codicibus desiderantur. Praeter varia menda amanuensium inveniuntur non raro glossae, in textum e margine illatae (19, 14; 31, 21; 34, 10) et voces bis versae (9, 9, 11; 12, 4, 5). Quoad versionem latinam Italam, nonnunquam meliores lectiones variantes in ea inveniuntur, quam in versione graeca v. g. 13, 22 *pax* pro *pars*, 24, 11 *sublimium* pro *humilium*, 45, 27 *gentis* pro *gentes* etc., duplices versiones v. g. 4, 33 (28); 10, 20 (27); 12, 4, 5; 23, 3; 31, 36 (28). Versio latina non tam verba, quam sensum textus graeci reddidit; uti: 4, 1, 3, 4, 9, 12; 5, 1, 5, 18, hinc multa habet additamenta, quae textum explicant, uti 2, 1 seq. 4, 5, 8, 21; 5, 14; 6, 5, 16; 22, 21, aut sensum supplent, ut: 2, 10; 3, 4; 4, 27, 6, 23; 20, 19, aut omissiones supplent, ut: 2, 22; 4, 24; 22, 8. Multae lectiones Italae confirmantur partim codicibus manuscriptis, partim locis a ss. Patribus (praeprimis Clemente Alex.) citatis. Haec omnia probare videntur, versionem Italam confectam esse adhibito simul textu primigenio et textu graeco, qui a textu graeco nunc exstante discrepabat, et generatim tum quoad claritatem, tum quoad contextum logicum et integritatem, tum quoad valorem internum multo praestantiorem esse, quam textum graecum hodiernum. Hinc plerisque in casibus non latinum e graeco est corrigendum, sed potius graeca latinis accommodanda esse censent Welte, Cornely 262. — A. Fuchs, Textkrit. Untersuchungen z. heb. Eccli. Fbg. 1907.

Comm.: Acath.: Zöckler 1891.

§. 98. Origo sectarum judaicarum.

1) Origo et genesis sectarum[1]) judaicarum ex aetate post exilium babylonicum repetendae sunt; Judaei enim, qui frequentem defectionem ab avita religione ad idola gentium in captivitate tam graviter luerant, post reditum in patriam correcti firmius, quam antea, religioni et cultui Jahvae addicti erant, ut, quo magis externa et politica auctoritas populi minuebatur, majori vitae spiritualis nimbo eminerent. Synagogae studium Legis promovebant; quia autem earum praefecti carebant auctoritate divina — nam inde a Malachia oracula divina (inspiratio) cessaverant — hanc saltem eruditione (speculatione) et vita morali supplere satagebant, initio laudabiliter quidem, mox tamen nimio fervore justos limites egressi, legem explicationibus et doctrinis subtilibus circumsepiebant, quo facilius Hellenismum, ex Aegypto etiam Palaestinam invadentem, arcerent.

1) Sectae a Josepho mox vocantur αἱρέσεις (Ant. XIII. 5, 9) col. Act. 5, 17; 15, 5; 26, 5), mox φιλοσοφίαι (XVIII. 1, 3).

2) Hae eruditionis humanae doctrinae collectae, quae justo plus aestimabantur, et ascesis nimis rigorosa, originem dederunt sectae Pharisaeorum, simul vero alterum extremum, huic contrarium, creabant. Quum enim multi Judaeorum a contactu cum aliis gentibus, quae scientiâ, mercatura ceterisque artibus excellebant, cogitandi sentiendique rationem atque mores gentium imitarentur (obstante quidem Theocratia), Pharisaei hanc inclinationem legibus rigorosis frangere studebant. His (Stoicis) sese opposuerunt alii, libertatis et Hellenismi amantes ac crassae eorum orthodoxiae pertaesi, nempe Sadducaei et Esseni, quorum priores libertati sensuali (Epicurei), hi vero intellectuali ac vitae contemplativae, mysticismo (Pythagoreorum instar Ant. XV. 10, 4) operam navabant, mediam quasi viam inter Pharisaeos et Sadducaeos tenentes.

Nonnulli (Geiger, Hanne, Schürer) Pharisaeos et Sadducaeos non aestimant sectas, sed factiones religiosas, simulque, imo praevalenter, politicas, ut Sadducaei (Zaddikim) factionem aristocraticam et sacerdotalem, Pharisaei autem nationalem seu democraticam constituerint.

§. 99. Pharisaei.

1) Sectarum notissima ac potentissima erat Pharisaeorum[1]). Prima eorum origo obscura est. Teste Flavio[2]) jam sub principe Jonathan (161 ad 143) exstiterunt illae tres sectae, et praeprimis Pharisaei magna apud Judaeos pollebant auctoritate. Joannes Hyrcanus a Pharisaeis ad Sadducaeos deficiendo, familiae suae multa creavit incommoda, et Alexander Jannaeus moribundus uxori mandavit, ut placitis Pharisaeorum acquiesceret. Hi, quibus maxime plebs et feminae erant addictae, ipsis regibus et pontificibus resistere audebant, erant cauti, ad bellandum et laedendum prompti (Ant. XVII. 24), hinc non mirum, quod in synedrio et tribunalibus dominatum exercuerint.

1) פְּרוּשִׁים a verbo פָּרַשׁ i. e. *Separati* gr ἀφωρισμένοι, a reliquis non tantum vestitu externo, sed imprimis ostentatione singularis super ceteros sanctitatis, munditiei, vitae rigidioris et observantiae Legis. Ob ostentationem sanctitatis suae etiam vocantur חֲסִידִים ἀσιδαῖοι i. e. *pii* (1 Mach. 2, 42; 7, 13).

2) Ant. XIII. 5, 9; XVIII, 1, 2—6: Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων.

2) Praeter libros sacros et Legem scriptam *a)* traditiones veterum admittebant, imo Legi scriptae praeferebant (Matth. 15, 3), eas partim a Moyse, partim a sententiis legisperitorum antiquorum (παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων Matth. 15. 2, 5; Marc. 7, 3) derivantes[1]). *b)* Docebant, cum Stoicis, quasi fatum seu talem providentiam divinam, a qua actiones humanae ita dependent, ut hae nequaquam penitus arbitrio hominis sint demandatae[2]). *c)* Docebant animarum immortalitatem easque asservari in Scheol (subterraneo receptaculo, ἅϊδον εἱρμόν) et improbos poenis aeternis puniri, probos autem praemiis frui ac demum in alia corpora transire = μετεμψύχωσιν[3]), resurrectionem mortuorum, ab hac metempsychosi diversam, credebant (Matth. 22, 23; Luc. 20, 37; Act. 23, 6). *d)* Tradebant, existere angelos seu spiritus eminentiores bonos et malos, in quorum vero numero, ordine, munere et nominibus constituendis dissidebant. *e)* Accedunt placita eorum de propria justificatione eorum, qui de semine Abrahae et de circumcisione sunt (Luc. 3, 8; Joh. 8, 33) ac tandem de terreno Messiae[4]) regno.

1) Josephus (Ant. XIII., 10, 6): *Pharisaei multa instituta populo tradiderunt et a patribus accepta, quae in Moysis leges non relata sunt.* Pirke, Ab. I, 1 *Moses accepit legem oralem in monte Sinai et tradidit eam Josuae, Josua autem senioribus, seniores prophetis. Prophetae eam tradiderunt viris magnae synagogae, — quae floruit aetate Esrae et Nehemiae.* Christus vocat eas *onera gravia et importabilia, quae imponunt in humeros hominum* (Matth. 23, 4. Luc. 11, 46).

2) Confer Ant. XVIII, 5, 9; XIII, 1, 3; B. J, II, 8, 14. εἱμαρμένῃ τε καί Θεῷ προσάπτουσι πάντα. Admittebant quidem libertatem arbitrii, eam tamen in dependentia ab invitabili super omnia dominante fato statuebant, sub quo influxum stellarum intelligebant. Hanc doctrinam a Babyloniis (astronomis) acceperant.

3) Confer Ant. XVIII, 1, 3; B. J. II, 8, 14. c. Matth. 14, 2; 16, 14.

4) Confer Ant. XVII, 2, 4; B. I. II, 8, 4. Praecedent autem adventum Messiae 10 tigna, de quibis confer Müller l. c. 160 seq.

3) Initio Pharisaei morum probitati quidem studebant, mox tamen interno spiritu evanescente[1]) in externis haerebant ostentationis gratia uti in ablutionibus, vestitu singulari, phylacteriis[2]) et fimbriis dilatatis, orationibus prolixis in conventibus et angulis platearum, in conviviis, in superstitiosa separatione, qua nec a vulgo, nedum a peccatoribus se tangi patiebantur, jejuniis, eleemosynis in publico factis, e contra sanctificationem internam negligebant, iram ac desideria impudica parvi faciebant, proselytos facere studebant, parum curantes, ut mores eorum emendarent (Matth. 23, 15), divitias maximi pendentes, opes per fas et nefas corradebant, leges ceremoniales (Matth. 9, 14; Luc. 11, 39; 18, 11) naturalibus longe praeferebant, leges quasdam mosaicas ad literam premebant, uti de amore proximi

jurejurando etc. Hinc merito a Salvatore reprehenduntur hypocritae, deforis apparentes justi, sepulcra dealbata[3]) et ejusmodi.

1) Confer Rom. 10, 2: *Aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Luc. 18, 11 seq. Ceterum haec vitia non omnibus erant communia; nam occurrunt inter Pharisaeos etiam viri morum probitate conspicui, uti Nicodemus (Joh. 3, 1) et Gamaliel (Act. 5, 34). Nec defuerunt inter eos scissiones, ut scholae Schamai et Hillelis, quae tamen mutuam concordiam non turbabant.

2) Nixi falsa interpretatione Ex. 13, 9; Dt. 6, 8; 11, 18; confer Ugolinum, Dissert. XXI, 687.

3) Hegesippus 1. 12: *Secundum qualitatem affectus callidum, avidum negotiorum, pecuniae appetens (genus).* Confer Hieronymum, ad Eust. de cust virg. ep. 22.

Pharisaeis (in N. T.) jungi solent; *a)* γραμματεῖς סוֹפְרִים = scribae, *b)* νομικοί = legisperiti, et *c)* νομοδιδάσκαλοι, qui maximam partem Pharisaeorum doctrinis addicti, imo eorum duces erant ac studio legis incumbebant. Γραμματεῖς sensu generali νομικούς et νομοδιδασκάλους complectebantur, ita ut hi essent Pharisaei sublimioris eruditionis, qui scholam juniorum eruditorum (Soferim) dirigebant, v. g. Gamaliel, illi autem legis peritiam practice exercerent: διδάσκαλος vel Ῥαββί magistrum actualem vel illum, qui facultate docendi erat praeditus, notabat.

Confer Ugolinum, Trihaereses, in Thes. XV, 1—56, 211, 225. — Alois Müller, Pharis. u. Sadduc. K. k. Akad. d. Wissensch. Wien 1860, 34. Bd. 95—164. — Döllinger, Heid. u. Judt. 745. — Jost, Gesch. d. Judt. u. s. Sekten. Lpz. 1857. I. 197—226. — J. Wellhausen, Pharis. u. Sadduz. 1874. — Altschüler, Sadduzäer u. Pharis. Vsch. f. Bib. Kunde I., 273.

§. 100. Sadducaei.

1) Pharisaeis contraria erat secta Sadducaeorum[1]). Pauci erant numero, sed opulentiores fere ac principes civitatis (Ant. XVIII. 1, 4); ob ingenium ferox et asperum[2]) nulla fere apud populum, eo majori autem apud nobiles (Joannem Hyrcanum, Aristobulum I. etc.) gaudebant auctoritate, nihilominus tamen et ad synedrium atque ad dignitatem sacerdotalem sunt admissi (Ant. XX. 8, 8; 9, 1; Act. 5, 17; 23, 6); cum Pharisaeis contra religionem christianam conspirarunt (Act. 4, 1; 23, 2 seq.). Versus exitium civitatis judaicae, a Judaismo exclusi, sensim exstinguebantur, cum Caraeis, secta Judaeorum recentiori (e seculo VII), nihil nisi reprobationem traditionis, commune habebant.

1) Nomen Sadducaeorum derivant (Rabbini) a Sadok, quodam e discipulis Antigoni Sochaei, qui post Simonem Justum (291—260 ante Ch.), claruit, alii (Geiger, Wellhausen) a familia sacerdotali nobili Zadok, qui tempore Davidis vixit, alii (Epiphanius, Haer. 1, 14; Hieronymus, in Matth. 22) a צֶדֶק justitia, cui exactissime studuerint.

2) B. J. II, 8, 14: *Pharisaei quidem sui invicem amantes sunt et in communem utilitatem concordiam colunt: Sadducaeorum vero mores et erga se mutuo magis feri et cum sui similibus versantur, quemadmodum cum alienis.*

2) Sadducaeorum doctrinae in principiis Epicureismi, materialismi ac deismi (philosophia graeca) sunt fundatae; negarunt enim *a)* legem ore traditam, nec fidem habuerunt nisi eis, quae in Lege erant scripta; non tantum Pentateuchum (uti opinantur Hieronymus in Matth. 22. 23 et Tertullianus de praes. haer. 45), sed et reliquos libros canonicos receperunt[1]);

b) rejecerunt fatum vel providentiam, docentes, omnia a liberis hominum actionibus dependere[2]); *c)* docebant praeter Deum nullum existere spiritum (πνεῦμα ideoque nec angelos), et animas (ψυχή = materia subtilis) hominum cum corpore quoque emori nec exspectandam esse mortuorum resurrectionem, ideoque nec dari praemia nec poenas in altera vita[3]). — Doctrinis his responderunt et mores; nam vitam futuram negantes, Epicureorum instar, luxui et mollitiei Graecorum indulgebant, ut in quovis flagitiorum genere volutarentur. Ipsi Messiam praeprimis regem terrestrem huncque a jugo Romanorum Judaeos liberaturum exspectabant.

1) Jos., c. Ap. 1, 8; Ant. XIII, 10, 6; Jesus et Apostoli hoc eis non objecerunt; praeterea Pharisaei disputantes cum Sadducaeis non tantum ad Legem, sed et ad prophetas et hagiographos provocant. Müller l. c. 144.

2) B. J. II, 8, 14: *Sadducaei fatum* (εἱμαρμένην) *omnino tollunt Deumque negant auctorem esse, ut quis vel male, vel bene agat, vel a malo abstineat, et in electione hominis positum ajunt tum bonum tum etiam malum, et unumquemque pro arbitrio suo ad utrumque accedere, quin et animas permanere, suppliciaque et praemia apud inferos negant.* Ant. XIII, 5, 9.

3) Matth. 22, 23; Luc. 20, 27; Act. 23, 8; Jos. Ant. XVIII, 1, 4: *Sadducaeorum doctrina fuit, animas cum corpore interire.*

Confer Ugolinum, Trihaer. 9. — Ch. Großmann, Comm. de phil. Sadd. Lps. 1836. — Müller, l. c. — Hölscher, D. Sadduzäismus, 1906.

§. 101. Esseni. — Therapeutae.

1) Esseni (Ἐσσαῖοι Philo, Ἐσσηνοί Josephus)[1]) erant Judaeorum secta, cujus origo e seculo II. ante Chr. (Ant. XIII. 5, 9) repetitur et fundamento munditiei leviticae nititur; tempore Christi circa 4000 (Ant. XVIII. 1, 5) in Palaestina et Syria, praeprimis in parte occidentali maris mortui, pagos et oppida inhabitabant, agriculturam, artes et opificia sustentationis causa exercebant. A templo, utpote sacrificia repudiantes, exclusi, ordinem (τάγμα) bene ordinatum constituebant. Qui recipi desideravit, tres probationis annos percurrere debuit. Post annum primum candidatus (ζηλῶν) recipiebat vestem candidam, dolabellam (symbolum laboris) et cingulum seu subligaculum (περίζωμα) ad usum lotionis. Annis his elapsis novitii (προσιόντες ἐγγίον) solemniter emissa professione[2]) in communitatem (εἰς τὸν ὅμιλον) recipiebantur[3]). Sine praepositi mandato nil fecerunt. Habuerunt etiam propria judicia, quae centeni congregati juste exercebant, et a quibus in peccatis gravioribus deprehensi ex ordine ejiciebantur.

1) Plurimi nomen Essenorum derivant ab aramaico, אָסָא *medicatus est*, ut designaret θεραπευτάς seu medicos, non solum propter lotiones et sanationes corporales, quas efficiebant, sed quia vitam ipsam remedium contra scelera mundi esse docuerunt. Alii (Lauer) ab עָצָה *durus esse*, derivant, ut notet vel ascetas vel apostatas; rursus alii ab ἐσσήν = חָסִין *fortes* seu heroes in virtute vel ab חָסָא (col. 1 Mach. 7, 13) *pios*. Alias explicationes vide apud Bellermann l. c. pg. 7—14. — Mittwoch, D. Etymologie d. Namens Essäer. Z. f. Assyr. XVII, 75 seq.

2) Juramentis pollicebantur, Deum colere, justitiam erga homines exercere, injustos odio habere, superioribus obedire, veritatem amare, a furto et iniquo quaestu se abstinere,

res ad ordinem pertinentes nemini, ne mortis quidem periculo, prodere, societatis libros et angelorum nomina nemini revelare.

3) Juxta tempus, quo se in ista disciplina exercuerant, in quatuor classes distincti erant; juniores senioribus adeo inferiores habiti sunt, ut illi se abluerint, si quos eorum forte attigissent (Josephus).

2) Esseni habebant omnia communia (κοινωνία) et a gazophylacio communi, cui candidati patrimonia offerebant et administrator (ταμίας) praeerat, vitae necessaria accipiebant, atque aegrotis, egenis et peregrinis (hospitibus) per curatorem (κηδεμών), in singulis locis constitutum, distribuebant. Ante solis ortum fundebant preces, post quas quilibet a praeposito suo ad opificium (agriculturam) dimittebatur. Hora quinta i. e. 11. praemissa lotione cum aqua frigida ad panem et pulmentum (nam abstinebant carne et vino) (συσσίτια) conveniebant, quo sacrificii instar comesto ad laborem remittebantur. Vespere erat coena communis, quam cum oratione initiabant et claudebant. Sabbato in synagoga legis praelectionem audiebant et privatim etiam libros sacros legebant; sacrificia repudiabant, nihilominus tamen dona templo jerosolymitano mittebant. Integri vitae scelerisque expertes veracitatem colebant, jusjurandum (excepto illo, quod in professione emittebant) reprobabant, servitutem ut injustam et impiam damnabant, matrimonia non inibant, sed coelibes[1]) manebant, non acsi matrimonium damnassent, sed quia mulieres adulteras esse censebant, vel potius ne polluerentur, quaedam tamen eorum classis (B. J. l. c. 13) matrimonia certis sub ritibus iniit; hinc ad ordinem conservandum et propagandum liberos alienorum suscipiebant suisque moribus informabant. Voluptates ac luxum vitabant, abstinentiam, laborem, reverentiam erga seniores et lotiones frequentes amabant, ideoque a populo honorabantur. Quidam eorum etiam donum prophetiae sibi arrogabant.

1) Plinius (Hist. nat. 5, 17): *Gens sola sine femina omni venere abdicata . . . ita per seculorum millia, incredibile dictu, gens aeterna, in qua nemo nascitur, tam foecunda illius aliorum vitae poenitentia est.* Confer Zschokke, Das Weib im A. T. 1883. 17. Permulti recepti fuisse videntur, quos vitae poenituit, ut in hac societate pacem et animi tranquillitatem recuperarent. In peccatis deprehensi ex ordine ejiciebantur, morituri autem recipiebantur, quia poenis toleratis ad mortem essent cruciati.

3) Esseni, quorum principia partim e Judaismo, partim ex Hellenismo[1]), et quidem jam Machabaeorum tempore[2]) repetuntur, post Deum maxime honorabant legislatorem (Moysen), cui si quis maledixerat, capite damnabatur, admittebant non tantum Pentateuchum eumque allegorice (διὰ συμβόλων) Philo) interna illustratione nixi, interpretabantur, sed et alia antiqua scripta sacra; Deum, cujus symbolum solem statuebant, auctorem omnis boni, non autem mali habebant atque in fatum[3]) credebant. Animas docebant immortales et e substantia aetherea creatas, in corpore quasi in ergastulo includi (spiritualismus), post mortem probos in beatorum insulis (quas placidus jugiter ab oceano temperat zephyrus) trans mare praemia recipere, improbos vero sub terra (μυχός) poenas in locis horridis luere aeternas, atque angelos existere credebant, quorum nomina candidatus se servaturum esse juravit. In ethica et in vita ascetica excellebant[4]). Circumcisionem retinebant, sacri-

ficia (nixi Ps. 50, 18, 19) repudiabant, quia lustrationes sanctiores habebant, peccata gravissimis poenitentiis lustrabant, praeprimis abnegatione sui ipsius. Laudantur eorum pietas erga Deum, contemtus pecuniarum, gloriae et voluptatum, simplicitas, amor proximi (etiam inimici), beneficentia, misericordia, industria, veracitas, mutua confidentia, studium sapientiae, modestia in victu et vestitu, fortitudo in malis religionis causa perferendis, odium furti, rapinae atque mendacii.

1) Quoad genesin Essenorum alii (Ewald, Grätz) originem eorum deducunt e Judaismo, alii (Dähne) ex religioso syncretismo, praeprimis e philosophia alexandrina, alii (Hilgenfeld) inveniunt ibi elementa Parsismi, alii (Zeller) Pythagoreismi. Semina hujus sectae invenimus jam in instituto Naziraeorum, scholis prophetarum et societate Rechabitarum (Jer. 35, 6 seq.).

2) Josephus eos commemorat tempore Jonathanis circa 150 a. Ch. (Ant. XIII. 5, 9), et nominatim adducit Judam Essenum tempore Aristobuli I. an. 106 a. Ch. (Ant. XIII. 11, 2. B. J. I. 3, 5).

3) Ant. XIII. 5, 9: πάντων τὴν εἱμαρμένην κυρίαν i. e. providentiam et gratiam divinam omnia gubernantem credebant. Confer Ant. XVIII. 1, 5: Ἐσσηνοῖς δ'ἐπὶ μὲν θεῷ καταλιπεῖν φιλεῖ τὰ πάντα ὁ λόγος.

4) Ordo hic origini et propagationi librorum apocryphorum (Henoch) favisse videtur, hinc probabiliter gnosis judaica inde originem repetiit. Haneberg, Gesch. 546. Fundamentum ethicae Essenorum juxta Philonem erat amor Dei, virtutis et hominum. Maxime celebrabant sabbatum, quo nec ignem accendere nec alvum exonerare audebant (Josephus Bel. Jud. II. 8, 9).

4) Esseni cum christianis varias virtutes ac proprietates habebant communes, hinc facile explicatu est, quod illi religionem christianam mox receperint. Jam ante destructionem Hierosolymorum in varios ramos scissi erant[1]) et, bellis intestinis exortis, pacis amantes ad occidentem maris mortui et in deserta se receperunt, ubi cum christianis illuc fugientibus (Nazaraeis et Ebionitis) paulatim confluxisse videntur.

1) Confer Lauer l. c. 547.

5) Essenis cognati erant Therapeutae, quorum societas constabat e viris et feminis, quae (virgines provectae aetatis ac coelibes) eandem vitae rationem tenebant ac θεραπευτίδες vocabantur. Degebant praeprimis in Aegypto, in viciniis Alexandriae et lacus Mareotis, loca habitata fugiebant, in desertis, campis aut hortis commorabantur et contemplationi vacabant. Commune habitaculum non habebant, sed singuli possidebant habitacula bifaria (dormitorium et oratorium). Utebantur Essenorum instar veste candida, unica coena simplicissima (i. e. pane, sale, quod vicem supplet obsonii, et aqua, interdum hyssopo pro condimento), diem oratione inaugurabant ac claudebant, et ascesi i. e. exegesi allegoricae seu symbolicae s. Scripturae vacabant; sabbato Therapeutae alicujus sectionis (κοινὰ σεμνεῖα, Philo) in loco communi conveniebant et, viri a feminis separati considentes, tacite ac decenter sermonem senioris audiebant. Septenis sabbatis omnes Therapeutae alicujus regionis ad synodum generalem confluebant; oratione peracta secundum aetatem et genus positi audiebant cum silentio propositionem quaestionis alicujus sacrae ejusque solutionem, hymnum decantabant ac dein coenam communem sumebant, qua finita totam noctem, in choros divisi, in

hymnis et canticis peragebant. Aurora exorta singuli ad opera sua quotidiana discedebant. Reliquos ritus cum Essenis communes habebant, excepto, quod candidati patrimonia propinquis relinquebant.

6) Quod refert relationem Therapeutarum ad Essenos, nonnulli utrumque ordinem eundem habent, dum alii Therapeutarum originem, independenter ab Essenismo, in philosophia alexandrina quaerunt. Ceterum maxime arridet ea opinio, utrumque ordinem ex iisdem principiis progressum, ac iisdem temporum circumstantiis fuisse effectum, hoc tamen discrimine, quod Esseni magis activae, Therapeutae autem contemplativae vitae praevalenter addicti [1]) rigidioresque Essenis fuerint; Therapeutae ergo constituunt ramum Essenorum.

1) Philo (Vit. cont. 741): Ἐσσαίων περὶ διαλεχθεὶς οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπόνησαν βίον ἐν ἅπασιν — αὐτίκα καὶ περὶ τὴν θεωρίαν ἀσπασαμένον ἀκολουθία τῆς πραγματείας ἑπόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω.

Confer Josephum, Ant. XIII. 5, 9; XV. 10, 4, 5; XVIII, 1, 2—6; B. J. II. 8, 2—13. — Philonem, Quod omnis prob. liber ed Mangey 1742, II. 445—470. De vita contemp. 471—487. — J. Bellermann, Geschichtl. Nachricht. aus d. Alt. über Essäer u. Therap., Berl. 1821. — J. Sauer, De Essaeis et Therap. disq. Vrat. 1829. — Lauer, Essäer u. ihr Verhältnis zur Synag. u. Kirche. Ö. V. 1868, 491. — Harnischmacher, de Essenorum apud. Jud. societate (Bonn, Gym. Prog. 1866). — G. Clemens, De Essenorum moribus et institut. diss. Regiom. 1868. — Hilgenfeld, Jüd. Apokalyptik 1857 et: Zeitschr. f. wiss. Theol. 1867, 97; 1868, 343; 1869, 328; 1871, 50; 1871, 418. — Dähne, Jüd. alex. Relgphil. I. 467. — P. Lucius Essen. in s. Verh. z. Judenth. 1881. — Weinstein, Beitr. z. Gesch. d. Essäer 1892. — Krüger, Beiträge z. Kenntnis d. Pharis. u. Essener. Th. Quart. 1894, 431 seq. — M. Friedländer, D. relig. Bewegungen innerhalb d. Judentums im Zeitalter Jesu. Berl. 1905.

§. 102. Ultima fata Judaeorum.

1) Ultima haec A. T. periodus, quae ab exilio usque ad Christum natum decurrit, in evolvenda oeconomia divinae salutis maximi est momenti. Judaei in universum feri orbem dispersi, vinculo autem religionis communis uniti et omnimodam idoloatriam abominati (prima conditio adventus Messiae), fidem in unum Deum, creatorem coeli et terrae, ideam Messiae hujusque muneris inter gentes, quae in tenebris polytheismi et pantheismi ambulantes lucem et veritatem desiderabant, praeprimis in synagogis sparserunt, ab his autem fructus evolutionis naturalis maturos, puta producta spiritualia, artes, linguas, literaturam adoptarunt. Cessarunt quidem vaticinia, quia teste ultimo vate (Mal. 3) regnum coelorum jam prope erat, et magnalia Dei sunt minuta, ut Messia adveniente eo manifestiora fierent; nihilominus miracula temporibus extraordinariis (Machabaeorum) minime defuerunt.

Per festa et sacrificia idea theocratica conservabatur et nutriebatur, diversis tamen sectis, voluptatibus grassantibus ac rebus politicis adversis, in sua puritate apud plurimos obscurabatur; nam republica hebraica, sub ultimis Hasmonaeis et praeprimis sub sceptro extero Herodis in pejus ruente,

desiderium Messiae, quo flagrabant Judaei, excitabatur quidem, praevalente tamen in ruinam eorum idea terrestris Messiae exorbitavit. Unio gentium sub sceptro romano, una eademque lingua ubique cognita praedicationi veritatis favebant[1]). Aevo illo, bellis civilibus usque ad proelium apud Actium (31 ante Chr.) et dissidiis religiosis agitato, ubique non tantum apud Judaeos et Samaritanos[2]), sed et apud gentes[3]) desiderium venturae pacis ac salutis (salvatoris) valde invaluit.

1) Religio gentium, quae imperium romanum constituebant, seculo ante Christum ultimo in dies magis collabebatur. Actiones liturgicae aut plane non, aut invite vel inaniter peragebantur, eo magis, quum pontifices ipsi fide carerent (Cicero de div. II. 24 *Cato mirari se ajebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset*); hinc ethnici interno sensu religioso instigati, quia in idololatria pacem non invenicbant, alibi, puta in mysteriis fallacibus, Chaldaeis, mathematicis, praestigiis et ejusmodi, solatium quodammodo quaesierunt. Nec philosophia sola (teste Cicerone) desideriis hominum satisfacere valebat, nam Cato Uticensis et Lucretius epicureus, non obstante sua sapientia, manus sibi intulerunt.

2) Judaeos illo tempore desiderasse adventum Messiae, patet ex orationibus quotidianis (Schmoneh Esre), Haggada paschali (Ps. 118, 2; heb.; *da, quaeso, Adonai salutem!*), ex exspectatione Simeonis senis et Annae prophetissae (Luc. 2, 25, 26, 28, 36 seq.), Joseph ab Arimathea (Marc. 15, 43 Luc. 23, 51) aliorumque (Luc. 19, 3 seq.; Joh. 6, 14; Act. 26, 6, 7; B. J. VI, 5, 4), e ratione, qua scribae Herodis Magis ex oriente advenientibus vaticinium Michaeae (5, 1) interpretantur (Matth. 2, 4 seq.), e legatione Judaeorum ad Joannem B. (Joh. 1, 19 col. Luc. 3, 15) et hujus ad Christum (Matth. 11, 3), ex interrogatione pontificis ad Jesum; *Tu es Christus, filius Dei benedicti?* (Marc. 14, 61), ex acclamatione populi (Matth. 21, 9) nec non ex interpretationibus vaticiniorum messianorum chaldaicis (Targumim), quae fidem totius populi testantur. Confer Langen, Judenth. 418 seq. Huc spectant Ps. 17. Psalterii Salomonici, praeprimis v. 23: ἴδε κύριε, καὶ ἀνάστησον αὐτοῖς τὸν βασιλέα αὐτῶν, υἱὸν Δαβίδ, εἰς τὸν καιρόν, ὃν οἶδας σύ, ὁ θεός, τοῦ βασιλεῦσαι ἐπὶ Ἰσραὴλ παῖδά σου. col. Ps. 11 et 18, 6—10; liber Henoch 46. 48; 90, 16—38, Oracula Sibyllina (III, 562—794), quae praedicunt, Deum ex oriente missurum esse regem, qui cessare faciet ex universa terra omne bellum et constituet regnum aeternum super omnes homines col. III, 46—50; liber assumptionis Moysis Cap. 10. Philo, de exsec. § 8—9; de praem. et poen. §. 15—20. Etiam Samaritanos Messiam exspectasse, e Joh. 4, 5—26 cognoscimus.

3) Confer Justinum Mart. (Apol. II, 8, et 13); Augustinum (Civ. D. 18, 23 (Sibylla erithraea) et 47; Clementem Alex. (strom. 1, 6): *Dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis: egredimini in mundum! ne quis dicat, non audivimus; nam sicut hoc tempore praedicatio evangelii ad nos delata est, ita pariter tempore elapso lex et prophetae data sunt barbaris (Judaeis), et Graecis (gentibus) philosophia, ut ad evangelium compararentur.* — Gentes partim e traditione originali, partim e scriptis Judaeorum edoctas, spem futurae salutis concepisse, testantur Suetonius (Vit. Vesp. c. 4): *Percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur, et* Tacitus (Hist. 5. 13): *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret orbis profectique Judaea rerum potirentur.* Confer Virgilium Eclog. IV. 4—10. In Avesta (Vd. 19, 16—20) annuntiatur auxiliator Çaoshyanç, qui ex Oriente veniet et potestatem malorum tamquam victor franget. Confucius (Sinensis 550. anno ante Ch.) scribit: *Legibus coeli et terrae facta ejus consentiunt; neque vereri debet, ut cum sanctus ille exspectatus advenerit, idem tunc virtuti ejus, ac dum regnaret, honos habeatur.* Confer dialogum inter Socratem et Alcibiadem; Bade, Christl. I, 21. — Lüken, Tradit. 336. — Reinke, Bt. II, 114; — Tüb. Qrtlschr. 1836. 193. 1858. 63. — Katholik 1866. 351.

2) Plenitudine tandem temporis (Gal. 4, 4; Eph. 1, 9, 10) venit Messias, in omnibus praecipuis personae, vitae, muneris et regni ipsius, circumstantiis annuntiatus[1]) rex, non quidem terrestris ideoque a suis non receptus (Joh. 1, 11), sed rex a prophetis descriptus, regni coelestis, qui non tantum monarchiam romanam, sed et universum terrarum orbem devicit, cujusque doctrina ab omnibus, sapientibus et insipientibus, intelligi poterat desideriisque omnium, tum Judaeorum (piorum) tum gentium, statisfecit.

1) Principaliora vaticiniorum messianorum sunt:

1. Messias veniet, post 70 hebdomades inde ab edicto, ut restituatur Jerusalem (Dan. 9, 24, 25), stante adhuc templo secundo (Ag. 2, 7—10).

2. Messias praedicitur qua semen mulieris, caput serpentis contriturum (Gen. 3, 15), semen Patriarcharum, in quo benedicendae sunt omnes generationes terrae (Gen. 12, 3; 49, 10), stella ex Jacob, sceptrum ex Israel (Num. 24, 17), virga de radice Jesse (Is. 11. 1), cujus tabernaculum collapsum reaedificabit (Am. 11) regnumque firmabit (2 Sam. 7, 12. Is. 9, 6), agnus Moab (Is. 16, 1), justus Jahvae servus (Is. 42, 1; 53, 11. Zach. 3, 8).

3. Ipsius utpote filii et germinis Dei (Ps. 2, 7. Is. 4, 2) incarnatio est supernaturalis; mater ejus est virgo ante et post partum (Is. 7, 14); ipse est Emmanuel, nomen ejus: admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi (Is. 9, 5); egressus ejus a diebus aeternitatis (Ps. 2, 7. Is. 4, 2. Mich. 5, 1); locus nativitatis est Bethlehem (Mich. 5, 2), ubi angeli et primitiae gentium eum adorabunt (Ps. 96, 7; 71, 10, 15). Implebit templum gloriâ sua (Ag. 3, 7—10) et ex Aegypto revocabitur (Os. 11, 1).

4. Ei praegressurus est nuntius, in spiritu Eliae praeparans vias ejus (Is. 40, 3—5. Mal. 3, 1; 4, 5); requiescet super eum Spiritus sanctus cum donis septenariis, ut exornet eum ad munus messianum (Is. 11, 2; 42, 1; 61, 1. Ps. 44, 8). Serpens quidem ei insidiabitur (Gen. 3, 15), ast ubique et semper protectione divina gaudebit (Is. 42, 1, 6; 49, 2; 51, 16. Ps. 21, 10, 11).

5. Munere suo fungi incipiet in terra Zabulon et Nephthali, in Galilaea gentium, quibus lucem afferat (Is. 9, 1 seq.); praecipue autem Jerusalem gloriam Messiae videbit (Is. 60, 1). Non clamabit nec accipiet personam, sed in humilitate et mansuetudine operabitur. Erga peccatores misericors et longanimis; judicabit populum juste, et pauperes in judicio (Ps. 71, 4. 12—14), praedicabit annum placabilem, captivis indulgentiam, clausis apertionem, consolabitur lugentes (Is. 61, 1—3; 49, 8), ast humiliabit et percutiet impios virga oris sui Ps. 71, 4. Is. 11, 3, 4. Mal. 3, 2; 4, 1 seq. Zach. 11, 5—8). Zelus domus Dei comedet eum (Ps. 68, 10).

6. Ipse est propheta, magister, quem audiant (Dt. 18, 15, 18), doctor justitiae (Joel 2, 23), qui faciet judicium et justitiam in terra (Jer. 23, 5; 33, 15), qui non contradicit (Is. 50, 4), in cujus ore non est dolus (Is. 53, 9), qui loquitur in parabolis ab initio (Ps. 77, 2). Sicut pastor bonus pascet gregem suum, in sinu suos levabit (Is. 40, 11; 53, 6, Ez. 34, 23. Zach. 11). Aperientur oculi caecorum, aures surdorum patebunt, saliet claudus et aperta erit lingua mutorum (Is. 9, 5; 35, 4—6). Ipse sanctissimus, sanctus Jahvae, germen justitiae, Deus justus, diligit justitiam, odit iniquitatem (Ps. 15, 10. Dan. 9, 24. Jer. 33, 15, 16. Ps. 44, 8. Is. 53, 9; 11, 2, 3). Quamvis manus tota die expandat ad populum, pauci in eum credent (Is. 65, 2); in vacuum laborat sine causa, et vane fortitudinem suam consumit (Is. 49, 4), imo odium iniquorum sibi conciliat (Ps. 24, 19: 68, 5); fremunt contra eum gentes et principes adversus eum conveniunt, meditantes inania (Ps. 2, 2), quia anima eorum in ipsum variavit (Zach. 11, 8).

7. Messias erit rex justus, pauper, ascendens super asinam, merces ejus cum eo, cui populus acclamabit (Zach. 9, 9. Is. 62, 11. Ps. 117, 24 seq.) quemque infantes et lactentes laudabunt (Ps. 8, 3).

8. Ipse est sacerdos juxta ordinem Melchisedech (Ps. 109, 4), qui sacrificabit oblationem mundam (Mal. 1, 11).

9. Homo pacis, qui edebat ejus panem, magnificabit super eum supplantationem (Ps. 40, 10); appretiabitur pretio triginta argenteorum (Zach. 11, 12, 13); percusso pastore disperguntur oves (Zach. 13, 7). Ipse erit anima contemptibilis, despectus, novissimus virorum, vir dolorum, cum sceleratis reputatus (Is. 50, 7, 8; 49, 7; 53, 3, 12), qui dat corpus percutientibus, genas, vellentibus, faciem conspuentibus (Is. 50, 6; 53, 3), propter scelus populi de judicio sublatus (Is. 53, 8). Sicut serpens exaltatus est (Num. 21, 8), transfixis manibus et pedibus (Ps. 21, 17. Is. 53, 5. Zach. 12, 10), ita ut omnia ossa dinumerari possint. Dividunt vestimenta ejus, et super vestem mittunt sortem (Ps. 21, 19). Sicut agnus coram tondente se obmutescens ad occisionem ducetur (Is. 53, 7). Omnes videntes derident eum, moventes caput Ps. 21, 8 seq.); dant in escam fel et sitientem potant aceto (Ps. 21, 16; 68, 22); ipse vero rogat pro transgressoribus (Is. 53, 12) et clamat: Deus meus, quare dereliquisti me? (Ps. 21, 2). Abscindetur de terra viventium (Is. 53, 8) et plangetur (Zach. 12, 10). Ipse patitur, ut omnia peccata deleantur, justitia sempiterna adducatur et novum pactum confirmetur (Dan. 9, 24 seq. Zach. 3, 9. Jer. 31, 31 seq.). Ipse portat nostros languores et dolores, nam (servus Jahvae) vulneratus est propter iniquitates nostras, et sanguine ejus omnes justificabuntur (Is. 53, 5, 6, 11; 52, 15).

10. In morte incipit gloria ejus, nam sepulturam non apud impios, sed divitem accipit (Is. 53, 9); anima ejus non manet in inferno nec videt corruptionem (Ps. 15, 8—10), quia terra tres dies tantum corpus ejus condit (Jon. 2, 1). Mittit nuntios suos ad gentes et insulas, qui annuntient gloriam ejus (Ps. 21, 23. Is. 66, 19) et eas ad cognitionem veri Dei adducent (Is. 66, 20. Mich. 5, 2. Ps. 21, 28), et filios ponit principes super omnem terram (Ps. 44, 17). Rex gloriae (Ps. 23, 7—10) ascendit in altum, captivitatem capiens (Ps. 67, 19), sedet a dexteris Dei, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum (Ps. 109, 1), sublimis, elevatus, videns semen longaevum (Is. 52, 13; 53, 10, 11), dona dans hominibus (Ps. 67, 19), Spiritum sanctum, et effundens aquas salutares de fontibus suis (Joel 2, 28, 29. Is. 12, 3; 44, 3; 55, 1).

11. Tunc incipiet regnum Dei aeternum (Dan. 2, 44; 7, 13, 14) uno pastore regnante (Ez. 34, 23, 24; 37, 22—25), nempe filio David (Is. 9, 5, 6. Mich. 4, 7, 8), regnum benedictionis, pacis et exultationis (Ps. 71, 2 seq. Is. 65, 18, 19), complectens omnes gentes terrae usque in sempiternum (Ps. 71, 7 seq.; 44, 17. Dan. 2, 35, 44, 45; 7, 13, 14. Mich. 5, 3), quae eum desiderabunt (Is. 45, 8; 64, 1). Ipse lapis reprobatus fit in caput anguli, in lapidem offensionis impiis et pretiosum omnibus in eum credentibus (Ps. 117, 22, 23. Is. 28, 16. Joel 2, 32). Super Jerusalem orietur lux et gloria Domini (Is. 60, 1). Sion erit mons elevatus super colles, ad quem omnes gentes accelerabunt, quia de eo exibit lex et verbum Domini (Is. 2, 2, 3). Ecclesia antea sterilis et deserta pariet multos filios (Is. 54, 1; 66, 7, 8), gentes advolabunt et ambulabunt in lumine ejus (Is. 55, 5; 60, 3; 65, 17; 66, 22) atque adorabunt regem Israel (Tob. 14, 8, 9. Mich. 4, 7; 5, 1); ipse possidebit terminos terrae in hereditatem (Ps. 2, 8. Zach. 9, 10). Ab ortu solis usque ad occasum magnum erit nomen ejus et in omni loco oblatio munda offeretur (Mal. 1, 11) a sacerdotibus omnium nationum (Is. 66, 21) e populo suo rejecto non amplius accipiet hostiam (Mal. 1, 10. Dan. 9, 26, 27. Zach. 11), nam in templo erit desolatio (Dan. 9) et populus maledictioni subjacebit (Ps. 15, 4; 109, 2. Is. 65, 10 seq.), ast reliquiae ejus salvabuntur (Is. 11, 11 seq. 65, 8, 9. Zach. 13, 8, 9). Judicabit in nationibus (Ps. 109, 5, 6); Jerusalem coelestis descendet in terram (Is. 11, 6 seq. 60, 18 seq. Zach. 14), fient novi coeli et nova terra (Js. 66, 22).

Confer Bade, Christ. III. 2. 327 seq.

3) Sacrilegium, quo Judaei crucifixione Messiae, vaticiniis ac typis promissi, se polluerant, mox poena secuta est; urbs enim sacra a Tito anno 70 p. Ch. capta et solo aequata, uti Christus (Matth. 24, 2) praedixerat, templum eodem die (9. Ab.), quo prima vice sub Nebucadnezare, combustum

est: ultra decies centena millia Judaeorum occisi et plus quam 90.000 captivorum aut venditi aut Romam abducti sunt [1]). Israel, qui salutem oblatam ac religionem christianam, flores ac fructus oeconomiae divinae A. T. respuebat, sibi ipsi manum intulit, hinc forma antiqua, spiritu vivificante vacua (Judaismus), perditioni tradenda erat. Quodsi vero nihilominus populus ille, a Deo rejectus et super omnes mundi plagas dispersus, consistit, sine patria nationem, sine cultu religionem ac sine fulcro spem suam, imo diverso coelo non obstante nativam physiognomiam servavit (Ahasverus), non tantum perpetuus judicii divini ac veritatis christianae testis existit, verum et gratiae divinae reservari videtur, vaticiniis A. et N. T. id enuntiantibus [2]).

1) Confer Josephum, B. J. VIII. 1; Tacitum, Hist. 5, 13. Titus Romam in triumpho est ingressus, in quo mensa aurea, candelabrum templi jerusalemitani et lex Judaeorum spoliorum instar praegestabantur B. J. l. c. 5, 5.

2) Confer Dt. 4, 30; Ez. 36. Os. 3, 5; Rom 11, 25, 26: *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes), quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob* (Is. 59, 20 LXX). Num autem futurum sit, ut Judaei cum hereditate hac spirituali recepta iterum in terram promissam (Chanaan) restituantur, uti vaticinia (Is. 43. 1 seq.; 49, 14—23; 66, 13; Jer. 32, 37 seq.; Ez. 34, 11 seq.; 36, 24 seq.; 37, 12 seq.; 39, 25; Zach. 10, 6—10; Os. 1, 9—11; 3, 4, 5; Luc. 21, 24) indicare videntur, manet occultum. Confer G. K. Mayer, Öst. Vierteljschr. 1869. 1. Rückkehr Israels ins gelobte Land. — V. Weiß, mess. Vorbilder im A. T. Frb. 1905. — Leimbach, Mess. Weissag. A. T. 1908. — A. Schulte, Mess. Weissag. A. T. nebst dessen Typen, 1908. — Sellin, Israel. jüd. Heilandserwartung. Berl. 1909.

Appendix.

Tabulae synchronisticae historiae sacrae et profanae usque ad Christum natum.

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae
Patriarchae ab Adamo asque ad Therachum († 2137 a. Chr. n.)	Ante a. 4000 a. Chr. n. primum floret cultus atque humanitas in **Aegypto.** (Auctore E. Meyer, Agyptische Chronologie, pag. 45. Calendarium Aegyptiacum periodis Sothicis innixum die 19. mensis Julii anni 4241 a. Chr. n. inductum est). 1. Dynastia Manethonica: Menes primus rex utriusque Aegypti, et superioris sc. et inferioris. Zoser, rex dynastiae 3. (pyramides Saccarenses)	Ante a, 4000 a. Chr. n. ultima humanitas in **Babylonia.** Inscriptionibus noti sunt (auctore Delitzsch) principes quarundam urbium, mox šarrê, i. e. reges, mox patesi, i. e. principes theocratici vocati, ut urbis Gišhu, Kiš, **Lagaš** (Gudea), Agade: teste Nabonido rege: c. 3800 Sargâni-šar-ali eiusque filius Narâm-Sin, uterque dominus regum Lagasensium, unde titulum receperunt »rex quatuor partium mundi«. Titulum »regum Sumer et Akkad« elegerunt 1.) 5 reges urbis **Ur**: Ur-Engur (regnavit annos 18), Dungi (r. a. 58), Bür-Sin (r. a. 9), Gimil-Sin (r. a. 7), Ibi-Sin (r. a. 25), qui regnaverunt 117 annos; 2.) urbis **Isin** 16 reges, qui regnaverunt $225^1/_2$ annos: Išbi-Ura (32 a.), Gimil-ilišu (10 a.), Idin-Dagan (21 a.), Išme-Dagan (20 a.), Libit-Ištar (11 a.), Ur-Ninib (28 a.), Bur-Sin (21 a.), Iter-biša (5 a.), Ura-imitti (7 a.), Sin-ikîša (6 menses), Ellil-bâni (24 a.), tres reges (3 + 5 + 4 a.), Sin-magir (11 a.), Damki-ilišu (23 a.); 3.) reges urbis **Larsam** »in quibus fuerunt: Nûr-Adad eiusque filius Sin-iddinam, Warad-Sin, filius Elamitae Kudur-Mabug, Rim-Sin, qui victus est ab Hammu-rabi, rege Babyloniae, anno regni huius 31. Utrum Rim-Sin idem sit atque Arioch (Ri-agu?) necne, certatur.
Abraham (c. 2212—2037) venit in terram Chanaan (2137), inde in Aegyptum migrat (a. c. 2135). Pentapolis in valle Siddim, inde ab anno 2143 Aelamitis tributaria abnuit tributum (2131). Unde Chodorlaomer, Aelamitarum rex, terram Chanaan invadit una cum vasallis suis: Amraphele, rege Babylonis, Ariocho, rege Ur et Larsae, Tidalo (Tudchula), rege Gutorum (Gu, Gutu), quos magna cum praeda redeuntes devincit Abramus apud Hobam Syriae (2130).	**Regnum antiquum** (c. 2500—2200). 4. Dynastia Memphitica: Snofru, Cheops, Chephren, Mykerinos (Pyramides Gizenses). 5. Dynastia Elephantinensis: florent artes Aegypti antiquae. 6. Dynastia Memphitica: respublica collabitur. 7.—11. Dynastia: (c. 2200—2000): Aegyptus in complures civitates divisa. **Regnum medium** (Thebaicum antiquum c. 2000—1700). 12. Dyn. (c. 2000 usque ad 1789): respublica opibus valet, licet regis nomine a vasallis administretur, clientelae necessitudine ei obligatis. Amenemhet I., Usertesen I., Amenemhet II., Usertesen II.,	Anno circiter **2285** (teste Asurbanipale rege) Babyloniam invadit Kudurnachundi, Aelamitarum rex, eamque ditioni suae subicit. Nimrod-Gišdubar-Gilgameš, filius Kûš (auctore Hommel ex Arabia, centrali oriundus) expugnat urbes Erech (Warka), Babel, Kalneh (Kulunu), Akkad (Sippar-Agadi), i. e. Babyloniam mediam et septentrionalem,

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae
Jahvae cum Abramo foedus (2127). Ismael (2126—1989). Circumcisio sacramentum Veteris Testamenti instituitur. Pentapolis deletur (2113). Isaac (2112—1932). Abraham foedus pangit cum Abimelecho Gerarensi (c. 2210). Abrahamus iubetur Isaacum immolare in monte Moria (c. 2092). Jacob (2052—1905). Esau (2052—post 1932). Isaacus foedus init cum Abimelecho Gerarensi, Phikol eius belli duce, Achusath, Cadmonaeorum rege (c. 2030). Jacobus in urbe Haran (1975—1955). Joseph (1961—1851), in Aegyptum venit (1944), coram Pharaone apparet (1931) **Israel in Aegypto** (1922 usque ad 1492).	Usertesen III., Amenemhet III. (Labyrinthus). Amenemhet IV. Sebeknofru regina. 13. et 14. Dyn. (c. 1789 usque post 1700). Res publica in dies magis dilabitur.	inde pergit in Assyriam (Gen. 10, 11), ubi condit urbes Ninive, Rehoboth, Chale, Resen. Unde I. Dyn. **Babylonica** (Berosi) est Arabica ab Hammurabi nominata (2262—1928), cuis 11 reges sunt: Sumu-abi (2262—2231), Sumula-il (2231—2216), Sabû (2216 u. a. 2181), Apil-Sin (2181—2163); Sinmuballit (2163—2133), vasallus Kudur-mabugi, regis Aelamitarum. Sextus dynastiae rex est Hammurabi (Amraphel, 2133—2078), vasallus Kudur-Lagamari (Chodorlaomer), Kudur-Mabugi propinqui et successoris in regno Aelamitarum. Hammu-rabi Kudur-Lagamaro devicto totam Babyloniam regnumque Aelamitarum in ditionem redigit suam (c. 2125). Eius successores sunt: Samsu-iluna (2078—2043), Abêšu (2043—2018), Ammi-ditana (2018 usque ad 1993, Ammi-saduga (1993 usque ad 1959), Samsu-ditana (1959—1928).
	15. et 16. Dyn. **Hyksos** (c. 1700—1586).	Job e Jectan oriundus. Eliphaz e progenie Esavi. Baldad e gente Such (= Šu, Šutu). Sophar Maonita. Eliu e Boz (Arabia orientali). C. a. 2000 in **Assyria** Belkabi monarchiam fundat; eius filius Šamši-Adad I. — Išne-Dagan II., eius filius Samsi-Adad II. (c. 1820). 2. Dyn. **Babylonica** 11 reges, qui regnaverunt 368 annos et quorum primus, nomine Ilûma-ilu coaetaneus fuit regis Samsu-iluna, filii Hammu-rabi.
	Novum regnum (Thebaicum, c. 1600—1100). 17. Dyn. (Thebaica, c. 1600—1580). Regnum Pharaonum paullatim restuitur, Hyksos pedetentim repelluntur. Sekenjen-Re I.—III.; Kemose.	
	18. Dyn. (Diospolitana, c. 1580—1321): **summum culmen fortunae.**	
Aaron (1575—1452) et Moses (1572—1452).	Amosis (1580—1557). Amenophis I., Thutmosis I. (1557—1501).	3. Dyn. **Babylonica** (Kassitarum); 36 reges, qui regnaverunt $576^3/_4$ annos.

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae	
Exodus Israel de Aegypto (1492).	Thutmosis III. (cum Thutmose II. et Hatšepsowet, c. 1501—1447).		
Israel terram Chanaan ingreditur (1452). Josue et seniores (1452—1412).	Amenophis II. et Thutmosis IV. (c. 1447—1415).	In **Babylonia:** Karaïndaš I. Burnaburiaš I.	In **Assyria:** Ašur-bêl-nišêšu II Ašur-nâdin-ahi
Aetas Judicum (1412—1051). Israel vexatur a Cusan-Rasathaim (1412—1403).	Amenophis III. (Nimmuria, c. 1415—1380). **El-Amarna.** Palaestina Aegyptiis eripitur.		Puzur-Ašur. Bêl-nâšir. Ašur-rabi II. Ašur-nirari III Ašur-bêl-nišêšu III.
Othoniel iudex (1403—1364) Danitae expugnant Laisam (Jud. 17; 18). Gibeathitae propter crimen nefandum una cum ceteris Beniaminitis puniuntur (Jud. 19—21). Eglon, Moabitarum rex, Israelitas premit (1363—1345).	Amenophis IV. (Chuenaten, Napchuria, c. 1380—1363): Monotheismus solaris. Sakere, Tutentchamon, Eje, Haremheb (1363—1321).	Kar(a)indaš II.[1] Kadašmanharbe I.[1] Nazibugaš. Kurigalzu I.[1]	Er(i)ba-Adad. Ašur-uballit. Ašur-nâdin-ahê[1] Ašur-uballit II.[2]
Aod trucidat regem Eglon (1345). Pax 80 annorum (1345—1265).	19. Dyn. (Thebaica, c. 1321—1200). Ramses I. et Sethos I. (c. 1320 usque ad 1300). Ramses II. Miamun (c. 1300—1234). Merneptah usque Setnacht (c. 1234 usque ad 1200).	Burnaburias II.[2] Kurigalzu II. Nazimaruttaš. Kadašman-turgu. Kudur-Bêl. Šagarakti-šuriaš (800 annos ante Nabonidum) Kaštiliašu II.	Bêl-nirari. Arik-dên-ilu. Adad-nirâri I. Šulmân(u)-ašared (Salmanasser) I. Tukulti-Ninib I. (600 annos ante Sanheribum).
Šamma, Šamgar rex residens in Kadeš ad Orontem premit Israelitas (1265—1245).	20. Dyn. (Thebaica, c. 1200—1100). Ramses III. (c. 1200—1179). Regnantibus Ramse IV.—XII. res publica in dies magis collabitur.	4. Dyn. Pa-še (11 reges).	
Debbora et **Barak**, iudices. Pax 40 annorum (1245—1205). Israel a Madianitis vexatur (1205—1198). **Gedeon** index (1198—1158).		Marduk-nâdin-ahê	Tukulti-apil-ešara (Tiglathpileser) I. (c. 1120).
Abimelech (1158—1155) **Thola** (1155—1132). **Jair** (1132—1110). **Eli** (1131 usque ad 1091). Samuel nascitur (c. 1112).		5. Dyn. de ora maritima (tres reges).	Tukulti-apil-ešara II.
Philistaei vexant Israelitas (1111—1071) et Ammonitae (1110—1092). Samson nascitur (c. 1109). **Jephthe** iudex (1092—1086). Israelitae vincuntur a Philistaeis (1091). **Samson** iudex (1091—1071). **Abesan** (1086—1079).		6. Dyn. de Bâzi (tres reges).	Ašur-rabi III.
		7. Dyn.: unus Elamita.	Ašur-rêš-iši II.

[1]) Coaetanei Amenophis III.
[2]) Coaetanei Amenophis IV.

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae
Ahialon (1079—1069). Philistaei vicuntur (Eben-ha-ezer; 1071). **Samuel** iudex (c. 1071—1051). Abdon (1069—1061).		
Regnum (1051—588).	**Imperia externa** (c. 1100—663).	Regnum **Assyriacum** in dies collabitur.
Saulus (1051—1011; cf. Act. 13, 21). Davidem persequitur (c. 1021—1013). David vasallus regis Achis in Sikeleg (c. 1013—1011). **David** rex (1011—972). Jerusalem capitur (1004). Bella contra Philistaeos et Moabitas. Isboseth vel Isbaal rex Israel (1011—1004). Arca foederis in Montem Sion transfertur (c. 1002). Fames (c. 1002—999). Gabaonitae poenam domestici sanguinis a Sauli posteris expetunt (II. Sam. 21, 1—14). Miphiboseth, Jonathani filius, in domum regis arcessitur (999).	21. Dyn. (c. 1100—932): reges e familia sacerdotum summorum Amonis et e stirpe Tanitica. Aethiopia (Nubia) libera sub regibus propriis.	**Aramaei** (Arimi) ex Arabia invadunt Syriam et Mesopotamiam.
Expeditio prior adversus Ammonitas (996). Bellum adversus Hadadezer Sobensem. Damascus Israelitis tributaria. Thou Hamathensis se Davidis subicit imperio. Edomitae vexant tribum Juda. Bellum semestre adversus eos geritur ad internecionem usque (995). Hadad in Aegyptum fugit. Expeditio altera contra Ammonitas (994). Davidis crimen et poenitentia (Ps. **Miserere**). **Vaticinium Messianicum.** I. Sam. 7 (993). Salomon nascitur (992). Amnon stuprat Thamarem (991). Absalom occiso Amnone in terram Gessur fugit (989). Absalom Jerosolymam reversus (986) a Davide veniam obtinet (984). Absalom regnum appetit (980). Israel propter populi recensum peste punitur. Moria a Deo locus sacer eligitur. David omnia ad templum aedificandum necessaria parat. Adonias regnum appetit (972). **Salomon** rex (972—933) filiam Pharaonis uxorem ducit (c. 960).		Edom a praefectis Israeliticis administratur. In **Babylonia**: 8. Dyn. de Babylone: 21 reges. In **Assyria**: Tukulti-apil-ešara III. (c. 960 ad 940). Assyria in dies opibus crescit, praesertim inde ab Ašurdan. II.

Historia sacra		Historia Aegypti	Historia Asiae	
Templum Jahvae aedificatur (968—961).			Hadad in terram Edom redit.	
C. a. 940 Edom et Damascus deficiunt.			C a. 940 Rason (c. 940—920) regnum fundat **Damascenum** ab Israele liberum.	
Regnum divisum (933—722).				
Juda: Roboam (933—917).	Israel: Jeroboam I. (933—912).	22. Dyn. (Bubastitica): reges Libyes (932 ad 812). Sisak (Scheschenk I.) templum Hierosolymitanum exspoliat arcemque regiam, imo totam terram Israelitarum (usque ad Kisonem) diripit (928).	Rasonis filius Tabremon (c. 920 ad 900).	
Abia (916—914).				
Asa (913—873).	Nadab (912—911).			
Zara e Kôš (Osorkon I. Aegyptius?) terram Juda invahit (899). Bellum adversus Baasam (898).	Baasa (911—888).		In **Assyria:** Adad-nirari III. (911—890).	
			Damasci: Benhadad I. (c. 900 ad 880).	
	Ela (888—887).		In **Assyria:** Tukulti Ninip II. (889—88); Hethaei (Chatti) et Aramaei ab Assyriis subiguntur.	
	Zambri (887).			
	Amri (887—877).		Mesa, rex **Moabitarum**, a regno Israel deficit (c. 880). **Damasci:** Benhadad II. (880—844), — In **Assyria:** Ašur-nâsir-aplu (Asurnasir-bal 884—859). Šulmânu-ašared (Salmanassar) II. (858 usque ad 824). **Pugna apud Karkar urbem** (854).	
	Thebni (887—882).			
Josaphat (873—849).	Achab (876—854).			
Joram (849—842).	Ochozias (854—853).			
Ochozias (842).	Joram (853—842).			
Athalia (842—837).	Jehu (842—815).		**Damasci:** Hazael (c. 843—790).	In **Assyria:** Šamši-Adad II. (823—811).
Joas (836—797).	Joachaz (814—798).	23. Dyn. (Tanitica Bubasti residens 812 usq. ad 723). Aethiopum reges Aegyptum ex pugnant.	Benhadad III. (Mariha 790 usque ad 774).	Adad-nirari IV. (810—782). Jonas
Amasias (797—792).	Joas (798—783).			Šulmânu-ašared III. (781—772).
Azarias (792—740).	Jeroboam II. (783—743).		Tabeel (773—740).	Ašur-dan III. (771—754).
	Zacharias (743).			Ašur-nirari V. (753—746).
	Sellum (743).			
Joatham (740—736).	Menahem (743—737).		Rasin (740—732).	Tukulti-apil-ešara (Tiglatt-Pileser) IV. (745—727).
	Phaceja (737—736).			
Achaz (736—728).	Phacee (736—730).		In **Babylonia:** 9. Dyn. (mixta): 17 reges (731 ad 626). Ukinzir (731—729).	
Ezechias (727—698).	Osee (730—722).			

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae	
		In **Babylonia:**	In **Assyria:**
	24. Dyn. (Saitica): Bokchoris (723—717).	Pulu (Phul, Tiglatpileser IV. (729 usque ad 727).	
	25. Dyn. (Aethiopica 717—663), Schabaka (717—705). Schabataka (705 usque ad 691).	Ululai (Salmanas. IV. 727—722). Marduk-aplam-iddina (Merodach, Balad. (721—710). Šarru-kên (Sargon 710—705).	Šulmânu-ašared IV. (727—722). Šaru-kên (Sargon, 722—705).
		Sin-ahê-erba (Sennacherib, 704 usque ad 702). Marduk-zâkir-šum (702). Marduk-aplam-iddina (702). Bêl-ibni (Belbus, 702—700). Ašur-nadin-šum (700—694). Nêrgal-ušêzib (693—692). Mušêzib-Marduk (692—689). Sin-ahê-erba (Sennacherib, 689 usque ad 683).	Sin-ahê-erba (Sennacherib, 705—681).
Regnum Juda: Manasses (698—643).	Tarhaka (691—664).		
Stipendium pendit Asarhaddoni (673). Stipendium pendit Assurbanipali (665).	Aegyptus provincia Assyriaca (673). Urdamani, Sabatacae filius (Tanut-Amon 664—663). Thebis (Nô-Ammon 663) deletis Aegyptus a 22 pagorum principibus administratur ut provincia Assyriaca, in quibus fuit Necho I. Saites eiusque filius Psammetichus (Pišamilku, Nabušizi-bani, Attribites (663—610), qui anno c. 660 in libertatem se vindicavit (26. Dyn. 663—525).	Ašur-ah-iddina (681—668). Sammuges (668—648). Kandalânu (Assurbanipal 648—626).	Ašur-ah iddina (Asarhaddon, 680—668). Ašur-bân-aplu (Asurbanipal, 668—626).
		In **Media:** Phraortes (Biriz-hidri 657—635). Pugna apud Rages (657). Phraortes regi Assyriorum obedientiam denegat (651). Seditio magna a Sammuge concitata (650—648), ad quam sedandam Holofernes 4 suscipit expeditiones (Judith 2, 11—13; 2, 14; 2, 15, 16; 2, 17 seqq. **Vulg.**). Phraortes cadit ἐν τοῖς ὄρεσι Ῥαγαῦ (635); succedit ei Cyaxares filius (635—593). Scytae diruunt urbem Chaleh (Nimrud, 632).	
Manasses Babylone captus (647). Bethulia (Scheich-Schibel) ab Holoferne obsidetur, Israel a Juditha, vidua nobili, salvatur (647). Amon (642—640). Josias (639—608) ad Jahven convertitur (631). Instauratio religiosa (627 ad 621). Joachaz (608). Joakim (608—598).	Necho II. (610—595) victoriam asportat de Josia apud Megiddo (608).	In **Babylonia:** 10. Dyn. (Chaldaeorum): 6 reges (625—538). Nabu-aplam-usur (Nabopolassar, 625—604).	In **Assyria:** Assur-etil-ilâni (625—621). Sin-šar-iškun (Saracus 620—606), **Ninive a Medis diruitur** (606).

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae
Baruch Jeremiae sermones praelegit (604). Joachimus Assyriis tributum denegat (603). Jechonias (598). Sedecias (598—587).		Pugna apud urbem Karchemisch (Dscherâbis 605). Nabu-kudurri-usur (Nabuchodonosor 604—561). — Seditio Syriaca 603.
	Psammetichus II. (594 usq. ad 589). Apries (Hophra 588—570). Amasis (569—526). Nabuchodonosor bis Aegyptum invadit (573—571 et 568).	Avil-Marduk-usur (Evilmerodach, 561—559). Nêrgal-šar-usur (Neriglissor, 559—556). Labâši-Marduk (556—555). Nabû-nâ'id (Nabonidus, 555—539; Bêl-šar-usur 541—539). 11. Dyn. Babylonica (Persarum): 13 reges (538—330).
Edictum Cyri de Judaeorum libertate (536). Sassabar-Zorobabel una cum Josue sac. magno multisque Judaeis captivis in patriam revertitur (535). Restaurato altari holocaustorum cultus sacer denuo incipitur (1. 7. 535) et fundamenta templi ponuntur, sed aedificatio a Samaritis impeditur. Hortantibus Aggaeo et Zacharia prophetis fundamenta templi denuo iaciuntur (24./9. 520) et aedificatio auctoribus Samaritis aliquantulum intermissa tandem finitur (3./12 516). Festa encaeniorum et Paschatis sollemniter celebrantur.	27. Dyn. (**Persica** 525—405).	Cyrus (538—529; in Persia 558—529). Anno 549 expugnatis Ecbatanis regno Medorum finem facit. Cambyses (529—521). Darius I. (521—485).
Nehemias (444—432) in urbe sancta, cuius moenia instaurantur. Nehemias c. a. 420 iterum Hierosolyma venit.		Xerxes I. (Ahasverus 485—465). Esther. Artaxerxes I. Longimanus (465 ad 424). Darius II. Nothus (424—405).
Esdras in urbe sancta (398—97).	28. Dyn. (405—398). 29. Dyn. (398—377). 30. Dyn. (377—340).	Artaxerxes II. Mnemon (405 usque ad 358). Artaxerxes III. Ochos (358—338). Arogos (338—336). Darius III. Codomannus (336 usq. ad 331). Alexander M. (336—323), rex Babyloniae (331—323). Alexander II. (323—312).
	Ptolomaei:	**Seleucidae:**
	Ptolomaeus I. Lagi (323—285). Ptolomaeus II. Philadelphus (285—247). Ptolomaeus III. Euergetes (247—221). Ptolomaeus IV. Philopator (221—205). Ptolomaeus V. Epiphanes (205—181).	Seleucas I. Nicator (312—281). Antiochus I. Soter (281—261). Antiochus II. Theos (261—246). Seleucus II. (246—226). Seleucus III. (226—222). Antiochus III. Magnus (222—187).

Historia sacra	Historia Aegypti	Historia Asiae
2300 dies desolationis (170 usque ad 164).	Ptolomaeus VI. Philometor (181—146).	Seleucus IV. Philopator (187 usque ad 175). Antiochus IV. Epiphanes (175—164).
Machabaei vel Hasmonaei: Mathathias († 166). Judas Machabaeus (166—161). Jonathan (161—143), sacerdos magnus (152). Simon (142—135). Plebiscito imperium et sacerdotium magnum hereditaria declarantur in Hasmonaeorum familia (141). Joannes Hyrcanus (135—106). **Regnum Hasmonaeorum** (106—63). Judas Aristobulus (106). Alexander Jannaeus (Jonathan 105—78). Alexandra (Salome 78—69). Aristobulus II. (69—63).	Ptolomaeus VII. Physcon (Euergetes 170—117; in provincia Cyrenaica 164—146).	Antiochus V. Eupator (164—162). Demetrius Soter (162—150). Alexander Balas (150—145). Demetrius II. Nicator (145—139). Diodotus Trypho (pro Antiocho VI. Theo 145—142, usurpator 142 usque ad 138). Antiochus VII. Sidetes (138—129). Arsaces VI. Mithridates, Parthorum rese (174—136) anno 139 Mesopotamia et Babylonia potitur. Syria a Tigrane, Armeniae rege, subigitur (83). Antiochus XIII. Asiaticus (69 usque ad 65).
Palaestina provincia Romana.	**Aegyptus provincia Romana** (31).	**Syria provincia Romana** (65).

Epimetron.

Synoptica historia Librorum sacrorum A. T.

Sectio prima.

Historia Canonis Librorum sacrorum A. T.

§. 103. Inspiratio Librorum ss. A. T.

1) Omnis praestantia et auctoritas Librorum ss. in eorumdem inspiratione residet. Est autem inspiratio ille supernaturalis Dei influxus in Libros sacros conscribendos, quo Deus[1]) eorum auctor proprius et principalis[2]) est et ipsi verbum Dei efficiuntur.

1) Inspiratio s. Scripturae est gratia gratis data, utpote non tam in propriam scriptoribus sanctificationem, quam in utilitatem aliorum concessa, ast una e magis extraordinariis, nam paucis viris fuit concessa et post tempora apostolica in Ecclesia cessavit omnino. Actio inspirationis Spiritui sancto attribuitur.

2) Homines auctores tanquam Dei instrumenta et auctores secundarii (instrumentales) sunt considerandi.

2) Totam sacram Scripturam esse inspiratam, de fide est, quam Ecclesia pluries solemniter declaravit.

Concilium V. Constantinopolitanum II. (553) Theodorum Mopsuestenum damnavit, quia nonnullos Libros A. T. reprobaverat, dicens, quod auctor pagana sapientia illos conscripserit. Synodus Carthaginiensis IV. (398) professionem dogmatis de inspiratione episcopo consecrando praescribit: *Credis etiam N. et V. T., Legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem?* quam etiam continent symbolum fidei, a Papa Leone IX. ad Petrum Antiochenum missum, professio fidei ab Innocentio III. Waldensibus praescripta, symbolum, quod in concilio Lugdunensi II. (1274) Michael Palaeologus Gregorio X. obtulit et Concilium Florentinum (decr. pro Jacob.). Confer Denzinger, Enchirid. symbol. 1854. 131. 158. 167. Concilium Tridentinum (ses. IV. de can. Script.): *Synodus omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor .... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.* Concilium Vaticanum (decr. de fid. Cap. 2): *Eos Libros Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua* (sc. Ecclesiae) *deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante*

conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt; et can. 4: *Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.*

3) Libros ss. A. T. esse inspiratos, *a)* tradit fides judaica[1]), *b)* insinuant effata ipsorum V. T. Librorum[2]), et *c)* ineluctabiliter testatur doctrina Jesu Christi et Apostolorum[3]).

1) Josephus (c. Ap. 1, 8) scribit: *Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnantium, sed duo dumtaxat et viginti libri totius praeteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque sunt Moysis, qui et leges continent, et seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius interitum . . . a Moysis autem interitu ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, prophetae, qui Moysi successere, res sua aetate gestas tredecim libris complexi sunt; quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae hominum exhibent utilissima. Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula literis mandata, sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum. Quanta vero veneratione libros istos prosequamur, reipsa apparet. Cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo adhuc ne adjicere quidquam illis, nec mutare aliquid est ausus. Sed omnibus Judaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, ut Dei haec esse praecepta credamus iisdemque constanter adhaereamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus.* Philo saepenumero affirmat, sacros auctores Dei nomine scripsisse, prophetas fuisse divino numine inspiratos, ut in libro de proph. fug.: *Prophetae, quorum ore universorum Pater oracula edidit;* de Cherub.

2) In Libris A. T. unum inspirationis quasi elementum, sc. divinus ad scribendum impulsus in forma praecepti affirmatur Ex. 17, 14; Jer. 30, 2; Ez. 24, 2; Dan. 12, 4. Hab. 2, 3. Is. 8, 1. Accedit phrasis toties iterata: *Haec dicit Dominus, vel audite verbum Domini;* et Is. 34, 16: *Requirite diligenter in libro Domini et legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quaesivit, quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et Spiritus ejus ipse congregavit ea.*

3) Probatur inspiratio A. T. e Scriptura Novi Testamenti. *a)* Implicite: α) quia Scriptura A. T. habet divinam probandi auctoritatem; nam Christus et Apostoli afferunt testimonia ex A. T. ad probandas res fidei et morum; col. Joh. 10, 34; Rom. 1, 17; 3, 9 ad 18; 9, 33. Gal. 3, 6, 10, 16, 22, et quidem sine ulla exceptione: *Non potest solvi Scriptura* (Joh. 10, 35), et: *Donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant* (Matth. 5, 18); β) habet characterem propheticum et γ) duplicem sensum, literalem et spiritualem, quem ultimum solus Deus intendere potest. *b)* Explicite; et quidem α) Deus nominatur auctor Scripturae: *Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum* (Matth. 22, 43); *oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David* (Act. 1, 16); *bene Spiritus sanctus locutus est per* Isaiam *prophetam ad patres nostros* (Act. 28, 25), et: *contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum . . . (Jer. 31, 33), dicit Dominus* etc. (Heb. 10, 16). Confer Rom. 1, 1, 2; Heb. 4, 7: Act. 3, 18; Scriptura nude qua effatum Dei proponitur (Heb. 1, 6—13) aut ipsius Dei loco ponitur (Rom. 9, 17). β) Directe vox inspirationis exhibetur: *Omnis scriptura divinitus inspirata* (θεόπνευστος) *utilis est ad docendum, ad arguendum* etc. (2 Tim. 3, 16), et: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati* (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) *locuti sunt sancti Dei homines* (2 Pet. 1, 21).

4) Inspiratio Scripturae clare et diserte a ss. Patribus affirmatur et demonstratur.

Docent divinam Bibliorum originem usu et modo citandi; allegant enim ad veritatis vindicationem effata Scripturae saepissime ut Dei dicta expresse. Sic Justino (1 Apol.) familiaris est phrasis: *Spiritus propheticus dicit.* Huic usui consonat doctrina Patrum de ss. LL. inspiratione. Clemens Rom. (ep. 1 Cor. 47) ait, s. Paulum πνευματικῶς scripsisse, et Scripturas vocat τὰς διά τοῦ πνεύματος ἁγίου (l. c. Cap. 45). Justinus Martyr refert, ss. auctores nos docuisse διά τῆς θείας ἐπίνοιας (coh. ad gent. 38), et de Isaia ait: ὁ προφήτης . . θεοφορούμενος τῷ πνεύματί τῷ προφετικῷ ἔφη (Apol. I. c. 35); Dionysius Areopagita Scripturam vocat divinam illustrationem, et emanationem illustrationis a Patre motae (de hier. coel. Cap. 1). Ipsa voce θεοπνευστία utitur Origenes (l. 4. de princ.), unde (col, 2. Tim. 3, 16) vocabulum hoc, ac derivatum latinum *inspiratio*, paulatim induebat vim termini technici. Irenaeus (c. haer. 2, 28) vocat Scripturas *a Verbo Dei et Spiritu ejus dictas*, Dionysius *divina eloquia;* Gregorius Nyss. (cont. Eun. or. 6): *Quaecunque divina Scriptura dicit, Spiritus sancti sunt eloquia;* Chrysostomus (in Gen. h. 21) *Scripturas a Spiritu sancto conscriptas et compositas* ait, s. Augustinus (serm. 6 in Ps. 15, serm. 92 in Ps. 90), Chrysostomus (in Gen. h. 2) et Gregorius M. (lib. 4, Cap. 31) Scripturam esse *epistolas Omnipotentis Dei ad creaturas suas*, Clemens Alex. (strom. 2) *vocem Dei*, Theodoretus (Praef. in Ps.) et Gregorius M. (Praef. in Job) linguas et manus scriptorum sacrorum *Spiritus sancti calamos* esse aiunt. Justinus M. (coh. ad Graec. Cap. 8) scriptores sacros assimilat *citharae aut lyrae instrumento*, quod a *plectro divino* movetur. Alios testes vide apud Franzelin tr. de S. Script. I. th. 2. n. 3; Fr. Schmid l. c. 14 seq. Dausch l. c. p. 45 seq. — Hummelauer, Exeg. z. Inspirationsfrage, 1904. — Pesch, De inspiratione scripturae, 1906.

5) De inspirationis natura, seu quomodo Deus inspirando operetur et homo cooperetur, jam ex antiquo tempore variae exstant hypotheses, partim manifesto falsae[1]). Concilium Vaticanum[2]) duas harum excludit, nempe inspirationem, quae consequens (subsequens) appellatur, et mere negativam, firmiter sustinens Scripturae originem vere divinam[3]).

1) Gnostici et Manichaei Vetus Testamentum a malo Deo scriptum somniabant. Alii, quorum s. Hieronymus (Praef. in ep. ad Philom.) mentionem facit, dicebant, auctores ss. non omnia Deo inspirante, sed aliquando humano tantum ingenio scripsisse, quia humana imbecillitas unum tenorem Spiritus s. tam longo orationis decursu ferre non potuisset. Reformatores ex uno extremo in alterum ruebant, aliis nempe ipsa verba s. Scriptura inspirata docentibus, aliis vero inspirationem plane negantibus. — Cum Mich. Bajus rigidas sententias de divina gratia et libero arbitrio (a Sede Apostolica damnatas) docuisset, Lessius et Hamelius S. J., se opposuerunt inter alia has theses defendentes, non esse necessarium credere, *a)* singula verba inspirata esse a Spiritu s., *b)* item singulas veritates immediate scriptori esse inspiratas et *c)* librum aliquem, uti secundum Machab. librum, humana industria sine assistentia Spiritus s. scriptum, si Spiritus s. postea testetur, nihil ibi esse falsum, effici Scripturam sacram. Exinde enata est controversia inter duos istos doctos et Theologos Lovanienses. Tertia Lessii propositio, quae docet, opus aliquod humana tantum industria concinnatum per subsequentem Dei approbationem fieri Scripturam sacram, inter catholicos fere nullos nacta est patronos. Confer Dausch, p. 146 seq.

Bonfrerius (Prael. in Script. s. Cap. 8 sect. 1) tres statuit gradus inspirationis: *Tribus modis potest concipi Spiritum sese cum ss. scriptoribus haberi: antecedenter scilicet, concomitanter et consequenter, qui omnes tres modi videntur sufficere, ut aliquid sit scriptura sacra et verbum Dei.* Antecedenter se habet spiritus s., cum inspirat, revelat, demonstrat, quae dicenda scribendave sunt (v. g. veritates intellectum humanum superantes): concomitanter se habet Deus, sicut qui alterum scribentem oculo dirigat, ne in re quapiam erret (v. g. in historiis), et consequenter, si postea Spiritus s. testatur, omnia humano spiritu scripta vera esse. Concomitantia haec auxilii divini seu mera Dei assistentia non sufficit et differt a directione activa; nam illa generalem tantum deter-

minationem admittit, non continuam cooperationem involvit, sed Deum tantum paratum ad cooperandum declarat, si necesse fuerit i. e. si auctor sibi relictus erraturus esset. Eo minus subsequens Dei approbatio ad constituendum librum inspiratum sufficiens invenitur. Inspiratio autem consequens vel subsequens Bonfrerii ab illa Lessii in tantum differt, in quantum ille possibilitatem tantum, hic autem realitatem (in 2. lib. Mach.) hujus inspirationis defendit. Confer Dausch, p. 152 seq. — Jahn (Introd. in LL. V. T. I. Cap. 2, §. 19) defendit assistentiam mere negativam, quae errores tantum arcet. Nonnulli, ut Erasmus, Holdenius, Lenormant defendere nitebantur, inspirationem tantum ad res fidei et morum, et res, cum his necessario connexas, semet extendere. Excipit doctrina quorumdam Protestantium, Scripturam dici divinam, quia revelationem sine errore contineat. Recentissimo tempore inter exegetas catholicos quaestio valde movebatur, utrum auctor inspiratus in rebus historicis — sicut in rebus scientiae naturae — secundum opinionem illius temporis loquatur an non, vel aliis verbis, utrum ex inspiratione Hagiographi in rebus historicis tantum veritas citationis, non autem objecti veritas rei citatae deduci possit. Cf. Hummelauer, Exegetisches zur Inspirationsfrage. Bibl. Stud. IX, 4. Frb. 1904. — Fonck, D. Kampf um d. Wahrheit d. hl. Schrift, 1905. — Peters, D. grundsätzliche Stellung d. kath. Kirche z. Bibelforschung. Paderb. 1905. — Et: Papst Pius X. u. d. Bibelstudium, 1906.

2) Sess. III. Cap. 2. de revel: *Qui quidem V. et N. T. libri integri cum omnibus suis partibus, prout in Conc. Trid. decreto recensentur et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint probati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.*

3) Juxta mentem Concilii est de natura inspirationis Scripturae sacrae, Deum habere auctorem, quod quum negarent Lessius et Bonfrerius, eorum opinio erronea est; nam nec impulsus divinus solus librum efficit inspiratum, nec subsequens approbatio librum evehit in dignitatem verbi Dei, de cujus quippe natura est, ut in productione sua procedat ab ipso Deo. Altera sententia damnata inspirationem Scripturae in eo reponit, quod divinam revelationem sine errore contineat, quae aperte falsa est.

Falsa igitur est opinio Bonfrerii de assistentia concomitante, quae impulsum quidem generalem admittit, qua tamen singulae sententiae non determinantur. Eo magis rejicienda est sententia Jahnii de assistentia negativa, nam per eam hagiographus nec impellitur ad scribendum, nec determinatur, quid scribat ideoque Deus nullo modo auctor Scripturae dici potest.

6) Inspiratio tripliciter praedicatur: *a)* de Deo[1]), significans actionem, qua formaliter inspirat (inspiratio *activa*, 2 Pet. 1, 21 Vulg.), *b)* de hominibus[2]), qui inspirantur (inspiratio *passiva* 2 Pet. 1, 21 graece), et *c)* de scriptis, quae homines inspirati confecerunt (inspiratio *terminativa*. 2 Tim. 3, 16). Deus autem quodam modo tale opus qua librum inspiratum et ex ipsa sua origine divinum hominibus proponere debet[3]).

1) Deus enim est auctor primarius s. Scripturae, uti supra demonstravimus; ideo sententiae in illa relatae conceptus Dei sunt et Deus effecit, ut conceptus hi scriptis exprimerentur, non quidem immediate scribendo, sed hagiographis utendo sicut causis instrumentalibus vel ministerialibus, sub hoc respectu inspiratio est talis influxus divinus in hagiographos, vi cujus ea scribunt, quae Deus qua manifestationem suorum conceptuum per eos scriptis mandare decrevit; Scriptura ergo est Dei verbum scriptum.

2) Quia Deus utitur creaturis juxta harum naturam, triplex influxus divinus in inspiratum est discernendus: *a)* in ejus intellectum; praecedere enim debet scriptioni cognitio, non habitualis, sed actualis (conceptio mentis), quae a Deo processit in inspiratos, sed

in diversis materiis diverso modo: α) quando res scribentis intellectui imperviae erant (in prophetiis, proponendis mysteriis etc.), Deus per revelationem veritatem manifestabat; β) quando autem eae naturali via cognitae erant (v. g. per propriam intelligentiam, per experientiam vel relationem tertii), requirebatur tantum aliqua Dei cooperatio ad conceptus formandos, non vero revelatio, quia Spiritus s., sicut in necessariis non deest, ita in superfluis non redundat (confer Luc. 1, 3 et 2 Mach. 2, 24). Facit hoc Deus, hagiographi intellectum dirigendo et illustrando, ut non fallibili persuasione, sed infallibili certitudine de scribendis judicet. Thomas (1. 2. q. 174. a. 2. ad 3): *Qui hagiographa conscripserunt, eorum plures loquebantur frequentius de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adjutorio tamen divini luminis.* Bellarminus (Cont. de verb. Dei 1, 15): *Respondeo, Deum quidem esse auctorem omnium divinarum Scripturarum, sed aliter adesse prophetis, aliter aliis, praesertim historicis. Nam prophetis revelabat futura et simul assistebat, ne aliquid falsi admiscerent in scribenâo; aliis autem scriptoribus Deus non semper revelabat ea, quae scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent ea, quae vel viderant, vel audierant, vel quorum recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent. b)* In ejus voluntatem, et quidem non motio Dei generalis, sed specialis, vi cujus scriptorem inclinabat et determinabat, quamvis liberum ut manum applicaret ad hic et nunc tali et tali modo ea, quae menti ejus inspirabat, conscribenda. *c)* In compositionem textus, quatenus Deus inspirando efficit, ut conceptus sui literis consignandi etiam revera et infallibiliter talibus verbis exprimantur, quibus vere sincereque repraesentantur. Franzelin (de script. thes 3. p. 300): *Inspiratio non ad solas res et sententias pertinent, sed secundum quid etiam extenditur ad signa et vocabula, ideo sc. ut ex ipsa operatione divina in hominem inspiratum hic reddatur infallibilis in signis et vocabulis idoneis eligendis.* Breviter Leo XIII. Encyc. de Scp. s. 18. Nov. 1893; *Supernaturali Deus virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus astitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse juberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritati exprimerent; secus non esset ipse auctor s. Scripturae universae.*

3) In praesenti divinae providentiae ordine revelatio divinitus tradita et authentice proposita ac per visibile magisterium sub speciali Spiritus s. assistentia perpetuo conservanda sola est, quae certum pro agnoscendis libris inspiratis criterium constituere potest. Reliqua criteria, quae petuntur e materia, elocutionis vi et stylo, e persona scriptoris et testificatione humana, sunt insufficientia ad probandum librum aliquem esse inspiratum. Confer Schmid l. c. 364 seq.

7) Minime autem requiritur ad inspirationem, ut verba singula ac verborum delectus et constructio in tota Scriptura sacra sint divinitus inspirata aut dictata a Spiritu sancto, seu inspiratio verbalis, quamvis etiam hanc multi Theologi, praeprimis antiquiores, defenderint.

Consentiunt antiquiores, multa in ss. Literis etiam quoad verba et totius elocutionis formam inspirata esse et quidem in prophetiis, in propositione mysteriorum, et quando Spiritus s. sensum spiritualem (occultum) intendebat; dissentiunt tamen in ceteris Scripturae s. partibus. Generatim in agnoscenda inspiratione verborum non multum supra illum gradum, quem versiones antiquae, in Ecclesia receptae, in sequendo textu originali tenuisse inveniuntur, ascendere licebit, nec multum infra illum descendendum esse videtur. Inspirationem verbalem inter alios defendunt Toletus cardinalis et Suarez (l. c. sec. 3. n. 3): *Est Scriptura instinctu s. Spiritus scripta dictantis non tantum sensum sed etiam verba.* Sententia tamen negativa evasit communior, nempe non esse necesse, ut omnia et singula verba fuerint a Deo inspirata; probatur *a)* indirecte; ut enim Deus auctor Scripturae sit, satis est, quod essentia libri, scilicet conceptus eorumque expressio per signa idonea a Deo provenerint. Sed unius conceptus multa possunt esse signa idonea, unde minime requiritur, quod inspiratio ad electionem singulorum semet protendat, insuper Patrum auctoritas nequa-

quam verbali inspirationi suffragatur. *b)* Directe: *α)* Apud diversos auctores diversitas styli observatur, quae singulorum culturae et individuali indoli apprime correspondet (Hieronymus in prologis suis). *β)* Haud raro in eodem facto narrando a se invicem discrepant — enantiophaniae in locis parallelis; e. g. Evangelistae neque in institutione ss. Eucharistiae conveniunt (Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 19: 1. Cor. 11, 23). Exinde simul patet, labores et vigilias auctoris non esse superfluos, nec veram libri inspirationem impedire. *γ)* Scriptores N. T. effata A. T. saepe secundum textum graecum, non ad verbum, sed juxta sensum tantum adduxerunt, quod non fecissent, si ipsa verba inspirata esse putassent, *δ)* Cum versiones non in omnibus aequant textum originalem (Prol. Eccli.: *nam deficiunt verba hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solum haec, sed et ipsa lex et prophetae, ceteraque aliorum librorum, non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur*), illae non totum revelationis argumentum nobis panderent, quae sententia doctrinae et praxi Ecclesiae adversatur. *ε)* Auctor 2 Mach. 15, 38, 39 librum suum opus plenum laboris et vigilarum nominat atque lectorum benevolentiam ad excusanda minus benedicta captat; et s. Paulus de se dicit (2 Cor. 11, 5, 6): *Existimo nihil me minus fecisse a magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone* (i. e. modo elocutionis), *sed non scientia* (a Deo). *ζ)* Verbali inspirationi tandem obstant soloecismi et anacolutha in s. Scripturis passim obvia. Nam Deus regulas grammaticae ignorasse dicendus esset, si reapse et verba inspiraverit.

8) Ut tandem de ambitu inspirationis pauca loquamur: doctrina, omnes Scripturae partes Deo inspirante scriptas esse, nullo admisso discrimine inter religiosas et profanas, probatur a ss. Patribus[1]) et Theologis[2]).

1) *a)* Patres nunquam negarunt divinam originem seu inspirationem alicujus loci scripturistici quantumvis obscuri nilque falsi in Scripturis admittebant. S. Augustinus (c. Faust. 2, 2) ait: *Non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed aut codex mendax est aut interpres erravit, aut tu non intelligis.* Ep. 82 ad Hier. Hieronymus (in Nahum): *Nefas est dicere, Scripturam mentiri.*

b) Decretum Concilii Trid. Libros integros cum omnibus suis partibus esse sacros et canonicos, ergo inspiratos definivit,

c) Admissa sententia, Scripturas errare potuisse, vacillaret tota earum auctoritas, quum difficile sit, res profanas a sacris, accidentalia a substantialibus distinguere. Facile quisque sibi persuaderet, ea esse falsa, quae sibi displicerent, quemadmodum fecerunt haeretici.

d) S. Paulus (2. Tim. 3, 16) scribit: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, arguendum* (πᾶσα γραφή sine articulo significat omnem Scripturae locum col. Joan. 19, 37: *alia Scriptura dicit* i. e. alius Scripturae locus). Idem Apostolus (Rom. 15. 4) dicit: *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Itaque omnes partes Scripturae s. tendunt ad instruendum nos in rebus ad salutem necessariis sive directe sive indirecte. Quandoque narratio quaedam historica efficacius influit in homines simplices quam doctrina dogmatica directe proposita.

e) Leo P. P. XIII. in Encyclica de studiis Scp. sac.: »Nefas omnino est aut inspirationem ad aliquas tantum sac. Scripturae partes coangustare aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem . . . *Nihil admodum refert, Spiritum s. assumpsisse homines tanquam instrumenta ad scribendum, quasi scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit.* Tantum abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum summam veritatem nullius omnino erroris auctorem esse. Interpres ostendere debet, nihil scripturis recte explicatis obsistere.«

2) Theologorum mens illustratur duobus corollariis: *a)* quod omnia, quae in Scripturis referuntur, aequalis sunt veritatis; *b)* quidquid in Scriptura refertur, fide divina est credendum. Confer Thomam 2. 2. q. 8, a. 2. Kleutgen, Theologie der Vorzeit. 1867.

1, Abhdl. n. 35. Vi decreti Concilii Tridentini et Vaticani *(libros s. Scripturae integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia* etc.) omnes scripturae partes, sive de Deo agant, sive de rebus profanis, sacrae et canonicae credi debent, *quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (Rom. 15, 4). Adversarii, si objiciunt, ineptum videri, quod levissimae res, quae passim in s. Scriptura occurrunt, qua inspiratae et fide credendae censeantur, audiant divum Hieronymum (Praef. in ep. Philem.): *Quodsi non putant, eorum essa parva, quorum et magna sunt, alterum mihi conditorem juxta Valentinum . . . . formicae, vermium, locustarum, alterum coeli, terrae, maris et angelorum debent introducere;* et s. Thomam (2. 2. q. 1. a. 6 ad 1): *Eorum omnium, quae in s. Scriptura continentur, est fides habenda. Aliqua sunt credibilia, de quibus est fides secundum se; aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia . . . Quaedam proponuntur in s. Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum manifestationem: sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisei suscitatus est mortuus et alia hujusmodi.* Praeterea res illae, quae in ss. Literis parvae et profanae esse videntur, non raro magni sunt momenti propter suam relationem ad res divinas et propter sensuum divitias. Melchior Canus (Loci th. II. 17): *Ipsi vero fateamur, singula quaeque sive magna, seu parva a ss. auctoribus Spiritu s. dictante esse edita. Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est, id itaque et nos et Ecclesia praesertim ipsa magistra et duce retinere debemus.* Falsa igitur est opinio Protestantium, doctrinas fidei et morum tantum esse inspirationis objectum. De variis recentissimorum scriptorum sententiis confer Z. f. kath. Th. 1885, 671; 1886, 142 et 1887, 233. Haec, quae de inspiratione Librorum ss. sunt dicta, valent absolute de textu originali et de versionibus, quae cum hoc vi judicii Ecclesiae plane concordant.

Quamvis interdum promiscue inspirationis, revelationis, et assistentiae vocabula usurpentur, tamen discrimen inter ea est; revelatio enim rei antea occultae aut ignotae manifestationem significat, quae notio ad inspirationem neccessaria non est. Per assistentiam vero Deus scribenti sic adstat, ut in seligendis rebus et verbis eum dirigat; quare duplicem distinguunt: negativam, quae errorem removet, et positivam (suggerentem), per quam Deus sive res et sententias tantum, sive verba quoque suggerit; ab hac assistentia positiva inspiratio non differt.

Confer: Fr. Schmid, De inspir. Bibl. vi ac ratione, 1885. — G. Cretş, De. div. Bibl. inspirat. 1886. — Dausch. Die Schriftinspiration 1891. — J. Delitzsch, De inspir. Script. (Patr. apost. et apolog. II. sec.) 1872. — M. Rohnert, Inspir. d. hl. Schrift und ihre Bestreiter, 1889.

§. 104. Canon sacrae Scripturae A. T.

Inspirati libri Antiqui Testamenti sunt omnes isti, qui ab Ecclesia catholica tanquam inspirati vel in canonem[1]) relati recensentur. Definivit vero Concilium Tridentinum[2]) (sess. IV. decr. de can. script.), omnes libros cum omnibus suis partibus, prout in Vulgata latina versione continentur, tanquam canonicos[3]) seu divinos esse habendos, ergo non tantum protocanonicos, sed et deuterocanonicos[4]) libros (Baruch, Tobiae, Judith, Machabaeorum, Eccli, Sapientiae et graeca fragmenta: Esther Cap. 10, 4—16, 24: Daniel 3, 24—90; Capp. 13 et 14), quos Protestantes e canone suo eliminant.

1) Canon s. Scripturae est complexus seu index Librorum inspiratorum vel biblicorum, specialiter Canon V. T. catologus Librorum sacrorum, quos, e tempore ante Chr. conservatos, primum synagoga, dein Ecclesia ut divinos ac inspiratos venerata est. Libri, qui in Canone illo recensentur, canonici (κανόνικοι vel κανονιζόμενοι) appellantur. Complexus Librorum sacrorum ideo Canon vocatur, quia hi libri principalem fidei morumque regulam continent

et quia ejusmodi collectio, legitima auctoritate instituta, fidelibus pro norma inserviebat, qua Libros inspiratos a non inspiratis (apocryphis) secernerent.

Nomen canonis olim latius patebat, significabat normam sive regulam in genere, ad res sive physicas sive morales determinandas; hinc s. Irenaeus (adv. haer. IV. 35. 4), Tertullianus (praesc. Cap. 37) doctrinam a Deo revelatam, et in Ecclesia conservatam κανόνα τῆς ἀληθείας, τῆς πίστεως, πῆς ἐκκλεσίας, ἐκκλεσιαστικόν, vel simpliciter τὸν κανόνα *(regulam veritatis, fidei, ecclesiae, ecclesiasticam)* nominare solebant. Confer Kuhn, Tüb. Quartlschr. 1858, 385; K. A. Credner, Zur Geschichte d. Kanon, Halle 1847. Quia porro sacra Scriptura etiam revelationem divinam continebat, ipsa passim *canon veritatis* appellabatur. Confer Isidorum Pelus. ep. 114. Seriori tempore vox canonis κατ' ἐξοχήν catalogo Librorum ss. biblicorum fuit consecrata, uti patet ex Origene (in Jos. hom. 15, 6): *Libellus non habetur in canone*, Hieronymo (Prolog. Gal.): *Sapientia Sal. . . . non sunt in canone*, Innocentio I. (ep. ad. Exup): *Qui vero libri recipiantur in canone sanctarum Scripturarum*, Augustino (c. Cresc. 2, 31): *Neque enim sine causa tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi prophetarum et apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus et secundum quos de ceteris literis . . libere judicemus;* Civ. Dei 15, 23; 18, 38; c. Faust. 11, 5, 6; Chrysostomo (Act. h. 33, 4).

2) *S. Synodus . . . omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque Deus sit auctor, nec non traditiones . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero Librorum indicem huic decreto adscribendum censuit . . . Sunt vero infra scripti: Testamenti Veteris, 5 Moysis, . . . Jos., Jud., Ruth, 4 Regum, 2 Paral., Esdrae 1 et 2, qui dicitur Nehemias, Tob., Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150 psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Cant., Sap., Eccli., Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, 12 prophetae minores, . . . 2 Machabaeorum . . . Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . anathema sit.*

3) Libros canonicos, quae vox jam ab Origene (in Prol. Cant.): *quae in Scripturis, quas canonicas habemus, nusquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur* (et Com. in Matth. 27, 9) usurpatur, ss. Patres Libros divinitus inspiratos eosque solos habebant, et quidem non sufficiebat, ut eorum origo tantum divina innotesceret, sed requirebatur, ut talis liber divinus declaratione Ecclesiae in canonem referretur. Hinc nefas est post Semlerum cum Eichhorn, Jahn (Einleit. I. §. 26), Bertholdt (Einl. I. 15), contendere, canonicos fuisse vocatos omnes libros, quibus Christiani in publicis praelcetionibus usi sunt; praelegebantur enim etiam libri publici (δεμοσιενόμεναι βίβλοι), quorum origo non erat prophetica aut apostolica, qui autem catechumenorum utilitati et aedificationi inserviebant. Itaque omnes quidem libri inspirati, non vero simpliciter publici, simul erant canonici. Origenes eos vocat γνησίους, et Augustinus (Civ. D. 18, 38): *Sed ea (scripta) castitas canonis non recepit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum.* Tales v. g. erant Pastor Hermae, epistola Barnabae etc. Hinc Concilium Carthaginiense (397) decrevit: *ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legeretur sub nomine divinarum Scripturarum.* Confer Concilium Laodicenum, can. 59.

4) Denominatio librorum proto- et deuterocanonicorum, quae apud veteres frustra quaeritur, sed ab acatholicis introducta et a theologis catholicis (primo a Sixto Sen.) brevitatis causa adoptata est, non infert differentiam auctoritatis (ut statuerunt Lamy, App. bibl. 2, 5; Jahn, Einl. I. §. 50), sed temporis, quo unanimi censensu in tota Ecclesia pro divinis agniti sunt; eadem (divina) est auctoritas librorum proto- et deuterocanonicorum. Vi decreti Conc. Tridentini omne discrimen inter proto- et deuterocanonicos libros, quod pertinet ad valorem theologicum et canonicum, excluditur; excipit enim decretum: *omnes itaque intelligant, . . . quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus de instaurandis in Ecclesia moribus sit usura* (synodus). Cum enim in congregatione particulari a duobus propositum est, »ut distinctio fieret librorum, qui ut authentici

et canonici et ut tales, a quibus nostra fides dependeret«, recipi deberent, et eorum, »qui ut canonici tantum et ad docendum idonei et ad legendum in Ecclesia utiles, reciperentur«, a nemine ista distinctio probata est. Conf. Theiner, Act. genuin. I. 47. *Diviso haec*, ait Pallavicini (Hist. C. T. VI. 11, 4), *firmam rationem non prae se ferebat, nec sua specie patres allexit, vix nacta laudatorem.* Appellatio haec nititur opinione de duplice canone Judaeorum, scil. Palaestinensium (canone Esdrino seu primi ordinis) et Hellenistarum (canone alexandrino i. e. secundi ordinis), qui praeter libros, a Palaestinensibus Judaeis receptos (protocanonicos), etiam alios (deuterocanonicos), complectebatur. Cf. Pörntner, D. Autorität d. Deuterokan. Bücher d. A. T. Münster 1893.

§. 105. *A.* Canon Judaeorum.

1) Catalogum ss. librorum ab Hebraeis confectum esse, et quidem successive, nemo negabit. Pentateuchum seu librum foederis cum lege Dei constat, a Moyse sacerdotibus et Levitis traditum esse, ut in latere arcae reponeretur (Deut. 31, 9, 26 c. 17, 18), cujus volumini dein Josue verba renovationis foederis adjunxit (Jos. 24, 25, 26). Samuel legem regni scriptam coram Domino reposuit (1 Sam. 10, 25). Liber legis adhuc Josia rege in templo exstabat (4 Reg. 22, 8; 2 Par. 34, 14). Juxta normam hujus collectionis enatae sunt aliae[1]), uti canticorum (Num. 21, 14; 2 Sam. 1, 18), proverbiorum (Prov. 25, 1), psalmorum (2 Par. 29, 30) prophetiarum (Eccli. 49, 12 col. Is. 34, 16; Jer. 36, 4), non tamen semper ab auctoribus ipsis, sed ab aliis viris theocraticis instituebantur, qui simul quorundam librorum exempla describenda procurarunt[2]).

Soluta captivitate babylonica *Esdram (scribam velocem in lege Moysi et scribam eruditum in sermonibus et praeceptis Domini et ceremoniis ejus in Israel* Esr. 7, 6, 10, 11) ac Nehemiam (Neh. 10, 29—39) de colligendis libris sacris[3]) meritos fuisse, dubio caret: tradunt idem Judaei in Talmud ac prisci Ecclesiae Patres[4]); sed inde minime sequitur, Esdram, vel synagogam magnam collectionem illam seu Canonem ita clausisse[5]), acsi deinceps alii libri inspirati non amplius recipi potuissent; huic enim sententiae[6]) obstant: *a)* id, quod in libro Esther 9, 29 seq. de festo Purim notatur, cujus solemnitas omnibus Judaeis injungebatur, et quod de duplice hujus libri volumine exposuimus. Teste 11, 1 epistola Phurim, quam Lysimachus in Jerusalem interpretatus est, in Aegyptum allata est. *b)* Liber Ecclesiasticus ex Palaestina pervenit in Aegyptum et collectioni Alexandrinae insertus est suo loco. *c)* Judaei aegyptii admonentur, ut mittant, qui libros sacros, quos nondum habeant, eis perferant (2 Mach. 2, 15). *d)* Quod primores Levitarum in libro Nehemiae c. 12 usque ad Darium Codomannum (regnantem a. 336—330) recensentur. Quae generationes Levitarum post Nehemiam (a. 444 florentem) libro ejus adjectae sint oportet, quapropter Esdras vel Nehemias canonem minime clauserant. *e)* Si Esdras vel Nehemias canonem clausisset, Judaeorum scholae post Christum non disputassent de canonicitate nonnullorum librorum canonicorum. Tandem *f)* improbabile videtur, Esdram nescientem, num Deus adhuc

alios prophetas vel viros inspiratos excitaturus sit, Canonem absolvisse seu conclusisse, vel facultatem hanc sibi arrogasse.

1) Tales collectiones innuunt jam nomina: *Libri* (Dan. 9, 2), *libri sancti* (1 Mach. 12, 9), *scripturae* (Matth. 22, 29. Act. 18, 24), *scripturae sanctae* (Rom. 1, 2. 2 Tim. 3, 15).

2) Colligebantur autem libri isti, quorum inspirato vel character divinus erat certus. In prologo Eccli. *doctrina et sapientia* tanquam notae Scripturae sacrae adducuntur. Fides Judaeorum in inspirationem Scripturae jam expresso evincitur mandato divino, librum scribendi (Ex. 17, 14; 34, 27; Is. 30, 8; Jer. 30, 2; 36, 2; Hab. 2, 2), et e vi nominum: *volumen legis Domini* (Jos. 24, 26; 4 Reg. 22, 11; 2 Par. 31, 4), *liber Domini* (Is. 34, 16). Cura, colligendi libros sacros auctoritati publicae demandata erat, uti colligere licet ex Prov. 25, 1: *quas transtulerunt viri Ezechiae*, post exilium synagogae magnae.

3) Ante exilium libros sacros jam transcriptos fuisse, patet e Dt. 17, 18; 2 Par. 17, 7, 9, e citatione, reminiscentiis et vestigiis scriptorum priorum in libris propheticis, praeprimis Jeremiae, et ex usu Psalmorum liturgico, quae omnia supponunt collectionem quamdam librorum sacrorum ante exilium factam.

4) Irenaeus (adv. haer. 3, 25): *Inspiravit (Deus) Esrae sacerdoti e tribu Levi, prophetarum omnes rememorare* (i. e. reordinare) *sermones et restituere populo eam legem, quae data erat per Moysen.* Clemens Alex. (strom. 1, 22), Tertullianus (de cultu fem. 1, 3), Augustinus (de. mir. script. 2, 23), Chrysostomus (hom. 8 in ep. Heb.): *Alium rursus virum inspiravit admirabilem, ut eas exponeret, Esram, et fecit, ut componerentur ex reliquiis,* Irenaeus (Etym. 6, 3), Theodoretus (com. im Cant.). — Confer Buxtorf, Tiberias. p. 103.

5) Verba 2 Mach. 2, 13: *Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiae haec eadem: et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros et Prophetarum, et David, et epistolas Regum et de donariis,* probant, collectionem tempore Nehemiae quidem factam, minime vero absolutam fuisse; nam simile quid dicitur de Juda Machabaeo v. 14: *Similiter autem Judas ea, quae deciderant per bellum, congregavit omnia, et sunt apud nos.* Nec divisio librorum: ὁ νόμος καὶ αἱ προφητεῖαι καὶ λοιπὰ τῶν βιβλίων in prologo libri Ecclesiastici canonem clausum supponit, sed tantum edicit, Siracidae praeter Pentateuchum etiam alia scripta sacra et prophetica fuisse nota.

6) Teste Talmud (Fürst, Kanon 128 seq.) collectiones (et redactiones) librorum ss. fiebant sub Mose et Josue, Samuele, per collegium Hisciae (714—444 ante Ch.), per synagogam magnam (444—196 ante Ch.), ita ut Hellenismo magis invalescente canon Palaenensium (seu rectius orthodoxiae pharisaicae) anno 165 ante Ch. jam fuerit clausus. Sed haec opinio valde dubiae est auctoritatis. Nam ultimis adhuc temporibus, tum in Palaestina tum in Aegypto, libri inspirati recipiebantur et invicem communicabantur, uti probat 2 Mach. 2, 15: *Si desideratis haec, mittite qui perferant vobis,* ita ut Judaei aegypti non plures habere potuissent libros, quam Jerosolymitani receperant. Rectius ergo Thora tempore inde ab exilio babyl. usque ad Esdram, Nebiim inde ab Esdra usque ad Machabaeos et Ketubim usque ad finem reipublicae heb. in canonem relati fuisse creduntur. Conf. Ewald, Gesch. VII. 412 seq.

2) Medio seculi secundi ante Christum, quo inspiratio in Israel cessavit, omnes isti libri, quos Concilium Tridentinum recenset, a Judaeis tanquam canonici habiti sunt[1]). Republica autem judaica diruta Rabbini in hyperorthodoxia sua pharisaica et rigorosismo particularistico nimis indulgentes, nova criteria pro dijudicandis libris inspiratis introduxerunt[2]) et omnes libros (deuterocanonicos), quibus notae summae antiquitatis et originis palaestinensis deerant, e canone eliminarunt[3]), qui canon truncatus a Judaeis initio seculi tertii post Chr. generaliter receptus est[4]).

1) Hoc testantur jam versio graeca LXX ab omnibus Judaeis usitata atque permagno aestimata, quae omnes libros tum proto- tum deuterocanonicos comprehendebat, et nexus intimus inter Judaeos Palaestinenses et Hellenistas in rebus religiosis; nam Josephus Fl. (c. Ap. 1, 7) refert, omnes Judaeos in Aegypto et Babylone misisse Hierosolyma descripta nomina parentum et majorum (sacerdotum), additis testium nominibus. Judaei hierosolymitani pariter in Aegyptum miserunt libros, quos ipsi tanquam canonicos receperant. Sic v. g. Dositheus sacerdos et Ptolemaeus filius ejus attulerunt epistolam Phurim (in Aegyptum), quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum in Jerusalem (Esth. 11, 1 Vulg.); pariter Judaei hierosolymitani scribunt Judaeis aegyptiis, ut mittant, qui perferant scripta divina (2 Mach. 2, 15). Exinde patet, praeter canonem Esdrinum (Palaestinensium, ut ajunt) non exstitisse alterum canonem Alexandrinum (seu Hellenistarum), qui cum libris protocanonicis etiam deuterocanonicos contineret et seculo secundo a. Ch. clausus esset, ita ut respectu ambitus canonis differentia inter Judaeos non exstiterit. Ita Bellarminus, Huetius, Herbst-Welte, Scholz, Himpel, Ubaldy, Cornely, Poertner.

2) Revisio haec non tantum libros deuterocanonicos respiciebat, sed etiam ad protocanonicos extendebatur. Sic variae difficultates movebantur contra librum Ezechiel, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum canticorum et librum Esther, qui tandem, illis vario modo solutis, retinebantur. Confer Fürst (Canon. 91, Delitzsch, Das Hohe Lied verunreinigt die Hände, Zeitschr. f. luth. Theologie, 1854. 280. — Movers, Loci quidam histor can. V. T. illustrati 1842. 26). Eliminabantur e canone libri Tobias, Judith, Sapientiae, Ecclesiasticus, Baruch et duo libri Machabeorum, nec non fragmenta supra citata e libris Daniel et Esther. Ast haec amputatio s. Scripturae non statim ab omnibus Judaeis admissa est; sic Ecclesiasticus a Judaeis Palaestinensibus adhuc initio seculi quarti hagiographis adnumerabatur (Malou, Bibellesen II. 36. Zunz, Gottesdienstl. Vorträge d. Juden, 1832, 100. Martini, Pugio fidei 1867. 125), Similiter librum Sapientiae Rabbini diu tanquam scriptum propheticum ac dignum habebant, qui in canone retineretur. Historiam Tobiae adducit Talmud tanquam piam et veram, et ex libro Judith varia allegat. Liber Baruch seculo IV. adhuc in synagogis legebatur (Origenes, apud. Eus. h. ecc. 6, 25. Coustit. apost. 5, 20. n. 1). Partes deuterocanonicae libri Daniel a Theodotione versae sunt, libri Esther a paraphrastis chaldaicis explicabantur et Josepho Flavio usui erant; quod enim narrat, sacris literis scripta reperiebat (Ant. X. 1, 4) et historiam ex sacris libris nostris graeca lingua conscripsit (c. Ap. 1, 1). Confer Ant. XI. 6 cum Esth. 3, 13; Ant XII. 5 seq. cum 1. Mach. Ipse auctoritatem versionis LXX agnovit eaque usus est. Conf. Poertner, Die Autorität der deuterok. Bücher. 1893. p. 19 et 43 seq.

3) Idem Josephus (c. Ap. 1, 8), qui libros 22 canonicos A. T. recenset, putare videtur 5 libros Moysi, 13 libros propheticos et 4 libros hymnorum ac praeceptorum vitae. Suspicantur multi, eum protocanonicos tantum libros numerasse, probabiliter (13 phropheticos): 1) Jos., 2) Judic. Ruth, 3) Sam., 4) Regum, 5) Chron., 6) Esr., Neh., 7) Esther, 8) Job, 9) Isaiam, 10) Jeremiam, Threnos, 11) Ezech., 12) Daniel, 13) Prophetas minores — et 4 libros hymnorum, nempe Psalmos et tres libros Salomonicos. Insuper alibi adhuc alios libros ἱεραῖς βιβλίοις adnumerat (Movers 14, Stud. u. Krit. 1883. 323). Si porro dicit: *Ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula literis mandata, sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum,* edisserit vulgarem Pharisaeorum opinionem, nullis eam rationibus obfirmans. His libris, post Artaxerxen scriptis (deuterocanonicis), nequaquam omnem denegat auctoritatem, sed minorem tantum tribuit, »propter minus exploratam prophetarum successionem«. Nitur hac in re praejudicio Talmudico, inde a Malachia (col. 2 Mach. 9, 27) ab Israel cessasse spiritum prophetiae et sanctos viros, qui postea scripserint, donatos fuisse solummodo inspiratione quadam minus clara et indirecta, quae sit quasi repercussio vocis (bath kol. = *filia vocis*), non ipsa vox divina. De facto autem Josephus Fl., uti diximus, aliam opinionem de ss. Libris habuit, unde concludimus generalem Judaeorum fidem de canone clauso non exstitisse. Confer Herbst, Einl. I.

45. — Malou, Bibellesen II. 27. 44 seq. Judaeorum tunc temporis in libris sacris numerandis dissensionem testatur Talmud (Bab. Bath. f. 13, 14), computans 24 libros: 5 libros Moysi, 8 prophetarum (Jos., Jud., Sam., Reg.; Jerem., Ezech., Is. et 12 proph. min.) ac 11 libros Hagiographorum (Ruth, Psalm., Job, Prov., Eccl., Cant. C., Thren., Dan, Esther, Esdrae et Neh., Chronic.), a quo rursus differt ordo nunc in Bibliis hebraicis obvius.

S. Hieronymus (Prol. Gal.) libros recenset addita inscriptione hebraica et graeca singulorum librorum: *Atque ita sunt pariter veteris legis libri* 22 i. e. *Moysi 5 et prophetarum 8*: 1) Jos., 2) Jud., 3) Sam., 4) Reg., 5) Is., 6) Jerem., 7) Ezech., 8) minores 12 proph., *Hagiographorum 9*: 1) Job., 2) Ps., 3) Prov., 4) Eccl., 5) Cant. C., 6) Dan., 7) Chron., 8) Esr., Neh.), 9) Esther, *quamquam nonnulli Ruth et Threnos inter Hagiographa scriptitent et hos libros in suo numero putent supputandos, ac per hoc esse priscae legis libros 24.* — Ex eodem loco simul comperimus, quare 22 libri supputentur: *Quomodo igitur 22 elementa sunt, per quae scribimus hebraice omne, quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur: ita 22 volumina supputantur.* — Divisio in 24 libros prima invenitur in Talmude babylonico et probabiliter, juxta ordinem alphabeti graeci instituta fuisse videtur, a quo numero A. T. hinc inde etiam עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה i. e. 24 appellatur. Melito Sard (sec. II. apud, Euseb. His. ec. IV, 26) librum Esther omittit, aut seductus errore scribarum propter similitudinem pronuntiationis et scriptionis antecedentis Ἔσδρας (Ch. Schmidii, hist. ant. et vind. Can. p. 152, 193), aut quia in libro Esdrae eum contentum credebat, aut quia Judaei eum, LXX additamentis auctum, ab initio non habebant canonicum (Herbst, Einl. I, p. 13). Origenis (ap. Eus. IV, 19) catalogus ab illo s. Hieronymi non differt, excepto, quod (omissis 12 prophetis minoribus — errore librariorum) Threnos et epistolam (Baruch) cum Jeremia recenset. ac in fine habet: ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά, ἅπερ ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ Σαρβαναιέλ. S. Epiphanius (adv. haer 8, 4) librum Baruch inter canonicos et Danielem inter prophetas recenset, et canonem in 4 pentateuchos: 5 libr. Moysis, 5 libr. versuum, 5 libr. hagiographorum, 5 libr. prophetarum et 2 alios dividit. — Alii rursus canonis hebraei libros 27 numerant, uti Epiphanius (de mens. et pond. 22, 23): *Habent Hebraei 22 literas, e quibus 5 duplicantur. Qua ratione cum 22 libri numerentur, 27 reperiuntur, quod ex illis 5 numerentur: Puta liber Ruth cum Judicum libro conjungitur et unus ab Hebraeis censetur.* Seculo XIII. in codicibus hebraicis libri 39 numerantur. Ecclesia catholica deuterocanonicis inclusis 46 libros A. T. canonicos numerat. De diversis singulorum ordinibus confer Hody, De Biblior. textibus. Oxon. 1705. IV, 644, qui ultra 100 canones digessit. et Malou II, 65, qui 131 canones diversos recenset.

4) Iste ergo canon a Talmudistis truncatus, quem saepe s. Hieronymus tanquam canonem *hebraicae veritatis* adducit et de quo scribit (c. Ruf. 2, 33): *Non enim, quod ipse sentirem, sed quod illi* (Judaei sc. sui temporis) *contra nos dicere soleant, explicavi*, non est canon ille antiquus Judaeorum, sed canon Talmudistarum, seu crassae orthodoxiae, nam Judaei, uti vidimus, nec non Christus et Apostoli (Palaestinenses) etiam illos libros, repudiatos a Talmudistis, tanquam sacros et canonicos venerati sunt. E silentio Philonis, qui libros deuterocanonicos non citat, nihil contra canonicam horum auctoritatem efficitur, quia Philo etiam multos protocanonicos non citat. Ceterum etiam Philo (de vita Moys. II. 140) versionem LXX permagno aestimavit eaque usus est. Cf. Wildeboer, D. Entstehung des alttest. Kanons. Gotha 1891. — Hölscher, Kanonisch u. Apokryph. Lpz. 1905.

§. 106. *B.* Canon Ecclesiae.

Ecclesia catholica statim ab initio, fidem Judaeorum secuta, non tantum protocanonicos, sed et deuterocanonicos libros tanquam sacros et divinitus inspiratos recepit. Haec fides Ecclesiae probatur:

1) Indirecte, e sacra Scriptura Novi Testamenti. Christus et Apostoli, qui saepe libros sacros A. T. adpellant[1]), nullibi quidem catalogum librorum

canonicorum recensent, citant autem persaepe libros A. T. juxta versionem LXX etiam tunc, quando ista a textu originali discrepat. Exinde concludimus, illos versionem hanc qua authenticam habuisse, ideoque et illos libros (deuterocanonicos), qui in hebraicis exemplaribus desiderantur, in versione autem graeca aliis libris sacris mixti sunt, canonicos censuisse[2]); nam alias expresse dicere debuissent, quinam libri, in versione graeca contenti, tanquam sacri habendi non essent. Quamvis in N. T. loci e libris deuterocanonicis directe quidem non citentur, — quod etiam de nonnullis protocanonicis obtinet[3]) — tamen plura deprehenduntur in Evangeliis et Epistolis effata, adeo concordantia cum locis librorum deuterocanonicorum, ut vix dubitari possit, quin auctores sacri illos locos respexerint ideoque inspiratos habuerint[4]).

1) Confer. Matth. 5, 21, 27, 31; 22, 43. Luc. 4, 21. Joh. 5, 39, 46. Act. 1, 20. 7, 42. Rom 1, 17; 3, 10.

2) Hieronymus ep. 57, 11: *Jure LXX editio obtinuit in ecclesiis, vel quia prima est et ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis (in quibus tamen ab Hebraico non discrepat* — contrarium Is. 6, 8) *usurpata*; nam loci citati e LXX, qui ab Hebraeo discrepant sunt inter alios positi. Confer Matth. 15, 8, 9; Act. 2, 25—28; 7, 42, 43; Rom. 15, 10, 12 etc., imo inter 350 citata 50 tantum e versione LXX non fuisse desumta viden- Confer Kautsch, De locis V. T. a Paulo allegatis. Lpz. 1869; Böhl A. T. Citate 1871. Unde s. Augustinus respectu hujus usus (ep. 82) hanc versionem bene dicit *ab Apostolis approbatam.*

3) Non citantur Ruth, Esras, Nehemias, Abdias, Nahum, Ecclesiastes, Canticum canticorum.

4) Observa *a)* similes cogitationes: Matth. 6, 7 et Eccli. 7, 15 — Matth. 6, 14, 15 et Eccli. 28, 2—5 — Matth. 10, 16 et Eccli. 13, 17 — Rom. 1, 20 seq. et Sap. 13—15 — Rom. 9, 21 et Sap. 15, 17 — Eph. 6, 13—17 et Sap. 5, 18—20 — Heb. 11, 6 et Sap. 1, 2. — Jac. 1, 19, 20 et Eccli. 4, 29; 5, 11 etc.; *b)* similes cogitationes et expressiones Luc. 6, 35 et Eccli. 4, 10 — Jac. 1, 19 et Eccli. 5, 11 — Act. 1, 7 et Sap. 8, 8 — 2 Cor. 5, 4 et Sap. 9, 15 — Luc. 1, 52 et Eccli. 10, 14 — Joh. 5, 35 et Eccli. 48, 1 etc. Poertner l. c. p. 32 seq.

2) Directe e traditione et quidem: *a)* Ecclesiae latinae et graecae priorum trium seculorum; primi enim Ecclesiae Patres: Clemens Rom., Polycarpus, Athenagoras, Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, Cyprianus, Tertullianus, Hippolytus etc. saepius in scriptis suis indiscriminatim locos e protocanonicis et deuterocanonicis libris adhibent, et quidem eodem modo tanquam Scripturam sacram, nullâ inter utrosque positâ differentiâ[1]); praeterea hi omnes utebantur versionibus LXX, aut latina, quae libros deuterocanonicos reliquis[2]) junctos continent, idque etiam controvertentes cum haereticis, quin hi eorum auctoritatem detrectassent.

1) *a)* Latini: s. Clemens Rom. (1 ep. Cor. Cap. 3. 27, 55) verba Sapientiae et Eccli. profert, librum Judith et fragmenta Esther indicat et (ep. ad virg.) inter scripturas ss. Eccli. et Susannae historiam recenset. Irenaeus (adv. haer. IV. 4, 5, 38; 5, 35) allegat fragmenta Daniel (14, 4, 5 LXX), Sapientiae et Baruch (4, 36) sub nomine Jeremiae, Cyprianus e libris Tobiae, Sap. et Eccli., fragmentis Daniel et libris Machabaeorum citat saepius sub formula: *scriptura divina dicit, docet, spiritus s. loquitur, sicut scriptum est* etc. Tertullianus Machab. memorat, Sap. sub nomine Salomonis (adv. Val. 2), Baruch tub nomine Jeremiae (cont. Gnost. 8), Eccli. 15 per: *sicut scriptum est* etc. citat. Hippolytus libros Machab., prophetiam Baruch *scripturam* vocat et citat libros Tobiae, Sap. et hymnum

trium puerorum. S. Victorinus Petav. numerat quidem 24 tantum V. T. libros, plura tamen citat e libris Machabaeorum.

b) Graeci: Polycarpus (ad Phil. 10) allegat Tobiam; Athenagoras (Leg. Cap. 6, §. 69) Baruch citat; Melito Sardensis (ap. Eus. h. c. 4, 26) recensuerat tantum canonem synagogae, prout frater postulaverat, ipse vero alibi inter scripturas divinas reponit libros Tob., Esth., Sap. et Bar. Confer Spicileg Solismens. ed Pitra, Rom. Tom. II. pg. 10, 60, 67 etc.; Clemens Alex. saepissime Eccli. et saepe reliquos libros deuterocanonicos citat formulis: φησίν, λέγει ἡ γραφὴ θεία (Bar. 3), ἡ σοφία (Sap. 3), Σαλομὼν φησίν (Sap. 6) vel γέγραπται, imo in intimo cum protocanonicis libris nexu. Magistrum secutus est discipulus Origenes, qui omnes libros deuterocanonicos indiscriminatim adducit; citat enim saepius Eccli. (c. Cels. VIII. 50 θεῖος λόγος), Sap. (l. c. III. 72) tanquam sermonem divinum, Baruch (γέγραπται in Jer. 31), (ep. ad Afric.) vindicat historiam Susannae reliquaque additamenta Danielis et (in Math. com. 61) ait: *Ausi sumus uti in hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes, quoniam in Hebraeo positum non est, sed quoniam in ecclesiis tenetur.* — Judith, Tob. (ep. Rom. 8) et Mach. (de princ. II, 5): *Ut ex scripturarum auctoritate hoc ita se habere credamus, audi quoque in Machabaeorum libris*) libros nomine scripturae adducit et (ep. ad. Afr. 13) Judaeos Tobia non uti, bene vero Ecclesiam Christi asserit; praeprimis autem (in eadem epistola 5) edicit causam, cur canonem Judaeorum tantum recensuerit (i. e. 22 libros); docet enim, discernendum esse inter scripturas, quas Judai recipiunt, et scripturas, quae per Judaeos occultatae, in Ecclesiis Dei circumferuntur acceptatae, non ut rejiciantur, quae Judaei non admittunt, sed *ut in controversia cum Judaeis non proferantur ea, quae desunt in eorum exemplaribus.* Eadem ex causa Justinus M. in apologiis suis contra Judaeos Palaestinenses libros deuterocanonicos non citat, quin tamen ex hoc argumentum contra canonicam ipsorum auctoritatem petit possit.

In 6 prioribus libris Constitutionum apost. juxta Prov. etiam Sap., Eccli., Baruch citantur et Dan. (13, 48, 49) tanquam effatum divinum notatur. Plura vide apud Herbst (I. 25), — Malou (Bibellesen in der Volkssprache, 1849, II. 75). — Vincenzi (I. 25).

2) Irenaeus libris deuterocanonicis usus est adversus haereticos sui temporis, Tertullianus adversus Judaeos citat libros Machabaeorum, adversus Marcionem (3, 22) librum Sap., Hippolytus contra Noëtum (2 et 5) prophetiam Baruch, et similiter ss. Patres contra Arianos allegant librum Baruch. Confer Vincenzi (l. c. I. 72).

Huc referendae sunt picturae e primis aerae christianae seculis conservatae, praeprimis in catacumbis et basilicis vetustis romanis, personas et res non tantum in libris protocanonicis (Moysen, Jonam etc.), sed et in deuterocanonicis relatas (Tobiam, Susannam, tres pueros in fornace apud Danielem, Baruch et historiam draconis, fratres Machabaeos etc.) concernentes, opera musiva et sculpturae, quae in sarcophagis inveniuntur, lucernae, vasa vitrea figuris ornata, annuli, diversa cimelia, atque inscriptiones lapidariae — quae probant, argumentum horum librorum Christianis primaevis tanquam historiam sacram fuisse notum. — Confer Kraus, Roma sotter. 1872. 254. Northcothe, Röm. Katacomben. Köln. 1860, 93. Vincenzi l. c. II. pr. 7.

b) Priscos hac in re secuti sunt plurimi Patres et Scriptores Ecclesiae latinae et graecae subsequentium saeculorum, qui in citandis locis sacrae Scripturae inter protocanonicos et deuterocanonicos libros nullum discrimen admittunt.

Sic e Syris: Aphraates, Ephraemus (Tüb. Quart. 1866, 244), Cyrillonas et Isaac Antioch. Confer Bickell (Consp. 7). E Latinis: Lactantius, Maternus, Ambrosius, Zeno, Paulinus, Leo; e Graecis: Didymus, Basilius (confer Weiß, Die großen Kappadocier, 1872, 45), Gregorius, Nyss., Chrysostomus, Procopius etc. non quidem catalogos ss. Librorum confecerunt, multos tamen scripturae locos e deuterocanonicis libris adducunt. Augustinus eosdem libros jam recenset, quos concilium Tridentinum, nam ait (doct. christ. 2, 8): *Totus autem canon scripturarum . . . his in libris continetur*

(enumerat protocanonicos libros et deuterocanonicos). *His 44 libris V. T. terminatur auctoritas* — (Praed. Sanct. 14, 27): *Non debuit repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in ecclesia Christi de gradu lectorum tam longa annositate recitari, atque ab omnibus christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos . . , cum veneratione divinae auctoritatis audiri.* Similiter auctoritatem canonicam librorum Machab. insinuat (Civ. D. 18, 36): *Quos non Judaei, sed Ecclesia pro canonicis habet;* (c. Gaudent. 1, 31): *Hanc quidem scripturam, quae appellatur Mcchab., non habent Judaei sicut legem et prophetas et psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis* (Luc. 24, 44), *sed recepta est ab ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur,* ac omnium librorum deuterocanonicorum (in speculo) defendit: *Ita de libris posuimus, quos et Judaei canonicos habent, sed non sunt omittendi et hi, quos quidem ante Salvatoris ecclesia:* et (Civ. D. 17, 20): *Eos (Sap. et Eccli.) tamen in auctoritatem, ejudem Salvatoris ecclesia:* et (Civ. D. 17, 20): *Eos (Sap. et Eccli.) tamen in auctoritatem, maxime occidentalis antiquitus recepit ecclesia.* Confer Cont. Cresc. Don. 2. 31. Citandi tamen rationem s. Augustini dijudica e Civ. D. 17. 20, ubi de Sap. et Eccli. monet: *Adversus contradictores* (Judaeos sc.) *non tanta firmitate proferuntur, quae scripta non sunt in canone Judaeorum.* Scholae Antiochenae Canon comprehendebat et praeter proto — et deuterocernonicos Libros A. T. etiam 3. lib. Mach. et 3. Lib. Esdrae; cf. L. Dennefeld, Der altt. Kanon d. antich. Schule. Bibl. St. XIV. B. Frb. 1909.

c) Locupletissimis his testimoniis non obstantibus aliqui Patrum seculi IV., ad quos adversarii provocant, aliam sententiam de canone, vel potius de libris deuterocanonicis tenuisse videntur; e Graecis: Athanasius, Cyrillus Hierosolym., Gregorius Naz., Epiphanius; e Latinis: Hilarius, Rufinus, Hieronymus; hi enim in collectionibus ss. Librorum solos protocanonicos recensent. libros vero deuterocanonicos ἀναγινωσκόμενα = ecclesiasticos, imo et apocryphos quandoque nominant. Ast, ut hi Patres rite dijudicentur, necesse est observare: iidem Patres libros deuterocanonicos in canone describendo quidem omittunt, in praxi autem qua divinos habent, imo ad haereticos confutandos citant; distinguunt enim caute (moti editione hexaplari Origenis) canonem Judaeorum coaevorum, quem solum exscribunt, a Canone Ecclesiae, et in illo protocanonicos tantum citant, quia contra Judaeos disputantes deuterocanonicos libros, ab his non admissos, afferre noluerunt, aut quia hi minori auctoritate ac firmitate apud Judaeos et haereticos gaudebant; fides ergo horum patrum non e singulis ipsorum scriptorum locis falso intellectis, sed e temporis circumstantiis et e praxi eorum erit dijudicanda. Ceterum conceditur, hos Patres distinctionis causa aptissimis vocabulis haud semper usos aut nonnunquam opinionem privatam elocutos esse vel timuisse, ne liber apocryphus in canonem reciperetur, quod eo facilius fieri poterat, quia Ecclesia illos nondum publica et solemni declaratione in Canonem receperat.

Athanasius (ep. fest. 39) Canonem desbribit: *Quoniam nonnulli ausi sunt ea, quae dicuntur apocrypha, sibi componere et ea divinae scripturae permiscere, mihi quoque visum et a germanis fratribus admonito et edocto, ab alto per seriem exponere, qui in canonem recepti et traditi et creduntur esse divini libri* (τὰ κανονιζόμενα καὶ παραδοθέντα, πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία) . . . dein omnibus libris protocanonicis V. T. (inter quos omittit librum Esther, Baruch vero recenset) et omnibus N. T. enumeratis claudit: *Hi sunt salutis fontes, ut, qui sitit, impleatur eloquiis, quae sunt in eis. In his solis pietatis doctrina annuntiatur. Nemo his addat, nec ab his aliquid detrahat; majoris accurationis causa illud quoque scripto addere necesse duxi, nimirum alios libros praeter istos non in canonem quidem*

relatos, sed quos a patribus decretum est legendos (οὐ κανονιζόμενα μέν, τετυπωμένα δὲ παρά τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι) *ab iis, qui nuper ediscendae pietatis verbi gratia accesserint: Sap. Sal. et Sap. Sirach, Est., Jud., Tob., doctrina Apostolorum et Hermas. Attamen dilecti, cum illi in canonem redacti sint, hi legantur, nusquam apocryphorum mentio habeatur.* Rursus idem s. Pater alibi citat libros hos deuterocanonicos nomine s. Scripturae, uti Sap. (or. c. gent. Cap. 11; de incarn. Cap. 5), Tobiam (ct. Arian. Opp. I, 133), Baruch (or. I. cont. Ar., de incarn. Cap. 22), Eccli. et fragmenta Daniel etc.

Cyrillus Hierosolym. enumerat (cat. 4, 33) inter βίβλους ὁμολογουμένας et θείας γραφάς A. T. protocanonicos 22 libros (et quidem Jeremiam μετά Βαροὺχ καὶ θρήνων καὶ ἐπιστολῆς) — τὰ δὲ λοιπὰ πάντα (i. e, deuterocanonicos, quos tamen non adducit), ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ. Eum autem hos minime rejecisse, vel inter apocrypha, quae legi prohibentur, relegasse, patet inde, quod libros Sap. (cat. 9), Eccli. (cat. 23) ut divinos allegavit, et auctorem Cap. 13 Daniel (cat. 16) inter prophetas recensuit, imo (cat. 4, 33) canonem judicio Ecclesiae submissit: *Studiose quoque ab ecclesia disce, quinam sint Veteris Testamenti libri, qui Novi.*

Gregorius Naz. (carm. I, 1, 12) enumerat 22 protocanonicos libros: 12 histor., 5 poëtica et 5 propheticos (excepto libro Esther) et (carm. 12. ad Seleucum) iterum protocanonicos tantum libros (excepto Esther, quem tamen nonnullos eis adnumerare dicit) et claudit: οὗτος ἀψενδέστατος κανὼν ἂν εἴη τῶν θεοπνεύστων γραφῶν. — In alliis vero scriptis suis frequenter ad libros deuterocanonicos provocat. Eccli. Salomoni tribuit, Sapientiae librum Scripturam vocat, verba Baruch ut divina recitat, Machab. historiam in V. T. recenset, fragmenta Daniel memorat. Confer Migne, Patr. graec. I, XXXV, 474, 758, 744 etc. XXXVI, 34, 122, 198 . . .

Epiphanius (de pond. 22, 23) citat canonem Judaeorum tantum, ut clare dicit (haer. 1, 8, 7): Εσχον δὲ οὗτοι οἱ Ἰουδαῖοι ἄχρι τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος, ideoque solummodo libros protocanonicos, nihilominus tamen ipse deuterocanonicos libros ut divinos recenset; nam (haer. 76, 5) Aetium sic alloquitur: *Etenim si a spiritu s. genitus esses ac a prophetis Apostolisque edoctus, facere te illud oportebat, ut sacris omnibus codicibus pervolutis, a Genesi ad Estheris tempora, qui sunt 27 libri V. T. et 22 numerantur . . . Sapientiae quoque libris, hoc est Salomonis et filii Sirach, omnibus denique scripturae libris percursis temetipsum damnares.*

Hilarius Pictav. (prol. in Ps.): *Et ea causa est, ut in 22 libros lex V. T. deputetur, ut cum literarum numero conveniant. Qui ita secundum traditionem veterum (Judaeorum) deputantur, ut Moysi sint libri 5 . . .* enumerat uti Origenes libros protocanonicos, dein addit: *Quibusdam autem visum est, additis Tobia et Judith 24 libros secundum numerum graecarum literarum enumerare.* In Ps. 125 sic canonem resumit; *Discentes haec a lege et prophetis et apostolis* — Ast hunc s. Patrem deuterocanonicos libros nequaquam parvi fecisse, patet inde, quod eodem loco canoni adjicit libros Judith, Mach. et fragmenta Daniel, quod librum Sap. (de Trin. 1. 7), Baruch (ib. 4, 42), Eccli. et Tobiam tanquam scripta sacra allegat, imo etiam adversus Arianos (prol. in Ps. 15).

Rufinus (in Symb. c. 37, 38): *Quae sunt V. ac N. T. volumina, quae secundum majorum traditionem per ipsum spiritum s. inspirata creduntur et ecclesiis Christi tradita, competens videtur in hoc loco designare* (enumerat protocanonicos libros V. et N. T). *Haec sunt, quae patres intra canonem concluserunt, et e quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt: ut est Sap., quae dicitur Salomonis et alia Sap., quae dicitur filii Sirach . . . ejusdem vero ordinis libellus est Tobias, Judith et Machab. libri . . . quae omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras vero scripturas apocryphas nominarunt, quas in ecclesiis legi noluerunt.* — In eodem vero libro (Symb. 5) Baruch tanquam prophetam citat et alibi (com. in Ps. 17, 36 etc.) Sap. Eccli. sacris libris aequiparat, imo (exp. in Syn. 5, 37—38) s. Hieronymum criminatur, quod fragmenta Daniel non recipere videatur.

Hieronymus (ep. ad Paul et Prol. gal.) enumerat protocanonicos libros V. (et libros N. T.) et dein in ultimo loco addit: *Hic prologus scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebraeo vertimus in Latinum. convenire potest, ut scire valeamus quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sap,, quae vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber et Judith et Tobias (et Pastor) non sunt in canone.* Praef. in libr. Sal: *Sicut ergo Judith et Tobiae et Mach., libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit, sic et haec duo volumina (Eccli. et Sap.) legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Praef. in Judith: *Apud Hebraeos Judith inter apocrypha legitur, cujus auctoritas ad corroboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur.* Praef. in Tob.: *Librum Tobiae Hebraei de catalogo divinarum scripturarum secantes his, quae apocrypha memorant, manciparunt.* In Praef, ll. Sal. LXX librum Sap. et Eccli. a canonicis Scripturis eximit. — Ut vero s. Hieronymi sententia de canone rite intelligatur, sequentia observanda sunt:

a) S. Doctor in citatis locis diserte agit de canone Judaeorum *(canone hebraicae veritatis)* et in ep. 121 ad Lucin. et in Prol Gal. praefationibusque ad singulose libros non suam, sed Judaeorum sententiam proponit; nam scribit (c. Ruf. 2, 23): *Quorum opinioni, si non respondi in prologo breviati studens, ne non praefationem, sed librum viderer scribere, puto, quod statim subjecerim; dixi enim: de quo non est hujus temporis disserere.* Hieronymus etiam alibi sententias aliorum, quin eas dijudicet, adducit; sic. v. g. in ep. adv. Rufin se defendit: *Ego quid peccavi, si ecclesiarum judicium secutus sum? Quod autem refero, quid adversum Susannae historiam et hymnum trium puerorum et Beli draconisque fabulas (narratiunculas), quae in volumine hebraico non habentur, hebraei soleant dicere: qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi.* Hinc, si (l. c. in lib. Sal.) allatos deuterocanonicos inter scripturas canonicas non recipi dicit, commonere tantum vult Christianos, ne in controversiis cum Judaeis provocent ad auctoritatem librorum, ab his non admissorum.

b) S. S. Doctorem libros deuterocanonicos e Canone Ecclesiae non exclusisse, inde patet, quod (Praef. in Tob.) dixit: *Arguunt nos Hebraeorum studia, et imputant nobis contra suum canonem latinis auribus ista (Tobiam) transferre; sed melius esse judicans, Pharisaeorum displicere judicio et Episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui;* Praef in Jon.: *Liber Tobiae, licet non habeatur in canone, tamen quia usurpatur ab ecclesiasticis viris, tale quid memorat;* — quod acquievit postulationi, imo exactioni episcoporum, librum Judith transferendi, *quia hunc librum synodus Nicaena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse* (Praef. in Judith) quod alibi librum Judith citat sub formula: *Si quis vult librum recipere mulieris* (cum in Agg. Cap. 1, 5), vel *si cui placet hunc librum recipere* (ep. 54 ad Fur.), imo Praef. in Judith et ep. 65, 1 ad Princip. ait: *Ruth et Esther et Judith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.* De libro Baruch (Praef. in Jerem.) ait: *Librum autem Baruch, qui apud Hebraeos non legitur nec habetur, praetermisimus* (s. vertentes), *pro his maledicta ab omnibus praestolantes.* De Machab. dicit: *Totius orbis in ecclesiis Christi laudibus praedicantur;* de lib. Sap. (cont. Pel. 1, 33): *Ac ne forte huic volumini contradicas, audi apostolum . . . et Ecclesiasten, de quo certe libro nulla est ambiguitas.*

c) Hieronymus in locis innumeris citat liberos deuterocanonicos aeque ac protocanonicos, usus formulis: *divina scriptura loquitur, audiamus scripturam monentem, dicente scriptura, scriptum est,* et alibi sine formulis, quod plane evincit, s. Doctorem illos libros eodem modo, quo protocanonicos, sacros atque canonicos habuisse; sic v. g, citat Sap. (adv. Pelag.); Eccli. (ep. ad Eust. et in Ez. 4) et (in Is. 2) libro Eccli. usus dicit: *in libris nostris* i. e. canone nostro, contra canonem Judaeorum.

d) Hinc si Hieronymus (in Prol. Gal.) libros deuterocanonicos adnumerat apocryphis, e sensu Judaeorum loquitur, ut clare patet e Praef. in Tob. et Judith; in Praef. ll. Sal. l. c. alio prorsus modo de iisdem libris loquitur et (in ep. ad. Dard. 129, 3) libros canonicos

et ecclesiasticos (i. e. protocanonicos et deuterocanonicos) apocryphis opponit. Imo plurimi Patres (Athanasius, Gregorius, Rufinus l. c.) protocanonicos et deuterocanonicos libros (canonicos et ecclesiasticos) expresse distingunt ab apocryphis. Confer Prolegomena PP. Benedictinorum de canone heb. veritatis in Migne Pat. lat. Tom. XXVIII. 81 seq.

3) Hanc eandem fidem, Canonem Ecclesiae omnes V. T. libros tum protocanonicos tum deuterocanonicos amplecti, Concilia primaevis seculis jam habita profitebantur; nam Concilium (Nicaenum) Hipponense (393) et Synodus tertia ac sexta Carthaginiensis (397 et 419) atque Innocentius I. Papa eosdem libros in Canone recensent, quos Concilium Tridentinum enumerat.

Concilium Nicaenum (325), teste s. Hieronymo (praef. in Jud.), inter Scripturas sacras admisit librum Judith, — satis vero non constat, quemnam canonem Scripturarum haec synodus probaverit, probabiliter erat ille, quem concilium Hipponense et Carthag. ex capitulis concilii Nicaeni desumtum sanxerunt. Confer Malou (II. 116) et G. J. Chrysostomum a. St. Josepho (de can. con. a. Pat. 1742), Vincenzi, l. c. I. p. 7. Nonnulli dubitant concilium hoc aliquid de canone decrevisse. Confer Hefele, Konziliengeschichte, 1873. I. 371.

Canon (60.) concilii Laodiceni (343 vel 381) catalogum librorum biblicorum describit, in quo e deuterocanonicis libris A. T. solummodo Baruch recensetur (et ex N. T. Apocalypsis deest). — Ast praeterquam quod sit canon Ecclesiae particularis tantum, etiam mutilus esse videtur et authentia ejus a multis in dubium vocatur; nam codex (Veronensis restituit Apocalypsin et) Vaticanus addidit librum Judith. Confer Pitra, Jur. eccl. graec. hist, et monum. I. p. 506. Par. 1864.

Concilium Hipponense (393) can. 36 et Concilium Carthaginiense III. (397) can. 47: *Item placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Gen. Exod., Lev., Num., Deut., Jesus Nave, Jud , Ruth, Regnor. l. 4, Paral. l. 2, Job, Psalt. Davidis, Sal. lib. 5 (Prov. Cant C., Eccl., Sap., Eccli.), 12 lib. prophetarum Is., Jerem.* (cum Baruch et Threnis), *Dan., Ezech., Tob., Jud., Hesther, Esd. l. 2, Mach. lib.* 2 (et N. T.) simulque decrevit, *de confirmando hoc canone etiam Ecclesias transmarinas esse consulendas.* Consentit Carthaginiense VI. (419, can. 29), quod addit: *Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, urbis Romae episcopo, vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus (Nicaenis) ista accepimus in Ecclesia legenda.* Confer Denzinger, Enchir. VIII. n. 49.

Innocentius I. (epist. ad Exsuperium Tolos. 6, 7 anno 405) scribit: *Qui vero libri recipiantur in canone, brevis annexus ostendit . . . Moysi libri 5 et Jesu Nave, Jud. 1, Regnorum 4, et Ruth, prophetarum libri 16, Salomonis 5, Psalterium. Item historiarum Job l. 1, Tobi l. 1, Esther l. 1, Judith l. 1, Mach. libri 2, Esdr. 2, Paralip. 2.* Romanus igitur canon cum carthaginiensi canone perfecte consonabat. Confer Denzinger, Enchir. X.

Decretum »Gelasianum«, sub Gelasio Papa in concilio Romano (495) de libris recipiendis editum, eosdem libros (praeter Baruch cum Jeremia conjunctum) enumerat (Denzinger XIX n. 139). Conciliabulum Trullanum II. sive Quinisextum anno 692 (Ecclesiae orientalis graecae) canonem Ecclesiae africanae repetiit et pro Ecclesia orientali promulgavit. Confer Welte in Tüb. Quart. 1839. 265 — quod tamen aliqui in dubium vocant. Confer Hefele, Konziliengeschichte III. 328.

4) Inde a seculo VI. Scriptores ecclesiastici, tum graeci tum latini omnes hos libros A. (et N.) T. receperunt, licet hic illic nonnuli, ss. Patres superius citatos (praeprimis s. Hieronymum) secuti, distinctionem adductam admiserint, ut: Junilius Africanus (560), Isidorus, Gregorius Magnus, Hugo a. s. Caro, Thomas Aquinas et alii[1]). Praeterea omnes

hi libri deuterocanonici cum protocanonicis permixti in omnes versiones antiquas et recentiores, orientales ac occidentales recepti[2]), et in libros liturgicos partes ex omnibus libris A. T. indiscriminatim ab Ecclesia electae sunt[3]). Consentiunt hac in re omnes Ecclesiae orientales, etiam schismaticae[4]). Affirmant hanc Ecclesiae fidem de canone Concilia medio aevo habita[5]), et tandem, ad exstirpandas Lutheri, Calvini etc. haereses, qui se nimium iis urgeri sentientes, quo facilius errores suos adstruerent, libros deuterocanonicos rejecerunt, Concilium Tridentinum supra jam citatum decretum edidit, quod innovatum est a Concilio Vaticano 1870[6]), ut omnis dubitatio prorsus excluderetur.

1) Junilius Afric. (de part, leg. div. I, 3, 4) libros s. Scripturae in 4 partes divisit, et libr. Chron., Judith, Esdrae, Esther, Cant. C. inter illos reponit, de quorum auctoritate dubitant Judaei.

Gregorius M., qui saepius divinitatem totius Scripturae asserit, scribit (Mor. in Job 18, 13): *Non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad ecclesiae aedificationem editis, testimonium proferamus.*

Hugo a. s. Caro (Prol. in Eccli. 3): *Apocryphorum duo sunt genera. Quaedam sunt, quorum et auctor et veritas ignoratur, ut est liber de infantia Salvatoris . . . . et hoc non recipit Ecclesia. Alia sunt, quorum auctor ignoratur, sed de veritate non dubitatur, ut est liber Judith et Mach., lib. Sap., et Eccli., Tobiae (et Pastor). Et hos recipit Ecclesia non ad fidei dogmatum assertionem, sed ad morum instructionem.*

Thomas Aq., qui libris protocanonicis et deuterocanonicis utitur, dicit (1. q. 89. ar. 8 ad 2): *Si tamen Eccli., auctoritas non recipiatur propter hoc, quod inter canonicas scripturas apud Hebraeos non habetur.* Plures alios locos vide apud Malou (II. 100 seq.), Nicolaum Lyr. (notit. de lib. Bibl. canon et non-canon. in Postilla), Hody (de Bibl. Text. Oxon. 1705. 644 seq.). Ceterum quam unanimis Scholasticorum aetas in libris deuterocanonicis fuerit, probant innumeri Bibliorum codices, correctoria et commentarii, qui omnes libros complectuntur.

2) Versio LXX ab initio statim recepta, Vulgata latina, syriaca, arabica, armeniaca, aethiopica etc. libros deuterocanonicos pari auctoritate cum protocanonicis habent.

3) Sacramentaria seculi VI—XI, lectionaria ac missalia vetustissima jam pericopas e libris deuterocanonicis continent. Malou l. c. 142.

4) Quoad Syros: Naironus Maronita scribit: *Sacrorum librorum canon et catalogus idem est apud Syros atque apud Romanos nullo rejecto* (Vincenzi l. c. I, 131). Ebed Jesu, Nestorianorum patriarcha († 1318), recenset omnes libros V. et N. T., etiam eos, quos nec Hebraei nec haeretici probant. — Aegyptii (Coptici) libros (Sap., Eccli., Esth., Jud., Tob.) veluti canonicos recipiunt, atque hi qua tales in Ecclesia Syrorum leguntur; item Aethiopes, Monophysitae, Armeni. — De canonis V. T. libris asserunt Rutheni eadem, quae decrevit Ecclesia catholica. Confer Malou 132 seq.

Cum Cyrillus Lucaris, Constantinop. patriarcha, protestantium errorum amans, libros in Bibliis hebraicis non contentos apocryphos censuisset, synodus Hierosolymitana Graecorum schismaticorum, sub Dositheo patriarcha 1672 habita, Cyrillum canonis laesi accusavit ac statuit (Cap. 18. q. 3): *Ecclesiae catholicae regulam sequentes, sacram scripturam eos omnes appellamus libros, quos ab Laodicena Synodo Cyrillus, ipso quidem corrogante, probatos recenset; iis insuper additis, quos insipienter, inscite aut magis malitiose vocavit apocryphos, Sap. sciliet Salom., Jud., Tob., draconis historiam historiam Susannae, Mach. et Sap. Sirach. Hos enim cum ceteris genuinis s. scripturae libris ceu germanas ejusdem scripturae partes* (μετὰ τῶν ἄλλων τῆς θείας γραφῆς γνησίων βιβλίων καὶ ταῦτα γνήσια τῆς γραφῆς μέρη κρίνομεν) *censemus esse numeraudos. Quoniam, quae sancta evangelia aliosque scripturae libros ut genuinos tradidit antiqua consuetudo, seu magis ecclesia*

catholica, et istos haec ipsa ceu s. scripturae partes procul dubio tradidit, quatenus istos qui neget, et illos recusaverit. Confer Kimmel, Lib. symb. eccl. orient. Jenae 1850, I. 467.

Eandem fidem de divinitate librorum deuterocanonicorum professus est Macarius, patriarcha Antiochenus 1671, Neophitus, patriarcha Antiochenus (1673) in professione fidei scribit: *Nos recipimus omnes libros divinos, quos ss. Patres et concilia receperunt. Ex hoc numero sunt: Tob., Judith., Sap., Eccli., Bar. et Mach., credimusque verba horum librorum esse verbum Dei.* Eundem canonem habet ecclesia Moscovitica. Confer Malou l. c. 132.

5) In concilio Constantiensi (1418) Joannes de Ragusio ait: *Insuper manifestissimum est, multos in eodem volumine continere libros, qui apud Judaeos in auctoritate non habentur, sed inter apocrypha computantur, qui tamen apud nos in eadem veneratione et auctoritate habentur, sicut et ceteri, et hoc nonnisi ex traditione et acceptatione ecclesiae universalis catholicae, quibus contradicere nullo modo pertinaciter licet.* In Concilio Florentino (1441) Patres sess. 22. allegant Sap., Eccli., Mach. tanquam Scripturam sacram, et Eugenius IV in decreto pro Jacobitis dicit: (Ecclesia) *Unum atque eundem Deum V. et N. T., hoc est legis et prophetarum atque evangelii, profitetur auctorem, quoniam eodem spiritu sancto inspirante utriusque T. Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur* (sequuntur omnes libri canonis). Denzinger, Euchir. n. 600.

6) Concilium Vaticanum (sess. III. can. de revel. 4): *Si quis s. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos s. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.*

Nota. Apud Acatholicos libri deuterocanonici varia experti sunt fata. A Lutheranis exclusi sunt quidem e canone atque in appendicem relegati, nihilominus tamen utiles legentibus declarati: Calvinus, qui in Biblis suis 1545 editis eundem ordinem, quem Vulgata servavit, serius valde fluctuabat: *Quamquam non is sum, qui lectionem horum librorum velim prorsus improbare.* Symbolum Gallicanum (1559) art. 4 habet: *Alii libri ecclesiastici, qui ut sint utiles, non sunt tamen ejusmodi, ut ex eis constitui possit fidei articulus.* Confessio Helvetiana: *Interim nihil dissimulamus, quosdam V. T. libros a veteribus nuncupatos esse Apocryphos, ab aliis Ecclesiasticos, utpote quos in Ecclesiis legi voluerunt quidem, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam . . .* Ecclesia anglicana libros deuterocanonicos initio non rejecit, nam, artic. VI. eorum usum sic. determinat: *Legit quidem ecclesia ad exempla vitae et formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet.* Iniquius tamen judicarunt Calviniani in conciliabulo Dordracensi (1618), qui eos tanquam opera humana ideoque apocrypha e Bibliis excludebant, quos secuti sunt Presbyterani Angliae et Scotiae.

Cranmer archiepiscopus Cantuar. eos sub nomine hagiographorum 1539 edidit, et in Bibliis, Eduardo VI rege 1547 impressis, apparent qua libri ecclesiastici; hinc in Bibliis ejusdem ecclesiae retenti, imo in officio ecclesiastico adhibiti sunt, donec societas biblica anglicana et extranea (Londini 7. Martii 1804 fundata), instigantibus praecipue Presbyteranis, haud ignobilem codicis sacri partem (libros deuterocanonicos) de medio tollere anno 1817 conata sit, quae agendi ratio magna excitavit dissidia inter ipsos acatholicos, praeprimis Calvinianos et Lutheranos, quae tandem per sic dictas regulationes (annis 1826—27) composita sunt, quarum vi apocrypha (i. e. libri deuterocanonici) e Bibliis typis describendis excludebantur, ita ut omnes illae editiones non sint nisi Biblia truncata. Hac re injuriose facta multae aliae societates, ab anglicaea ubique fere fundatae, ab hac se separarunt. Quia societates tales falso nituntur principio, lectionem s. Scripturae omnibus indiscriminatim esse necessariam, regulas canonicas confringunt, arrogantiam in fidelibus promovent, fidei puritatem corrumpunt, Biblia truncant, translationes haereseos veneno infectas divulgant, versiones catholicas adulterant, aut saltem sine notis excudunt: merito Pontifices editiones has improbarunt, ut Pius VII. 29. Jun. 1816; Leo XII. 5. Maj. 1824; Pius VIII. 24 Maj. 1829; Gregorius XVI. 15. Aug. 1840 et 8. Maj. 1844, et tandem Pius IX. 9. Nov. 1846,

8. Decemb. 1849 et 8. Decemb. 1864 societates has utpote religioni perniciosas damnavit. Decreta vide apud Malou II, 520. Nunc jam circa 10.700 rami hujus societatis, per orbem terrarum dispersi, existunt. Reditus societatis ab anno 1804 usque 1881 circa 8,990.548 libr. sterl. aestimantur. Biblia impressa jam sunt in 341 linguis et dialectis, et exemplaria plus quatuor millionibus sparsa.

Rationalismo et deismo seculi lapsi in dies crescente una cum inspiratione et divinitate s. Scripturae negata, etiam auctoritas Canonis evertebatur; nam libros canonicos (Corrodi et socii) nonnisi catalogum librorum publice praelectorum habebant, aut argumentum eorum historicum et religiosum negarunt (Semler, Vogel, J. D. Michaelis, contra quos confer Chr. Fr. Schmidt, s. histor. ant. et vindicatio Can. p. 189), aut piam collectionem reliquiarum literaturae nationalis Hebraeorum aestimabant (Eich., Bertholdt, Hitzig etc.) Falsae huic criticae totis viribus se opposuerunt plures protestantes positivi, quorum princeps erat Hengstenberg (Beitg. zur Einl. ins A. T.). Videsis Artikel: Bibelgesellschaft in Freib. Kirchenlexikon, 1882. II, 647 seq.

Inde ab anno 1850 inter Germaniae theologos acatholicos variae de libris deuterocanonicis lites agitabantur. Alii enim, praeeuntibus Ph. K. Keerl (Apokryph. des Lpz. A. B. 1852—54, die Apokryphenfrage aufs Neue beleuchtet 1855); Suttner (Zeugn. gegen d. Apok. Karlsr. 1850); Kluge etc. libros deuterocanonicos, qui ad Biblia non pertineant, imo errores perniciosos contineant, ex his eliminandos esse clamant, alii (auctoribus R. Stier, Die Apok. Braunsch. 1855, Hengstenberg, Der Apokryphenstreit. E. K. Z. 1853. N. 54, 1854. N. 29, für Beibehaltung der Apok. Berl. 1853, Fr. Bleck, St. u. Kr. 1853. 267) eosdem tanquam libros providentiales et canonicis interpretandis ac devotioni proficuos retinendos esse defendunt, utpote qui in Ecclesia semper cum Bibliis fuerint juncti. Confer Malou II, 171; Oehler in Herzogs Real-Enzykl. VII. 269 seq.

Proh dolor! Etiam Russorum theologi recentiores quoad valorem librorum deuterocanonicorum sententiam Protestantium tuentur. Confer Macaire Int. p. 493, W. D. Philaret, Archiepiscopus Moscoviensis († 1867) primus docebat, Libros deuterocanonicos non esse inspiratos, sed solummodo tanquam ab omni errore fidei et morum immunes ab Ecclesia declaratos.

5) Occurunt in ss. Literis plures Libri, qui deperditi sunt[1]); de inspiratione eorum[2]) divergunt sententiae.

1) Sunt: liber bellorum Domini (Num. 21, 14), liber Justorum (Jos. 10, 13. 2 Sam. 1, 18), libri prophetarum Nathan, Gad et Samuelis (1 Par. 29, 29), Salomonis 3000 parabolarum, 1005 cantica, liber de animalibus et plantis (3 Reg. 4, 32, 33), libri Addo, Ahiae, Semejae, Jehu, Hozai (2 Par. 9, 29; 12, 15), liber verborum dierum Salomonis (3 Reg. 11, 41), liber sermonum dierum regum Juda et Israel (3 Reg. 14, 19, 29), liber sermonum Oziae (2 Par. 26, 22), liber dierum sacerdotii Joannis Hyrcani (1 Mach. 16, 23, 24) et libri 5 Jasonis Cyrenaei (2, 24).

2) Inspirationem eorum defendit Chrysostomus (h. 9 in Matth.), alii vero negant, v. g. Augustinus (C. D. 18, 38; q. 42 in Num.). Libros inspiratos interire potuisse, praeprimis antequam canoni inserti sint, sententia est probabilior. Confer Franzelin, De Deo Trin. 1874, pg. 42. — Neteler, Beiträge z. Untersuchg. d. Geschichte des alttest. Kanons, 1900.

§. 107. Denominatio et divisio sacrae Scripturae V. T.

1) Codex Librorum divinitus inspiratorum et ab Ecclesia receptorum vocari solet: sacra Scriptura, sacri (divini) Libri, vel nude Scriptura (Scripturae), Biblia etc., ac nomine testamenti seu foederis, Deum inter et Israelitas pacti, ad libros translato, in quibus revelatio foederis hujus deposita est, etiam Libri Veteris Foederis vel Testamenti (instrumenti scil. salutis), seu metonymice Vetus Testamentum.

In A. T. vocantur Libri sacri סְפָרִים (*libri* Dan. 9, 2) et תּוֹרָה *(lex)*, quod nomen et Christus adhibuit (Joh. 10, 34; 15, 25), τὰ βιβλία τὰ ἅγια (1 Mach. 12, 9). In N. T. vero γραφαὶ ἁγίαι = *Scripturae sacrae* (ratione auctoris et materiae, ut Rom. 1, 2), τὰ ἱερὰ γράμματα = *sacrae Literae* (2 Tim. 3, 15), αἱ γραφαί = *Scripturae* (Matth. 21, 42; 22, 29 etc., Act. 18, 24), ἡ γραφή = *Scriptura* (Joh. 19, 36; 2 Pet, 1, 20; Act. 8, 32), ὁ νόμος (Joh. 12, 34) καί οἱ πρόφῆται (Act. 28, 23) καὶ οἱ ψαλμοί (Luc. 24, 44).

A ss. Patribus θεῖαι γραφαί, θεόπνευσπος γραφή, *Scriptura divina, Scripturae* seu *paginae coelestes, divinae Literae, Scripturae Dei* vocantur. A tempore s. Chrysostomi (hom. 19. in gen.) Libri sacri appellati sunt τὰ βιβλία ἅγια = *sacra Biblia* (Origenes, ep. Afric. 22) vel βιβλία κατ' ἐξοχήν (Origenes cont. Cels. 5, 20), et inde a Tertulliano usu tritum est nomen τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης = *veteris et novi testamenti, instrumenti* seu *foederis*, quod nomen jam invenitur in LXX 4 Reg. 23, 2 βίβλος τῆς διαθήκης, et 2 Cor. 3, 14 ἡ ἀνάγνωσις τῆς παλαιᾶς διαθήκης.

Augustinus ait (l. 1. locut scrip. ad Gen. 36, 28): *Amant Scripturae pro pacto ponere testamentum i. e.* διαθήκην. Tertullianus (c. Marc. 4, 1): *Alterius instrumenti, vel quod magis usui est dicere, testamenti.* Ambrosius (de Cain et Ab. I. 7, 28): *Testamentum dicitur, quoniam sanguine dicatum est, vetus in typo, novum in veritate.* Lactantius (div. inst. 4, 20): *Scriptura omnis in duo testamenta divisa est. Illud, quod adventum passionemque Christi antecedit, vetus dicitur: ea vero, quae post resurrectionem ejus scripta sunt, novum testamentum vocatur* S. Hieronymus (de vir. ill. 75) totum scripturarum corpus *Bibliothecam sacram Hebraeorum* et Alcuinus *Pandectas* (tanquam universas Dei leges et sanctiones comprehendentes) nuncuparunt, quae appellationes tamen non sunt usu receptae. A Rabbinis appellantur עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה (*libri* 24) vel הַמִּקְרָא *lectio* קרי (Neh. 8, 8), vel *domus sanctuarii* seu *sanctuarium Domini.* Vocantur sancti, quia 1) inspirati sunt, 2) sancta continent, et 3) sanctificant juxta Joh. 17, 17, ait Thomas (in Rom. 1, 2).

2) Libri sacri A. T. *a)* a Judaeis dividebantur in תּוֹרָה *Pentateuchum* נְבִיאִים *Prophetas* e quidem רִאשׁוֹנִים *priores:* Josue, Judicum, Samuel et Regum, et אַחֲרוֹנִים *posteriores*: Isai., Jerem.. Ezech. (majores) et 12 minores, ac tandem כְּתוּבִים, ἁγιόγραφα.

In prologo Ecclesiastici distinguuntur: ὁ νόμος, οἱ προφῆται καὶ τὰ λοιπά et Luc. 24, 44: ὁ νόμος οἱ προφῆται καὶ οἱ ψαλμοί. Quinque libris legis respondere dicunt Judaei 5 libros festivales מְגִלּוֹת, *Megilloth, qui annuatim statis festisque diebus post Paraschem, publice in synagogis praelegi consueverunt. Canticum festo Paschatis, Ruth festo Hebdomadum, Threni die 9. mensis Julii, quo utrumque concrematum traditur templum, Eccl. mense Septembri in festo Tabernaculorum, et Esther festo Purim diebus 14. et 15. Februarii.* Carpzov, Crit. s. I, 4, §. 2. Hagiographa prophetarum instar dividebantur in priora seu magna: Psalt. cum Ruth, Prov., Job etc., in posteriora et quidem in minora: Cant., Eccl. et Lament. et ultima: Esther, Es., Neh., Chron., Dan. Confer Fürst, Kanon 59 seq.

b) A Christianis alia librorum sacrorum divisio introducta fuit; dividuntur enim 46 libri V. T. (proto- et deuterocanonici) in historicos: Pentateuchum (cujus 5 libri etiam legales vocantur), Jos., Jud., Ruth, 4 lib. Reg., 2 Par., 2 Es., Tob., Judith, Est., 2 Mach.; poëticos (seu didacticos): Job, Psal., Prov., Eccl., Cant. C., Sap., Eccli.; et propheticos.

Juxta principium hoc reale et partim chronologicum libri in Vulgata latina ordinati sunt, exceptis 2 libris Machabaeorum, qui attenta temporis serie, ultimum occupant locum. Libri poëtici ab antiquis etiam morales, didactici, doctrinales, sapientales vocantur. Haec vero divisio non est nimis rigorose urgenda; nam propheticis effatis nonnunquam facta historica et sententiae morales insertae sunt, et vice versa.

§. 108. Libri apocryphi.

1) Nomine apocryphorum[1]), de quibus apud veteres tam gentiles[2]) quam judaeos[3]), apud catholicos[4]) et acatholicos[5]), variae reperiuntur sententiae, ea scripta solent adpellari, quae vel titulo vel argumento suo magnam prae se ferunt similitudinem cum scriptis canonicis et sic horum auctoritatem affectant, sed per Ecclesiam a Canone et usu communi sunt exclusa, utpote non inspirata, imo erroribus ac mendaciis referta.

1) Liber apocryphus (ab ἀποκρύπτειν = *abscondere*), juxta etymologiam et usum generalem, est aut libellus occultus, sive absconditus absconsione locali ideoque ab usu communi remotus, sive absconsione originis i. e. obscurus, ambiguus, quia ejus origo vel auctor omnino non patet, aut vera origo vel verus auctor ambigitur, aut plane ementitus deprehenditur (pseudepigraphus i. e. falsum titulum exhibens), sive absconditus absconsione intellectuali, i. e. arcanus, mysteriosus, utpote arcana vel mysteria (naturalia aut religiosa) continens. Cf. Fell, Lehrbuch d. allg. Einleitg. ins A. T. Paderb. 1906, 84 seq.

2) Libri apocryphi gentilium erant libri, qui sub ficto deorum heroumve ceu auctorum nomine sapientiam, maxime esotericam docentes, in adytis a conspectu profano reconditi et plerumque in fraudem religiosam compositi erant ideoque reconditi, secreti vocabantur. Confer Ciceronem (or. 29 pro domo c. 54), Suidam (Lex. graecol. Pherecides), Lucan. etc.

3) Etiam inter Judaeos pullularunt libri apocryphi, qui sub ficto nomine Patriarcharum, prophetarum aliorumve virorum conspicuorum sapientiam arcanam et singulares quasdam revelationes docentes, ab initio a zelosis Judaeis in finem bonum, deinceps autem plerumque a sectarum commentoribus et diversis fraudatoribus in malam artem compositi erant et pro sacris venditabantur. In specie vero sic vocabantur libri, quia a Canone Librorum ss. secreti sunt. Cf. André, Les Apocryphes de l'A. T. Flor. 1903.

4) Apud Patres et Scriptores catholicos libri apocryphi in oppositione ad libros canonicos et ecclesiasticos (qui in Ecclesia praelegebantur) ii dicuntur, qui vel historiam A. (et N.) T. tractantes nequaquam fidem ecclesiasticam merebant neque publica praelectione digni habebantur, vel libri, qui originem plane obscuram aut ementitam exhibentes multa inepta, erronea et fabulosa continebant et affectata auctoritate prophetica aut apostolica diversarum haeresum commenta sanae doctrinae admiscere contendebant, ideoque a publico quasi conspectu per providos pastores semoti vel absconditi sunt. Origenes (Prol. in Cant.): *Apellantur Apocrypha pro eo, quod multa in eis corrupta et contra fidem veram inveniuntur a majoribus traditam non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem. Sed nec sic quidem locus Apocryphis dandus est; non enim transeundi sunt termini, quos statuerunt Patres nostri*; conf. ep. ad. Afric. et com. in Matth. 13, 18. Augustinus (Civ. D. 15, 23): *Apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit. In his autem apocryphis, etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica veritas. Multa sub nominibus et aliorum prophetarum... ab haereticis proferuntur, quae omnia sub nomine apocryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.* Confer 18, 38; qu. in Hept. 4, 42. Praeprimis haeretica scripta ita appellata fuisse, testatur Athanasius (ep. fest): *Nunquam apocryphorum mentio habetur, sed ii sunt haereticorum commentum, qui arbitratu suo libros conscribunt.* Unde monent fideles, ut caveant tales libros, uti Hieronymus (ep. 7. ad Laet): *Caveat apocrypha, et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis praenotantur multaque his admixta vitiosa et grandis esse prudentiae, aurum in luto quaerere;* (in Is. 64, 4): *Unde apocryphorum deliramenta conticeant, quae ex occasione hujus testimonii ingeruntur Ecclesiis Christi. De quibus vere dici potest, quod sedeat diabolus in insidiis cum divitibus in*

apocryphis, ut interficiat innocentem. — Si igitur (Prol. gal.) libros deuterocanonicos inter apocryphos recenset, aperte e sensu Judaeorum loquitur. Decretum Gelasianum (de s. script.) cetera scripta, *quae ab haereticis sive schismaticis conscripta sunt, apocrypha* nominat. Ceterum apocrypha confirmant *a)* authentiam Librorum canonicorum, *b)* integritatem et veracitatem historicam eorum, et *c)* divinam canonicamque auctoritatem verarum Scripturarum.

5) Lutherani, illum locum Hieronymi (Prol. gal.) sectantes, omnes libros deuterocanonicos V. T. inter Apocryphos relegant, et nostros libros apocryphos vocant pseudepigraphos. Pseudepigraphum proprie designat librum, qui titulum (ἐπιγραφήν) gerit, nomen falsi auctoris exhibentem. Cum tamen Apocrypha nullum omnino auctorem nominent, liquet, nomen pseudepigraphi ad totum Apocryphorum complexum extendi non posse, et eo minus vim distinctivam prae se ferre, quum ita etiam multis libris ecclesiasticis, quinimo uni alterive libro canonico attribui oporteret.

Confer Movers (Kaulen) Apocryphen. in Freib. Kirchenlex. 1881. I. 1036 seq. Gieseler, Was heißt apokryphisch? in Stud. u. Krit. 1839. 141.

2) Juxta analogiam librorum arcanorum, ab ethnicis compilatorum, etiam inter Judaeos multa apocrypha[1]) emerserunt, quorum prima initia ex influxu philosophiae graecae (Pythagoreismi et Platonismi) in religionem judaicam repetenda sunt. Occasionem et impulsum commentoribus dabat silentium prophetiae sacrae, per Malachiam clausae. Fecundissima autem libris apocryphis incunabula praebebant instituta Therapeutarum et Essenorum[2]), in Palaestina vero synagogae, in quibus studia halachica et praesertim haggadica colebantur, favente tristi conditione Judaeorum sub jugo Ptolemaeorum et Seleucidarum[3]).

1) Irenaeus (adv. haer. 1, 17): *Inenarrabilis multitudo apocryphorum et spuriarum scripturarum.* Epiphanius (haer. 26). Collegerunt apocrypha: Fabricius, Codex Pseudepigraphus V. T. 2 Tom. Hamb. 1722. Langen, Judenthum in Palästina. 1866. 35. Fritsche, Libri V. T. pseudepigraphi selecti 1871. Hilgenfeld, Messias Jud. 1869, et Jüd. Apokalyptik in ihrer geschichtl. Eutwicklung. 1875; Jüd. Apok. u. Christent. Z. f. w. Theol. 1888. p. 488. Schürer, Gesch. d. jüd. Volk. II. Atzberger, Eschat. p. 121.

2) A Philone et Josepho Flavio describuntur ceu tales, qui, versantes ss. Volumina, operam dent philosophiae, per manus traditae a majoribus, scrutando ejus allegorias, quoniam sub apertis verbis latere credant secreta naturae, conjecturis probabilibus explicanda, qui habeant etiam priscorum commentarios; dicuntur continuo occupari lege et prophetarum oraculis divinitus proditis, hymnis et quibusdam aliis scientiae et pietati promovendae utilibus; traduntur perpetuam habere Dei memoriam, ut ne in somniis quidem aliud eis observetur, quam imagines divinarum pulchritudinum: narratur, esse in eis, qui somniando prodant praeclaras sacrae philosophiae sententias.

3) Illo enim tempore, quo Judaei sine splendido cultu et sine forma theocratica arbitrio praefectorum gentilium erant expositi, viri religiosi tristem suorum sortem commiserantes, lege meditanda occupabantur atque spem et exspectationes suas, sensim excessive auctas, scriptis mandabant. Laetae hae exspectationes labente tempore non jam ut interpretationes et solatia subjectiva, sed tanquam oracula divina venditabantur ac novis commentis viam sternebant, quibus divulgandis multum conferebat opinio illa de perenni traditione a temporibus Moysis, imo ab incunabulis generis humani hujusque capite Adamo continua abscondita, sacerdotibus et legisperitis tantum nota.

3) Apocrypha quoad formam externam sunt pseudepigrapha[1]) et plurima exhibent indolem apocalypticam[2]), quae plane congruit methodo ac studiis Essenorum et Therapeutarum, nec non placitis halachicis et haggadicis.

Scopus generatim spectatus in Apocryphis priorum commentorum adparet honestus, in Apocryphis fraudatorum inhonestus[3]).

1) Juxta analogiam scriptorum antiquorum israeliticorum, qui operi nomen suum inscribere generatim omittebant. Scripta anonyma ansam praebuerunt pseudonymis et haec pseudepigraphis; primum enim scripta qua inspirata venditari coeperunt, sine ullius auctoris inscriptione, deinceps vero ad majorem auctoritatem et fidem conciliandam nomen ementitum cujusdam eximii auctoris addebatur. Hellenistae hac in re secuti sunt Pythagoreos (Aristobulum), Palaestinenses vero, videntes auctoritatem suam multum distare ab illa antiquorum scriptorum inspiratorum, impellebantur, scripta sua ceu sermones divi cujusdam viri, in historia revelationis eminentis, venditare, eo facilius talem fraudem committentes, quum etiam unus alterve liber sacer nomen suppositi auctoris prae se ferret, v. g. liber Sapientiae (Salomonis).

2) Explicatur haec indoles ex affectatione et imitatione prophetiae sacrae (pseudoprophetia); imitantes enim prophetas commentores apocryphici somnia sua ex revelationibus se percepisse simulant, ac percepta in allegoriis, symbolis, numeris et aenigmatibus proponunt. Proponuntur in hujusmodi pseudo-apocalypticis mysteria divina humanaque, supernaturalis causa et origo eventuum humanorum, panduntur fata mortalium, imprimis populi judaici, imo historia totius generis humani; tractantur et solvuntur problemata theologica: exponitur mali origo et fons, peccati causa et revelatio justitiae, perquiruntur secreta phaenomena naturae, indagantur hujus vires atque leges. Ex indole hac apocalyptica neceessario postulatur forma pseudepigraphica; ubi ergo cum vaticiniis secreta et arcana cujusvis generis figmenta tradebantur, et philosophica themata inquirebantur, praeter prophetas antiquos celeberrimi patriarchae, uti Adam, Henoch, Methusala, Noe, Abraham, Jacob, dein Moyses, Salomon etc. adducebantur, imo apocalypses hellenisticae etiam Sibyllae gentilis nomen mutuantur. Accedit, quod mysteria, arcana etc. semper per Angelos tanquam mediatores inter Deum et mundum revelata praetenduntur. Exinde facile explicatur differentia inter libros apocalypticos et libros propheticos et sapientiales V. T., altera ex parte analogia illorum cum libris apocalypticis gentilium.

3) Generatim scopus Apocryphorum erat, Libros ss. integros vel quasdam eorum partes quoad argumentum complere et interpretari, diverso tamen in diversis modo et ex diversis motivis; nam commentores priores non tantum non depravabant doctrinam revelatam, sed ad fidem legentium firmandam et fiduciam religiosam stabiliendam adhibebant, dum e contra fraudatores divina humanis miscebant, inepta et ridicula multa ingerebant, ad falsas exspectationes animis intrudendas tendebant.

4) Distinguimus Apocrypha V. T. *A.* judaica, et quidem, *a)* quae e zelo religioso profecta sunt[1]), et *b)* Apocrypha pejoris notae[2]); *B.* Apocrypha V. T. christiana, et quidem *a)* judaeochristiana melioris notae[3]), et *b)* judaeo-gnostica[4]).

1) Huc pertinent *a)* pseudoprophetica eaqae hellenistica, praeformata ab Aristobulo peripatetico, qui primus inter Judaeorum philosophos (in opere Ἐξήγησις, τῆς Μοϋσέως γραφῆς) importabat philosophiam pythagoricam in Judaismum et antesignanus sectarum hellenisticarum existebat.

α) Oracula Sibyllina continent collecta in 14 libris fragmenta prophetiarum judaicarum et christianarum, quae concernunt adventum, vitam et passionem Messiae, finem mundi et gloriam regni futuri. Athenagoras, Justinus, Theophilus, Clemens Alex. et Lactantius iis saepe utebantur in testimonium, fidem christianam jam antiquitus fuisse praenuntiatam, Specialiter huc spectat liber tertius et quartus Sibyllinus originis Essenicae, quorum prior, a Judaeo Alexandriae 170—160 a. Chr. scriptus, incipit ab aedificatione turris babelicae et desinit eis, quae finem mundi praecedent. Latine edita sunt ab Alexandre Paris 1859, et germanice a Friedlieb, Leipzig 1852. Rzach, Oracula Sibyllina. Wien 1891. Fehr, Studia in oracula Sib. Upsala 1893. — Geffcken, Oracula Sibyllina. Lpz. 1902.

β) Liber Henoch (in capitibus 108) narrat de variis rebus, de lapsu angelorum, de itineribus Henoch per coelum et terram, de Messia (Cap. 37—71), de rebus coelum et futura concernentibus, et compositus esse putatur consilio, ut corruptionem ex Hellenismo excessivo inhiberet. Conscriptus fuit a Judaeo Palaestinensi seculo II. a. Ch. hebraice vel aramaice, atque integer conservatus est in versione aethiopica, quam edidit Dillmann (1851), in lingua germanica (1853); Laurence (1821) in gallicam, Schodde (1882) in anglicam vertit. Liber Henoch (32 cp.) graecus in sepulcro in Achmim (Aegypto) repertus est. cf. Dillmann, preuss. Acad. d. Wiss. 1992. S. 1039 et 1079. E graeco in hebraicum retrovertit L. Goldschmidt 1892. A multis scriptoribus graecis et latinis citatur atque a Tertulliano (cult. ferm. 1, 3) ei divina origo tribuitur. An s. Judas (v. 14) ex illo libro testimonium desumserit (uti asserunt Tertullianus l. c. Augustinus C. D. 15, 23, Hieronymus de vir. ill. 4), est dubium. Flemming, D. B. Henoch, äthiop. Text. Lpz. 1902. — Flemming u. Radermacher. D. B. Henoch 1901 (Textus graecus et versio germanica textus Aethiopici).

b) Apocrypha historica, sapientialia et poëtica, ex majori parte hebraistica sunt, et quidem.

α) Tertius liber Esdrae (Ἔσδρας LXX ὁ ἱερεύς, Esdras graecus, vel in vetere latina versione »de restitutione templi« inscriptus), continet in 9 Capp. historiam templi et cultus ejus a Josia usque a Esram, i. e. restitutionem templi per Josiam, dirutionem per Chaldaeos, et reaedificationem ejus per Zorobabelem et Esram. Auctor (Judaeus Palaestinensis) fontibus biblicis (2 Par. 35; 36. Es. Neh.) utitur cum libertate, ita ut solum 3, 1—5, 6 proprium habeat. In LXX, Itala et syriaca versionibus hic liber audit primus Esdrae. Notus erat Josepho (Ant. XI. 11, 5) et ex hoc libro velut e canonico argumenta desumpserunt multi Patres. Antiquitus Ecclesia eum absolute non rejecit, quia cum Libris canonicis maximam partem consentiebat; sed ejus usus non fuit universalis, ut videre licet e s. Hieronymo (Praef. in Esr.): *Nec quemquam moveat, quod unus a nobis liber editus est, nec apocryphorum tertii et quarti somniis delectetur.* Confer Pohlmann, Das Ansehen des 3. B. Esra in Tüb. Quartls. 1859. 257.

β) Tertius liber Machabaeorum, qui in Can. Ap. 85, a Theodoreto (Dan. 11, 1) canonicis libris adnumeratur et a Ps. Athanasio (Syn. 74) inter antilegomena refertur, et adhuc in textu graeco et in versione syriaca et armena exstat, refert persecutionem Judaeorum in Aegypto sub Ptolomaeo IV. Titulus libri inde explicatur, quia nomen Machabaeorum etiam ad Judaeos aegyptios, qui religionis causa persecutionem subierunt, translatum est et quia iste liber in multis LXX editionibus duos canon. libros Machab. sequitur. Liber in Aegypto post librum 2 Mach. conscriptus esse videtur.

Liber quartus Machabaeorum, qui (homiliae instar) in appendice versionis LXX ut apocryphus et in scriptis Josephi Flavii invenitur, continet martyrium Eleazari et septem fratrum Machabaeorum (2 Mach. 6, 18—7, 14, tanquam exemplum, e quo auctor probet rationem motibus animi dominari debere. Ab Eusebio (h. e, 3, 10), et Hieronymo (vir. ill. 13) immerito Josepho adscribitur; probabiliter e seculo I. christiano repetitur. Inscribitur περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ et graece conceptus est eo consilio, ut coaevos ad observandam legem mosaicam et omnimodam pietatem excitaret. Liber a placitis stoicorum et aliis erroribus non est alienus. Bensly, The fourth Book of Maccabees and Kindred documents in Syr. With an Introduction and Translation by Barnes, Cambg. 1895.

γ) Liber Jubilaeorum, qui computationem temporum a creatione mundi usque ad institutionem Paschatis secundum periodos annorum (50) jubilaeorum exhibet, vocatur etiam ἡ λεπτὴ γένεσις, et comprehendit res in Genesi et Exodo narratas, sed multum quoad singula ampliatas eo consilio, ut commentarium quasi ad textum sacrum suppeditet, et praeprimis originariam humani generis historiam, tenebris prisci aevi dilucidatis, rationi temporum et hominum conformatam reproducat; quare auctor ad formam apocalypticam confugit, dum revelationem Moysi per angelum factam praetexit, unde et ἀποκάλυψις Μωϋσέως vocatur. Scriptus est probabiliter seculo ultimo a. Ch. a Judaeo Palaestinensi hebraice (teste Hieronymo ad. Tab. ep. 78), et exstat in versione aethiopica, quam vertit in latinam linguam

Dillmann (1850), in germanicam Rönsch (1874), in anglicam Schodde (1885 seq.). Alterum fragmentum in versione latina (e seculo 6. p. Ch.) Mediolani invenit et edidit Ceriani, Monum. s. et pont. 1861 I. 15 seq. — R. H. Charles, The Book of Jubilees. Lond. 1902.

δ) Epistola Baruch ad 10 tribus Israel in captivitate fragmentum est amplioris operis: apocalypsis Baruch, in versione syriaca conservatum, quod edidit (1871) et latine vertit (1866) Ceriani (l. c. I. 2. V. 2. 113). Continet fata Baruch ante et post eversionem Jerusalem ejusque vaticinia; scripta fuit haec epistola post Jerusalem destructam, probabiliter graece, et magnam habet cum libro 4. Esr. similitudinem. Confer Langen, De Apoc. Baruch. Frib. 1867. — Rosenthal, Apoc. B. 1885. — Hilgenfeld, D. Apokal. d. Baruch. Z. W. Th. 1888, 257 seq. — R. Charles, The Apocalypse of Baruch. Lond. 1906.

ε) Psalmus 151 i. e. canticum Davidis, Goliath devicto decantatum, in appendice Psalterii LXX, et in versionibus inde derivatis (aethiopica, arabica, syriaca) et in liturgia-mozarabica sub titulo: οὗτος ὁ ψαλμὸς ἰδιόγραφος εἰς Δαυὶδ καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ. Ab Athanasio (ad Marc. 14) aliisque graecis Patribus velut genuinus citatur, sed divinae ejus originis argumentum grave non affertur.

ζ) Psalterium Salomonicum, comprehendit 18 Psalmos, falso adscriptos Salomoni; deplorat tristissimam Judaeorum sortem tempore Hasmonaeorum, et jamjam appropinquante occupatione Romanorum (Pompeji), simul tamen, praeprimis Psalmus 17., constantem fidem et ardentem Messiae adventuri spem et fiduciam enuntiat. Psalterium hoc in Palaestina seculo ultimo a. Ch. a Judaeo hebraice scriptum et (seculo III. p. Ch.) probabiliter a Christiano quodam, in linguam graecam translatum est, quo facto originale periit. Commemorantur in Pseudo-Athanasii Synopsi s. Script. 74 et a Nicephora (stich.) inter Antilegomena A. T., in codice manuscripto Vindobonensi (e seculis IX et X) inter librum Sapientiae et Ecclesiasticum occupant locum. Editum est a L. de la Cerda S. J. (1615), Hilgenfeld (Zeitschr. f. wiss. Theol. 1868. 1871), Ed. Geiger (Psalter Salomons, 1871), Carrière 1870, Pick 1883. Frankenberg, D. Datierung d. Psalmen Salom. Gießen 1896. — Perles, Z. Erklär. d. Ps. Salom. O. L. Z. 1902, 269 seq. 335 seq. 365 seq.

η) Oratio Manassis regis, continens ejusdem pios sensus et sincerae poenitentiae affectus, cujus 2 Par. 33, 12, 18 fit mentio, a Judaeo tempore recentiore a. Ch. graece concepta est, et invenitur (15 versus continens) in M. S. graecis, in appendice versionis Vulgatae, in Constitutionibus apost. (2, 22), et nonnunquam in codicibus Alexandrinis post Psalmos locum occupat. Confer Fritsche l. c. I. 155.

2) Post ruinam politicam et religiosam Judaeorum fraus pseudoprophetiae per omnes religionis disciplinas se extendebat et incipit quoad Apocrypha periodus somniorum, phantasiarum, pseudognoseos. Invecta autem est corruptio *α)* per syncretismum et pseudognosin hellenisticam, cujus specimina habentur in apocalypsi Baruch, in apocalypsi Esrae et assumptione Moysis.

α) Quartus liber Esdrae, vel ἡ ἀποκάλυψις Ἔσδρα, continet (in 16 Cap.) varias (7) visiones et prophetiam Esdrae de adventu Messiae, de judicio, de interitu imperii romani; probabiliter a Judaeo Palaestinensi seculo primo christiano paulo post Jerosolymam dirutam (80—96), graece conceptus et a Christiano retractatus est; nam elementa christiana (2, 34; 5, 5 seq.; 6, 25; 13, 1 seq.) admiscebantur, ad consolandos Judaeos de urbe deleta et erigendos spe mox venturi Messiae.

Exstat liber nonnisi in versionibus immediatis, et quidem latina, arabica, syriaca, armena et aethiopica; dum versio latina (Fabricii Codex II. 173) presse sequitur textum originalem, arabica paraphrastice elaborata est, et aethiopica medium inter utramque tenet. A nonnullis scriptoribus Barnaba (ep. 12), Clemente Alex. (strom. 4, 16), Ambrosio (de bon. mort. 10—12; Spir. s. 2, 6) tanquam liber biblicus citatur, imo etiam in Missali (fer. III. Pentec. Introit. ex IV. Esr. 2, 37) et Breviario Romano (Martyr. Off. pasch. Noct. 3. Ant. et in eodem Offic. Mart. extra temp. pasch. Noct. 3. Ant. 2; praeterea Respons. post lect. 6, in Com. Apost.) exinde (IV. Esd. 2, 35, 45) loci sunt desumpti. Aste longe major doctorum pars et antiqui canones conciliorum ex albo librorum div. eum excludunt, quia

errores dogmaticos et fabulas rabbinicas continet, Ceterum lectio et usus Ecclesiae liturgicus spectandus est tantum in Epistolis et Evangeliis, non in aliis liturgiae partibus. Libri 3, et 4. Esdrae non raro ad finem Vulgatae sunt positi, cum nota: *Hoc in loco extra, sc. seriem canonicorum librorum, quos s. Tridentina Synodus suscepit et pro canonicis suscipiendos decrevit, sepositi sunt, ne prorsus interirent, quippe qui a nonnullis ss. Patribus interdum citantur et in aliquibus Bibliis latinis tam manuscriptis quam impressis reperiuntur.* Ewald, Das 4. Esrabuch. Gött. 1863. — Kabisch, D. 4. B. Esr. auf seine Quellen untersucht, 1889. — S. Schiefer, D. relig. u. ethischen Anschauungen d. 4. Esrabuches, Leipz. 1901.

Ascensio vel assumptio Moysis in Palaestina hebraice vel aramaice, paulo post Jerosolymam per Titum dirutam, conscripta fuit; hujus libri nonnisi exstant fragmenta latina, quae ediderunt Ceriani (Mon. I. 55), Merx Archiv. I. III., Fritsche Lib. Pseud. 132., graece apud Hilgenfeld, Messias Jud. 435, latine et germanice apud Volkmar (Moses Proph. u. Himmelfahrt, 1861). Libri hujus tanquam apocryphi faciunt mentionem Origines et Clemens Alex. (strom. 6, 15). R. Charles, The Assumption of Moses. Lond. 1897.

b) Altera ex parte corruptio in Apocrypha invecta est per studia Cabbalistica; tradunt enim Cabbalistae, Deum secreta et arcana Adamo statim post creationem oretenus revelasse, dein doctrinas, per lapsum amissas, Adae poenitenti et oranti denuo et quidem libro quodam (Sepher Jezirah) scriptam restituisse, quem postea Adam et Seth, et sic successive Patriarchae, Moyses, Esra (quibus ultimis Deus denuo revelaverit) ad haec usque tempora memoriae prodiderint Cabbalistae sub omnibus Scripturae elementis (verbis, litteris, personis, nominibus) altiorem sensum occultum quaerebant. Per contactum tot gentium his commentis apocryphis simul elementa gentilia irrepserant, praecipue deprompta e religiosis et philosophicis populorum placitis, quae commixtio in infinitum aucta est per syncretismum seriorem, ex Neopythogareismo et Neoplatonismo inductum, quo omnes religiones miscebantur et ideae diversissimae confundebantur, nec non per Gnosticismum, quo omnia mysteria naturalia et religiosa disquirebantur; inde fit, ut personae biblicae illustres characterem vere gentilem prae se ferant. Sic

α) Adam fingebatur auctor multorum Apocryphorum, quae res partim physicas, partim propheticas tractant. In his Adam ceu Prometheus seu inventor omnium disciplinarum et artium peritissmus sistitur. Confer fragmenta apud Fabricium, Codex, I. 1 seq.

β) Cain secundum Apocrypha sua describitur domum suam multitudine opum, ex rapinis et violentiis congestarum, auxisse, ad luxuriam et latrocinia suos invitasse, simplicitatem adinventione mensurarum et ponderum permutasse in fraudem etc.

γ) Noe multiplicem metamorphosin apocryphicam passus, celebratur inventor artium plurimarum, fertur attulisse theologiam et ritus sacros et varia mysteria multorum phaenomenorum naturalium, distinxisse annum et solis cursum etc. Fabric. Codex l. c. pag. 240 seq.

δ) Abraham, qui coincidit cum Belo chaldaeo, tanquam inventor astrologiae et omnis sapientiae babylonicae honoratur.

ε) Moyses describitur graeca, aegyptiaca et chaldaica sapientia nec non omnimoda imbutus.

ζ) Ut praetereamus reliquos patriarchas (Abel, Seth, Enoch, Cham, Isaac, Jacob etc.) et prophetas, praeprimis Salomoni multa commenta supposita sunt, in quibus quaestiones et aenigmata, a variis personis proposita, solvuntur.

3) Plurimi Judaeochristiani et Judaei, neque totum Judaismum exuentes neque integram fidem christianam amplectentes, judaica et christiana dogmata confundebant, exstantibus Apocryphis additamenta ingerebant vel nova commenta, juxta indolem antiquiorum, componebant, quorum aliqua e pio zelo prodibant prioris religionis socios ad doctrinam christianam convertendi. Huc, praeter libros Sibyllinos, pertinent liber Henoch, apocalypsis Esdrae, Testamenta 12 Patriarcharum, quae continent fata et instructiones 11 filiorum Jacob moribundorum ad filios suos (de vita futura, Messia et rejectione Israel). Conscriptum est

hoc opus ultimum a Judaeochristiano in Palaestina, graece, initio seculi II. christiani, ea mente, ut Judaeos ad religionem christianam converteret, lectores a peccatis Patriarcharum deterreret atque eos ad virtutes eorum amplectendas adhortaretur. Plura in historia Patriarcharum omissa hic narrantur. Edita sunt a Migne, Patrol. graeca II. 1037 seq., a Sinker (Cambridge 1869), F. Schnapp, Test. 12 Pat. unters. 1884. Baljon, Testam. d. XII. Patriarchen, Th. Stud. 1886, 208 seq. Cf. Kautzsch, D. Apokryphen und Pseudepigraphen des A. T. II. Tübingen 1900. L. Conard, D. relig. u. sittl. Anschauungen d. altt. Apokryphen u. Pseudepigraphen. Gütersloh 1907.

4) Erant tamen inter Judaeochristianos multi, qui perversam indolem judaicam retinuerunt et christianos in fide constantes malis artibus sollicitabant (col. Gal. 2, 4; Tit. 1, 10—14), praeprimis Gnostici, e secta Essenorum profecti, qui cum philosophia hellenica et traditionibus judaicis castam Christi doctrinam commiscebant et adscito serius Parsismo primos labyrinthi gnostici recessus construebant, ad traditiones revelationum arcanarum, ab aliquo prisco patriarcha consignatas et ipsis solis cognitas, provocabant et duplicem doctrinae mosaicae et evangelicae partem, exotericam, hominibus psychicis destinatam, atque esotericam, sibi ipsis, tanquam pneumaticis relictam, distinguebant. Apocrypha hujus generis sunt:

a) Ἀναβατικὸν Ἡσαΐου (ascensio et visio Isaiae) continet duas partes; prior (Cap. 1—6), martyrium Isaiae prophetae sub Manasse rege et vaticinia messiana continens, jam Origeni (ep. Afric. 8) et Tertulliano (de pat. 14) nota erat. Altera (7—11) narrat ecstasin Isaiae et migrationes per septem coelos visionesque monstruosas, de regno messiano, ibidem ei concessas. Haec pars ab Epiphanio (haer. 40, 2) et Hieronymo (in Is. 64, 4) nomine ascensionis commemoratur. Graece scriptum est hoc opus, et quidem pars prior seculo II. pars altera seculo III. p. Ch. Versionem aethiopicam edidit Lawrence (Oxf. 1819) et Dillmann (1877), atque latinam Gieseler (1832) et Gfrörer (Proph. pseudep. 56). Grenfell and Hunt, The Amherst. Papyri I. The Ascens. of Is., and other theolog. Fragment. Lond. 1900.

b) Apocalypsis Adae (Epiphan. haer. 26, 8), Evangelium Evae (Epiph. haer. 26, 2), testamentum Adae (Rénan 1883), Apocalypsis Eliae, historia Asseneth, uxoris Joseph (Fabric. c. ps. I. 744. II. 85). . . . Supponuntar apocrypha Setho, Noriae, uxori Noae (Epiph. haer. 26, 1), Chamo, Abrahamo, Josepho, Moysi (διαθήκη Μωϋσέως) et aliis, quorum nomina tantum nota sunt. Confer Movers l. c. pag. 1063.

Sectio secunda.

Historia integritatis et conservationis textus Librorum sacrorum.

§. 109. Integritas textus.

Interpreti sacrae Scripturae non sufficit, nosse catalogum Librorum sacrorum, sed debet etiam inquirere, num textus illorum ad nos integer pervenerit.

1) Judaeos e malitia sive consilio textum in essentialibus i. e. in rebus fidei et morum, seu dogmatibus revelatis corrupisse, evinci nequit. Integritatem essentialem textus sacri probant sequentia:

a) Ante exilium corruptio talis locum habere non poterat; obstabant enim magna veneratio, qua Judaei sacros codices prosequebantur, maxima

cura in describendis et conservandis libris sacris, praelectio legis, cujus volumen in latere arcae repositum erat (Deut. 31, 24—26), singulis sabbatis coram universo populo iteranda, numerosa exemplaria privata in usum regis (Deut. 17, 18) et instructionem singulorum descripta, continua a Samuele ad Malachiam series prophetarum, nec non aemulatio inter regnum utrumque, Juda et Israel. Hanc circa s. Scripturam sollicitudinem Judaeorum testantur Josephus Flavius et Talmud[1]). — Sane si quid Judaei corrupissent, haud dubie ante omnia adulterassent verba vel facta sibi contraria et infausta, quorum tamen nil mutatum invenitur, uti testis est Pentateuchus Samaritanus.

b) Destructa republica hebraica codices sacri minime concremati, sed potius in Babyloniam, Assyriam indeque in Asiam et alias terrae partes deportati sunt; in exilio enim saepe legis fit mentio: Jeremias fratribus exulibus legem tradidit (2 Mach. 2, 2), Daniel (9, 11, 13) librum legis commemorat, Cyro ostensum est vaticinium Isaiae (Jos., Ant. XI, 1), in synagogis lex praelegebatur. Hinc, si Esdras ss. Librorum instaurator, renovator ac conditor a ss. Patribus[2]) salutatur, talis habendus est, quatenus dispersos codices collegit, disposuit, recensuit et a mendis expurgavit, quin tamen locos parallelos, apparenter sibi contradicentes, mutaverit. Quod etiam valet, si Nehemiae de hac re merita falso Esrae adscribuntur; cf. II. Mach. 2, 13.

c) Eo minus textus corrumpi potuit aevo postexilico; mox enim (seculo tertio ante Ch.) facta est versio LXX, Machabaei maxime de Libris ss. custodiendis solliciti erant (1 Mach. 1, 60; 3, 48), imo Christus ipse ad Scripturas scrutandas coaevos invitat (Joh. 5, 39) ac, cum Judaeis varia crimina exprobrasset, nullibi vel longe meminit adulteratae Scripturae, quod non siluisset, si crimen hocce laesae in verbo Dei majestatis revera commisissent.

d) Post Christum factae sunt tot versiones, quae, in universum orbem dispersae, in essentialibus mire concordant; unde et scriptores christiani antiquissimi et fere omnes recentiores[3]) disertis verbis integritatem textus sacri essentialem testantur, et Judaeos ab hac suspicione absolvunt.

1) Josephus (C. Ap. 1, 8): *Quanta veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot jam secula effluxerint, nemo adhuc adjicere quidquam, illis nec demere, nec commutare ausus fuit. Sed omnibus nobis, statim ab ipso nascendi exordio, hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta credamus iisdemque constanter adhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus.* Talmudistae (Sepher ikkarim): *Tempore domus primae, cum essent sacerdotes legis in templo et lex esset in omnium ore, publice carruptionem contrahere non poterat; nam etsi apud eos essent reges, qui idola colerent, nihilominus tamen erant cum eis prophetae toto illo tempore usque ad excidium, qui populum exhortabantur ad observandam legem.*

2) Irenaeus (c. haer. 3, 5): *Deus inspirarit Esdrae, sacerdoti tribus Levi, praeteritorum prophetarum rememorare sermones et restituere populo eam legem, quae data est per Moysen.* Basilius (ep. ad Chilon): *In planitiem abiens Esdras omnes scripturas divinitus inspiratas Dei jussu eructavit.* Confer Eusebium (in chron.), Hilarium (praef. in Ps. 8), Chrysostomum (ep. ad Heb. hom. 8, 4), Theodoretum (Praef. Ps.): *Mirabilis*

Esdras, coelestis gratiae plenus, sacros libros descripsit, qui partim per Judaeorum incuriam, partim per impietatem Babyloniorum fuerant depravati.

3) Hieronymus (in Is. 6, 9): *Quod si aliquis dixerit, Hebraeos libros postea a Judaeis esse falsatos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondeat quaestiunculae: quod nunquam Dominus et Apostoli, qui cetera crimina arguunt in scribis et pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerit, post adventum D. Salvatoris et praedicationem apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et evangelistae et apostoli ita testimonia protulerint, ut Judaei postea falsaturi erant.* Augustinus (Civ. D. 15, 13): *Absit, ut prudens quispiam Judaeos cujuslibet perversitatis atque malitiae tantum potuisse credat in codicibus tam multis et tam longe lateque dispersis etc.* — Recentiores confer apud Reinke (Beitr. VII, 301) contra Kennicott (dissert. II); J. Morinum, exercit. biblic., Capellum, Schrader, Wette etc. Hinc si nonnulli Patres: Justinus (c. Tryp. 71), Irenaeus (c. haer. 3, 21; 4, 12), Origenes (ad Afr. 9), Hieronymus (in Gal. 3, 10), Chrysostomus (in Matth. 5, 2), Tertullianus (de cult. fem. 1, 3) et alii tales contra Judaeos movent suspiciones, hae non tam e corruptione textus hebraici, quam ex incorrecta versionum et interpretationum ratione et errore sunt repetendae. Cornely, Int. §. 102. De corruptionibus, Judaeis impactis: שִׁלֹה Gen. 49, 10, עֵיבָל (Sam. גְּרִזִים) Deut. 27, 4; Ps. 16, 10; Ps. 21 (22), 17 etc. confer Reinke, l. c. 313. Differentiae enim adductae aut sunt apparentes tantum, aut tales, quales apparatu critico, recta applicato, facile solvuntur.

2) Salva integritate essentiali textus hebraicus pro consueto aliorum librorum fato naturali a mendis accidentalibus nequaquam mansit immunis. Hi errores, qui maximam partem simplices sunt mutationes scriptionis, vel etiam differentiae, quae sensum ipsum aliquatenus mutant ac nomine lectionum variantium veniunt, aut *a)* casui[1]), aut *b)* falso seu erroneo librariorum judicio[2]) ortum debent.

1) Amanuenses in describendis codicibus errasse sive incuria sive oscitantia sive lapsu memoriae sive casu literam aliquam aut vocem, imo sententiam quoque et periodum per ὁμοιοτέλευτον (v. g. Jos. 21, 36, 37; 2 Sam. 23, 9—10), omittendo, sive literam unam pro altera simili ponendo, ut Ps. 78, 16, vel eas transponendo, ut Ps. 18, 46 vel voces falso separando, ut Prov. 11, 15, vel synonymas invicem mutando, ut 4 Reg. 1, 10, quis est, qui miretur? Confer Herbst I, 85; Reinke l. c. 57 seq.

2) Librarii etiam judicio suo temere (excluso tamen corrumpendi consilio directo) textum corrigere ideoque mutare nonnunquam conabantur, lectiones apparenter veras et captu faciles loco difficiliorum supponentes, v. g. 1. Chron. 2, 48, glossemata marginalia in textum inferentes, ut Is. 7, 17, obscuriora e locis parallelis conformantes (uti v. g. Ps. 28, 8 e Ps. 29, 11 correctus est), abbreviaturas erronee intelligentes et resolventes v. g. Ps. 31, 7, lacunas imaginarias explentes, ut Gen. 4, 4. Huc referendae sunt variantes, numeros literis scriptos et nomina propria, in s. Scriptura obvia, concernentes. Confer Herbst 88. Fuse de his tractat Reinke, l. c. 186, 330.

Regulas seu principia, secundum quae genuina textus sacri lectio quaerenda est ac restituenda, docet critica biblica verbalis, quae in discutiendis verbis, syllabis etc. versatur.

§. 110. Fata textus Librorum sacrorum.

1) Quaenam fuerit conditio textus sacri inde ab incepta collectione Librorum ss. usque ad reipublicae Judaeorum ruinam, ob defectum documentorum ignoratur. Florebant autem tempore Christi in Palaestina et Babyloniae scholae doctorum seu academiae, in quibus non tantum studium

legis, sed et grammaticam ac criticam sacram tractatam esse suspicari licet[1]). Rabbini jam codices sacros, qui soli, templo et urbe destructis, ipsis solatio erant, conferebant[2]), variantes ex eis collegerunt ac locos quosdam emendarunt, uti patet e certis tractatibus[3]) Talmudis.

1) Talmud Gamalielis tempore Tract. Gittin (f. 45, Cap. 2) leges calligraphiae tulit: *Sumere possunt libros ab extraneis, ubicunque fuerint, si modo scripti sint ad normam.* Confer Tychsen (tentam. de variis codd. heb. V. T. Rost. 1772, p. 18) et tract. Schabb. (f. 103, c. 2): *Ita autem scribendum vobis est, ut sit scriptura perfecta, ne scribatur Aleph pro Ain etc.*

2) Confer Talm. Hieros. Tr. Taanith. f. 68. Cap. 1.; Kennicott, Dissert. general. §. 34. Morinum, Exerc. bibl. p. 408.

3) Leges criticae in Talmude hierosolymitano ut primum tentamen criticum ex parte Judaeorum habendae, et variae sunt: *a)* Ablatio scribarum in 5 locis, in quibus praecipitur, Vav praefixum abjiciendum esse, v. g. Gen. 18, 5; *b)* Correctio scribarum in 16 vel 18 locis, in quibus e 2 lectionibus electa est, quae videbatur vera; *c)* Puncta extraordinaria in 15 vocibus, super una vel pluribus literis suspectis, scripta; non sunt haec puncta diacritica, nam Hier. (Quaest. gen. 19, 35) ait: *Appungunt desuper, quasi incredibile et quod rerum natura non capiat, coire quempiam nescientem. d)* Kere velo Kethib i. e. legendum, etsi non scriptum in 7 locis, ubi vox amissa (alibi reperta) suppleta est, et quidem solum in margine, puncta vero illius in textum illata sunt. *e)* Kethib velo Kere i. e. scriptum et non legendum in 5 locis, in quibus vox, in textu sine vocalibus scripta, omittenda praecipitur. *f)* Kere Kethib i. e. lege scriptum in locis ultra 1200, nempe pro eo, quod scriptum est in textu, aliud legendum praecipitur in margine scriptum, ad quod puncta, voci textus subjecta, referenda sunt; v. g. לא pro לו. Confer Walton (Prol. VIII, §. 20—23), Kennicott (Diss. II, p. 27ə); Reinke (Beitr. VII. §. 12). Ceterum Talmud jam versus, voces et literas numeravit. Kidduschin f. 30. cap. 1.

2) Adnotationes hae traditae aut in Talmude sparsae basin constituebant Masorae[1]), quae est complexus notarum criticarum et grammaticarum auctoribus Judaeis doctis Palaestinensibus et Babylonicis (Masorethis)[2]) de textu hebraico A. T., quas primo voce viva tradebant, dein literis mandarunt. Hoc opus seculo VI. p. Ch. inceptum et seculo X. ad finem perductum est. Textus, per Masorethas signis[3]) vocalium, accentuum et interpunctionum munitus ac fixus, vocatur masorethicus vel receptus, ad cujus rationem omnes dehinc codices describebantur.

1) מָסֹרָה, מָסֹרֶת, מַסֹּרֶת vel מָסֹרֵת παράδοσις, *traditio*, *a* מָסַר *tradidit*, non *clausura* (ab אָסַר *ligare*). Confer Buxtorf (Tiberias Cap. 1). S. Frensdorff (Buch Ochla Wochla Hav. 1864, p. XI). — Grünwald, Zur Gesch. d. Mass., Z. f. W. Th. 1881, 88 seq. — Hyvernat, Petite introd. Revue bibl. XI (1902), XII (1903), XIII (1904).

2) Abenesra, Kimchi etc. auctorem Masorae falso constituunt Moysen (traditio Moysis de monte Sinai), Buxtorf, Pfeifer (Crit. s. pag. 191), Carpzov (Crit. pag. 286) hoc opus Esrae et synagogae magnae tribuunt, Waltonus (l. c. VIII, 12) in tempus Machabaeorum relegat.

3) Textum ante seculum V. punctatum non fuisse, testantur *a)* Talmud et Rabbini, *b)* variantes lectiones in editionibus hebraicis adnotatae, *c)* analogia dialectorum cognatarum, quas signis vocalibus antiquitus caruisse constat, *d)* versiones LXX et syriaca cum suis variantibus, quae ex diversa lectione explicantur (Reinke, Bt. VII, §. 3), *e)* Hieronymus (Hab. 3, 5). Antiquitus in continuum vel sine intervallis scribere mos erat, serius tamen singulae voces ab invicem separabantur. Confer Reinke (l. c. §. 5). Porro nummi

nos docent, Hebraeos voces saepius adhibitas compendiose scripsisse et abbreviasse. Cf. Peters, Beiträge zur Text- und Literarkritik sowie zur Erklärung d. B. B. Sam. Freib. 1899, p. 223 seq.

3) Notae hae, quas Masorethae partim e traditione et collatione codicum manuscriptorum, partim e proprio judicio et conjecturis criticis hauserunt, sunt observationes grammaticae, exegeticae et orthographicae de vocalibus et signis diacriticis, de scriptione plena et defectiva, de significatione nonnullarum vocum, de structura verborum, de proprietatibus versuum, de numero versuum[1]), vocum et literarum cujusvis libri, de mediis cujusvis libri litera, voce et versu — aut emendationes textus (Kere et Kethib, quae praecipuam Masorae partem constituunt), concernentes consonantium aut mutationem, aut transpositionem, aut omissarum additionem, aut inutilium abjectionem, aut vocum separationem falsam, aut Kere grammaticales, ut הוּא pro הִוא, et quidem eum in finem, ut sic constans et genuina lectio Scripturae conservetur, et ab omni mutatione aut corruptione in aeternum praeservetur et valide praemuniatur[2]),

1) Sic. v. g. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים 25ies, litera א 42, 377ies, ב 38, 218ies occurrit in ss. Bibliis. Jerem. 21, 7 e 42 vocibus ac 160 literis constat, 14 tantum versus sunt, qui e 3 vocabulis constant. Pentateuchus 5845, Prophetae 9297 et Hagiographa 7958, ergo Libri ss. 23.100 versus continent etc. litera ע in מְעָר Ps. 80, 14 est litera media in toto Psalterio. Confer Propylaea Masor. in J. Fürstii Concordant; Reinke (Beitr. VII, 48); Buxtorf (Tib. pag. 12); Walton (Proleg. VIII, 2—10); Carpzov (Crit. pag. 295),

2) Buxtorf, Tib. p. 6.

4) Distinguitur Masora magna, quae collectio est omuium harum notationum, parva (compendium magnae), quae parvis characteribus in margine descripta est, et finalis (concordantiae), quae finem textus excipit.

Buxtorf (Tib. pag. 199): *Masora magna est, quae totam criticam comprehendit, cum plena locorum Scripturae enumeratione, quam quaeque nota critica suo numero designat;* et pag. 202: *Masora parva est, quae literis numeralibus, vocibus decurtatis et symbolicis ad latus textus breviter et succincte describitur.* Masora magna primum typis edita est in Bibliis Bombergianis 1525 Venetiis; emendata fuit a Buxtorf in Bibliis rabbin. Basil. 1618, de qua emendatione ipse ait (praef. Tib.): *Nec tamen credas, omnia esse correcta et emendata; nusquam enim ordine in singula inquisivi, sed prout quaeque nunc hic, nunc illic obviam accederent, ita ad censuram vocavi.* A. Frensdorff l. c. pars Masorae saeculo 13. edita est.

Scripta est Masora partim lingua hebraica, partim chaldaica (Targum Jeruschalmi). Instructiones usui Masorae inservientes praebet Arnold, Herzogs Real-Enzykl. IX. 135.

5) Quamvis Masoretharum labor multas nugas et observationes futiles contineat, tamen in pluribus factus est utilis ad textum contra mutationes muniendum et conservandum.

Praeter notas criticas et exegeticas, quae reliquis praestant, minutiae etiam, ut numeratio literarum, vocum ac versuum, optimum erant medium, ad textum contra interpolationes novas vel omissiones tuendum; hinc Judaei Masoram sepem legis (Elias Levita) et custodiam textus vocant eique (cum Buxtorf, Molitor etc.) nimiam tribuunt auctoritatem. Laudes tamen hae superabundantes non omni ex parte justae sunt, quia textus masorethicus nequaquam in singulis perfecte exhibet textum originalem et magis juvat ad futuras corruptiones impediendas, quam ad praeteritas sanandas. Masoretharum punctatio non est indubitata; totam enim pronuntiandi rationem tempore, quo versio LXX est facta, diversam fuisse a masorethica, demonstrant nomina propria. Pronuntiatio Origenis et Hieronymi

propius accedit ad alexandrinam, quam ad masorethicam. De hac re cf. Kittel, Über die Notwendigkeit und Möglichkeit einer neuen Ausgabe der heb. Bibel. Leipzig 1902.

6) Rabbinos babylonios Palaestinensium exemplum secutos esse ac lectiones variantes contulisse, patet e catalogo variantium 216—220 inter Judaeos orientales (Babylonios) et occidentales (Palaestinenses), quem R. Jacob Ben Chajim Bibliis Bombergianis adjecit.

A quo et quando (juxta Morinum seculo VIII.) catalogus ille confectus sit, non constat. Variantes autem (duabus exceptis de He Mappik) omnes, quae etiam fol. VI. pag. 14 Polyglottorum Londinensium inveniuntur, concernunt consonantes Kere et Kethib; nostrae editiones a lectionibus orientalibus in 55 locis discedunt. Confer Walton, Prol. VIII, §. 27, 28), Carpzov (Crit. I. 3, 17).

7) Seculo XI. Rabbini celebres, Aharon Ben-Ascher Tiberiade ac Ben Naphtali (c. an. 1034) Babylone, variantes codicum M. S. occidentalium et orientalium contulerunt et summa cura textum hebraicum descripserunt; recensionem illius occidentales (nostrae editiones), hujus autem orientales sequuntur.

Variantes Ben Ascher 200 concernunt consonantes, variantes vero Ben Naphtali 864 puncta tantum vocalium accentusque, et inveniuntur in Bibliis Bombergianis et Polyglottis Londinensibus Tom. VI. pag. 8; non magni quidem sunt momenti, docent tamen, aevo illo systema punctationis jam fuisse perfectum et hos duumviros opus illud complevisse. Cum abhinc Judaei textus, non ad hanc normam conscriptos, parvi penderent, inde potissimum factum, ut nullus superfuerit codex hebraicus, qui seculo IX. vel VIII. antiquior statui posset. Confer S. Frensdorff, l. c. Hupfeld (Deutsch. morgl. Zeitschr. 1867, 201).

8) Quia ergo textus masorethicus ab erroribus et naevis substantialibus immunis[1]) est, easdem doctrinas dogmaticas et morales continet, quae in autographo erant traditae, exinde patet, ei suam manere auctoritatem, eumque authenticum esse revelationis fontem[2]).

1) Buxtorf de punct. voc. p. 282, et anticrit. I, 4, pg. 66.

2) Bellarminus (de verb. Dei II, 2) et Salmeron, Prol. 3. Confer Cornely, Int. p. 274. Textum masorethicum plurimorum Librorum A. T. varie illustravit S. Baer 1888.

§. 111. Pentateuchus Samaritanus.

1) Fidei textus masorethici dijudicandae multum inservit Pentateuchus, quo, hebraeâ linguâ, samaritanis characteribus exarato, utebantur Samaritae (Samaritanus)[1]). De origine hujus Pentateuchi diversae exstant sententiae. *A)* Sunt, qui Pentateuchum sam. derivant ab illis exemplaribus, quae decem tribus post schisma Jeroboami secum retinuerint[2]), et sequentes rationes afferunt: *a)* notitiam legis, quam prodebant Samaritani in rebus religiosis et juridicis; *b)* odium inter Samaritanos ac Judaeos; *c)* characterem scripturae prisco-hebraicae (samaritanae), et *d)* venerationem solius Pentateuchi[3]). *B)* Alii censent, hunc Pentateuchum allatum fuisse ad Samaritanos a sacerdote israelitico captivo, qui a rege Assyriae missus est, ut doceret eos, quomodo colerent Deum (4 Reg. 17, 26 seq.); cultus enim Jahvae Legi mosaicae innititur[4]). *C)* Alii tandem autumant, Samaritanos Pentateuchum a Manasse sacerdote Nehemiae tempore accepisse[5]), urgent: *a)* linguam Pentateuchi

hebraeam, primis colonis barbaram, *b)* factum apostasiae Manassis, *c)* religionem Samaritanorum tamdiu idololatricam et ethnicum characterem gentis, *d)* rejectionem libri Josue et *e)* miram samaritanae recensionis cum LXX consensionem, haud raro contra textum masorethicum.

Sed qui argumenta haec trium sententiarum rite perpenderit, vix dubitabit, priorem praeferre, atque natales Pentateuchi samaritani merito jam in tempore ante schisma quaeret[6]).

1) Inde ab Origenis aevo compertum est, Samaritanos Pentateuchum characteribus samaritanis descriptum (τὸ τῶν Σαμαρειτῶν Ἑβραϊκόν) habere. Hunc primus in Europa typis descripsit Congreg. Oratorii presbyter Joannes Morinus in Bibliis Polyglottis Parisiensibus e codice M. S., quem Petrus a Valle 1616 Damasci emerat. Huic accesserunt novi codices, ita ut nunc in bibliothecis Europaeis 16 codices, vel integri vel mutili, numerentur.

Scriptus est textus in charta pergamena, sine literis majusculis, minusculis inversis et suspensis absque vocalium et accentuum signis, in pericopas (Kazin) majores et minores divisus, ac singulae voces ab invicem puncto distinctae adparent; in fine adjecta est historia et annus descriptionis, nonnunquam etiam nomen librarii. Codices seculo XI. non sunt antiquiores. Confer Kennicott (Dissertat. general. ed. Bruns pag. 359), Gesenium (de Pentat. Sam. origine, indole et auct. Hal. 1815, pag. 17). Nova editio Pent. Samaritani procuratur ab A. de Gall.

2) J. Morinus (Exercit. eccles. in utrumque Sam. Pent. Par. 1631, pag. 62); Kennicott (Diss. II. super ratione textus ed. Teller pag. 108), Carpzov (Critica I. pag. 602); Jahn (Einl. I, 412); Herbst, I. 93; Haneberg (Ges. 184).

3) Quum juxta legem tota vita Hebraeorum religiosa, politica et familiaris esset instituenda, ea variis exemplaribus in manibus non tantum Levitarum, sed et Israelitarum versari debebat, idque etiam in regno Israel (3 Reg. 19, 18), quod suos prophetas (Eliam, Hoseam et alios) et Bethele scholam propheticam habuit. Odium mutuum radices habuit in origine Samaritanorum, magnam partem gentili, imo jam in avita zelotypia tribuum Ephraim et Juda, quod aetate Esrae multum crevit; tanto odio saeviente Samaritani nullo modo Pentateuchum pro norma suae fidei et codice civili a Judaeis acceptassent. Retinuerunt cum lingua sancta etiam characterem scripturae prisco-hebraicae, dum Esras vel Nehemias scripturam quadratam introduxit. Ad rejiciendos reliquos libros sacros inducebantur motivis specialibus aut religiosis (quia v. g. in Libris Davidicis et Salomonicis sanctuarium urgetur in Sion), aut politicis (v. g. quia in libro Josue divisio terrae sanctae et dignitas ordinis sacri singulariter asseritur). Confer Gesenium, De Pent. Sam. pag. 4. Nota 9.

4) Ast verba: *ut doceret eos legitima Dei terrae* (4 Reg. 17, 27) supponunt rationem cultus, quo Deus in hac terra ab Hebraeis antea colebatur. Codex autem, quem sacerdos israel. ex Assyria portavit, erat ex eis, qui etiam in regno Israel conservabantur inde ab aetate. qua cum Judaeis unum constituebant populum, ergo inde a schismate, quique a captivis in Assyriam sunt delati. Confer Cornely l. c. §. 93.

5) Richardus Simon (Hist. cr. I, 10), Hottinger, Steph. Morinus (In diss. de orig. et prog. etc. pag. 681), Gesenius l. c., Hupfeld (St. u. Kr. 1830, pag. 280); Hengstenberg (Beitr. II, 39 seq.).

6) Ast *ad a)* Cuthaei idiomate hebraeo per sacerdotem instituebantur, id eo magis necessarium erat, quia haud pauci Israelitae in terra sua remanserant. Sacerdos autem libro legis egebat tum pro se tum pro relictis Israelitis tum pro Cuthaeis, quos ad fidem voluit convertere, *ad b)* Samaritani sine Peutateucho, prius apud eos usitato, Manassen vix suscepissent, et hic prius locos illos eliminasset, quibus causam suae defectionis, connubium cum alienigena, severe sciverat taxatum. *ad c)* A lege non observata non est concludendum, Samaritanos Legem non novisse nec habuisse. Nec Dominum nec Apostolos Samaritanos pro meris gentilibus tractasse, docet sermo Christi cum muliere Samaritana, et Act. 1, 8; 11, 18.

ad d) Constat partes libri Josue in cronico Samaritano de Josue nominato, multis fabellis auctas, revera conservari. *ad e)* Confer infra.

Auctorem codicis Samaritani, in synagoga Samaritanorum Naplusae (Sichem) conservati, qui in charta pergamena nitidis literis est exaratus, Neosamaritani jactitant esse Phinees, Eleazari pontificis filium, qui illum conscripserit anno 13. post ingressum Israelitarum in regionem Chanaan. Confer Petermann, Pent. Sam. 1885.

2) Pentateuchus hic, quem jam ss. Patres citarunt[1]), lectionibus variantibus scatet, quae pro merito jam e sua indole[2]) dijudicari possunt. Samaritani enim liberiores fuerunt in descriptione, imo aperte locos quosdam licentius emendarunt, alios addiderunt vel suppleverunt. Hinc relatio ejus ad Pentateuchum hebraicum et auctoritas statuenda est sequens: uterque vim et auctoritatem textus primigenii, eandem quoad substantiam integritatem, suas perfectiones aeque ac vitia habet, mutuam igitur ambo opem sibi ferunt, qua de causa sententia nec eorum, qui Pentateuchum Samaritanum ubique praeferendum atque authenticum Moysis exemplar esse censent[3]), nec illorum, qui Hebraico praecellentiam supra Samaritanum codicem conciliant hunc que rejiciunt[4]), acceptari potest. Inter omnes has differentias textus hebraici et masorethici ne una quidem est, quae fidem aut mores attingat.

1) Tale esse hodiernum exemplar, quale ante mille et amplius annos fuerit, patet ex Origene, Eusebio, Cyrillo Alex. (ad gen. 4): *„Egrediamur foras“ in codicibus Samaritanis legi dicunt;* similiter Hieronymus (in Gal. 3, 10: in Ezech. 9) et Procopius Gaz. (in Deut. 1, 6 et Num. 10, 10): *Eadem leguntur in codicibus hodiernis Samaritanis . . . qui easdem differentias notant, quas nunc observamus.* Confer Morinum (Exerc. 3, 1), Walton (Prolegomen. XI, 14).

2) Variantes omnes, quas recenset Gesenius (l. c. 58), triplicis generis sunt: *a)* lectiones, quas Samaritani ipsi textui intulerunt α) ad textum e parallelis locis supplendum, quos mox abbreviarunt (Exod. 18, 24); mox ampliarunt (Exod. 6, 9), mox integros interpolarunt v. g. בנו pro אחיו Gen. 37, 4 coll. v. 3, vel β) ad illum cum suis sententiis religiosis ac hermeneuticis conciliandum, quo referendae sunt mutationes expressionum, quae sanctitatem numinis divini concernunt, nam Samaritani doctrinam de Deo uno ita urgent, ut vel minimam polytheismi suspicionem defugiant, quare pro constructione vocis Elohim cum plurali (Gen. 20, 13; 31, 53; 35, 7; Ex. 22, 8) singularem substituunt aut mitigatio anthropomorphismorum et anthropopathismorum, qui majestati divinae haud satis convenire videntur, vel γ) cum legibus grammaticis linguae sam., v. g. scriptio plena pro defectiva, omissio literarum paragogicarum, aut rationes orthographicae. In hanc classem referenda est supputandi Patriarcharum tempora ratio, quae differt ab illa textus hebraei, *b)* Lectiones, quae e negligentia amanuensium sunt oxortae v. g. omisso vocum, permutatio literarum similium, *c)* lectiones, quae jam in illorum exemplari, e quo desumtus est Pentateuchus Sam., exstiterant, quia et in versionibus antiquissimis, a Pentateucho Sam. non dependentibus, inveninutur. Nonnisi hae ultimae lectiones, quarum perpaucae tantum genuinae textus originarii censeri possunt, pro re critica textus hebraei momentum habent. Confer Walton (Prol. X. 17, 18), Gesenium l. c. Petermann (Abhdl. f. d. Kunde des Morgenld. 1872, V. 1. pag. 219).

3) Propter magnam Pentateuchi Sam. cum versione LXX. in plus quam mille locis, contra textum masorethicum conformitatem, ad hanc sententiam abierunt: J. Morinus, Capellus (Crit. 1. 204); Houbigantius (Prol. in scrip. s. Par. 1746); Kennicott, de Rossi (Proleg. ad var. lect.).

4) Simon de Muis (Assert. verit, heb. ad exerc. eccl. Morini. Par. 1631), Hottinger (Exerc. Anti-Morin. Tig. 1644), Steph. Morinus (Exerc. de ling. prim. Traj. 1694), Buxtorf (Antic. II, 6), Carpzov (Crit. s.), Rau (Exerc. phil. in Houb. Prol.).

5) Nonnulli accusant Samaritanos, eos ob dogmaticam quandam rationem (templi sc. aedificationem in Garizim justificandam) in Dt. 27, 4 pro Ebal posuisse Garizim; sed perbene observat de Rossi (Var. II, 58): *Optime interpretationem hanc, salva publica fide rationis, a privato aliquo critico sive samaritano, sive Israelita fieri potuisse, qui ex conjectura locum mutavit; aptius enim electioni congruere Garizim, montem benedictionis, quam Hebal.*

§. 112. Codices hebraici et graeci.

A. Codices hebraici manuscripti et impressi.

1) Judaei eruditi, seculo XI. ex Oriente in Europam advenientes, plures codices sacros importarunt, qui seculo XII. et XIII. primum in Hispania, dein in Italia et Germania describebantur. Ex his viris eminebant Abenesra Maimonides, Salomo Jarchi, Joseph et David Kimchi, Levi Ben Gersom; hi generatim recensionem masorethicam sequebantur. Codices manuscripti hebraici A. T. hucusque conservati, seculo X. recentiores[1]), aut sunt volumina[2]), quae praelectionibus publicis in synagoga inserviebant (Synagogenrollen), aut codices M. S. privati; illa, plerumque Pentateuchum et reliquos libros liturgicos (Megilloth) complectentia, scripturam exhibent quadratam, punctis non instructam; hi autem, qui vel omnes (raro) vel plerosque V. T. Libros continent, scripti sunt scripturâ quadrata (cum interpunctione) vel rabbinice inflexa.

1) Dividuuntur Codices ratione patriae in Hispanos (elegantiores), Germanicos (rudiores), Italos, Orientales et mixtos. Bibliotheca Professoris de Rossi Parmae fere 800 codices hebraicos continet. Inter antiquissimos pertinent: Codex (634 col. de Rossi) Lev. 21, 19 usque Num. 1, 50, probabiliter e seculo VIII., codex Malabaricus (pars Pentateuchi) ex insula Malabar in Europam a Buchanan anno 1806 allatus, Odessenus (Osea, Joel) ex anno 916; codex Viennensis (proph. et hagiog.) ex anno 1018, qui duas habet columnas, codex Reuchlianus (Proph cum Targ.) ex anno 1106. Codex prophetarum babylonicus anno 915 et integer Bibliorum codex 1009 conscripti Petropoli asservantur. Plures sunt seculo XI. et XII. posteriores. De codicibus M. S. confer Carpzov (Crit. s. I. 8), Kennicott (diss. gen. in V. T. p. 334 etc.), de Rossi, M. S. codices heb. 3 Vol. Par. 1803—1804. Scholz (l. c. I. §. 130), Herbst (I. §. 45). Harkavy et Strach, Katal. d. heb. Bibel. Strach, Proph. cod. babyl. Petrop. 1876. Steinschneider, Vorles. ü. d. Kunde heb. Handschriften, d. Sammlungen u. Verzeichnisse. Leipz. 1897.

2) Volumina continent aut Pentateuchum aut Haphtaras, et juxta regulas strictissimas, in tractatu Sopherim explicatas, diligentissime in charta pergamena vel membranis, ex animali puro factis, quae circa bacillum circumvolvuntur, atramento nigro, sine vocalibus et accentibus, sunt exarata. Cum exemplaria usu detrita comburerentur aut infoderentur (Carpzov l. c. p. 373), paucissima tantum a Christianis requiri poterant. Codices M. S. privati seu profani exarati sunt in membranâ, papyro vel byssino, varia forma, literis initialibus et punctis coloratis; qui scripturâ quadratâ scripti sunt, adjunctam plerumque habent Masoram, chaldaicam versionem vel etiam commentarium rabbinicum; scripturâ vero rabbinica exarati punctis et Masora carent, abbreviaturis abundant, textui plerumque versio quaedam (arabica) est annexa. Singuli libri, quorum ordo in diversis exemplaribus est diversus, per intervalla sunt distincti. Herbst. Einl. (§. 42, 43).

2) Ad normam codicum manuscriptorum textus hebraicus pluries mandabatur typis; primum excusum fuit anno 1477 Psalterium hebraicum

cum commentariis Kimchi; textus caret punctis et vocalibus[1]). Secutae autem sunt tres editiones praecipuae, e quibus reliquae immediate manarunt, et quidem prima editio est Biblia hebraica Soncinensia (1488, editio prima christiana), repetita in Brixiensi (1494), appositis vocalibus et accentibus sine Masora; secunda est Biblia Polyglotta Complutensia (1514—1517), quae textum hebraicum ad M. S. codices expressum cum punctis vocalibus, sine accentibus exhibent, ac tertia Bombergiana secunda (Venetiis 1525—26, 2 Vol. fol.), plurimarum sequentium editionum mater. Nonnullae rursus ad M. S. codices emendatae sunt, uti editio a Buxtorfio (Bas. 1611 et 1618) procurata. Inter optimas recentiores habentur: Editio Jos. Athiae (Amstel. 1661—67) et E. van der Hooght (Amstel. 1705), quibusdam lectionibus variantibus instructa; posterior saepius repetita est, v. g. in editione stereotypa Lipsiae cusa ab A. Hahn 1832 (4. ed. 1859) et Theile, Lips. 1849 (3. ed. 1867). Biblica heb. a Ginsburg ed. 2. ed. Lond. 1906. — Maxime vero laudanda est editio a Kittel procurata: Bibl. heb. Lips. 1905—6 propter apparatum criticum. Singuli libri textus Hebr. bene editi sunt a Baer adjuvante Delitzsch Lips. 1869—1888.

1) Anno 1842 Bononiae prodiit Pentateuchus cum paraphrasi Onkelosi; anno 1485 ad 1486 edita sunt Soncini prophetae priores et posteriores ac 1487 Neapoli hagiographa. Polyglottorum Complutensium antiquissima editio a Christianis (Card. Franc. Ximenes) procurata fuit. Primam editionem edidit Daniel Bombergus Venetiis 1518 cura Felicis Pratensis Judaeochristiani, eamque studio R. Jacob Ben Chajim emendatam (1525—26) recudit; textui adjunctae sunt Masora cum instructione Chajim, lectiones variantes Ben Ascher et Ben Naphtali, interpretationes hebraicae et chaldaicae. Textum Bibliorum Complutensium et Bombergianorum mixtum exhibent Biblia Polyglotta Antverpiensia 1569 ad 1572 et Biblia cura Eliae Hutter, Hamb. 1587. Confer Herbst (§. 47), Le Long et Masch (Bibliotheca s. Hal. 1777, I. p. 5—148).

3) Multam in codicibus hebraicis examinandis ac variantibus lectionibus colligendis operam contulerunt praeter Bombergum et Buxtorfium etiam Menachem de Lonzano, S. Norzi, S. Münster (1536), J. H. Michaelis (1620), Houbigantius (1753); ante omnes vero Benj. Kennicott (1776 ad 1780) ac J. Bern. de Rossi (1784—98).

Kennicott († 1783), professor Oxonii, ope sociorum, praeprimis P. J. Bruns adhibita, 615 codices M. S., 52 editiones et Talmudem inspexit ac infinitam variantium copiam collegit et edidit: »V. T. hebraicum cum variis lectionibus Oxonii 1776—80. 2 Tom fol.« Post Kennicott eximie de textu A. T. meritus est Bernard. de Rossi, S. Theologiae Doctor in Academia Parmensi († 1831), qui opus Kennicotti collatis 731 codicibus M. S., 352 aliis editionibus ac versionibus antiquis nec non commentariis rabbinicis correxit auxitque et universum apparatum criticum exhibuit: »Variae lectiones V. T. ex immensa M. S. editorumque codicum congerie haustae et ad Samaritanum textum, ad vetustissimas versiones, ad accuratiores sacrae criticae fontes ac leges examinatae. Parmae 1784—88, 4 Vol.«, quibus superaddita sunt: »Scholia critica in V. T. libros seu supplementa ad varias sacri textus lectiones. Parm. 1798.« Epitomen ex his variantibus lectionibus ediderunt cum Bibliis hebraicis J. C. Döderlein et J. H. Meißner, Lips. 1793 (nova ed. a Knapp 1818), ac J. Jahn, Viennae 1806. De revisione textus hebraici confer Kittel l. c. et König, Neueste Principien der alttest. Kritik, Gr.-Lichterfelde 1902, Diebus nostris textus hebraici editionem criticam procurant e Protestantibus Paulus Haupt: The Sacred Books of the Old Test. in

Hebrew (editi sunt hucusque libri Genesis, Isaiah, Daniel, Chronicles, Judges, Numbers, Ezekiel, Esra and Nehemia, Proverbs) et e Catholicis Nivard Schlögl O. C., Canticum Cant.

B. Codices graeci manuscripti et impressi.

1) Codices M. S. LXX versionis, qui adhuc supersunt[1]), seculo IV. antiquiores non sunt nec textum purum exhibent, eo minus codices typis editi; praecipui eorum sunt: codex Vaticanus[2]) *(B)*, codex Alexandrinus[3]) *(A)*, Sinaiticus (ℵ, Sin.)[4]) et codex Parisiensis vel codex Ephraemi[5]) rescriptus *(C)*. Codices M. S. graeci scripti sunt literis uncialibus seu majusculis[6]); scriptura ita comparata est, ut voces vocibus sine intervallo jungantur; in cod *B* et ℵ rarissima est interpunctio, ut ergo singulae cujusvis paginae columnae (duae, tres vel quatuor) unam quasi phrasin efforment.

1) Hodie 400 circiter codices (in Europa et Oriente dispersi) cogniti sunt, inter quos fere 50, uncialibus literis conscripti, seculo X. sunt antiquiores. Ex his ne 10 quidem integrum A. T. complectuntur. Confer Tischendorf, V. T. graece. ed. 6. 1880 Prol. pg. XLI.

2) Codex Vaticanus, e medio seculo IV., utrumque continet Testamentum (perierunt Gen. 1—46, 27; Ps. 105, 27—137, 6; 1 et 2 Mach.); character ejus: membrana tenerrima, literarum uncialium genus purum, nullae literae distinctim initiales, interpunctio rarissima et plerumque spatio vacuo compensata, trium columnarum usus et orthographia antiquissima.

3) Codex Alexandrinus, a Cyrillo Lucari, patriarcha Constantinopolitano, Carolo I., Angliae regi, dono datus 1628 et nunc in museo britannico conservatus, continet utrumque fere integrum Testamentum. Singulae paginae in binas columnas divisae sunt. Probabiliter in prima parte seculi V. conscriptus est.

4) Codex Sinaiticus Petropolitanus (ℵ Petrop. 1862. 4 Fol.), una cum codice Friderico-Augustano (FA., qui nonnulla fragmenta ejusdem codicis M. S. Sinaitici prius jam 1846 publicata amplectitur), continet ex A. T.: Tob. Judith, 1 et 4 Mach., Is., minores prophetas (exceptis Osee, Amos., Mich.), 6 libros poeticos et fragmenta 1. Chr. et Jerem. atque totum N. T. Fuit a C. Tischendorf annis 1844 et 1859 repertus in monasterio s. Catharinae montis Sinai, et Vaticano antiquior (e tempore Constantini M.) a nonnullis censetur; probabiliter tamen ad finem seculi IV. est referendus. Confer Tischendorf (Aus d. hl. Lande p. 108 seq. et Notitia editionis cod. bibl. Sinait . . . Lips. 1860). Indicia: membrana tenuis et sufflava, constat quaeternionibus, quorum series numero notato distinguitur; atramentum plerumqe fuscum, interpunctio rarissima, orthographia alexandrina, scriptura simplex et pura atque magna inscriptionum simplicitas. Editus est forma primaria (facsimile) a Tischendorf 1862. Confer Brugsch, Neue Bruchstücke des Codex Sin. 1875.

5) Codex iste vocatur codex Ephraimi rescriptus, quia tractatibus Ephraimi Syri superscriptus est. Ipse medio seculo quinto, probabiliter Alexandriae, certe in Aegypto exaratus, dein in Syriam et Constantinopolin advectus, seculo XII. manum ejus expertus est, qui antiquis deletis nova superscripsit. A. Lascaris eum in Italam attulit, unde bibliothecae regiae Parisiensis factus est. Editus est a Tischendorf 1843. Continet fragmenta tantum ex A. T. sc. librorum sapientialium, quas vide apud Tischendorf: V. Test graec. Lips. 1869. Proleg. pag. LXXX.

6) Scriptura antiquissima Graecorum erat scriptura uncialis cum literis majusculis, quae formam plus minus quadratam, paulisper rotundatam exhibent sine ullis ligaturis, ac magnam cum characteribus phoeniciis habent similitudinem.

Praeter hanc scripturam, quae documentis in papyro vel membrana scribendis inserviebat, jam seculo secundo ante Ch. nota erat alia scriptura, cursiva, quae literas minores, magis rotundas et invicem junctas exhibebat. Scriptura uncialis usque ad initium seculi X.

in codicibus graecis sacris utitata erat. Voces plerumque abbreviantur, positâ scilicet lineola super literas initiales et finales, v. g. ΘΥ; desunt Jota subscriptum, spiritus et accentus. Ineunte seculo IX. etiam minusculae literae ad ss. codices scribendos adhibitae sunt, et post seculum X. majusculae omnino disparent. Transcriptio nullum influxum essentialiter alterantem in ipsum textum exseruit, uti probant codices unicales adhuc conservati.

2) Ad normam codicis Vaticani impressae sunt editiones, inter quas eminet editio auctoritate Sixti V. facta[1]). De codice Alexandrino editionem procuravit Grabe[2]), diversam a romana. Ex his duabus editionibus manarunt fere omnes reliquae. Editionem apparatu critico instructam procurarunt Holmes et Parsons[3]).

1) Prima LXX editio impressa habetur in Bibliis Polyglottis Complutensibus (1514—17), repetita in Polig. Antverpiensibus (1571) et Parisiensibus (1645). Secunda editio est Aldina Venet. 1518, ab Aldino Manutio e veteribus exemplaribus edita, cura Andreae Asulani. His praestat editio tertia Romana vel Sixtina, quam Sixtus V. Papa, curante Card. Carafa, edidit e codice Vaticano, collatis aliis codicibus M. S., cui et appositae sunt variantes (V. T. juxta LXX ex auctoritate Sixti V. P. M. editum Romae 1587. Fol.); haec editio rursus saepissime typis excusa est. Liber Daniel in hac editione editus et juxta versionem Theodotionis. V. T. cum variis lectionibus ediderunt Holmes et Parsons Oxf. 1798—1827. Novam et accuratam codicis Vaticani editionem A. (et N.) T., suppletis quae deerant, ex aliis codicibus edidit Card. Angelus Maius (curante C. Vercellone Barnabita) Rom. 1857, 5 Fol. Succesit Bibliorum sacrorum graecus codex Vaticanus collatis studiis a Vercellone et J. Cozza editus V. (N.) T. Rom. 1868 seq, 5 Fol., cujus ratione habita pro C. de Tischendorf anno 1874 defuncto R. Nestle publicavit editionem emendatam (7. anno 1887) manualem cum apparatu critico, varias codicum, etiam Sinaitici, lectiones exhibente, et cum utilissimis prolegomenis, in qua Daniel habetur juxta Theodotionem et LXX simul. V. Loch (1866) edidit V. T. juxta LXX e codice vaticano suppletis lacunis e codice Alexandrino et e Bibliis Polyglottis. Accedit V. T. LXX tertia editio a L. v. Ess (1887). Sed etiam haec Sixtina editio primitivum LXX textum purum et ab omnibus junioribus corruptionibus immunem non exhibet. Editionem criticam curavit Swete, The Old. Test. in Greek according to the Septuagint, 2 Vol. 1887—1891. Novissime Brook et Lean textum graecum edidit, in qua editione non solum codices unciales, sed etiam celebriores manuscriptos minusculos respiciunt.

2) Ernestus Grabe, Origenes labores imitatus, editionem suam (V. T. LXX interpretum e codice Alexandrino Oxon. 1709—20. 4 Fol.) asteriscis et obelis instruxit. Eum et Breitingerum (Tig. Helv. 1730—34. 4 Pol.) superavit Henr. Baber (V. T. graecum e cod. Alex. . . . typis ad similitudinem ipsius codicis fideliter descriptum. Lond 1816—28. 4 Fol.).

3) V. T. graece cum variis lectionibus ed. a R. Holmes Oxon. 1798; tom. II.—V. edidit Parsons 1810—27). — Fragmenta prophetarum e codice seculi VII. edidit J. Cozza, S. Bibliorum vetustissima fragmenta ex palimpsesto Romae 1867. Nova studia critica circa editiones LXX versionis subierunt Field (Orig. hex. Prol. 9) et P. de Lagarde (Lib. V. T. pars I. graece 1883).

§. 113. Divisio textus.

1) Primo codex Legis ab initio ad finem absque intervallis scribebatur, ut quasi unum versum constitueret. Post exilium babylonicum Pentateuchus, cujus pars singulis sabbatis in synagogis (Act. 13, 15; 15, 21; 2 Cor. 3, 15) praelegebatur, divisus est in 54 sectiones (Paraschas vel Sidras), quae certis intervallis distinguebantur. Paraschis correspondebant Haphtarae i. e. sectiones librorum propheticorum, quae recitationem Legis excipiebant.

Paraschae (a פָּרָשָׁה = *divisio, sectio*) dividuntur in פְּתוּחוֹת *apertas*, quae a linea initiabantur, et סְתוּמוֹת *clausas*, quae relicto intervallo eandem lineam prosequebantur, hinc initium parascharum majorum per ם ם ם et פ פ פ notabatur. Paraschae hae (majores) rursus in minores (669 in Pentateucho), פ et ם signatas, dividebantur, quas nonnulli illis antiquiores habent et e tempore, quo libri sacri praelegi coeperunt, repetunt.

Haphtarae (הַפְטָרוֹת = *dimissio*) sectiones propheticae (85) ideo vocabantur, quia iis lectis lectio sabbatica finita et populus dimissus est; hinc lector hujus lectionis propheticae vocatur dimittens, qui coetum solet dimittere. Confer Vitringa (de syn. vet. p. 994). Quaenam vero haphtarae certis diebus festis praelegerentur, seriore tempore fixum est. Serius analoge etiam reliqui libri in diversa segmenta (Sedarim) et quaevis sidra in 7 capita dividebantur. Divisio haec tempore R. Rab et R. Samuel (188—250 p. Ch.) jam exstitit. Confer Fürst (Culturg. 61), Zunz (Gottesdienst. Vorträge der Juden. 3), Herzfeld (Geschichte d. V. Israel XII, 210). His similia sunt segmenta (קְצִיצִין) textus samaritani et versionum antiquissimarum, quae jam s. Hieronymus in textu graeco et latino qua κεφάλαια et *capitula, titulos breves* adducit ac in singulis versionibus discrepare innuit; nam ait in Sap. 3, 14: *Non videtur mirum, aliter hebraica capitula et aliter LXX graeca videlicet latinaque fieri.* Confer in Mich. 6, 9. Origenes et Hieronymus textum in commentariis suis pro commodo suo in περικοπάς et *capitula* diviserunt. Antiquitus loci secundum suum argumentum citabantur, v. g. Marc. 12, 26 ἐν τῇ βίβλῳ Μωσέως ἐπὶ τῆς βάτου col. Exod. 3; Marc. 2, 25 col. 1 Sam. 21 et 22; Rom. 11, 2 ἐν Ἠλιᾷ (2 Reg. 19) τί λέγει ἡ γραφή.

2) Mox jam libri prosaici, quo facilius intelligi et praelegi possent, divisi sunt in incisa[1]), פְּסוּקִים, nostris versibus similia, quae numerabantur. In libris poëticis jam primis aerae christianae seculis textus hebraicus et versiones LXX ac Itala in στίχους (versus) atque in κῶλα et κόμματα (caesa) dividebantur[2]). S. Hieronymus, Origenem imitando, propheticos libros Vulgatae suae in cola et commata, ac historicos in cola divisit[3]).

1) Finis alicujus sententiae primo nec signo aliquo neque intervallo indicabatur, sed voce ex usu notata (סִימָנִים), serius, a seculo XII, signis scilicet Soph-Pasuk. Scriptura stichica erat illa scribendi ratio, pro qua voces, quae in sententia conjungendae sunt ideoque unum incisum constituunt, unam lineolam formabant. Confer Bibl. s. lat. V. T. in stichos descripta a Th. Heyse et Tischendorf, Lips. 1873.

2) Epiphanius (de pond et mens. 14): Πέντε στιχήρεις ἡ τοῦ Ἰώβ βίβλος, εἶτα τὸ ψαλτήριον Παροιμίαι Σαλομῶντος . . . Chrysostomus (in Ps. 41). Hieronymus (ad Ps. 17, 13 *Quaeritis, cur graecus istum versiculum secundo non habeat interpositis duobus versibus.*

3) Eusebius (h. c. 6, 16): *Has omnes interpretationes et per cola ac membra distinxit (Origenes).* Hieronymus (Praef. in Jes.): *Nemo, cum prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos aestimet apud Hebraeos ligari et aliquid simile haberi de Psalmis et operibus Salomonis; sed quod in Demosthene et in Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt, nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.* In Ezech.: *Legite et hunc juxta translationem nostram, quoniam per cola scriptus et commata, manifestiorem legentibus sensum tribuit.* Confer Reinke, Bt. VII, §. 6.

3) Divisio Librorum ss. in capita et versiculos, nunc usitata, seculo XIII. primo in Vulgata latina introducta, deinde in versione LXX, et seculo XV. etiam in textu hebraico adoptata est.

Haec dividendi ratio ad locos citatos, in concordantiis biblicis facilius inveniendos, introducta est per Cardinalem Hugonem a s. Caro, teste Gilberto Genebrardo (Chron. l. 4. p. 614): *Circa hoc tempus* (1240) *Biblia in capitula, quae hodie habemus, distinguuntur. Scholasticorum videtur esse inventum eorum fortasse, qui cum Hugone Cardinali Concordantium fuerunt auctores. Nam ante ista tempora theologi superiores ea non usurpant,*

inferiores frequenter. Concordantiis hebraicis primus eam intulit R. Isaac Nathan circa annum 1448, inde in Biblia hebraica haec divisio transiit; Biblia Bombergiana II. (Venetiis 1529) primo exhibent Scripturam in capita divisam. Quodlibet caput rursus per literas a. b. c. d. e. f. g. in septem minores partem dividebatur, uti adhuc observatur in Missali romano et Breviario, donec typographus Parisiensis Robertus Stephanus (Etienne) anno 1555 in Vulgata latina versus signavit numeris, e qua versione rursus institutum hoc in Biblia hebraica (1557 in Pentateuchum et 1661 in reliquos libros) translatum est. Divisio Capitum in versus valde arbitraria est, ita ut saepe nexum sententiarum turbet. Papa Sixtus V. hanc divisionem corrigere studebat, sed frustra. Divisionibus logicis Biblia Vulg. ornavit A. Fillion Paris 1887.

Sectio tertia.

Historia propagationis Librorum ss. in Versionibus.

§. 114. Versiones.

Necessitate cogente originalis textus Librorum sacrorum A. T. jam antiquissimis temporibus, tum per Judaeos tum per Christianos in varias linguas (versiones) translatus est, atque ita omnibus populis et nationibus pervius fiebat. Solent autem versiones distingui immediatae et mediatae, orientales et occidentales, antiquiores et recentiores.

Quum Judaei in diaspora viventes linguam hebraicam non callerent, versiones eis necessario conficiendae erant. Apud Christianos origo versionum plerumque cum praedicatione evangelii cohaerebat. Pretium versionum pro varia indole, scopo et aetate, qua instituebantur, est varium. Pro re critica praeferendae sunt versiones immediatae seu directae, ex ipso textu originali confectae: nam versiones mediatae vel indirectae proxime inserviunt dilucidandae versioni, e qua emanarunt, ac mediate demum textui originali.

A. Versiones Graecae.

§. 115. *a)* Versio Alexandrina.

1) Usui Judaeorum, qui, numerosissimi in Aegypto degentes, lingua utebantur graeca, anno 285 ante Chr. Alexandriae Pentateuchus translatus est in linguam graecam, quae versio, posthac interpretatione ceterorum quoque Librorum aucta, dici solet Alexandrina vel versio Septuaginta (LXX, οἱ ὁ).

Aristobolus, philosophus Judaeus, qui tempore Ptolomaei VII. Philometoris floruit, tradit, jam ante Demetrium Phalereum Libros ss. graece redditos esse, testibus Eusebio Praep. 13, 12) et Clemente Alex. (Strom. 1, 22), quod tamen negant Josephus Fl. (contr. Ap.) et Philo (vita Moys. l. 2). Fors quaedam tantum partes s. Scripturae vel Pentateuchi graecae sunt factae.

Primus historiam versionis LXX contexuit Aristeas (vel Aristaeus), Ptolomaei Philadelphi, ut fertur, aequalis et amicus, in epistola ad Philocraten, cujus textum, saepissime vulgatum (v. g. a. Humfr. Hodio, De Bibl. text.; Van Dale, Dissertatio super Aristea, 705), videsis etiam in Merx Archiv I, 241 seq. Narrat Aristeas, Ptolemaeum Philadelphum, suadente Demetrio Phalereo, bibliothecae regiae praefecto docto graeco, legatos misisse Hiero-

solymam ad Eleazarum pontificem, rogantes, ut sibi copia fieret librorum Legis Judaeorum ac simul viros peritos mitteret, qui hosce pro bibliotheca Alexandrina in linguam graecam transferrent. Eleazarum lubenter annuisse petitioni, tradidisse libros, eleganter aureis literis descriptos in pergamena, ac delegasse etiam LXXII interpretes, senos e duodecim tribubus Israel, qui a rege humanissime excepti, in splendida domo insulae Phari prope littus extructa, per dies 72 studio diligentissimo vacaverint Legi interpretandae. Labore confecto Demetrium versionem praelegisse coram Judaeis omnibus congregatis, qui eam plaudentes approbaverint: *Quoniam recte, sancte et per omnia accurate perfecta est ista interpretatio, par est, ut omnia permaneant in suo habitu nec ulla fiat immutatio,* atque regem mandasse, ut isti ss. codices graeci in biblitheca alexandrina religiose asservarentur.

Abbreviando haec referunt Josephus (Ant. XII. 2, 2), Philo (vit. Mos. 2, 6), qui insuper addit, interpretes solitarios et ab invicem separatos ita vertisse, *ut non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter*, et Eusebius (dem. ev. 8). Consentiunt ss. Patres, docentes, versionem LXX Alexandriae confectam esse a 72 interpretibus qui separatim in 72 cellulis (Justinus, Exh. ad Gr. 13; Irenaeus c. haec. 3, 21, 2. Clemens Alex, Strom. 1, 22, Cyrillus Hier. cat. 4, 3, 4, Augustinus Civ. D. 18, 42; doct. chr. 2, 15 et Talmud, Gem. hier. Soph. 1, 8), vel juxta aliam relationem (Philonem l. c. Epiphanium, pond. et mens. 3, 6, 9—11) bini in cellulis inclusi, tam mire transtulerint, ut non solum in sententiis, sed etiam verbis consentirent. Addunt (Philastrius, Haer. 142—146, Tertullianus, Apol. 18), versionem hanc cum textu hebraico repositam fuisse in templo Serapidis vel Serapeo, ubi celebris illa bibliotheca existebat.

Quamvis plura insint huicce historiae ad veritatem exornandam adjecta, v. g. de cellulis, de quibus jam scripsit Hieronymus (Praef. in Pent.): *Nescio, quis primus auctor 70 cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristeas . . . et Josephus nil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant non prophetasse,* minime tamen omnia censeri possunt falsa et ficta, quae in ista epistola (Pseudo-Aristeae) continentur, uti volunt Scaliger, Valesius et post hos Hody (de Bibl. text. origin. Oxon. 1705), Van Dale (diss. super Aristea 1705) et alii, quibus se opposuerunt Usserius (de graec. LXX vers. syntagma 1695, Cap. 1), Simon de Magistris et Greenfeld Anglus (Apol. pro LXX, Lond. 1850), et juste quidem; nam ss. Patres supra citati nequaquam e solo Aristeae fonte, non satis locuplete, quod narrant, hauserunt, sed e diversis fontibus, uti ipsorum relationes, partim discrepantes, indicant. Dum Hieronymus, Theodoretus et alii cum Aristea, Aristobulo, Josepho, Justino, Tertulliano et Epiphano unanimiter tradunt, versionem LXX tempore Ptolomaei Philadelphi eoque auspice confectam esse, Irenaeus et Clemens Alex. eam sub Ptolomaei Lagi adornatam contendunt. Quia Ptolomaeus Philadelphus duobus annis regnum cum patre simul obtinebat, haec discrepantia bene solvitur, si dicamus, vivente adhuc Ptolemaeo Lagi, simul jam regnante Philadelpho, ergo circa annum 285 a. Ch., versionem LXX initium habuisse, quod et asserit Anatolius Alex. (ap. Euseb. h. e. 7, 32): *Sacra Hebraeorum volumina a LXX interpretibus graeco sermone interpretata esse in gratiam Ptolemaei Philadelphi et patris ipsius.* Quod attinet numerum interpretum, praeter Talmud (Gem. hier. Soph. 1. 7), qui quinque tantum memorat, et versionem hanc a collegio 72 seniorum (synedrio) approbatam narrat, omnes fere disertis verbis tradunt, interpretes fuisse LXXII, quorum nomina Aristeas recitat. Quod nonnulli Patres LXX ponunt, id nullam creat difficultatem, quia numerum rotundum adhibent pro LXXII, unde etiam vulgo versio Septuaginta (virorum — LXX, οἱ ὁ) appellatur. Stricte hoc nomen soli versioni Pentateuchi competit, serius tamen etiam ad alios Libros graece versos extensum est.

Si quaeritur, quosnam Libros LXX interpretes transtulerint, defendunt quidem plures (Aristobulus ap. Euseb. pr. ev. 13, 12), Clemens Alex. (strom. 1, 22), Justinus (ap. 1, 31), Irenaeus (c. haer. 2. 21), omnes Libros Canonis hebraei fuisse translatos; sed Liber legis, de quo solo refert Aristeas, stricte de Pentateucho intelligendus est, uti etiam Hieronymus docet (in Ez. 5, 12); *Aristaeus et omnis schola Judaeorum quinque*

tantum libros Moysi a LXX translatos asserunt, et Praef. in qu. heb. in Gen.: *Accedit ad hoc, quod Josephus, qui LXX interpretum ponit historiam, quinque tantum ab eis Moysi libros translatos refert, quos nos quoque confitemur plus quam ceteros cum hebraicis consentire.*

2) Paulo post versionem Pentateuchi etiam reliqui sacri Libri canonis hebraei translati sunt in linguam graecam, et quidem a diversis auctoribus, ita tamen, ut sub Ptolemaeo VII. Euergete, quo scribebat Siracides, versio omnium horum Librorum jam existeret. His tamen additi sunt Libri deuterocanonici, quorum duo originetenus graece exarati erant.

Eadem causa, propter quam Pentateuchus in graecam translatus est, etiam pro versione reliquorum librorum aderat; hanc a diversis interpretibus esse confectam, testatur diversitas linguae et styli in variis libris, ac dein, quod exprimendam eandem locutionem hebraeam vel idem nomen proprium saepe diversa adhibentur verba vel nomina in graeco v. g. אַחַשְׁוֵרוֹשׁ in libro Esrae vertitur Ασσυρῆρος, in libro Esther, Αρταξέρξης: אֲרַם נַהֲרַיִם in Pentateucho: Μεσοποταμία, in libro Judic. Συρία ποταμῶν etc. E verbis Siracidae in prologo: *Deficiunt verba hebraica, quando fuerint translata in alteram linguam; non autem solum haec, sed et ipsa lex et prophetae ceteraque aliorum librorum non parvam habent differentiam*, recte concluditur, versionem graecam omnium; qui existebant, hebraeorum librorum, ipsius tempore i. e. anno 130 a. Ch. jam fuisse finitam. Additamenta deuterocanonica libri Esther anno quarto regis Ptolomaei VI. Philometoris et Cleopatrae sunt translata (Esth. 11, 1 Vulg.). Confer Tüb. Quartalsch. 1870. 257.

3) Versio graeca quoad sermonem plane convenit cum indole textus Librorum deuterocanonicorum graece scriptorum et textus graeci N. T., sunt enim scripti omnes isti libri dialecto, quae, quia in usu vitae communis erat per imperium macedonicum, διάλεκτος κοινή vocabatur. Huic dialecto communi admixtae sunt multae voces et structurae peregrinae, imprimis hebraicae [1]).

1) a) Huc referendi sunt *α)* Alexandrinismi, et quidem α) insuetae radices et formationes vocabulorum, v. g. αἰχμαλωτίζειν capere (Ez. 12, 3), ἀμφιάζεσθαι *induere* (Job. 29, 14), θέριστρον *rica*, Schleier (Cant. 5, 7), πρωτοτοκία *primogenitura* (Gen. 25, 32), σκηνοπηγία *festum encaeniorum* (Dt. 16, 16), φυλάκισσα *custos femina* (Cant. 1, 6). β) Vocibus antiquis substractae novae significationes v. g. ἀγχιστεύειν *redimere* (Es. 2, 62), μετριάζειν *aegrotare* (Neh. 2, 2), διασπορά (Ps. 146, 2), ἱεράτευμα *sacerdotium* (Ex. 19, 6). γ) Formae propriae v. g. ἀγαθοίτατος (Gen. 47, 6), ἦλθοσαν (Ps. 78, 1), ἔδοσαν (Dt. 7, 19), εἶπωσαν (Ps. 34, 25), φαγούμεδα (Gen. 3, 2). δ) Peculiaritates syntacticae v. g. καθαρός ἀπό (Gen. 24, 8), εὐδοκεῖν τι (Eccl. 9, 7), κατέβη λούσασθαι (Ex. 2, 5), ἄξει ἐν πρίσει (Eccl. 2, 14), ἄρχεσθαι cum infinitivo etc. Cf. Deißmann, Bibelstudien, Marburg 1895 et Neue Bibelstudien 1897.

b) Voces aegyptiacae: ἄπις (Jer. 26, 15), βύσσος (2 Por. 2, 14), ἶβις (Lev. 11, 17), ἰφί (Jud. 6, 19), αἰλάμ *limen* (Ez. 40, 6) et multae voces cum ἀρχι compositae, uti: ἀρχιδεσμώτης (Gen. 40, 4), ἀρχιερεύς (Lev. 4, 3), ἀρχιμάγειρος (Jer. 47, 1), ἀρχιστράτηγος (Jos. 5, 15), ἀρχίφυλος (Jos. 21, 1). Confer Hody, De Bibl. text. 113. Thiersch, De Pent. vers. Alex. 1840. §. 12.

c) Hebraismi et quidem: α) voces pure hebraicae et chaldaicae, v. g. ἀριήλ (1 Par. 11, 22), δαρόμ (Ez. 20, 46), μαναά (4 Reg. 8, 9), ναγέβ (Ez. 20, 46), νέβελ (Os. 3, 2), σαβέκ (Gen. 22, 13), χορρί (4 Reg. 11, 4) etc. β) vocibus graecis datae notiones hebraicae: ἅδης *infernus* (Num. 16, 30), δικαιοσύνη *eleemosyna* (Ps. 111, 3), κρίσις *praeceptum* (Dt. 18, 2) et plurima abstracta: ἀσφάλεια *fundamentum* (Ps. 103, 5), ἐξουσία *peculium* (113, 2), γ) constructiones hebraizantes: ἐπίγνώσκειν πρόσωπον *rationem habere* (Dt. 1, 17), nominativi absoluti (Ex. 9, 7; Dt. 4, 3), formatio comparativi per ἀπό = מִן (Gen. 3, 14; Cant. 5, 9; Ps. 92, 3), circumscriptie reflexivi et reciproci pronominis (Jer. 3, 11) voce ψυχή, constructiones

pronominis relativi pleonasticae (Gen. 24, 37; 48, 15; Jer. 2, 6), circumscriptio adverbiorum per verba (4 Reg. 2, 10. Job 29, 1) et conjunctio eorum cum praepositionibus: ἀπό τότε (Ps. 92, 2), usus verbi λέγων = לֵאמֹר in oratione directa (Gen. 1, 22; 15, 1; 22, 20).

4) Quod attinet relationem versionis LXX ad textum masorethicum hoc respectu magna adest differentia in variis libris. Observantur in LXX frequentia additamenta, plures omissiones, inversiones et permutationes[1]), imo et alius librorum ordo. His tamen non obstantibus interpretes produnt nonnullas proprietates communes[2]) et satis accuratam cognitionem linguae hebraicae[3]).

1) In libris Pentateuchi major est consonantia, quam in ceteris, uti jam Hieronymus (heb. quaest.) observabat: *Libros Moysi nos quoque confitemur, plusquam ceteros cum hebraicis consonare.* Hypothesis illa, quae versionem Pentateuchi a diversis interpretibus compilatam esse defendit (Hody, Frankel, Über den Einfluß d. paläst. Exegesse auf d. altt. Hermeneutik, pag. 4 seq.), nequit sustineri. Confer Tiersch (de Pent. vers. alex. l. 3. 1841, pag. 30) et Töpler (de Pent. interp. alex. indole crit. et herm. 1830). Serviliter translati sunt Ecclesiastes et Psalterium, quorum versio, uti librorum propheticorum, saepe saepius discrepat a textu hebraico.

Ad versionem Pentateuchi proxime accedit versio Proverbiorum et librorum historicorum; nihilominus in his, uti in libro Job, Jeremia et Esther, plures mutationes arbitrariae reperiuntur. Liber Danielis tot abundat additamentis paraphrasticis et vitiis, ut Ecclesia loco versionis LXX usa sit versione Theodotionis. Jam. ss. Patres de diversis versionis LXX mutationibus conqueruntur, v. g. s. Hieronymus (Praef. in Jer.): *Ordinem visionum, qui apud Graecos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus;* (ep. 57, 11): *Longum est nunc revolvere, quanta LXX de suo addiderint, quanta dimiserint;* — (in Jer. 29, 14): *Hucusque in LXX non habetur; cetera, in quibus vel singuli versus, vel pauca ab eis praetermissa sunt verba, victus taedio annotare nolui.* Ipse etiam rationem addit: (in quaest. heb. praef.): *Cum illi Ptolemaeo regi mystica quaeque in scripturis sanctis prodere noluerint et maxime ea, quae Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judaei et alterum Deum colere, quos ille Platonis sectator magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur;* — (Praef. in Pent.): *Illi interpretati sunt ante adventum Christi et quod nesciebant, dubiis protulerunt sententiis.* De singulis confer: Bickell (de indole ac ratione vers. alex. in l. Job. 1873), P. de Lagarde (Anmerk. z. grich. Übers. d. Proph. 1863), Wichelhaus (de Jeremiae vers. Alex. 1847), de Isaia confer Genesium (Com. I. 56), Carpzov, Crit. 501, Frankel l. c. 132 seq.

2) Ad proprietates versionis LXX interpretum pertinet, quod semper יהוה vertunt per κύριος, tropos resolvunt (Gen. 49, 15; Is. 9, 14). loco obscoenorum euphemismis utuntur (Gen. 15, 4. Dt. 23, 14. Is. 3, 17), obscurioribus clariora substituunt, explicationis gratia verba nonnulla inserunt, anthropomorphismos evitant (Langen, Judenth. l. c. 201), praeprimis autem vaticinia messiana fideliter verterunt et explicarunt, qua de causa ss. Patres hanc versionem tantopere commendabant.

3) Generatim interpretes elegantiae graecitatis operam debant; non raro verbis tribuebant significationes, quas quidem usus loquendi biblicus non fert, quae tamen in cognatis dialectis inveniuntur; interdum nomina propria etymologice vertebant (Num. 22, 39. Zach. 6, 10) vel cum nomine proprio retento versionem conjungebant (Gen. 3, 20), vel hebraeas voces et ipsis obscuras, literis graecis scriptas retinebant, v. g. Μαεβέρ (3 Reg. 4, 12).

5) Textus primigenius hebraicus, e quo LXX interpretes versionem suam confecerunt, substantia quidem cum textu masorethico congruit, multis tamen locis notabiliter ab eo divergit et pro antiquitate sua haud raro praestantior censeri debet[1]). Non obstante discrepantia hac inter textum

illum originalem, quem LXX prae oculis habuerant, atque masorethicum, nulla quoad res fidei et morum diversitas seu essentialis alteratio observatur, ita ut sit revera versio authentica et proin genuinum revelationis A. T. instrumentum [2]).

1) Interpretes LXX ante oculos habuerunt textum literis samaritanis, sine vocalium signis scriptum; ex hac textus ratione et diversa interpretum indole intellectuali ac methodo interpretandi repetendae sunt lectiones variantes et discrepantiae in versione LXX obviae. Sed inveniuntur quoque variantes, quas jam textus hebraeus septuagintaviralis habuerat et quae partim in notis textus masorethici (Keri, Kethib) continentur, unde et magne consonantia versionis LXX (in Pentateucho) cum recensione Samaritana clarescit. Hinc textus masorethicus in pluribus locis e versione LXX corrigi potest. Exempla vide apud Reinke (Beitr. VII. 112. 223 seq.) et Scholz (der masor. Text und die LXX Übersetz. des B. Jeremias, 1875); inde tamen non sequitur, textum masorethicum ubique e versione LXX esse corrigendum, potius haud pauci sunt loci versionis LXX, quos procul dubio e textu masorethico corrigas oportet. Confer Reinke l. c. 180. 211. 262.

2) Testantur hoc *a)* usus ipsius Christi et Apostolorum, qui eam Ecclesiis a se fundatis tradiderant. *b)* Sixtus V. in Bullis 8. Oct. 1586 et 1587 prohibens, ne quis de hac (nova emendata) graeca editione *audeat in posterum vel addendo vel demendo quidquam immutare.* Variae lectiones in diversis editionibus authentiam non labefactant, quia ipsam operis substantiam non attingunt.

6) Haec versio apud Judaeos magna fruebatur auctoritate usque ad secundum seculum post Christum; nam ea non tantum Hellenistae, sed et Palaestinenses (ut plerumque Josephus) usi sunt, imo ad praelectiones sabbaticas eam adhibebant [1]). Philo, quocum etiam multi ss. Patrum consentiunt [2]), eam, ast immerito, inspiratam habet; eadem porro utebantur Apostoli et omnes ss. Patres [3]) usque ad seculum V., ea uti usque hodie non destitit Ecclesia graeca.

Translatio latina vetus, quam ex parte hodiedum adhibet Ecclesia, nec non multae aliae versiones antiquae: syriaca, armeniaca, coptica, aethiopica, arabica, etc., e versione LXX manarunt. Serius tamen Judaei, cum a Christianis urgebantur, qui argumenta de vaticiniis in Christo adimpletis e Septuaginta proferebant, versionem hanc, tanquam cum textu originali non congruentem, respuerunt et ejusdem loco versionem Aquilae acceperunt [4]).

1) Justinus (coh. ad. g. 13; c. Tryph. 72) asserit in synagogis codices versionis LXX inveniri. Tertullianus (Apol. 18): *Sed et Judaei palam lectitant.* Justinianus (Nov. 146): *Hi, qui per graecam (linguam) legunt, LXX utantur translatione.* Confer Hody (l. 3. p. 1, c. 1); Wichelhaus (l. c. 31) Honorifice eam adducunt Talmud babylonicus (Meg. f. 9) et hierosolymitanus (Meg, f. 62).

2) Ducti praeprimis illa relatione de origine hujus versionis miraculosa de cellulis separatis, prodigioso interpretum consensu et allegationibus Apostolorum e LXX, et quidem praeeunte Philone (vit. Moys. 2, 77) e ss. Patribus graecis Justinus (coh. ad gen. 13), Irenaeus (adv. haer. 3, 21: *ut gentes cognoserent, quoniam per inspirationem Dei interpretatae sunt Scripturae),* Clemens Alex. (strom. 1, 22), Cyrillus Hieros. (cat. 4. 34), Theodoretus (in Ps. praef.), Philastrius (haer. 142) et inter latinos imprimis Tertullianus (apol. 18) et Augustinus (Div. D. 18, 43 seq.): *Hanc (interpretationem), quae LXX est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia eaque utuntur graeci populi christiani, quorum plerique, utrum alia sit aliqua, ignorant. Ex hac LXX interpretatione etiam in latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiae latinae tenent . . . Spiritus enim, qui in pro-*

phetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in LXX viris, quando illa interpretati sunt . . . Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quidquid est in hebraeis codicibus et non est apud interpretes LXX, noluit ea per istos, sed per illos prophetas Dei Spiritus dicere; quidquid vero est apud LXX, in hebraeis autem codicibus non est, per istos ea maluit, quam per illos, idem Spiritus dicere, sic ostendens, utrosque fuisse prophetas . . . Unde etiam ego vestigia sequens Apostolorum, quia et ipsi ex utriusque i. e. ex hebraeis et ex LXX testimonia prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est. Confer doct. chr. 2, 15; de cons. evang. 2, 66. — S. Augustino autem non tam certo constitisse de inspiratione versionis LXX, patet ex ejusdem verbis (ad Hieronymum ep. 38, 2), se non audere in aliquam partem *certam ferre sententiam*, nisi quod eis (LXX interpretibus) praeeminentem auctoritatem tribuendam existimaret. — S. Hieronymus, qui quandoque eandem sententiam eloquitur, caute ingenio temporis sui indulget, uti Praef. 2. in Par.: *LXX interpretibus, qui Spiritu sancto pleni ea, quae vera fuerunt, transtulerant . . . Quid LXX interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus sancti auctoritatem, licet in hebraeis voliminibus non legatur;* nam alibi (Praef. in Pent.) dicit: *Aliud est vatem, aliud est esse interpretem; ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copio ea, quae intelligit, transfert . . . Aut aliter de eisdem libris per LXX interpretes, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit, ut, quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint?* Sed laudati Patres non ex mente Ecclesiae, aut ex certo argumento historico haec asseruerunt. Longe major Doctorum pars de inspiratione versionis LXX omnino silent vel eam aperte negant, uti Hieronymus (pr. in Job, ep. ad Pam. 57, 7), qui eos carpit, quod suum sensum ponant, mutent et extenuent. Hilarius (in Ps. 2, 3), Chrysostomus (in Matth. h. 5, 2) eos *fide dignos* censet. Similiter recentiores Theologi unanimiter hujusmodi inspirationem infitiantur.

3) Usum ejusdem in Ecclesia antiqua testatur idem s. Doctor (Praef. in Par.): *Nascentis Ecclesia roboraverat fidem*; et (in Is. 28, 10; 65, 20): *LXX interpretes leguntur in ecclesiis, quorum editio toto orbe vulgata est.* Potissimum mediante hac versione gentiles cognoscebant revelationes, a Deo Judaeis factas, particularismus judaicus disrumpebatur nec non primaevae linguae religionis christianae via parabatur. Augustinus versionem hanc tribuit divinae dispensationi, ut libri sacri gentibus credituris ministra regis Ptolomaei potestate proderentur (d. chr. 2, 15), et (Civ. D. 18, 42) ait: *Ut commendaretur auctoritas (scripturarum illarum) credituris quandoque gentibus profutura, quod jam videmus effectum.* Licet Apostoli textum hebraicum non ignoraverint, tamen saepissime Antiquum Testementum juxta versionem LXX citant; ex hoc usu Apostolorum etiam magna succrevit auctoritas versioni Septuaginta; ast inspiratio non probatur; ob insignem vero ejus finem Deus permittere non poterat, ut versio haec in substantialibus a textu primigenio discreparet.

4) Primum quoad LXX dissensionis vestigium Judaeos inter et Christianos habes apud Justinum M. (dial. c. Tryph. c. 68 et 71); Megil. Taanith f. 50. c. 2: *Octava die mensis Tebeth, quod ea scripta est lex graece temporibus Ptolemaei regis et tenebrae venerunt super mundum tribus diebus, jejunium praeceperunt legis doctores.* Tract. Soph. 1, 7: *Opus quinque seniorum, qui scripserunt Ptolemaeo regi legem graece, et fuit dies ille gravis Israeli, sicut dies, quo factus vitulus.*

7) Quum versio LXX, propter frequentem Judaeorum ac Christianorum usum in immensum multiplicata, multis mendis et erroribus scateret[1]), Origenes, ut litem Christianos inter et Judaeos componeret[2]), qui in controversiis illam tanquam ab hebraico dissentientem, mancam vel abundantem respuebant, Hexapla exaravit, in quibus, textu sacro per sex columnas parallele collocato, primo omnium posuit hebraicum hebraicis, dein graecis characteribus exaratum, tertio subjunxit Aquilae editionem, quarto Symmachi.

quinto LXX, sexto Theodotionis, in nonnullis Scripturae libris duas vel tres alias versiones (V., VI., VII.) adposuit, quae cum ceteris octo vel novem columnas efformabant, a quo numero Octapla (rarius Heptapla) nominabantur. Quae in LXX deerant, ex alia versione, praesertim Theodotionis supplebat, additis tamen asterisco ※ et literis initialibus fontis, e quo desumpsit supplementum; quae autem in LXX prae textu hebraico abundabant, obelo ÷ vel —. jugulabat, finem vero utriusque duobus punctis crassioribus: vel Metobelo /. indicabat, ita ut uno ictu oculi unusquisque inspiciens videre posset, in quo illae versiones circa aliquem s. Scripturae locum consentirent vel dissentirent[3]). Praeterea textum multis in locis emendavit variasque notas marginales adjunxit[4]). Textus versionis LXX tali modo ab Origene emendatus vocabatur hexaplaris, dum textus antea divulgatus, non emendatus, κοινὴ ἔκδοσις (editio vulgata) audiebat[5]).

1) Hieronymus (Praef. in Is.): *Editio vulgata, quae* κοινή *dicitur, et in toto orbe diversa est.* — Ep. ad Sun. et Fret. 106 scribit: *Sciatis aliam esse editionem, quam Origenes et Eusebius omnesque Graeciae tractatores* κοινήν *i. e. communem appellant atque vulgatam . . . aliam LXX interpretum, quae in* ἑξαπλοῖς *codicibus reperitur . . .* Κοινή *autem ista, h. e. communis editio ipsa est, quae et LXX. Sed hoc interest inter utramque, quod* κοινή *pro locis et temporibus et pro voluntate scriptorum vetus corrupta editio est, ea autem, quae habetur in* ἑξαπλοῖς *et quam nos vertimus, ipsa est, quae in eruditorum libris incorrupta et immaculata LXX interpretum translatio reservatur.* Origenes (in Matth.): *Sive propter nefariam aliquorum scripturas emendantium audaciam, seu propter eos, qui, dum emendent, pro arbitrio addunt vel detrahunt, magna exemplarium existit differentia.* Hom. in Jer. 15, 5.

2) Origenes (ep ad Af. 5): *Et haec quidem dico, non quod prae desidia recusem scrutari scripturas, quae apud Judaeos sunt illasque cum omnibus nostris comparare, ac videre, quid inter eas sit discriminis. Hoc enim graviter, nisi arrogans dictu est, pro virili fecimus, collatis magna cura inter se editionibus et observatis earum differentiis, ita tamen, ut aliquando plus laboris impenderimus LXX interpretationi, ne quid adulterinum inducere videremur in ecclesias, quae sub coelo sunt, et praetextum daremus illis, qui occasiones captant voluntque tum eos, qui sunt in medio, calumniari, tum eos, qui in communi praelucent, criminari. Conamur non ignorare, quas habent scripturas, ut cum Judaeis disserentes non proferamus ea, quae in eorum exemplaribus desunt, sed simul utamur iis, quae penes se habent, licet in nostris libris desiderentur.*

3) Hieronymus (in Tit. 3, 9): *Nobis curae fuit, omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Caesariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus et ipsa hebraea propriis sunt characteribus verba descripta et graecis literis tramite expressa vicino, Aquila etiam Symmachus, LXX quoque et Theodotio suum ordinem tenent, nonnulli vero libri . . tres alias editiones additas habent, quas V., VI. et VII. translationem vocant, auctoritatem sine nominibus interpretum consecutas. Haec immortale illud ingenium suo nobis labore donavit.* — Praef. in Pent.: *(Origenes) editioni antiquae translationem Theodotionis miscuit, asterisco et obelo, i. e stella et vera, opus omne distinguens: dum aut illucescere facit, quae minus ante fuerant, aut superflua quaeque et jugulat et confodit.* Similiter Praef. in Paral.; Epiphanius, De pond et mens. 6. — De usu lemnisci ⸗ et hypolemnisci ⸗ non certo constat. Confer Hody, pag. 595.

4) Correxit insuper Origenes textum LXX versionis collatis optimis codicibus manuscriptis; in nectendis vocabulis magis sequebatur textum hebraicum, in ordinatione versuum et pericoparum, qua LXX toties discedunt a textu originali, huic sese accommodavit (Proverbiis exceptis); translationes, quae ipsi falsae videbantur, emendavit adponendo signa, ita quidem, ut voces erronee translatas obelo distingueret, suas vero emendationes cum asterisco

adscriberet. Margines Hexaplorum onusti erant notis Origenis, quarum partem non minimam occupabant graecae explicationes nominum propriorum hebraicorum. Aliae notae exhibebant varias lectiones Samaritani, Hebraei et Syri.

5) Ex Hexaplis abbreviatum est opus, quod Tetraplorum nomen obtinuit; continebat enim in quatuor columnis aeque decurrentibus versiones Aquilae, Symmachi LXX et Theodotionis; hoc Origenis opus periit. De eo observat Montfauconius (prael. ad. Hexap. l. c. p. 10): *Quod autem in Tetraplis editionem LXX non emendaverit Origenes, sed iis manum medicam postea admoverit, nempe cum Hexapla et Octapla adornaret, multis e locis comprobatur.* Cur LXX versio media Symachum inter et Theodotionem posita fuerit, rationem reddit Epiphanius, de pond. et mens. 19: *Origenes videlicet, cum LXXII interpretum editionem accuratissimam esse persuasum haberet, mediam omnium esse voluit, tu ad eam utrinque dispositae ceterae, tanquam ad amussim, exigi redarguique possent.*

8) Opus hoc ingens (50 volum.), quod Origenes circa annum 231 p. Ch. absolvit, in bibliothecam Pamphili Caesaream, ubi ab anno 232—253 resedit, translatum est ejusque paucissimi vel probabiliter nulli exscripti sunt codices, quia sumptu et labore nimio indiguissent[1]). Eusebius et Pamphilus[2]) illam Hexaplorum columnam, quae textum LXX asteriscis obelisque distinctum continebat, ex ipso autographo descriptam, seorsim publicarunt, quae editio dicta est Palaestinensis, quia in Palaestina apud Christianos in usu fuit[3]). Labente tempore haec quoque hexaplaris editio erroribus et mendis vitiata est, praecipue asteriscis subtractis vel in falso loco positis, vel emendationibus ejusdem neglectis[4]). Tempus fragmenta dumtaxat servavit, quae a viris eruditis diligenter colligebantur[5]).

1) Origenes, etsi 7 tachygraphos et totidem calligraphos ad manum semper habuit, Hexaplis tamen adornandis multos consumpsit annos. Montfauconius Prael. Hex. 11, 1.

2) Hieronymus (de vir. illust. cap. 75): *Pamphilus presbyter . . . tanto bibliothecae divinae flagravit amore, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quae usque hodie in Caesariensi bibliotheca habentur.*

3) Hieronymus (Prol. Com. in Dan.): *Omnes Christi ecclesiae tam Graecorum, quam Latinorum Syrorumque et Aegyptiorum hanc sub asteriscis et obelis editionem legunt.*

4) Hieronymus (Praef. in Esd.): *Si quis LXX vobis opposuerit interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata et inversa demonstrat, neque potest utique verum asseri, quod diversum est.* Ep. 112, 19: *Vis amator esse LXX interpretum? Non legas ea, quae sub asteriscis sunt, imo rade de voluminibus . . . Quod si feceris, omnes ecclesiarum bibliothecas damnare cogeris; vix enim unus aut alter invenietur liber, qui ista non habeat.* Hexaplorum opus in incendio ejusdem bibliothecae per Saracenos una cum aliis pretiosis codicibus seculo VII. periisse creditur.

5) Post Morinum (Rom. 1587), Flaminium Nobilium, Drusinum (Arch. 1622) et alios ediderunt fragmenta Hexaplorum D. Bern. de Montfaucon O. B. »Hexaplorum Origenis, quae supersunt . . . Par. 1714. 2 Fol.« e quo opere epitomen fecerunt C. F. Bahrdt, Lips. 1769, 2 F. ac L. B. Drach, qui in sua editione (Migne, Patrol. gr. XVI) ipsam hexaplorum dispositionem restituit. Fr. Field, Origenis Hexaplorum quae supersunt. Oxon. 1871—1875 cum Prolegomenis et Auctario. Daniel secundum LXX ex Tetraplis Origenis nunc primum editus est e codice Chisiano cura Simonis de Magistris Rom. 1772 et ab H. Hahn. Lips. 1845.

9) Praeter duplicem hanc LXX recensionem (κοινήν et hexaplarem) prodiit una, quae instituta est a Luciano, presbytero antiocheno (martyre 312), et altera, quam curavit Hesychius, episcopus in Aegypto; utraque ab ec-

clesiis illarum regionum, illa in Syria et Asia minori, haec in Aegypto recepta fuit[1]).

1) Hieronymus (Praef. in lib. Paral.): *Alexandria et Aegyptus in LXX suis Hesychium laudat auctorem, Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat mediae inter has provinciae Palaestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt, totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.* E manuscriptis textus Luciani edidit P. de Lagarde (Lib. V. T. can. pars prior graece. Gott. 1883) Pentateuchum et libros historicos canonis judaei.

10) Quia labentibus annis multae arbitrariae emendationes harum recensionum instituebantur, nulla nobis conservata est integra.

Plurimae discrepantiae repetendae sunt e mendis amanuensium, qui voces similes permutarunt, v. g. τραφεις pro ταφείς (Gen. 15, 15) praesertim in nominibus propriis; porro idem vocabulum saepe varie vertebant, nonnullas voces plane omiserunt, vel etiam additamentis augebant textum, sive nova addendo, sive singulas voces bis transferendo (Hab. 3, 2), sive locos parallelos vel notas marginales in textum assumendo. Confer Frankel, Vorstudien l. c. et: Einfluß d. paläst. Exeg. l. c. — Nestle, Septuagintastud. I. 1886, II. 1896, III. 1899 IV. 1903. — P. Lagarde, Septuagintastudien. Gött. 1891. — Hatsch u. Redpath, Concordance to the Septuagint and the other Greek Versions of the Old Test. Oxf. 1888—1897. — Rahlfs, Septuaginta-Studien (1. Königsbücher — 2. Psalter) Gött. 1904. 1907. — Helbing Grammatik d. LXX. Gött. 1907.

Exemplum e Hexaplis.

Το ΕΒΡΑΙΚΟΝ	Τὸ Ἑβραϊκόν	ΑΚΥΛΑΣ	ΣΥΜΜΑΧΟΣ	Ὁ	ΘΕΟΔΟΤΙΩΝ.
Gen. 1, 9					
ויאמר אלהים יקון המים מתחת השמים אל מקום אחד ותראה היבשה ויהי כן	Ουτωμερ ελωειμ ικαιου αμαιμ μαθααθ ασαμαιμ αλ μακωμ ααδ ουθερα αιαβασα ουιεί χεν.	Καὶ εἶπεν ὁ Θεός. Συστήτω τὸ ὕδωρ το ὑπυκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τόπον ἕνα, καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά Καὶ ἐγένετο οὕτως.	Καὶ εἶπεν ὁ Θεός, Συντήτω τό ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τόπον ἕνα, καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά. Καὶ ἐγένετο οὕτως.	Καὶ εἶπεν ὁ Θεός. Συναχθήτω τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς συναγωγὴν μίαν, καί ὀφθήτω ἡ ξηρά. Καὶ ἐγένετο οὕτως. Καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν καὶ ὤφθη ἡ ξηρά;	Καὶ εἶπεν ὁ Θεός. Συναχθήτω τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τόπον ἕνα. καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά. Καὶ ἐγένετο οὕτως.
Ps. 8, 4 אראה שמיך	ερεε σαμαχα	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς σου.	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς σου.	ὄψομαι τούς οὐρανοὺς Χ σου:	ὄψομαι τοὺς οὐρανούς σου

§. 116. *b)* Aliae versiones graecae.

1) Aquila (Ἀκύλας), ex Ponto (Sinope) oriundus, proselytus[1]) imperante Hadriano (117—138 p. Ch.) duas fecit Bibliorum interpretationes graecas, elegantiorem unam, quae plane est deperdita, et verborum ipsorumque etymorum tenacissimam alteram[2]), in qua hebraica serviliter de verbo ad verbum graece expressit[3]), ideoque a plerisque Patribus carpebatur, quasi de industria (ast immerito) quaedam de Christo vaticinia obscurasset[4]). Aquilae versionem Judaei plurimi faciunt[5]).

1) Epiphanius (de pond. et mens. Cap. 14): *Ex ethnico christianus et ex christiano Judaeus ac* πενθερίδης *Adriani imperatoris.* Irenaeus (cont. haer. 3, 24), Eusebius (demonst. ev. 7, 1). In scriptss rabbinicis vocatur עקילס, aliquando אקילס. Confer Anger l. c. pag. 4.

2) Hieronymus (in Ez. 3, 15): *Aquilae secunda editio, quam Hebraei* κατ' ἀκρίβειαν *nominant.*

3) Aquila non solum particulas hebraicas, sed et etymologiam verborum expressit; hinc Hieronymus (ep. 36, 13): *Aquilam vero ut in ceteris et in hoc maxime loco proprie transtulisse, omnis Judaea conclamat et synagogarum consonant universa subsellia.* Ep. 57, 11: *Aquila proselytus et contentiosus interpres, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est, jure projicitur a nobis. Quis enim pro frumento et vino et oleo possit vel legere vel intelligere* χεῦρα, ὀπωρισμὸν, στιλπνότητα, *quod nos possumus dicere fusionem, pomationemque et splendentiam? Aut quia Hebraei non solum habent* ἄρθρα, *sed et* πρόαρθρα, *ille* κακοζήλως *et syllabas interpretatur et literas dicitque:* σὸν τὸν οὐρανὸν καὶ σὸν τὴν γῆν (ep. ad Afc. 2): Δουλεύων τῇ Ἑβραικῇ λέξει. Alii (uti Kaulen) duas non versiones, sed recensiones tantum ejusdem versionis agnoscunt.

4) V. g. Is. 7, 14 עלמה vertit νεᾶνις. Hieronymus nonnunquam eum carpit, quod judaico spiritu in vertendo se abripi siverit, at frequentius eam laudat; v. g. (Praef. in Job): *Aquila et Symmachus et Theodotio judaizantes haeretici multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt.* Is. 2, 20: *Non possum invenire rationem, quare LXX tam perspicuam de Christo prophetiam in graecum noluerint vertere: ceteri enim qui verterunt quidem, sed sermonem ambiguum ad impietatis traxere sensum, non mirum, cur male interpretati sint, nec voluerint de Christo gloriosum quid dicere, in quem non credebant, videlicet judaei aut semijudaei i. e. Ebionitae*; e contra in Hab. 3, 13 ait: *Isti semichristiani (Symm. et Theodot.) judaice transtulerunt, et judaeus Aquila interpretatus est ut christianus.* Ep. ad Dam. 36, 12: *Aquila qui non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum* Ep. ad Marcel. 32: *Jam pridem cum voluminibus Hebraeorum editionem Aquilae confero, ne quid forsitan propter odium Christi synagoga mutaverit; et ut amicae menti fatear, quae ad nostram fidem pertineant roborandam, plura invenio.*

5) Augustinus (Civ. D. 15, 23): *Aquila, quem interpretem Judaei ceteris anteponunt.* Origenes (ep. ad Af. 2): φιλοτιμότερον πεπιστευμένος παρὰ Ἰουδαίοις ἡρμηνευκέναι τὴν γραφήν. Anger, p. 10. Not. e. Hodie non supersunt, nisi fragmenta versionis Aquilae, servata in Hexaplis Origenis.

Confer C. Vercellone, Dissertazioni academiche, Rom. 1864, p. 143. In Talmude nonnunquam cum Onkeloso commutatur. — R. Anger, De Onkelo chaldaico Pentateuchi paraphraste et quid ei rationis intercedat cum Akila graeco V. T. interprete; diss. 1, Akila. Lips. 1845. — Field, Origen. Hex. l. c. 1871. Prol. XVI. — Hody, De Bibl. Text. l. c. 570.

2) Theodotio (Θεοδοτίων vel Θεόδοτος), Ebionita[1]), versionem suam post Aquilam, circa medium seculum secundum elaboravit et LXX interpretes ita sequitur[2]), ut quae ab illis minus recte expressa vel omissa

viderentur, ex primigenio textu corrigeret aut emendaret Versione ejus libri Daniel utebatur Ecclesia inde a tempore Origenis, et hodiedum eam adhibet Ecclesia graeca[3]).

1) Ipsa juxta Irenaeum (cont haer. 3, 21) Ephesi, juxta Epiphaniuum (de pond. et mens. 17) Synope in Ponto oriundus, ex Marcionis haeresi ad Judaeos transiit ab iisque linguam hebraicam didicit. Hieronymus (Prol. in Dan.): *Juxta Theodotionem . . ., qui utique post adventum Christi incredulus fuit, licet eum quidam dicant Ebionitam, qui altero genere Judaeus est.* Praef. in Esd.: *Judaeos et Ebionitas legis veteris interpretes, Aquilam videlicet et Symmachum et Theodotionem;* in Hab. 3, 13: *Theodotio autem vere quasi pauper et Ebionita, sed et Symmachus ejusdem dogmatis, pauperem sensum secuti judaice transtulerunt.*

2) Hieronymus (in Eccl. 2, 1): *LXX et Theodotio, sicut in pluribus locis, ita in hoc quoque concordant.* Praef. in Evang.: *Theodotio inter novas (Aquilam et Sym.) et veteres* (LXX) *medius incedit.* Praef. in Ps.: *Simplicitate sermonis a LXX interpretibus non discordat.* — Nununquam voces hebraeas immutatas retinuit v. g. φθγιλ (Is. 3, 24), ἀχί (Job. 8, 11), οὐλάμ (Joel 2, 17), quare Hieronymus eum aliquoties (in Hab. 3, 13; Praef. in Job) vituperat. Confer Montfauc., Praelim. pag. 46. Hinc Origenes in suis Hexaplis defectus versionis LXX (libr. Regum, Job, Jerem, et Ez.) ex Theodotione supplevit.

3) Hieronymus (Praef. in Dan.): *Danielem prophetam juxta LXX interpretes . . . ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione, et cur hoc acciderit, nescio. Sive enim, quia sermo chaldaicus est, et quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, noluerunt LXX interpretes easdem linguae lineas in translatione servare . . . sive aliud quid causae exstiterit, ignorans; hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet et recto judicio repudiatus sit.* Confer Hody l. c. 282. Fragmenta versionis Theodotionis exstant in Hexaplis a Montfaucon editis.

3) Symmachus, Samaritanus[1]), postea Judaeus vel Ebionita[2]), probabilius tempore Marci Aurelii 161—180 p. Ch.[3]) versionem A. T. confecit omnium clarissimam, dum non tam verba scrupulose transfert, ut Aquila, nec LXX presso vestigio sequitur, ut Theodotion, quam potius sensum exprimit[4]).

1) Epiphanius (de mens. et pond. 16): Σαμαρείτης. Athanasius Chron. pasch., confer Carpzov, Crit. pag. 567.

2) Eusebius (demonst. evang. 7, 1; hist. eccl. 6, 17), Ἐβιωναῖος. Hieronymus (de vir. ill. 54).

3) Scripsit post Theodotionem et s. Irenaeum († 202), qui ejus non meminit (c. haer. 3, 21), Hieronymus (Is. 38): *Symmachus in Theodotionis scita transiit.*

4) Hieronymus (in Amos. 3, 11): *Symmachus non solet verborum κακοζηλίαν, sed intelligentiae ordinem sequi.* Com. in Is. 1: *Symmachus more suo manifestus.* Praef. in Job 1: *Quasi non et apud Graeceos Aq., Sym. et Theod. vel verbum e verbo, vel sensum e sensu vel ex utroque commixtum e medio temperatum genus translationis expresserint.* Praef. in chron. Euseb.: *Aquila et Symmachus et Theodotion incitati diversum paene opus in eodem opere prodiderunt; alio nitente verbum de verbo exprimere, alio sensum potius sequi, tertio non multum a veteribus (LXX) discrepante.* Hinc versio Symmachi perspicua, manifesta, admirabilis nominari solet, quam praeprimis Hieronymus in sua translatione secutus est. Confer Thieme, De puritate Symm. Lips. 1735. Hody l. c. 585. Ast nimiae perspicuitati studens, Symmachus bonae interpretationis leges interdum violavit, uti demonstrant nomina propria, quae interdum graece vertit, periphrases inutiles, anthropomorphismi mutati; confer Fiedl l. c. p. XXXIII. Pauca hujus versionis fragmenta in Hexaplis Origenis asservata sunt (deutsch-morg. Zeitschr. 1866, 457) et in scriptis rabbinicis. Confer Anger 13.

Hi tres interpretes nonnunquam fidelius, quam LXX veterunt, tropos non resolverunt, imo saepius contra LXX versionem cum textu hebraico congruunt. Confer Theodoretum

in Is. 7): Σαφèστερον οἱ τρεῖς ἡρμηνεύκασι. In Abd. c. 1: καὶ τοῦτο δέ σαφῶς οἱ τρεῖς ἑρμηνεῦται νὸτον ἡρμενεὺκασι. Confer Hody pag. 589. F. Field, Otium Norvic. seu tentamen de reliquiis Aquilae, Sym., Theod. e ling. syr. in graec. convert. Oxf. 1864, 4.

4) Praeter has versiones graecas exstant adhuc tria anonyma) fragmenta, quae a numeris columnarum in Hexaplis Origenis Quinta, Sexta et Septima nominantur; sunt magis paraphrases neque omnes Libros V. T. amplectuntur.

Hieronymus (in Tit. 3, 9): *Nonnulli libri et maxime hi, qui apud Hebraeos versu compositi sunt, tres alias editiones habent, quas quintam, sextam et septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus interpretum consecutas;* et c. Ruf. II. 34: *Magnis sumptibus redemisti Aquilae et Symm. et Theod., Quintaeque et Sextae editionis Judaicos translatores.* Auctor Sextae juxta Hab. 3, 13: ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαὸν σου διὰ Ἰησοῦ τοῦ Χριστοῦ σου, Christianus fuisse creditur. E fragmentis concludi potest, Quintam (magis paraphrastice versam) continuisse 4 Reg., Job, Psalmos, Proverbia, Canticum et prophetas minores, Sextam nonnisi Job, Exodum, Psalmos, Canticum, Amos et Habacuc, de Septima nihil certi habetur. Collegerunt fragmenta Petrus Morinus, Drusius et Montfauconius.

5) Exstat adhuc versio A. T. graeca Veneta e seculo XIV., quae e proselyto quodam, e textu hebraico (masorethico) confecta est.

Versio haec graeca, quae nonnullos libros V. T. complectitur, in codice (num. VII.) e seculo XIV. bibliothecae s. Marci Venetiis inventa est. Translator textam masorethicum serviliter in dialectum atticam (et fragmenta chaldaica in doricam) vertit, usus interdum versione LXX ceterisque hexaplaribus; erat probabiliter proselytus e Judaismo, qui magnam dissimilitudinem inter versionem graecam, ab Ecclesia receptam, et textum hebraicum observans, incitari potuit, ut novam translationem conficeret, quae hunc quam maxime aequipararet. Hanc versionem, post C. d'Ansse de Villoison Arg. 1784, edidit Os. Gebhardt Graecus Venetus, Pent., Prov., Ruth., Cant, Eccl., Thren., Dan. versio graeca cum apparatu crit. et philol. instruct. Lips. 1875.

§. 117. *B.* Paraphrases chaldaicae (Targumim).

1) Quum Judaei e captivitate reduces lingua chaldaica, in Babylonia adoptata, uterentur, necessarium evasit, ut praelectores in synagogis Libros sacros, hebraice scriptos, sermone chaldaico interpretarentur[1]). Orales hae interpretationes mox literis mandatae sunt, idque sine dubio jam tempore Machabaeorum. Inde repetenda est origo versionum A. T. chaldaicarum, quae vulgo תַּרְגּוּמִים i. e. Paraphrases vocantur, quia textum non tam vertunt, quam exponunt. Quae ad nos pervenerunt paraphrases, non sunt antiquiores seculo primo christiano ac ratione auctoris, aetatis, puritatis linguae et indolis interpretationis, multum inter se differunt. Generatim Targumim[2]) minus prosunt ad criticam textus illustrandam, quam ad cognoscendam interpretationem, a Judaeis receptam (seu rem exegeticam), praesertim in vaticiniis messianis; ast cavendum, ne illas Rabbinorum explicationes et antiquam Judaeorum traditionem confundamus vel paraphrases tanquam genuinam Scripturae interpretationem habeamus.

1) Antiquissimum vestigium talis interpretationis iuvenitur in Neh. 8, 8. Confer Zunz, Gottesd. Vorträge d. Juden, pag. 3 seq.

2) Targum (Thargum) a תִּרְגֵם *transferre, exponere* generatim, et in linguam chaldaicam *transferre* speciatim. De messianis vaticiniis secundum Targumim confer J. Buxtorf, Lexic. chald. tam. et rabbin. Bas. 1639, pag. 1268; Langen, Judent. 418.

2) Paraphrasium omnium antiquissima a nonnullis habetur Targum Onkelosi (אוּנְקְלוֹס) in Pentateuchum; sed nunc fere communi sententia viget, Onkelos nihil aliud esse, quam corruptam formam אקילס (Ἀκύλας) col. Fell, Einleitg. 163[2]. Hic (juxta Talmud babyl.) proselytus Judaeus et Gamalielis discipulus fuit, textum hebraicum, qui tamen magis ad LXX, quam ad masorethicum accedit, presse sequitur, illustrat tamen etiam orationem hebraicam, obsoleta scilicet nomina propria per recentiora et suo tempore usitata explicando, obscurius dicta interpretando, pro verbis ambiguis propria aut magis conspicua adhibendo, anthropomorphismos et anthropopathismos devitando, nec non alia, quae ad sententiam illustrandam (praeprimis e genere poëtico) pertinere censebat, e locis parallelis vel aliunde addendo[1]) Gen. 49, 10 et Num. 24, 17 diserte de Messia explicat, in ceteris locis messianis interpretationem messianam saltem non excludit. Utitur sermone chaldaico puro, qui ceteris magis ad chaldaismum biblicum accedit, quare paraphrasin hanc seculo primo scriptam fuisse censemus.

1) Confer Langen, Judent. 70; Zunz, Gottesdienstl. Vorträge der Juden; G. B. Winer, De Onkeloso ejusque paraph. chald. Lips. 1820; R. Anger, De Onkelos chald. Pent. paraphr. Lips. 1846; S. Maybaum, Die Anthropomorphien und Antropopathien bei Onkelos u. d. spät. Targ. Bresl. 1870; J. M. Schönfelder, Onk. und Pesch. Stud. üb. d. Onk. Targ. Münch. 1869. Frankel (zu d. Targ. d. Prophet. 1872. pg. 8) putat, Targum Onkelosi in Babylonia seculo III. a. Ch., e paraphrasibus jam pridem existentibus, fuisse compositum. Targum Onkelos ed. a Berliner 1884; Bederek, Über d. Art d. Übersetzg. im Targum Onkelos. Th. St. u. Kr. 1901, 351 seq. — et: Concordanz z. Targ. Onk. Gieß. 1906; Monumenta Judaica v. Wünsche, Neumann etc. I. Bibliotheca Targumica. Wien, 1906 seq.

3) Inferior est Jonathanis Ben-Uziel Targum in Prophetas. Jonathan, qui, juxta Talmud, Hillelis discipulus[1]) fuisse creditur, probabiliter[2]) post Onkelosum suas paraphrases in Prophetas (priores et posteriores) exaravit; interpretandi ratio ejus magis libera ac paraphrastica est, praeprimis in prophetis posterioribus, non raro fabulas rabbinicas immiscet, quas tamen serius insertas fuisse docti autumant[3]), minime tamen exinde ad plures auctores concludere licet. Sermo ejus puritatem linguae Onkelosi non attingit, hinc non ejusdem quidem cum Onkeloso utilitatis est, utilitate tamen critica non caret.

1) Confer Bab. Bar. f. 134. — Alii (Langen 71; Zunz l. c.) Jonathanem Onkeloso juniorem fuisse statuunt.

2) Jonathan enim Onkelosi paraphrasi usus est, uti patet ex Targ. Jud, 5, 26 cum Targ. Dt. 22, 5; Tg. 4. Reg. 14, 6 c. Dt. 24, 16; Tg. Jer. 48, 45, 46 c. Num. 21, 28, 29; Zunz l. c. p. 63.

3) Confer Gesenium, Com. Isaiae I, 76. De charactere hujus Targum ejusque relatione ad Onkelosum confer Frankel l. c. 13. Versimiliter paraphrasis haec seculo I. scribi coepta et a Babylonicis seculo IV. in hodiernam formam est redacta. Cornill, D. Thargum z. d. Proph. Z. f. altt. W. 1887, 177 seq.

4) Eidem Jonathani olim perperam adscribebatur paraphrasis in Pentateuchum. — Pseudo-Jonathanis Targum Pentateuchi — cujus non tantum lingua impura multis vocibus exoticis[1]) est referta et stylus deterior, sed etiam plura inserta commenta, eloquia erroresque recentiorem aetatem produnt. Vocatur etiam Targ. Jeruschalmi I.

1) Referenda huc sunt nomina Constantinopolis, Longobardorum (Num. 24, 19, 24) et Turcarum (Gen. 10, 2). Cf. Marmorstein, Stud. z. Pseudo-Jonathan Targ, Preßb. 1905. Ab hoc Pseudo-Jonathanis Targum differt alterum anonymi cujusdam Targum, a loco suae originis dictum Hierosolymitanum (Targum Jeruschalmi II.): cum priore ejusdem quidem reperitur indolis, quatenus fragmenta collectanea e variis libris continet, attamen potius epitome seu recensio prioris ideoque recentissimae arguitur aetatis (Zunz l. c. pg. 66 e seculo VII.). Confer Winer, De Jonath. in Pent. paraph. chald. Erlang. 1829; J. Petermann, De 2 Pent. paraph. Berl. 1829; H. Seligsohn, De 2 hieros. Pent. paraph. Vratisl. 1858; Frankel, Monatsschr. f. Jud. 1857, p. 110; Ginsburger, D. Fragmentharg. Berl. 1899.

5) Exstant praeterea Targumim librorum quinque Megilloth (Cantic., Ruth, Thren., Eccl. Esth.), Targum alterum in librum Esther (priore longius et inferius), Targum Psalmorum, Prov. et Job, atque Targum Chronicorum, quae erroribus et figmentis rabbinicis scatent et minoris sunt momenti; horum auctor ignoratur; immerito Targumim Hagiographorum R. Josepho caeco († 325) adscribuntur.

Paraphrases chaldaicae editae sunt tum in Bibliis Polyglottis et rabbinicis, tum etiam separatim. Herbst I, 181; Zunz 65; Volck 682; Lagarde primus editiones criticas procuravit: Prophetae. chald. Lips. 1862. Hagiographa chald. 1873.

§. 118. *C.* Versio Samaritana.

1) E Pentateucho Samaritano confecta est versio Pentateuchi in lingua samaritana[1]), quae cum eodem maxime conspirat, speciatim etiam in illis locis, qui recensioni samaritanae peculiares sunt; perraro sequitur textum masorethicum. Hinc interpres presse quidem tenebat textum originalem, nisi quod pro obscuris substituit clariora, pro nominibus antiquis recentiora, ac sedulo cavebat anthropomorphismos.

1) Dialectus samaritana valde cognata est linguae aramaicae, quae seriori tempore in Palaestina usitata erat et syrochaldaica vocabatur; cf. Vollers, Pent. Samar. Berl. 1872—1891. — Exemplar hujus versionis una cum Pentateucho Samaritano primus (1616) Damasci acquisivit della Valle, quod, descendens ex anno 1514, nunc in bibliotheca Vaticana asservatur. Alter codex manuscriptus, emptus a Peiresch 1631 Damasci, nunc in Bibliotheca Barberini Romae conditur, et tertius antiquior in bibliotheca Bodlejana. Praeterea adhuc varia fragmenta hinc inde (v. g. Petropoli) delitescunt. Edita est versio Pentateuchi Samaritana in Polyglottis Londinensibus, est recusa a Brüll Frankf. 1873—1875. Accuratiorem editionem procuraverunt Uhlemann, Institut. ling. Samar. Lips. 1837. — Petermann, Brevis ling. Samar. grammatica Berl. 1873. — Heidenheim, D. samar. Pentat.-Version, Lpz. 1884. — Kahle, Fragm. d. samar. Pent. Targ. herausg. u. erläutert. Z. f. Assyr. 1902, 79—101; 1903, 1—22. Textus multis mendis et interpolationibus scatet.

2) Auctor hujus versionis est incertus. Eam ad prima aerae christianae secula esse referendam, inde patet, quod jam Origenes eam saepe allegabat.

Testibus Samaritanis Nathanael sacerdos circa annum 20. ante Ch. hanc versionem confecit.

In Hexaplis 45 notae occurrunt ex aliqua versione, quae τὸ Σαμαρειτικόν vocatur, et cum nostra versione samaritana plane consentit. Ex iisdem rationibus, quibus Judaei, etiam Samaritani pro praelectione in synagogis aliqua versione vel paraphrasi in lingua sua vernacula egebant, et haud improbabile videtur, versionem hanc jam ante Ch. esse adornatam.

Confer de Sacy, Mèmoires sur l'état act. de Samar. Par. 1812. — Gesenium, De Pent. sam. origene, indole et auctore, 1815. — Wiener, Le vers. Pent sam. indole 1817. — Kohn, De Pent. Sam. ejusque cum. vers. ant. nexu 1865, et: Sumar. Studien. Beitr. z. sam. Pent.-Übersetz. u. Lex. 1868. — Kahle Textkrit. u. lexik. Bemerk. z. samar. Pent. Targum. Lpz. 1898.

§. 119. *D.* Versiones syriacae.

1) Praecipua et antiquissima Syrorum versio est Peschito[1]), quae utrumque Testamentum complectitur et textum hebraicum (atque graecum N. T.) presse sequitur[2]). Versio haec (quoad A. T.) probabiliter primo[3]) seculo christiano confecta est, et origo ejus cum propagatione religionis christianae per Syriam cohaerere videtur[4]). Initio nonnisi protocanonicos libros continebat, quibus paulo post et deuterocanonici, e graeco versi, accesserunt[5]).

1) Peschito i. e. *simplex* vel etiam *literalis*, quae tamen postrema significatio (literalis) versioni huic nequaquam competit.

2) Peschito non tam verba primigenii textus, quam sensum reddit, et sic proxime accedit versioni Symmachi ideoque exegesi magnam utilitatem affert, praeprimis in locis dogmaticis. Non raro expressio plana pro obscura substituitur, sententiae explicationis causa augentur vel abbreviantur, obscoena euphimezantur, et humana Deo attributa caute circumscribuntur.

3) Barhebraens, in Horreo Mysterior. scribit: *Quod vero spectat ad hanc syriacam versionem, tres fuerunt sententiae: primo quod tempore Salomonis et Hiram regum conversa fuerit; secunda, quod Asa sacerdos, quum ab Assyrio missus fuit Semariam, eam transtulerit, tertia tandem, quod diebus Adaei (Thaddaei) apostoli et Abgari regis Osrhoeni versa fuerit, quando etiam N. T. eadem simplici forma traductum est.* Confer N. Wiseman, Horae syrac. pg. 84 seq.

Pro seculo primo militant: *a)* Jacobus Edessenus (sec. VII), qui, explanans Psalmos, ait: *Interpretes illi, qui missi sunt ab Adaeo apostolo et Abgaro rege Osrhoeno in Palaestinam quique veterunt libros sacros* (Wisem. 103). *b)* S. Ephraemus (350) usus est versione Peschito tanquam per Syros longe jam recepta et adoptata, quia plura vocabula versionis explicare debebat ipsis Syris. (Wisem. 122). *c)* Teste Eusebio (h. eccl. 4, 22) Hegesippus (sec. II.) Romae ex N. T. syriaco quaedam in medium attulit; citationes autem e V. T. ita cum syriaco textu concordant, nt ex hoc desumtae esse videantur. Interpretationis τοῦ Σύρου mentionem faciunt Melito Sard., Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus et Hieronymus.

4) Jam tempore Apostolorum religio christiana in Syria praedicata est (Act. 9, 2 seq. 11, 26), et ita effloruit, ut seculo quarto tota Syria esset catholica ac plures haberet doctores et sanctos. Sed inde a seculo quinto hic status pejeravit, quia pestiferae haereses Nestorii, Monophysitarum et Monotheletarum huic regioni irrepserant. A seculo secundo usque ad seculum XIII. (Gregor. Barhebraeum) enata est celebris illa Syrorum literatura, quae sacram theologiam ac praecipue historiam colebat, nec non sedulam operam vertendis scriptis Doctorum Ecclesiae graecae navabat.

5) Versionem librorum deuterocanonicorum s. Ephraemus († 379) jam novit eaque frequenter utebatur; hi ab initio separatim editi erant, serius tamen juxta reliquos libros in

manuscriptis positi sunt; nam in codicibus manuscriptis versionis Peschito e seculo VI. jam inveniuntur ac proin eadem auctoritate, qua protocanonici, gaudebant. Ceterum ordo singulorum librorum in M. SS. et editionibus variis variat. Ordo consuetus est sequens: Pent., Job, Jos., Jud., 2 l. Sam., 2 Reg., 2 Chron., Psalmi, Prov., Eccl., Cant., Sap., Ruth, historia Susannae, Isaias, 12 prophetae minores, Jeremias, Baruch, epistolae Jeremiae, Ezech., Daniel, Bel, draco, Esther, Judith, Esr., Neh., Eccli., Mach. et Tobias. In manuscriptis pervetustis uumeratur unus tantum liber Samuel, unus Regum, unus Chronicorum et unus Esrae. Confer Hody, De Bibl. text. 644 seq. Antiquissimus codex M. S. Peschito exstat ex anno 464 (in Museo britannico). Versio simplex edita est in Polyglottis Parisiensibus cum versione a Gabriele Sionita confecta, qui lacunas e vulgata latina supplevit, emendata autem in Polyglottis Londinensibus. Libros protocanonicos emendatos edidit societas biblica Lond. (S. Lee 1823), deuterocanonicos (et epistolam Baruch, 3 Esd. et 3 Mach,) cum variantibus P. de Lagarde, Libri V. T. apocryphi Lips. 1861; Pentateuchum Kirsch, Lips. 1787; Psalmos Th. Erpenius, Lugd. B. 1625 et J. A. Dathe, Hal. 1768. Editionem pretiosam procuravit Ceriani, Translatio Syr. Pesch. V. T. ex cod. Ambros. sec. VI. (Monum. sacra et prof. I. II. VII. Mediol. 1861—1863) photo-lithog. Tom. 1. Mediol. 1876 seq. Editio totius Scripturae (V. et N. T.) procurata est a Dominicanis in Mossul 1887—1892.

2) Versio Peschito a variis[1]) interpretibus, non tam Judaeis[2]), quam Judaeo-Christianis[3]) confecta est, et quidem e textu hebraico, punctis non instructo, qui in essentialibus cum textu masorethico et graeco congruit, in aliis quibusdam discrepat[4]). Peschito varia fata experta est[5]).

1) Plures auctores in hac versione desudasse, non tantum e testimoniis Jacobi Edesseni, Ephraemi (Jos. 25, 21: *illi, qui scripturam in syriacum transtulerunt*) et Barhebraei, sed etiam ex interna versionis indole apparet; nam diversa est interpretandi ratio in diversis libris (Pentateucho, Ruth, Prophetis, Paral.) Cum autem in libris N. T. syriace versis loci ex A. T. secundum versionem Peschito citentur (v. g. Rom. 11, 9 col. Ps. 69, 23), versio syriaca librorum A. T. ante confectionem versionis Librorum N. T. jam existere debuit; cum porro versio N. T. maxime cohaereat cum fundatione et propagatione religionis christianae in Syria, versio A. T. jam seculo primo confecta fuisse creditur.

2) Simon (hist. cr. II, 15), Hug, Kaulen 103, Vigouroux Man. I. 157.

3) Quum Christiani in lingua syriaca liturgiam celebrare voluerunt, eis interpretatio fuit necessaria. Exinde facile explicatur, quare in versione Peschito A. T. plerique loci secundum traditionem judaicam exponantur, nec non Peschito cum versione LXX et paraphrasi Onkelosi in multis conveniat. Confer: Schönfelder, Onkelos und Peschito 1869; ad Psalterium: Fr. Dietrich, De Psalt. usu publ. et divis. in eccl. syriaca 1862; ad prophetas: — C. Credner, De proph. min. vers. syriac. Peschito indole 1827. — Cornely, Int. 410.

4) Multae lectiones a textu masorethico discrepantes produnt, versionem Peschito e textu non punctato fluxisse, quem interdum correxerint v. g. 1 Sam. 6, 19 (5070 viros), 2 Sam. 15, 7 (post 4 annos). Confer Kaulen, Einleitung 105.

5) Ubi cum cultura graeca etiam versio LXX inter Syros innotuit, Peschito nonnunquam juxta hanc versionem mutabatur; sic v. g. aliqua additamenta inde venerunt (Eccl. 2, 16. Prov. 9, 18; 11, 16) vel duplex versio (Prov. 14, 22; 25, 20). Pro usu liturgico textus in varia majora et minora segmenta dividebatur. Psalmi variis inscriptionibus christianis insigniti sunt.

Est autem versionis Peschito triplex recensio: *a)* catholica, qua utuntur Syri catholici; *b)* Nestoriana, quae parum differt a priore, et *c)* Jacobitarum (Monophysitarum), quae etiam montana vel Carcaphensis vocatur, quia monachi Carcaphthae (in montibus Legarae in Mesopotamia) eadem utuntur, et *nihil aliud est, quam correctorium biblicum, in monasterio jacobitico Carcaphtha concinnatum* Bickell, Conspect. rei Syr. liter. 1872. 9, Differt a Peschito in propria scribendi ratione nominum propriorum et syro-graecarum vocum,

in diverso ordine, quo libri collocantur et notis variantibusque marginalibus; orta est seculo VIII. post Chr. Confer Wiseman, Horae syriac. 1. 147—275. — Martin, La tradition Karkaph. Par. 1870.

3) Praeter Peschito exstat altera syriaca translatio Bibliorum, a Paulo, episcopo Tellae in Mesopotamia monophysita, jussu et adhortatione Athanasii, Monophysitarum patriarchae Antiocheni, anno 617—18 in urbe Alexandria e textu LXX hexaplari confecta, quae versio syro-hexaplaris seu figurata[1]) vocatur, Quia anxie textum graecum sequitur, imo voces graecas interdum retinet ac iisdem signis est instructa, quibus Origenes sua Hexapla ornaverat, pro usu critico textus graeci hexaplaris maximi est momenti.

1) Hac versione utuntur Monophysitae; initio probabiliter libros protocanonicos tantum complectebatur, donec Thomas Heraclensis (Heracleensis) versionem librorum deuterocanonicorum adjungeret. Hujus mentionem jam fecit Barhebraeus (in lib. dynast.): *Et figuratam secundum LXX e graeco in syriacum translatam longo post incarnationem Salvatoris intervallo.* — Figurata ergo versio non est nova nec ab hexaplari diversa. Wiseman, Horae syr. 88 seq. — Jacobus Edessenus eam juxta versionem Peschito et lectiones codd. graecorum recensuit an. 704—705 p. Ch., cujus fragmenta edidit A. M. Ceriani, Monum. sac. etc. Mediol. 1861, Tom. II. V.

Manuscripta versionis syro-hexaplaris asservantur in bibliotheca Ambrosiana Mediolani (Is. Jer. Lam. Ez. Dan. Bar. minores proph. Ps. Prov. Job. Eccl. Sap. Eccli. Cant.). Exinde ediderunt Jer. et Ez. Norberg (1787), Danielem Bugati (1788) et Psalmos (1820); et in bibliotheca regia Parisiis (Reg. Jud. Chron. Esd. Esth. Judith, Tob. et fragm. Dan.), quod manuscriptum tamen periit. Ediderunt Middeldorpf codicem syr. hex. 1835, Judic. et Ruth Skal Rordam (1861), Gen. Ex. Ceriani (Monum. sac. et prof. 1861—63), qui integrum codicem Mediol. photolithographice edidit.

4) Jussu Philoxeni, Hierapoleos (Mabugi) episcopi Monophysitarum (488 ad 518), chorepiscopus Polycarpus circa an. 508 p. Ch. s. Scripturam A. (et N.) T. e graeca alexandrina vulgata versione vertit, quae versio dicta est Philoxeniana. Hanc versionem N. T. emendavit ac recensuit anno 616 Thomas Heracleensis in urbe Alexandria, unde et nomen Heracleensis recepit, quo facto versio Philoxeniana exolevit.

Confer Bernstein, De Heraclens. N. T. translat. syr. Vratisl. 1854. — J. Th. Plüschke, De Psalt. syr. indole et usu critico. Bonn. 1835. Fragmenta V. T. Philox. collegerunt Wiseman (hor. syr. 244) et Ceriani l. c. Tom. V.

§. 120. *E.* Versiones latinae. *a)* Versio latina Itala.

1) Usus liturgicus et mos antiquus legendi Scripturas mox versionem latinam expetebant. Vestigia vetustissimae versionis latinae inveniuntur circa annum 190 apud Tertullianum[1]). E verbis ss. Augustini, Hilarii, Hieronymi[2]) multi Theologi concludunt, varias olim fuisse sacrarum Scripturarum versiones (interpretationes) latinas[3]), quae omnes e versione LXX elaboratae ideoque sibi similes fuerint, dum e contra alii[4]) unicam tantum supponunt versionem latinam, cujus tamen multae recensiones, secundum varia manuscripta graeca institutae, exstiterint. Inter omnes autem has, sive versiones sive recensiones, una eminebat, quam s. Augustinus *Italam*,

Hieronymus *Vulgatam*, Gregorius Magn. *Veterem* appellant, et quam ceteris praeferendam esse censuit Augustinus, *nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae*[5]). Ubi vero versio haec adornata sit, an in Italia[6]), an in Africa[7]), certo non constat.

1) Tertullianus (adv. Prax. 5): *Ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse;* (Monog. 11): *in usum exiit*; (c. Marc. 5, 4): *haec sunt duo testamenta . . sicut invenimus interpretatum,* quae verba supponunt, versionem hanc jam longo tempore exstitisse.

2) S. Augustinus (doct. chr. 2, 11): *Qui scripturas ex hebraea lingua in graecam veterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatnr, ausus est interpretari.* Idem s. Doctor (2, 14) *de interpretum numerositate* loquitur et (ad Hier. ep. 82, 35) scribit: *Ideo autem desidero interpretationem tuam de LXX, ut ea tantum latinorum interpretum, qui qualescunque hoc ausi sunt, quantum possumus imperitia careamus.* Hilarius (in Ps. 54): *Hymnos aliqui translatores nostri carmina nuncuparunt, plerique autem hymnos.* Tertullianus (c. Marc. 2, 9; 5, 4). Hieronymus (Praef. in Jos.): *Maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel substraxerit, quod ei visum est.*

3) Versiones varias assumunt: Jahn, Herbst, Welte, Scholz, Hug, Kaulen (Geschichte d. Vulg. pg. 114); Danko, Lamy, Vigouroux Man. I. 159, H. Rönsch, Lat. Bibelübersetzung in Afrika. Z. f. luth. Thl. 1867, 606. Keil, Zingler (lat. Bibelüb. 1879) et alii.

4) Varias unius versionis latinae recensiones merito defendunt Sabatier, Wiseman (Abhdl. I. Bd.), Vercellone (diss. acad, 18), Hagen (Sprachl. Erört. z. Vulg.), Reithmayr (Einl. N. T. p. 267), Reusch, Haneberg (Gesch. 781), Himpel (T. Q. 1876, 789), Cornely Int. 360 et plures e protestanticis Tischendorf, Bleck-Wellhausen. Ceterum et s. Hieronymus (ad Dan. ed. 18, 21; ad Pam. 49, 4) semper de interpretum et translatorum varietate, nusquam de interpretationum multitudine loquitur. Interpretari et vertere non tantum de nova versione condenda, sed etiam de emendatione (recensione) versionis jam existentis usu venit. Confer Augustinum (ep. 71 ad Hieronym.): *Evangelium de graeco interpretatus es,* et responsum Hieronymi (ep. 112, 20): *Si me in N. T. emendatione suscipis.* Ceterum Augustinus rursus unam versionem supponit in ep. 71 ad Hieron.: *Per hoc plurimum profueris, si eam graecam scripturam, quam LXX operati sunt, latinae veritati reddideris, quae in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit, et ita suspecta, ne in graeco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri aut probari dubitetur.*

5) Versio haec, quae probabiliter sub auspiciis Ecclesiae romanae instituta est, propter usum ecclesiasticum vocabatur usitata aut vulgata, ratione aetatis vetus seu antiqua, nempe relate ad novam, a. s. Hieronymo institutam et respectu originis Itala (italica).

6) Origenem versionis romanam defendunt Kaulen (Gesch. Vulg. 118 u. Einl. 109), Loch (Prog. 1870, 5), Gams (Kircheng. Span. 86), Reithmayr. Argumenta sunt: In Italia jam tempore Neronis ingens exstitit christianorum multitudo teste Tacito (Ann. 15, 44); licet nobiliores Romani linguam graecam callerent, plebis tamen lingua erat latina; hinc jam seculo primo exeunte Psalmi et lectiones e prophetis desumtae, pro usu liturgico sermone latino donati fuisse videntur; provocant ad Innocentium I., qui liturgiam romanam (latinam?) a s. Petro institutam docet, et ad Rufini (ap. 2, 23) verba: *Petrus Romanae Ecclesiae per 24 annos praefuit, dubitandum non est, quin sicut cetera, quae ad instructionem pertinent, etiam Librorum instrumenta Ecclesiae ipse tradiderit, quae utique jam tunc, ipso docente et sedente, recitabantur,* quae tamen verba probabiliter versionem alexandrinam spectant.

7) Alii, uti Wiseman, Hug, Hagen, Cornely, Tischendorf, Rönsch, Fritsche etc. versionem latinam in Africa proconsulari ortam esse defendunt, quia ibi Christiani

linguae graecae ignari versione (liturgia) latina maxime indigebant, dum Romani linguam graecam, diu in liturgia usitatam, probe callebant, cujus rei testes sunt Modestus (circa an. 170), Cajus (circa 210), Hippolytus, qui graece, scripserunt. Confer de Rossi, Roma sotter. 1867 II. 237 seq. S. Paulus epistolam ad Romanos scripsit graece, sicut et Marcus evangelium suum proxime Romanis destinatum. Versio porro non in usum plebis est facta, sed ut usui liturgico inserviret. Insuper sermo rusticus versionis longe distat ab illo, quo profani scriptores romani seculo secundo sunt usi, et originem africanam aperte prodit. Addunt assertores hujus sententiae, recensionem accuratiorem hujus versionis, quae vocabulis vulgaribus et barbaris formis scateret, in Italia (exeunte seculo III.), quum ibi liturgiae graecae latina successit, adornatam fuisse, unde et Itala vocata sit, quam Augustinus reliquis praeferendam dixit.

2) Condita fuit versio Itala in lingua latina vulgari seu rustica, non classica, intermixtis plerumque provincialismis et soloecismis [1]), e LXX interpretum versione (κοινή), quam presse sequitur [2]). Itala jam non superest integra; fragmenta habentur in citatis ss. Patrum primaevorum, in libris liturgicis et in codicibus hucusque detectis [3]).

1) Hac lingua vulgari non tantum plebeji, sed et nobiliores utebantur, Ennius et Xantus in eâdem exararunt scripta sua. Proprietates Italae concernunt:

a) Orthographiam; scribitur v. g. *umerus (humerus), susum (sursum), thensauris (thesauris), occansio (occasio), graegis (gregis), videt (vidit), lucustae, promunturiorum, tribolis, asparsit, fobeas (foveas).*

b) Usum lexicalem; dicitur v. g. *nubs, altarium, cubilis (nominat.), meditare (inf. act.).*

c) Formationem verborum: α) Substantiva longiora: v. g. *abominamentum (abominatio), odoramentum (odor), sanctimonium (sanctum), fundibulum (funda), exemplarium (exemplar), curatura (cura), faventia (favor), otiositas (otium), fontana (fons).* β) Adjectiva: *contemptibilis (contemptus), aeternalis (aeternus), minutalis (minutus), longiturnus, fumigabundus, somnolentus, dignitosus.* γ) Adverbia: *directim, universim, duriter, amiciter, improbiter.* δ) Verba nova: *bajulare, dulcorare, jacturari, pectinare, amaricare, captivare, pessimare,* vel composita: *adpretiare, coinquinare, consolidare, demensurare, elonginquare, incrassare, obdulcare,* vel biscomposita: *adcognoscere, concolligere, perconfirmare.* ε) Compositiones: *duricordia, multiloquium, inhonoratio, illiberis, inauxiliatus, turpilucrus.*

d) Flexionem; dicitur v. g. *vidua paupera, lignum humilem, minimissimus, custodibo, metibor, avertuit, prodies, odietur, poenitebitur Dominus.*

e) Structuram; v. g. *fugiant in montibus, poenituit eum super mala, occidere se habet, vade et offeres* etc. Confer Kaulen, Handbuch zur Vulgata 1870. — Rönsch, Itala und Vulgata, 1875.

2) Originale graecum testantur *a)* voces e graeco in latinum simpliciter translatae: v. g. *bacterium, cataclysmus, holocaustoma, numenia, poderes, acharis, zelotypus, anathematizare, plasmare; b)* formationes graecae linguae analogae: *viri fratres, in idipsum, prior omnium; c)* constructiones graecae: *oboedierint mei, operuit se cilicium, adorare diis, priusquam habitare eum in Canaan; d)* hebraismi textui graeco desumti: *verbum (= res), filius superbiae, semitas justitiae;* vel usus feminini pro neutro: *unam petii, hanc requiram,* vel reduplicatio pronominis relativi: *Aaron, quem elegit ipsum;* circumscriptio adverbiorum per verba: *apposuerunt adhuc peccare,* vel circumscriptio praepositionum per: *a facie, in conspectu, de manu,* vel circumscriptio duplicis nominativi vel accusativi per: *constitues me in caput gentium, fuit illis in velamento diei,* constructio praegnans: *non parcet de malitia.* Tali modo Itala fidelem praebet imaginem versionis LXX, unde et Septuaginta in Latino vocabatur atque ejus fragmenta summi sunt valoris critici. Ex

diverso dicendi genere in diversis libris obvio concludere licet, versionem Italam non ab uno effluxisse auctore.

3) Ex Itala in nostram Vulgatam assumti sunt integri libri: Psalmi (a. s. Hieronymo emendati), Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, libri Machabaeorum. Alia fragmenta praesto sunt in Missarum Introitu, Graduali, Offertorio et Communione, praeterea in Antiphonis et Responsoriis Breviarii romani ac praecipue in operibus ss. Patrum. Omnia ista fragmenta collecta veniunt sub nomine Italae, licet non ad unam eandemque interpretationem, quam Augustinus Italam vocavit, sed ad varias recensiones (versiones), ante s. Hieronymum usitatas, pertineant.

Fragmentis antiquae versionis Italae colligendis et edendis operam dederunt, post Nobilium Flaminium 1588 — Petrus Sabatier, Bibliorum ss. versiones antiquae latinae Rhem. 1739—49 3 Tom. — F. Münter, Fragmenta versionis ant. lat. antehieron. prophet., Hafn. 1819. — F. Mone, De libris palimpsestis Hesych. Car. 1855. — E. Ranke, Fragmenta (ex anno 400) version. s. scpt. lat. anteh. (2), Vien. 1868; Palimpsestorum Wirceburg. antehier. V. T. vers. latin. fragm., Vien. 1871, quae continent frâgmenta Pentateuchi et prophetarum e seculo V.; Stutgardiana version. lat. antehieron. fragmenta Vien. 1888. — A. Vogel, Beiträge zur Herstellung der alt. lat. Bibelübersetzung, Ezech. et Prov., Vienn. 1868. — Vercellone, Variae lectiones vulg. lat. bibl. 1860, Rom., 2 Tom. ac Fleck, C. Tischendorf (Lib. Levit. et Num. versio itala e cod. Ashburnhamiensi, Lond. 1869). — Haupt, Vers. antehier. frag. 1877. — Ul. Robert, Pent. vers. lat. e cod. Lugd. 1881. — J. Belsheim, Palimps. Vind. 1885. — P. de Lagarde, Probe einer neuen Ausgabe der (alt)latein. Übersetzungen des A. T. Gött. 1885. — Hoberg, Die älteste lat. Übersetzung d. B. Baruch. Frb. 1902. — Oesterley, The Old Latin Texts of the Minor Proph. Journal of Theol. Stud. 1904, 76 seq., 242—253, 378—386; 1905, 217—220.

3) Cum textus versionis Italae labentibus annis per librarios varia menda et errores contraxisset, imo juxta varia manuscripta graeca correctus seu potius corruptus esset[1]), cum praeterea discrepantia inter Italam, e textu graeco (κοινή) factam, et textum hexaplarem LXX nec non textum hebraicum magis patefieret: s. Hieronymus presbyter, jussu Damasci Papae, novam interpretationem latinam adornavit. Hinc anno 383 Romae primum Novum Testamentum graecae fidei reddidit, ita ut eis tantum, quae sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateretur, uti fuerant. Eodem et sequente anno Romae Psalterium juxta LXX interpretes (κοινὴ ἔκδοσις) magna ex parte, sed cursim correxit, quod, quia in Italia usque ad Pium V. in usu erat et adhucdum Romae in basilica vaticana usurpatur, Psalterium Romanum[2]) nominabatur; rursus nonnullis annis post (389), Bethlehemi degens, rogatus a ss. Paula et Eustachio, illud e graeco juxta textum hexaplarem, quem Caesareae degens descripserat, recensuit = Psalterium Gallicanum, quod in nostra Vulgata exstat et ab Ecclesia (primum in Gallia) in publicis officiis adhibetur. Correxit pariter s. Doctor reliquos A. T. libros protocanonicos juxta textum hexaplarem Origenis[3]) inspecto insuper textu hebraico[4]), signis ejusdem criticis adpositis. Omnes hi libri, circa annum 392 finiti, jam Hieronymi tempore (fraude cujusdam), excepto libro Job, perierunt. St. Hieronymus insuper Psalmos e textu Hebraico transtulit.[5])

1) Hieronymus (Praef. in Jos. supra et Praef. in Evang.): *Si latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant, quibus: tot enim sunt exemplaria paene, quot codices.* Praef. in Paral.: *Ita in graecis et latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non*

tam hebraea, quam barbara quaedam et sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Praef. in Job. Augustinus, Ep. 71.

2) Venetiis Psalterium romanum usque ad annum 1808 in usu erat. Confer Ps. 94. in Breviario romano ad Matutinum et locos Psalmorum in Missali romano.

3) Hieronymus (ep. 71, 5) ad Luc.: *LXX interpretum editionem et te habere non dubito et ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi.* Ep. 106, 2 ad Sun.: *Ea (editio), quae habetur in ἑξαπλοῖς et quam nos vertimus, ipsa est, quae in eruditorum libris incorrupta et immaculata LXX interpretum translatio reservatur.* Ep. 134 ad Aug.: *Grandem latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam: et idcirco praeceptis tuis parere non possumus, maxime in editione LXX, quae asteriscis verubusque distincta est. Pleraque enim prioris laboris fraude cujusdam amisimus.* Confer specialiter Praef. in Job; *Ceterum apud Latinos ante eam translationem, quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus . . . versus desunt . . .* et c. Ruf. 2, 31: *Salomonis etiam libros, quos olim juxta LXX additis obelis et asteriscis in Latinum verteram.* Conferas duplicem praefationem in libros Paralipomenon.

4) Hieronymus (Praef. 12. in lib. Paralip.): *Denique cum a me nuper literis flagitassetis, ut vobis librum Paral. latino sermone transferrem, de Tiberiade legis quemdam doctorem, qui apud Hebraeos admirationi habebatur, assumpsi et contuli cum eo a vertice, ut ajunt, usque ad extremum unguem, et sic confirmatus ausus sum facere, quod jubebatis.* Praef. in Job: *Memini me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddaeum quemdam praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis.* Confer praef. in Tob. et Dan.

5) Cf. Ecker, Psalt. juxta Hebraeos Hieronymi in s. Verhältnis zu Masora, Sept., Vulg. mit Berücksichtigung der übrigen alten Versionen untersucht. Trier 1906.

§. 121. *b)* Versio latina Vulgata.

1) Ut disputantibus (contra Christianos) Judaeis, qui dissensum versionis LXX et filiae latinae a textu originali obtendebant, importuna eriperet arma, et hostium calumnias retunderet[1]), s. Hieronymus inde ab anno 390 ad 405 (Bethlehemi agens) novam versionem A. T. condidit; libros enim protocanonicos ac libros Tobiae et Judith ex hebraico et chaldaico textu de novo transtulit, non autem eo ordine, quo in Canone veniebant, sed prout ab amicis postulabatur, incipiendo a libris Samuel et Regum[2]); libros deuterocanonicos (Tobiae et Judith exceptis) nec transtulit nec emendavit, fragmenta autem deuterocanonica libri Esther e graeca LXX, illa Danielis e versione Theodotionis transtulit. S. Doctor, scientiis necessariis abundanter instructus[3]), bonis codicibus adhibitis, ratione versionum graecarum, traditionis ac interpretationis Judaeorum habita, versionem ita exaravit, ut sensum fideliter ac dilucide exprimeret[4]), quare translatio ejus ceteris antiquis praestabat, quin tamen omnibus absoluta esset numeris[5]).

1) Hieronymus (c. Ruf. 3): *Ut si quando adversum eos Christianis disputatio est, non habeant subterfugiendi diverticula, sed suomet potissimum mucrone feriantur.* Praef. in Ps. ad Soph.: *Qui nuper cum Hebraeo disputans quaedam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque ille te illudere, per sermones pene singulos asserebat, non ita haberi in Hebraeo, ut tu de LXX interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem novam editionem latino sermone transferrem.* Ep. 122, 20 ad Aug.: *Ut scirent nostri, quid Hebraica veritas con-*

tineret . . . non nostra confinximus, sed ut apud Hebraeos invenimus, divina transtulimus. Praef. in Is.: *Qui scit, me ob hoc in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne Judaei de falsitate Scripturarum ecclesiis ejus diutius insultarent.* Confer ep. 89 ad Aug. Simili ergo modo, quo Origenes in suis Hexaplis Graecos docuerat, Hieronymus Latinis monstrare voluit, quid textus hebraicus contineret.

2) Prodierunt circa annum 390 libri Samuelis et Regum, quos exceperunt prophetae et Psalmi (392), libri Salomonis, Job (393), Esdras et Nehemias (394), dein Paralip., Tob., Jud., Esth. et Daniel; ab anno 398 Octateucho recognoscendo desudabat (ep. ad Luc.), Josue post mortem Paulae (+ 404) in lucem prodiit. Alium ordinem recenset J. Martianay Prol. II, §. 1. ad bibl. div. Confer Hody (de bibl. text. orig. II, p. 356), Carpzov (Crit. sac. p. 675).

3) Multarum linguarum scientia insignis atque assiduus erat (ep. 4 ad Rust. et Praet. in Dan., epit. Paulae), sumptibus non parcebat, peregrinationes laboriosas subibat, cum eruditissimis Judaeorum assidue sermones conferebat et celeberrimis Rabbinis (Baranina et Nicodemo) tanquam magistris utebatur.

4) S. Doctor in vertendo non serviliter verba exprimebat, sed fideliter et clare sententias reddebat (ep. 57 ad Pamm.): *Hoc tantum probare volui, me semper ab adolescentia non verba, sed sententias transtulisse,* et (ep. ad Sun. et Fret. 29): *Non debemus sic verbum de verbo exprimere, ut dum syllabas sequimur, perdamus intelligentiam;* atque provocat ad exemplum Apostolorum (ep. 67, 9): *Perspicuum est, Apostolos et Evangelistas in interpretatione veterum Scripturarum sensum quaesiisse, non verba, nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret.* — Ne tamen nimia novitate lectores offenderet, LXX versioni acquievit, ut ait in Praef. in Com. Eccl.: *De hebraeo transferens, magis me LXX interpretum consuetudini coaptavi, in his dumtaxat, quae non multum ab hebraeis discrepabant. Interdum Aquilae quoque et Symmachi et Theodotionis recordatus sum, ut nec novitate nimia lectoris studium deterrerem, nec rursus contra conscientiam meam, fonte veritatis amisso, opinionum rivulos consectarer;* et (ep. 106 ad Sun. n. 12): *Veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoris studium terreremus.* Ideo in ejus versione multa vestigia idiomatis vulgaris, cui totus fere Occidens erat assuetus, ex Itala desumta inveniuntur, v. g. *acetabulum, bajulus, botrus, capitellum, e contra, grossitudo, humerulus, rememoro, tortula, clangueris, exiet, plexueris, benedixit eum, ponam te in gentibus, vidit Deus, quod esset bonum* etc. Nihilominus sermo versionis planus et dictio elegans est, uti ipse ait (ep. 106 ad Sun. 54, 55): *Hoc sequimur, ut, ubi nulla est de sensu mutatio, latini sermonis elegantiam conservemus. . . . Eadem igitur interpretandi sequenda est regula, quam saepe diximus, ut ibi non sit damnum in sensu linguae, in quam transferimus,* εὐφονία *et proprietas servetur.* Utitur itaque periodis, conjunctionibus, prolixiores sententias abbreviat, vitat indecoras interpretationes earumque κακοζηλίαν, et simplicem saepe stylum imitatur, quia in ss. Scripturis simplicium corda doceri voluit, non aures curiosiorum demulceri. Hieronymus magna eorum, quae usu recepta erant, reverentia ductus, interpretis munere laudabiliter functus est, ut probat Hoberg, De Hier. rat. int. 1836.

De idiomete vulgatae, quod magis ad linguam urbanam accedit, confer Vercellone (Lect. var. I, 112; II, 27) Kaulen (l. c. 181; et Handbuch zur Vulgata, Mainz 2. ed. 1904. — J. A. Hagen (Sprachl. Erörterungen zur Vulgata, Freib. 1863). — Rönsch (Itala u. Vulg. l. c.). — Heiß (Beitrag zur Grammatik d. Vulg. Gymnas. Prog. München 1864). — V. Loch, l. c. Saalfeld, De Bibl. s. Vulg. graecitate, 1891.

5) Scientia Bibliorum praeclare jam imbutus s. Hieronymus adhuc specialibus utebatur magistris, per quos etiam codices hebraeos accipiebat et traditiones judaicas cognoscebat (Praef. in Par. et Job), quosque sedulo consulebat; scribit sic v. g. (Praef. in Par.): *Fateor enim, nunquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam, de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de his, super quibus anceps eram.* Hunc in finem etiam totam Palaestinam permeabat,

Sanctam scripturam lucidius intuebitur, qui Judaeam oculis contemplatus sit et antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire (Praef. in Par.). Textus hebraicus, e quo versionem suam adornavit, vocalibus aliisque signis criticis carebat, in consonantibus autem masorethico vicinior erat, quam ille, quem LXX et Syri adhibuerant. Saepius tamen ab eo discedebat et praeter LXX versionem et commentarios Aquilae, Symmachi et Theodotionis conferebat. Nonnunquam nomina propria etymologice transfert (Num. 34, 7. Dt. 11, 30), vel vocabula explicat vel passim in commentariis seipsum castigat et retractat, quia celerrime saepius vertit; sic v. g. librum Tobiae unico die e chaldaico (Praef. in Tob.), libros Salomonis intra triduum transtulit. Praestant inter omnes libri historici, Job et libri Salomonici; color hebraicus praevalet in Psalmis et prophetis. Ultimum locum tenent libri Judith et Tobias. Nihilominus inter omnes versiones antiquas nulla est, quae textum primigenium accuratius et perfectius reddat, quam ista versio.

2) Haec s. Hieronymi translatio acerrimos quidem offendit detractores[1]), sive invidia sive imprudenti zelo ductos, verum et plurimos invenit laudatores, qui eam adoptarunt et conservarunt[2]); sensim seculo V. et VI. Ecclesia romana utraque versione (Itala et hieronymiana) uti coepit[3]); paulo post vetus Itala negligi ac Hieronymi versio saepius usurpari solebat, unde et nomen Vulgatae est sortita, donec seculo VII. fere sola usum obtineret[4]).

1) Hieronymus (Praef. in Par.): *Haec obtrectatoribns meis tantum respondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes et legentes in angulis.* — Improbrarunt autem adversarii (praeprimis Rufinus presbyter ex invidia) hanc versionem, quasi ad LXX auctoritatem minuendam et sugillationem eorumdem instituta esset, quibus calmuniis Stridonensis variis tractatibus respondebat (Prol. Gal.): *Obsecro te, lector! ne laborem meum reprehensionem aestimes antiquorum.* Praef. in Job: *Cogor per singulos scripturae div. libros adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem LXX interpretum criminantur.* Ep. c. Ruf. n. 29; Praef. in Gen.: *Non reprehendo LXX, sed confidenter cunctis illis Apostolos praefero.* Imo ipse s. Augustinus, quamvis versionem s. Hieronymi veracem esse confirmaret, non tamen continuo Itala utebatur et illam in Ecclesiis praelegi noluit, ne rei novitas aures populi offenderet et Ecclesiae latinae a graecis dissonarent; hinc scribit in ep. 71 ad Hier.: *Ego sane te mallem graecas potius canonicas nobis interpretari scripturas, quae LXX interpretum perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari, quod a graecis ecclesiis latinae ecclesiae dissonabunt.* Ep. 82, 35 ad Hier.: *Hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tundem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex hebraeo interpretationem in ecclesiis legi, ne contra LXX auctoritatem tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt, quae etiam ab Apostolis approbata est.* Confer Civ. D. 18, 43; ep. 28 ad Hier. Hanc rationem s. Hieronymus respectu ad Psalterium ipse concedit, scribens in ep. 106: *Sic psallendum, ut nos interpretati sumus, et tamen sciendum, quid hebraica veritas habeat. Hoc enim, quod LXX transtulerunt, propter vetustatem in ecclesiis cantandum est, et illud ab eruditis sciendum propter notitiam scripturarum.* — Seriori tempore post mortem jam s. Hieronymi Augustinus magnum versionis hieronym. pretium cognovit eâque identidem uti coepit tanquam ea, quae majorem praebet lucem ad intelligentiam Scripturarum; nam scribit (doct. ch. 4, 7): *Non autem secundum LXX interpretes, qui etiam ipsi divino spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritualem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio, unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum; sed sicut ex hebraeo in latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguae perito interpretante, translata sunt.* Et in Spec. cp. 82; qu. 20, 64 in Dt.; 7, 15, 19, 24 Jos.

Confer Engelstoft, Hier. Strid. interpres, critic. monachus. Havn. 1797, pag. 115. et Migne, Pat. Prol. II. in Tom. XXVIII. pag. 28, 63 seq.

2) Sophronius eruditus versionem hieronym. tanti fecit, ut Psalterium et Prophetas jam ante 392 in graecum eleganti sermone transtulerit (Hieron. de vir. ill. 134). Nonnullos Africae episcopos ante annum 403 interpretationem hanc Hieronymi in suis Ecclesiis publice instituisse, patet ex ep. 71 s. Augustini. Hispaniae ecclesiae novam versionem (excepto Octateucho) circa annum 395 susceperunt (ep. 71 ad Lucinium).

3) Versione ea usi sunt: Hesychius episc. hier. (com. ad Lev. 4, 30; 19, 12); Vincentius Lir. (400—450); Prosper Aquitanus (450), s. Faustinus diaconus, Paschasius, s. Ennodius (521), s. Caesarius Arelat. (542) aliique. Confer Kaulen (Gesch. d. Vulg. 198), Hody (Bib. text. orig. 397). — J. Cassianus († 432, Coll. 23, 8) eam *emendatiorem translationem* vocat. Inter romanos Pontifices Leo Magnus (440—61) et s. Hilarius (461—68) utraque versione utebantur, Joannes III. (560—78), Benedictus I. et Pelagius II. solam Hieronymi versionem laudant. Magni eam fecit Gregorius M. († 604, Praef. Mor. in Job): *Novam vero translationem edissero, sed cum comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo; ut quia sedes apostolica (cui Deo auctore praesideo), utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur* et (Mor. l. 20, 23) novam versionem Italae praetulit. — Ecclesiarum matrem imitatae sunt ceterae, uti hispanica, nam s. Isidorus Hispal. († 636) de off. 1, 12 ait: *Cujus (Hier.) editione generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo, quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis.* Similiter Eucherius (630) in Anglia. Inde a Cassiodoro († 565) ea in Gallia introducta erat. Ultimus scriptor ecclesiasticus, qui Itala versione sola est usus, erat s. Columbanus († 615).

4) In Concilio Lateranensi an. 649 Scriptura sacra juxta versionem hieronym. citatur, inde a Beda Vener. (sec. VIII) versio haec sola in usu erat et Itala vetus solummodo subsidii literalis causa citabatur; Bedam secuti sunt Rhabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Lombardus, Bernardus, Thomas Aq. etc. Versio ergo s. Hieronymi non mandato, sed consuetudine tantum in usum ecclesiasticum introducta est et veterem Italam loco movit, quae, quasi de manibus theologorum lapsa, obsolevit. Ceterum ex Hugone a S. Victore (1120): *Ecclesia Christi per universam latinitatem prae ceteris omnibus translationem hanc solam legendam et in auctoritate habendam constituit,* et Rogero Bacone (Opus maj.): *Quam (translationem hieron.) sacrosancta a principio recepit romana ecclesia et jussit per omnes ecclesias divulgari* — colligere licet, Ecclesiam usum versionis hieron. commendasse, non praecepisse, uti vult Vercellone (diss. pag. 41).

Versio s. Hieronymi jam appellatur: emendatior (Cassianus), vera editio (Gennadius), nova (Gregorius M.), nostra (Eucherius, Beda Ven., qui simul Italam antiquam, priscam, vetustam nominat); seriori tempore (sec. XIII) ab usu suo nomen Vulgatae seu vulgaris accepit, epitheto hoc a versione LXX interpretum desumto.

3) Cum versio latina Vulgata in dies magis diffunderetur, eandem cum ceteris versionibus subiit sortem: quanto multiplicabantur exemplaria, tanto augebantur vitia et menda, ex incuria et inscitia tum librariorum tum generatim omnium, qui novam versionem cum Itala confundebant vel codices manuscriptos glossis, ex aliis codicibus, e locis parallelis, e libris liturgicis vel scriptis Josephi Flavii desumptis, augebant. His Vulgatae codicibus, cum multum inter se discreparent, invicem corrigendis atque edendis jussu Caroli M.[1]) adlaborabat Alcuinus initio seculi IX., qui versionem latinam ex antiquis Vulgatae codicibus, non consulto textu hebraico, emendavit, Simili labori operam navarunt Lanfrancus[2]), archiepiscopus Cantuariensis seculo XI., et Cardinalis Nicolaus[3]), seculo XII.

1) Baronius (Ann. ad ann. 778): *Acciderat, ut ipsa vulgata multiplicium librariorum exscribentium vitio mendis obsita jam vilesceret. Quod perinquo animo ferens Carolus, ut quam emendatissima ederetur in pristinamque vindicaretur integritatem atque splendorem, studio propensiori curavit.* — Carolus M. (ep. 4. Migne Patr. lat. Tom. 98, 897): *Universas V. (ac N.) T. libros librariorum imperitia depravatos Deo nos in omnibus adjuvate ex amussi correximus.* Haec Biblia Alcuini vel Caroli M. a seculo IX. usque ad XIII. librariis pro archetypo erant.

2) Vita Lanfranci: *Quia scripturae scriptorum vitio erant nimium corruptae, omnes tam V. quam N. T. libros nec non etiam scripta ss. Patrum secundum orthodoxam fidem studuit corrigere . . . et hoc non tantum per se, sed etiam per discipulos suos fecit.* Hody l. c.

3) *Lustrans armaria nequibam veracia exemplaria invenire, quia et quae a doctissimis viris dicebantur correcta — adeo discrepabant, ut pene quot codices, tot exemplaria reperirem* (Hodius, De Bibl. textibus etc. Oxon. 1705, 417).

4) Seculo XIII. enata sunt Correctoria biblica[1]) seu Epanorthotae. Erant haec opera, quae textum revisum una cum variantibus lectionibus, prout in codicibus antiquioribus reperiebantur, exhibebant, simul additis in margine (Masorae instar) variis effatis Patrum et observationibus criticis, e textu hebraico vel graeco delectis. Sequentia specialiter notari merentur: *a)* Correctio Bibliorum Parisiensis, *b)* correctorium Dominicanorum auctore Hugone a s. Caro (1256), qui primus Concordantias Bibliorum concinnavit, *c)* correctorium Franciscanorum et *d)* correctorium Sorbonicum (ann. 1226), cujus auctor hebraica quoque volumina Masorethis antiquiora adhibuisse videtur. Correctoria haec magnam quidem praebebant utilitatem ad textum sacrum repurgandum, sed parum conferebant eidem textui puro conservando.

1) Correctoria nusquam communi suffragio suscepta nec ab Ecclesia aliquatenus approbata sunt, sed privata tantum auctoritate gaudebant, unde ingens codicum latinorum diversitas. — Non semper critice concepta esse correctoria, queritur Rogerius Baco (Hody 429): *Quilibet lector in ordine Minorum corrigit, ut vult, et similiter apud Praedicatores — et quilibet mutat, quod non intelligit.* Cum notae marginales interdum textui inferrentur et textus a librariis augeretur vel abbreviaretur, is sensim valde corruptus evasit, unde jam Rogerius Baco queritur (Hody 420): *Quot sunt lectores per mundum, tot sunt correctores seu magis corruptores; quia quilibet praesumit mutare, quod ignorat, quod non licet facere in libris poetarum.* Typis impressum est correctorium biblicum, cum luculenta interpretatione difficilium quarumdam dictionum, per Magdalium Jacobum Gaudensem O. P. studiosissime congestum. Colon. 1508. Confer Vercellone, Diss. accad. 35. Cum inde a concilio Viennensi 1311 studium linguarum orientalium in academiis coleretur (Corp. jur. can. Clem. l. 5. t. 1. c. 1), in sacro textu corrigendo semper etiam codicem hebraicum adhibendum perspexerunt. Sic censuit Raimundus Martinus († 1286), Nicolaus Liranus († 1340), Alph. Tostatus, Laurentius Vallensis, Adamus Easton (Anglus † 1397), Manetti († 1459).

5) Arte typographica inventa seculo XV. Biblia typis sunt descripta et quidem quam saepissime, nam ante 1517 jam ultra 200 editiones prodierant. Quoniam autem inter ipsos codices manuscriptos[1]) tanta intercedebat variantium diversitas, ipsa etiam typis exscripta[2]) exemplaria discrepabant, ut tempore concilii Tridentini varii Vulgatae textus in usu essent, quamvis

Robertus Stephanus (1555), J. Hentenius O. P. et alii magnam in Bibliis, tum edendis tum corrigendis collocarent operam[3]).

1) Codicibus M. SS. Vulgatae principalioribus adnumerantur: Antiquissimus codex est Bobiensis palimps. e saeculo v. continens majorem libri Judicum partem et fragmenta LL. Ruth et Job, Sequitur codex Fuldensis ex anno 546, qui solum Novum Test. continet. Eminet tamen Codex Amiatinus (olim in monasterio de monte Amiato prope Sienam nunc Florentiae asservatus) scriptus literis uncialibus a Ceolfrido abbate Anglorum Northumbriae inter 690 et 716 probabiliter ex romano exemplari, ut docet de Rossi, continet A. et N. T., ex quo codice Antiquum Test. in stichis descriptum ediderunt Heyse et Tischendorf Lips. 1873; codex Gothicus vel Toletanus literis uncialibus scriptus (e sec. VIII.); codex Cavensis, codex Paulinus apud basilicam s. Pauli custoditus, continens A. et N. T. ab Alcunio correctum, etiam Carolinus vocatus; accedit Statianus vel Vallicellianus codex (sec. IX.). Confer Vercellone Variae lect. I. p. LXXXIV, Blanchini, Vind. can. Scrip., Vallarsi inter op. s. Hier.

2) Vulgata prima impressa est Moguntiae 1450, et cum editionis anno adnotato Moguntiae 1462, dein Romae 1471 etc. Psalterium editum est anno 1457. Ante annum 1517 editiones italicae numerantur 55, gallicae 79, germanicae 94, summatim ergo 228.

3) Vulgatae, tum e textu originali tum ex aliis manuscriptis, corrigendae operam dederunt editores Polyglottorum Complutensium et Robertus Stephanus, qui editionibus suis (1540 optimae notae) annotationes et variantes, Calvini erroribus infectas, apposuit, quare censuram theologorum Psrisiensium in se concitavit. Jussu Caroli V. theologi Lovanienses Vulgatae correctius edendae curas impenderunt, praeprimis Joh. Hentenius O. P., qui adhibita editione Rob. Stephani (1540), collatis insuper 30 codicibus manuscriptis, editionem primam in lucem misit Lovanii 1547, quae saepius excusa et correcta est per theologos Lovanienses, praesertim per Lucam Brugensem; optima editio est anni 1585, qua saepius usi sunt romani correctores ad parandam editionem vaticanam.

6) Quoniam rursus seculo XVI. varia et corrupta Vulgatae exemplaria, imo etiam variae latinae versiones tum a catholicis tum ab acatholicis, elaboratae ac haeresi infectae[1]) circumferebantur, Ecclesia, saluti fidelium et puritati doctrinae invigilans, emissa declaratione in Concilio Tridentino sess. IV.[2]), Vulgatam inter omnes versiones latinas authenticam declaravit, simul statuens, ut haec ipsa Vulgata editio quam emendatissime imprimeretur.

1) Tales editiones variae erant: Erasmi (N. T. e graeco Bas. 1519), Osiandri (1522), Petreji (1527 et 29 Noremberg.), Wittenbergensis (1529), C. Pellicani (Tig. 1532), Jo. Rudelit (Col. 1527), Aug. Steuchi (episc. Venet. 1529), Isidori Clarii (Venet. 1542), Sanctii Pagnini (O. P. 1527 Lugd.), Cajetani (Lugd. 1539), Seb. Münster (Basil. 1534. A. T. ex hebraeo), Leonis Judae et Bibliandri (Tig. 1543), Seb. Castalionis (Bas. 1541). et aliorum. Confer Kaulen, Gesch. d. Vulg. 318—378.

2) Concilium Tridentinum sess. IV. dec. 2: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat . . . ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur.*

7) Concilium Tridentinum versionem vulgatam latinam authenticam[1]) declarando eam non reddidit inspiratam, sed fonti autographo in ordine ad probanda fidei et morum dogmata conformem adseruit, ut pro certa habe-

retur fidei regula, ab Ecclesia proposita, quatenus nil continet, quod sit a veritate fidei christianae vel devium vel contrarium.

1) Non eo sensu Concilium Tridentinum Vulgatam versionem authenticam declaravit, ut significaret, nullum, ne levissimum quidem, mendum in eam irrepsisse, sed tantum, eam in substantialibus nunquam deficere, nil a revelata doctrina absonum et a pietate alienum continere, ita ut citra periculum legi ac in publico usu adhiberi possit. Confer Bellarminum (de verb. E. II, 11). Praeterea synodus versionem hanc emendandam denuntiat et ipsa Clementina editio retinet suos naevos. 2) Concilium Vulgatam minime tam perfectam et omnibus numeris absolutam declarat, ut nulla alia versio confici possit perfectior; versio enim non perfectione sua, sed tantum definitione Ecclesiae fit authentica; nam fides ex rerum substantia pendet, non autem ex apicibus, vel qualitate verborum. 3) Declaravit Ecclesia Vulgatam editionem solam pro authentica habendam, quia talis versio latina Ecclesiae, quae lingua latina in liturgiis utitur, necessaria erat, quamvis eodem judicio etiam versiones in aliis linguis exaratas approbare potuisset. 4) Per hanc declarationem Concilium nihil detraxit auctoritati nec textus originalis (qui per se authenticus est), nam de hoc ne verbum quidem fecit, nec antiquarum versionum in aliis linguis; habet enim ex omnibus latinis tantum editionibus, quae circumferuntur, vulgatam authenticam. Confer Salmeron testem concilii (Prol. III.): *Nihil ibi de exemplaribus aut graecis aut hebraicis agebatur; tantum inter tot latinas editiones, quot nostra secula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat . . . Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas profundius meditantur, fontes graecos aut hebraicos, quatenus opus sit, consulere.* Comprobatur hoc etiam ex praxi theologorum, qui in expositionibus textum originalem saepe adhibent. Juxta Pallavicinium (Hist. C. T. 6, 17. 5) concilium Tridentinum non tam decrevit, quam confirmavit auctoritatem, qua in Ecclesia gavisa est versio Vulgata, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia fuit probata. Sixtus V. (»Aeternus ille«): *Decernentes eam prius quidem universali sanctae Ecclesiae et ss. Patrum consensione, dein vero generalis Conc. Tridentini decreto, nunc etiam apostolica nobis a Domino tradita auctoritate comprobatam.* — Praeterea Concilium non tantum intrinsecam conformitatem Vulgatae cum textu originali testatum est, sed et extrinsecam quandam auctoritatem eidem contulit.

De sensu decreti Conc. Trid. consule: Pallavicini, Histor. C. T. 12; Salmeron, Proleg. . . . III.; Jo. Mariana, Pro edit. Vulg. Cap. 21—23; And. Vega, De justific. l. 15, Cap. 9; Bonfrerium, Praeloq. in ss. script. Cap. 15; Frassenium, Calmetum, Fabricy, Marchini, J. B. Branca, De Vulg. edit. auctor. Mediol. 1791; C. Vercellone, Var. lect. II. et sulla autenticità delle singole parti delle Biblia Volgata, Rom. 1866; Welte, Tüb. Quartalschr. 1845; Reusch, im Katholik. 1860, 641; Cornely, Int. 440 seq.

8) Correctio Vulgatae editionis critica (non doctrinalis), a Concilio decreta, lente processit sub PP. Pio IV., Pio V. et Gregorio XIII. — Sixtus V., qui anno 1586 editionem LXX versionis e codice Vaticano exscriptam procuraverat, rem magis ursit et negotium Vulgatae castigandae commissit Congregationi, et lectissimis Cardinalibus Carafa, Columna, de Miranda aliisque viris peritissimis: R. Bellarmino, Toleto, Flaminio Nobilio, Laelio, Petro Morino, Agellio etc. compositae, qui collatione codicum latinorum antiquissimorum et in locis dubiis etiam hebraeorum et graecorum versionem s. Hieronymi juxta mentem Pontificis ad pristinum statum et nitorem revocare adlaborarunt[1]). Tandem 1590 Biblia sacra (vulgatae editionis Sixti V. jussu recognita atque edita 3 Fol.) in lucem prodierunt. Cum nihilominus multa in hac editione reperirentur menda, Gregorius XIV. novam instituit Congregationem (7 cardinalium et 12 theologorum), ut iterum Sixtina editio ad trutinam criticam revocaretur, et 5 canones

statuit[2]), quos correctores in textus recognitione prae oculis haberent. Editio nova tandem sub Clemente VIII.[3]) 1592 e typographia vaticana prodiit, et anno 1593 iterum (in Quarto cum concordantiis marginalibus, explicationibus, nominum hebraeorum et indice rerum) ac 1598 (in Octavo) cum tribus erratorum correctoriis excusa fuit. Haec editio Clementina exhibet textum publicum et ecclesiasticum, ac norma[4]) facta est omnium sequentium editionum, idque jure merito; nam exhibet textum, in omnibus essentialibus partibus cum textu originali congruentem[5]), ut itaque mediante Vulgata versione integritati Scripturarum abhinc singulari modo provisum videatur.

Novissime Pius PP. X. (ep. d. 3. Dec. 1907 Congreg. Anglo-Benedictinae) detulit sodalibus Benedictinis munus pervestigationum studiorumque apparandorum, quibus nova innitatur editio latinae Vulgatae versionis in hunc finem, ut primiformis textus Hieronymianae Bibliorum Conversionis seculorum vitio non paullum depravatus restituatur, investigatis universis antiquis codicibus hujus interpretationis in Europae bibliothecis asservatis (Act. s. S. an. 1907, 721).

1) Sixtus V. totum Congregationis opus perlegit, emendationes partim admisit, partim rejecit, rationes pro et contra perpendit, typographiam in aedibus vaticanis ad hanc editionem paravit, et propriis manibus correxit, quae praelo vitia irrepserant. Hinc ait in Constitutione »Aeternus ille«: *Illud sane omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores ac vigilias nunquam eo spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut Vulgata vetus ex Tridentinae Synodi praescripto, emendatissima, pristinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu styloque prodierat, quoad ejus fieri potest. restituta imprimatur.*

2) Praescripsit, ut *a)* ablata restituantur, *b)* adjecta removeantur, *c)* immutata considerentur vel corrigantur, *d)* punctationes perpendantur; et *e)* ne fieret mutatio, nisi cogeret necessitas.

3) Quamvis regnante Clemente VIII. haec editio prodierit, tamen in titulo non hujusce Pontificis nomen legitur, sed Sixti V. dumtaxat, nomen autem illius postea ab anno 1641 additum et receptum est. Recte autem hodie Clementina vocatur, quia Clementis VIII. auctoritate nititur.

4) Clemens VIII. (»Cum ss. Bibliorum«): *Praecipimus, ut nemo sacrarum hanc Scripturarum editionem typis mandare praesumat, nisi habito prius exemplari in typographia vaticana excuso: cujus exemplaris forma ne minima quidem particula de textu mutata, addita vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod typographicae incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur.* Relatio hujus editionis ad antiquam versionem explicatur in Praef. ad lect.: *Congregationi propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare, sed ipsam veterem ac vulgatam editionem latinam a mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suae pristinae integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere.*

Quamvis in prima editione 1592 neque variantes lectiones, neque notae, neque locorum concordantiae, neque capitulorum summaria conspiciantur, possunt tamen librarii catholici, alio genere characterum haec subsidia apponere, sed ita, ut variantes lectiones ad marginem textus non apponantur, ne iterum textus perturbatio exoriatur. Haec subsidia jam inveniuntur in editionibus vaticanis 1593 et 1598. In his tribus Clementinis editionibus et in ceteris inde derivatis adhibita est divisio in capita et versus.

Quamvis editiones Sixti V. et Clementis VIII. in 3000 fere locis discedant, nulla tamen substantialis diversitas, nulla realis contrarietas locum habet, ut probavit H. a Bukentop in opere »Lux de luce«, Col. 1710 contra Thomam James (Bellum papale Lond. 1600);

ostendit enim, omnes differentias a Jamesio jactatas mere esse vel commatum, punctorum, literarum aut vocum mutationes, quae fidem vel mores minime spectent. Inter editiones, ad normam exemplaris vaticani expressas, eminent editiones Leandri van Ess (Tub. 1824), Val. Loch (Ratisb. 1849 et 1863), Hyac. Marietti (Taur. 1851) et Car. Vercellone (Rom. 1861). — Arndt S. J., Bibl. sac. Vulg. ed. 4 ed. — Fillion (Paris) et Hetzenauer (Oenip. 1906), quae omnium praestantissima haberi potest.

Quid in editione Clementina praestitum sit, patet ex Praef. ad lect.: *Quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis hebraeis graecisque fontibus et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla mutata, ita etiam alia quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt; tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam s. Hieronymus non semel admonuit, tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex hebraeis et graecis latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt.*

5) Licet ergo Clementina editio non sit omnibus numeris absoluta, tamen nullus invenitur liber profanus tam accurate ad optimos codices editus. Congregationes, quibus munus Vulgatae corrigendae successive datum erat, non easdem quidem omnino regulas observarunt, at certum est, unamquamque Congregationem solidum attulisse lapidem exstruendo aedificio correctionis Vulgatae. Hinc merito ait Vercellone (Prol. ad var. lect. Vulg. Tom. I.): *Eruditis viris posthac exploratissimum fore, quidquid summorum Pontificum auctoritate in Vulgatis Bibliis emendandis peractum fuit, exquisitam sane planeque admirabilem prodere sapientiam. Quamvis enim gravissimi theologi censeant Biblia nostra Vulgata ... in praesens majori adhuc cura expoliri posse, fatendum tamen erit, romanos Pontifices ita fere omnia praeoccupasse, ut vix aliquid in hac palaestra perficiendum reliquerint; vix aliquid, inquam, quod certe neque res fidei aut morum aeque ipsam translationis integritatem puritatemque ullatenus attingit.*

9) Editio ergo nostra Vulgata continet: *a)* libros ex hebraeo et chaldaeo a s. Hieronymo translatos et quidem protocanonicos omnes (excepto Psalterio, quod, quamvis ceteris praestaret, usu non est receptum, ne ordo officiorum divinorum nimium turbaretur) et libros Tobiae atque Judith. *b)* Psalterium gallicanum, a s. Hieronymo ex Itala ad fidem hexaplorum Origenis (et N. T. ex veteri Itala ad textum graecum) emendatum; *c)* ex Itala versione receptos et a s. Hieronymo non castigatos libros deuterocanonicos (Tobia et Judith exceptis).

Liber Daniel ex hebraeo et e versione Theodotionis translatus est; additamenta Estherae e versione quidem sunt Itala, ast a s. Hieronymo ad versionem LXX recognita.

§. 122. *F.* Versiones arabicae et persicae.

1) Plures exstant versiones arabicae, diverso tempore, per diversos auctores, e diversis fontibus exaratae; aliae enim confectae sunt a Judaeis e textu hebraico, quarum celeberima est a R. Saadia Gaon[1]); alia a Christianis, et textu graeco LXX[2]) vel e versione syriaca Peschito[3]) vel e Vulgata latina[4]); quae tamen plerumque non omnes libros complectuntur.

1) Saadias Gaon († 942), e Phajum in Aegypto oriundus, totum A. T. in linguam arabicam vertit, et quidem satis libera interpretatione, magis paraphrastam quam versorem agens, saepe a Masora et Targumim recedens, tropos et anthropomorphismos devitans, nec

raro sua placita interponens. Versio Pentateuchi (1546 Constantinopoli edita) continetur in Polyglottis Londinensibus. Versio Isaiae edita est e codice Bodlejano a G. E. Paulo Jen. 1790 (ast corrupte), pars Psalmorum ab Haneberg (Arab. Psalmenübersetzg. des R. Saadias G. in Abhandl. d. bayr. Akad. 1841), pars libri Job a Stickel Jen. 1832; major tamen hujus versionis pars adhuc inedita est. Confer Dukes (Beitr. zur Gesch. etc. Stuttg. 1844).

E textu pariter hebraico confectae sunt *a)* versio Pentateuchi, edita a Lagarde 1867, et altera a Judaeo africano seculo XIII, edita ab Erpenio (Lugd. Bat. 1622 = Arabs Erpenii vocata); *b)* versio Josue et Lamentat. (1, 12—2, 12), partis librorum Regum (3, 12—4, 12) et Nehemiae (1—9, 27) a Judaeo, seculo X. vel XI. vivente (in Polygl.), Isaiae, Jeremiae, Ezechiel et proph. min. ab anonymo (Hoseas, Joel editi sunt in Merx, Archiv I. 28; II. 1). Confer Rödiger, De orig. et indol. arab. interp. Hal. 1829.

2) E Septuaginta translati sunt: *a)* prophetae (seculo X.), libri poetici (Job excepto) et Esras (in Polyglottis); *b)* varia psalteria. Psalterium in Polyglottis est e recensione aegyptiaca (alexandrina); Psalmos e LXX, inspecto simul hebraico et versione Peschito, edidit Gab. Sionita Rom. 1614. — Psalmi arabici Lond. 1725, in monasterio s. Joannis in Kesruan 1735, ac Viennae 1792, typis editi sunt. Confer Wiseman, Abhandlg. Augsb. 1854, I. 147.

3) E Peschito fluxerunt: *a)* Job, Chron., Judic., Ruth, Sam., Reg., Neh. (exceptis partibus sub 1 recensitis) et Eccli. (in Polyglottis), *b)* Psalmi editi a Maronitis in monasterio s. Antonii 1610 — ac inediti in codice Bodlejano. *c)* Fragmenta Pentateuchi. Confer E. Paulum, Specimina versionum Pentat. septem arabicarum nondum editar, Jen. 1789.

Desiderantur in versione arabica libri Tobias, Judith, Esther, Machabaeorum. Interpretatio ergo arabica, quae in Biblicis Polyglottis habetur, e pluribus interpretibus concinnata est.

4) Edita est alia versio arabica ad usum ecclesiarum Orientalum jussu Congregationis de Propaganda fide Romae 1671 (Lond. 1822), curante Sergio Risio, qui lacunas e textibus primigeniis et Vulgata latina supplevit. Optima versio arabica est a Societate Jesu Berythi in Syria edita, confecta e fontibus hebraicis et graecis, collatis vetustissimis versionibus, Vulgata latina, LXX interpretum atque Syriaca. Excusa sunt Antiqui Testamenti tomus primus et alter 1881, et Novum Testamentum 1878 cum approbatione Patriarchae Hierosolymitani in usum ecclesiasticum.

2) Versio Pentateuchi persica, e seculo XVI.[1]), facta est a Judaeo Jacobo Ben Joseph Tavo (ex urbe Tavus in Chorasan?), magistro scholae constantinopolitanae, qui eam e textu masorethico fideliter et verbotenus transtulit[2]), versione Onkelosi respecta. Exstat alia versio Pentateuchi, Psalmorum et librorum Salomonis, pariter e textu hebraico, in codice M. S. Parisiensi inventa[3]).

1) A. Kohut, Krit. Beleucht. d. pers. Pent. Übers. Lpz. 1871.

2) Edita est 1546 Constantinopoli, et in Polyglottis Londinensibus Tom. IV. Confer E. F. C. Rosenmüller, De vers. Pent pers. Lips. 1831.

3) Inventa fuit ab Hassler (St. u. Kr. 1829, 469). Accedunt duo codices manuscripti Psalterii, e Vulgata latina versi. Confer Walton, Prol. XVI. Nulla exstat interpretatio persica A. T. christiana; in Persia Christiani versione (et lingua) arabica utuntur.

§. 123. Biblia Polyglotta.

Versiones hucusque recensitae fere omnes, penes textum originalem, continentur in Bibliis Polyglottis, quorum praestantiora sunt sequentia:

1) Biblia Polyglotta Complutensia, edita fautore Card. Francisco Ximenez de Cisneros, Compluti (Alcalá in Hispania) 1514—1517. exhibent textum hebraicum V. T. (ex antiquissimis M. S. derivatum), LXX et Vulgatam nec non Targum Onkelosi in Pentateuchum (et N. T. graecum cum Vulgata latina). Textui graeco V. T. adposita est versio interlinearis accurata, et ad latus chaldaici versio latina.

»N. T. graece et latine in academia Complutensi noviter impressum (1 Tom. 1514) et V. T. in multiplici lingua nunc primum impressum (4 Tom. 1514—17); accedit vocabularium hebraicum atque chaldaicum cum grammatica hebraica et notis Alphonsi Zamoreusis.« Descripta sunt ab Hefele, Der Cardinal Ximenez. Tüb. 1851 (2), pag. 113.

2) Biblia Polyglotta Antverpiensia, consilio et munificentia Philippi II. Hispaniarum regis (hinc Biblia regia vocata), excusa sunt Antverpiae 1569—72 a typographo Christ. Plantino, curante B. Aria Montano.

»Biblia sacra hebraice, chald., graec. et lat. Philippi II. pietate et studio ad s. ecclesiae usum edita 8 tomis.« — Tomi 1—4 continent A. T., et quidem textum hebraicum, Vulg., LXX (cum latina interpret.) et Targumim in totum A. T. (cum singulis latinis version.), tomus 5.: N. T. graec., Vulg. et Peschito (cum lat. interp.); tomus 7. et 8.: apparatum biblicum; tomus 6. textum hebraicum V. T. cum versione interlineari Sanctii Pagnini, ab Aria Montano recognita, et graecum N. T. cum versione latina.

3) Biblia Polyglotta Parisiensia, impensis Michaelis Le Jay, studio ac cura orientalium (Gabrielis Sionitae, Abrahami Echellensis et Joannis Hesronitae), quibus adjuncti erant viri docti (Joan. Morinus, Joan. Aubertus et Joan. Tarinus); prodierunt Parisiis an. 1629—45, 10 tomis in folio.

»Biblia sacra heb., sam., chald, graec., syr., arab., lat. . . . . Lutetiae Parisiorum excudebat Ant. Vitré.« Tomi 1—4 continent: A. T. ut in Polyg. Antverp., tom. 5.: N. T. graec., lat., syr. et arab., tom. 6.: Pentateuch. sam. ac version. samarit. (cum interp. lat.) syr. et arab., tom 7—10: versiones syr. et arab. reliquorum librorum V. T. (paucis exceptis) cum latinis interpretationibus correspondentibus.

4) Omnium praestantissima sunt Biblia Polyglotta Londinensia, a Briano Waltono (Londini 1653—57 in 6 tom.) edita, in quibus textus et versiones correctius impressae sunt. Accedunt praeterea ad Polyglotta Parisiensia versiones persica Pentateuchi, aethiopica Psalterii et Cantici C. atque apparatus criticus. His adjecit Edm. Castelli Lexicon heptaglotton. Lond. 1696, 2 tom.

»Biblia sacra Polyglotta complectentia textus originales, hebraicum cum Pentateucho samaritano, chaldaicum, graecum, versionumque antiquarum samaritanae, graecae LXX Interpr., chaldaicae, syriacae, arabicae, aethiopicae, persicae, Vulgatae latinae quidquid comparari poterat. Ex vetustissimis M. S. undique conquisitis optimisque exemplaribus impressis summa fide collatis. Quae in prioribus editionibus deerant, suppleta; multa antehac inedita de novo adjecta, omnia eo ordine disposita, ut textus cum versionibus uno intuitu conferri possit. Cum apparatu, appendicibus, tabulis, variis lectionibus, annotationibus, indicibus etc. edidit Brianus Waltonus. Lond. 1657.« — Complevit opus hoc accitis viris peritissimis: Ed. Castello, A. Huisso, S. Clerico, Th. Hyde, D. Luftusio et aliis — Continent tom. 1: apparatum biblicum (separatim editus Tig. 1673), Pent. heb., sam., chald. graec., syr., arab. et lat.; tom. 2 et 3: libros reliquos protocan. heb., graec., lat., chald. (exceptis Chron., Esd., Neh. et Dan.), syr., arab. (excepto libro Esther), Ps., Cant. C. (simul aethiopic.); tom. 4: libros deuterocanonicos (et nonnulla apocrypha) graec., lat., syr. (Esther excepto), arab. (exceptis Est., Tob., Jud. et Mach.), Targumim Pseudo-Jonathanis et hierosolymitanum ac Pentat. pers.:

tom. 5: N. T. graec., lat., syr., arab., aethiop. Evangelia (etiam persic.); tom. 6: Appendicem, variantes notas etc. Versio LXX ad normam editionis romanae, et Vulgatae ad editionem Clementis VIII. conformatae sunt; singulis versiones latinae (textui hebraico versio interlinearis S. Paganini ab Aria Montano emendata) appositae sunt. Lexicon heptaglotton linguas heb., chald., syr., sam., aethiop., arab. conjunctim et persicam separatim continent.

5) Praeter haec majora Polyglotta Biblia exstant alia minora: Polyglotta Hamburgensia 1587, Polyglotta studio Eliae Hutter, Noriberg. 1599, Polyglotta curante Ch. Reineccio Lips. 1570, Polyglotta manualia ediderunt R. Stier et C. W. Theile, Bielef. (5. edit. 1892), quae continent textum hebraicum (et graec. N. T.), LXX, Vulgatam et versionem germanicam Lutheri (sine libris deuterocanonicis), cum variantibus lectionibus versionum germanicarum. — Vigouroux, Bible polygl. Par. 1899 seq. Sed contra quam editionem cf. Fonck, Z. f. k. Theol. XXII, 553 seq.; XXIII, 174 seq.

§. 124. *G.* Reliquae versiones antiquae.

1) Quum religio christiana seculis II. et III. jam totam fere Aegyptum pervasisset, necessitas aderat Scripturam sacram in linguam vernaculam copticam transferendi. Seeulo IV. tales versiones jam in usu ecclesiastico fuisse, inde concludere licet, quod s. Antonius († 356), qui, s. Athanasio teste, linguam graecam non callebat, in sacra Scriptura optime erat versatus. Exstant versiones in tribus dialectis copticis: Sahidica (Thebis), in Aegypto superiori usitata, Memphitica, in Aegypto inferiore, Basmurica in Aegypto media vel occidentali plaga Nili vulgata, quae omnes e versione LXX (Daniel e Theodot., N. T. de textu graeco) derivantur et partim editae sunt typis, partim ineditae.

Lingua coptica est lingua aegyptiaca (demotica), quae inde a seculo primo p. Ch., literis graecis uncialibus scripta, usque ad seculum 17. usu viguit. Edita sunt in *a)* dialecto memphitica: Pentateuchus a D. Wilkins (Lond. 1731), a Fallet (Par. 1854), a P. de Lagarde (Lips. 1867); Psalterium a Tuki (Rom 1744), ab Ideler (Berol. 1837), a Schwartze (Lips. 1843), et a Lagarde (1875), Prophetae majores et minores ab H. Tattam (Oxon. 1836 et 1852); Job a Tattam (Lond. 1846) et Daniel a Bardelli (Pis. 1849). *b)* In dialectis sahidica et basmurica fragmenta tantum a Münter, Mingarelli, Zoëga, Engelbreth, A. Ciasca 1885 et Versio copt. sahidica 1889, etc. sunt edita. A. Schulte, Kopt. Übersetzg. der 4 groß. Proph. 1891.

2) Versio aethiopica, non in lingua nunc vulgari Amharica, sed in vetere Geez (quae e seculo XIII. exolevit) exarata, a multis adscribitur s. Frumentio[1]), primo Aethiopiae apostolo, e seculo IV.; manavit e versione LXX (N. T. e textu graeco), quam presse sequitur, et in Ecclesia aethiopica adhuc est in usu; currente tamen tempore per juniores correctores varie est corrupta. Continet praeter libros proto- et deuterocanonicos etiam nonnullos apocryphos[2]). Nondum edita est integra omnium librorum versio[3]).

1) S. Frumentius non omnes libros vertisse videtur, quia versiones singulorum Librorum saepe dicrepant. Abessini ipsi eam Frumentio et 9 monachis tribuunt, qui seculo V. ex superiori Aegypto advenientes vitam monasticam in Abessinia propagarunt.

2) Confer Proleg. in Polyg. Londin. N. 15. A Dillmann, Über den Umfang des Bibelkanons der abyss. Kirche in Ewalds Jahrb. d. bibl. W. V. 144. Gött. gel. Anzeig. 1859, 190.

3) V. g. libros Henoch, Jubilaeorum, apocalypsin Esrae, ascensionem Isaiae. Codices nobis noti (varie depravati) sunt recentioris originis; nam pauci seculi XV. creduntur esse antiquiores. Edita sunt: Psalterium et Cantic. C. ab H. L. Potken (Rom 1513); Psalterium ab H. Ludolph (1701), Ruth, Joel, Jonas, Malach. aliis in locis a diversis (1600—1706); e codice manuscripto edidit hucusque A. Dillmann Octateuchum et 4 libros Regum (Lips. 1853—1871), cui editioni adjunctus est apparatus criticus. J. Bachmann Dodecaproph. Aethiop. (Obadj.) 1892.

3) Primam versionem armeniacam Isaac patriarcha (390—440) una cum adjutore suo Mesrob, literarum (36) armeniacarum inventore, e codice syriaco, quum graeco careret, vertit. Dein vero duo Mesrobi discipuli, Joannes Ecelensis et Josephus Palnensis una cum Moyse Chorenensi, qui Alexandriae linguam graecam didicerant, utrumque Testamentum e textu graeco[1]) verterunt.

1) Versio haec presse sequitur codicem alexandrinum vel potius textum hexaplarem a Mesrobi discipulo Epheso allatum. Edita sunt: Psalterium (Venetiis 1515 et Romae 1642), tota Biblia ab Uscano (Osyan, Amstel. 1666), et editio critica, a congregatione Mechitaristarum (Zohrab) facta, Venetiis 1805 et 1859 (Petrop. 1819, Mosc. 1843), Versio continet, praeter libros proto- et decterocanonicos, etiam 3. et 4. LL. Esdrae, 3. Mach. et orationem Manassis.

4) Auctor versionis Gothicae habetur Ulphilas (Vulfilas † 388), Gothorum episcopus, qui, adjutus a Selina, una cum literis gothicis, versionem omnium librorum A. et N. T. Gothis, Moesiam incolentibus, nec non liturgiam gothicam procuravit. Instituit autem Ulphilas interpretationem suam circa ann. 370, e versione LXX, et quidem quam fidelissime, quae ideo pro re critica magni est valoris. E multis lectionibus variantibus concludendum est, versionem hanc, decursu temporis ad normam versionis latinae immutatam, varias induisse recensiones. Pauca tantum V. T. fragmenta hucusque sunt detecta.

Jam. s. Chrysostomus novit hanc versionem, quia in Ecclesia s. Pauli (gothica) Constatninopoli Biblia Ulphilana legenda curavit (hom. 8). Num Ulphilas, priusquam haeresin Arii amplecteretur, versionem hanc confecerit, incertum est; libri enim N. T. publicati vix aliqua Arianae haeresis vitia prae se ferunt. Fragmenta A. T. (Ps. 52, 2, 3; Esr. 2, 8, 42. Neh. 5, 13—18; 6, 14—19; 7, 1—3) inventa ab A. Mai in 5 palimpsestis bibliothecae Ambrosianae Mediolani (1819—39) edita sunt, una cum N. T., a Gabelentz et J. Loebe (Lips. 1843—46), ab H. E. Maßmann (Stuttg. 1853), a J. L. Stamm, Paderb. 1856; edit. 6. ab Heyne 1874) et a Bernhardt (Halle 1875). Pretiosissimus omnium est codex argenteus Upsalensis e seculo V. vel VI., stichometrice conscriptus in membrana purpurea cum literis argenteis; continebat olim 330 folia, quorum hucusque 167 tantum conservata sunt, quae majorem Evangeliorum partem continent. Pertinuerat olim ad abbatiam Verdenensem, inde Rudolpho imperatori donatus Pragam delatus est; hinc marte germanico a Suecis victoribus 1548 Holmiam missus est. Christina regina eum Vossio bibliothecario concessisse dicitur. Redemit eum Gabriel de la Gardie atque 1669 academiae Upsalensi donavit, ubi nunc asservatur. Primam ejus editionem adornavit Junius (1665), dein Benzelius (1750), et Uppström (Codex arg. 1875; decem cod. arg. rediv. folia 1857; fragm. selecta 1861).

5) Versio georgica seu grusinensis, seculo IV. paulo post armeniacam, e textu graeco vel armeniaco enata est; sed non mansit integra, potius ad normam versionum prisco-slavicae et russicae revisa ac corrupta fuit.

Georgiani seu Colchi, qui in meridionalibus Caucasi montium radicibus habitarunt, a vicinis Armeniis seculo IV. ad religionem christianam adducti ab iisque etiam liturgiam et Scripturas mutuati sunt. Edita est Moscoviae 1742 et Petropoli 1818.

6) Auctores versionis prisco-slavicae (palaeoslovenicae), qua Slavi ritus graeci hodiedum utuntur in liturgia, habentur apostoli Slavorum, ss. Cyrillus et Methodius, qui seculo IX. Bulgaris et Moravis, una cum literis slavicis et liturgia slavonica versionem sacrae Scripturae, e codicibus graecis (A. T. e LXX) exaratam, tradiderunt. S. Cyrillus vertit Evangelia, Apostolarium (i. e. Act. Apost. et Epistolas) atque Psalterium. Teste Ioanne Exarcha fratres hi totum A. T. exceptis libris deuterocanonicis lingua palaeoslovenica interpretati sunt; quod defuit, discipuli s. Methodii absolverunt. Tamen codices M. S. nonnullarum partium N. T., praesertim Evangeliorum vetustate superant illos A. T. Exstant codices Evangeliorum sequentes: Rhemensis, Zographensis, Assemanianus et Marianus e saec. X. vei XI., Ostromiri 1047 [1]), Mstislai (1117), Jurjev. (1119) etc. Psalterii codices habentur e saec XI. et XII. Viennae in bibliotheca caesarea asservatur Psalterium et Evangeliarion [2]).

1) Codicem Rhemensem ediderunt Silvestre Paris. 1843 et Hanka Prag. 1846. Codicem Zographensem nunc Petropolitanum edidit Jagić Berol. 1879. Idem edidit etiam Codicem Marianum. Crncić et Rački vulgarunt codicem Assemanianum. Vostokov edidit codicem Ostromiri Petbg. 1843.

2) Partem ejusdem sc. s. Matthaei evangelium edidit Fr. Miklosich Vind. 1856. Versio totius Scripturae typis edita est primo Pragae 1570, dein Ostrogii in Russia 1581, Moscoviae 1751 (editio pro schismaticis normalis). Rutheni hodie utuntur editione 1859—1864 Premisliae procurata.

§. 125. *H.* Versiones in linguis vulgaribus. *a)* Versiones anglicae, gallicae, italicae.

Mature iam tum tota s. Scriptura, tum aliquae partes (praeprimis Psalmi et Evangelia) in linguas vulgares, maximopere e Vulgata latina, in usum publicum translatae sunt.

1) Versiones anglicae. Beda Venerabilis († 735) integra Biblia e Vulgata latina in linguam anglosaxonicam vertisse fertur; ex eodem seculo repetitur versio Psalterii ab Adhelmo abbate et e seculo IX. ab Alfredo M., ac dein e seculo X. versio anglosaxonica plurium librorum historicorum et Job ab Aelfrico monacho. Anno 1380 Wiclifus perfecit anglicam versionem verbalem e Vulgata. Cum versiones auctoribus Tindale 1526, Coverdale 1535, Matthew 1537, Cranmer (Biblia magna 1539) edita, non acceptarentur, et contra versionem, quam, jussu Elisabethae reginae, Matth. Parker curantibus pseudo-episcopis (versio episcoporum) anno 1568 ediderat, plures reclamarent, Jacobo I. rege nova versio (Biblio regia vel Jacobi) exarata est (1707—1710), quae hodie adhuc ab ecclesia anglicana et Protestantibus in statibus foederatis Americae septentrionalis recepta est. Revisionem ejus procuravit Blayney 1769.

Catholici in Anglia, Hibernia et America septentrionali utuntur versione Duacensi (Douay in Gallia, ubi prodiit 1609), quae e Vulgata latina confecta est (et N. T. Rhemis 1582), et quidem altera ejusdem editione, quae curante Chalonner prodiit Londini 1750. Versionem Duacensem denuo recognovit Fr. P. Kenrick, Archiepiscopus Baltimorensis et notis illustravit (1851). Anno 1857 Dublini nova editio procurata est a Denvir episcopo, et quidem juxta Vulgatam latinam (Clementinam), collatam cum hebraico et graeco textu aliisque versionibus anglicis approbatis, una cum notis, quae nunc in America communiter adhibetur loco Duacensis.

2) Versiones gallicae. E seculo XII. exstat versio 4 librorum Regum gallica a Leroux de Lincy (anno 1841 Parisiis edita). Ex historia scholastica (i. e. Bibliis historicis) Petri Comestoris (1170) Guiardus Molinaeus canonicus (Guiards des Moulins) circa annum 1291—1297 versionem gallicam confecit, in qua textum historiae scholasticae juxta textum authenticum Vulgatae recensuit ac libros sapientiales et Job adjecit, quae, aucta Psalmis, Prophetis (et Epistolis) prima vice prodiit Parisiis 1487. Novam et accuratiorem interpretationem, quae basis reliquarum est facta, Faber, Stapulensis condidit Antv. 1528. Cum tamen versio haec pluries excusa haeresi lutherana infecta esset et versio Olivetani (1535 Genevensis dicta) calviniam haeresin stillaret, versio Fabri a theologis Lovaniensibus, duce Nicolao de Leuze, ad normam Vulgatae latinae adornata ac recognita est 1550, quae deinde saepe excudebatur usque ad seculum XVII. Hoc vero seculo nova versio gallica prodiit (Par. 1682—1708, 32 Vol.), e Vulgata latina, expressa Lud. J. Lemaistre de Sacy (continuata a Dufossé, Thouret, Huré etc.) cum commentariis, quam, in nonnullis castigatam, Calmet locupletavit commentariis (Par. 1707—1716). Versioni a Sacy confectae P. Carrières paraphrasim adjecit, quae correcta est a D. de Genoude, neutra tamen approbatione Ordinariatus insignita est. E nostris temporibus memoratu dignissimae sunt translatio versionis germanicae ab Allioli confectae (8 tom.), versio Delaumay (Par. 1856. 5 Vol.), praeprimis autem versio, edita a J. Glaire (1861—1866), quae a Pontifice approbata est, et P. Drach[1]), ac versio juxta LXX u P. Giguet (Par. 1872). Versio Genevensis, qua Protestantes utuntur, correcta est a Calvino (1545) et successive a Beza, Bertramo, Martin, Osterwald et aliis.

1) La sainte Bible, Texte de la Vulgata, Traduct. franç. avec commentaires, Par. 1869 seq. 56 Vol.: versio gallica a M. Bayle († 1878) et commentarii a variis confecti sunt. Confer Lit. Handw. 1880. 69 seq

3) Versiones italicae. Antiquissima versio italica e Vulgata latina edita est probabiliter Venetiis 1471, cujus auctor (N. T. saltem) creditur Nic. Malherbi, monachus camaldulensis. E versione interlineari S. Pagnini latina confecit versionem A. Bruccioli (1532), quae censurâ notata est. Novam e Vulgata latina versionem adornavit Ant. Martini, archiepiscopus Florentinus (N. T. 1769) A. T. Taur. 1776, cum notis ex ss. Patribus et viris catholicis desumtis; haec a Pio VI. approbata et saepius excusa est

atque hodie ab Italis catholicis fere sola adhibetur. Protestantes utuntur versione Diodati (Gen. 1604).

Confer Vercellone, Diss. accad. Rom. 1864. 100.

§. 126. *b)* Versiones hispanicae, belgicae, polonicae, hungaricae.

1) Versiones hispanicae. Jussu Alphonsi V., regis Castiliae, jam circa annum 1270 versio hispanica Bibliorum confecta esse narratur; item in bibliotheca Parisiensi duo codices. seculo XV. antiquiores, asservantur. Valenciae 1478 prima edita est versio Bonif. Ferrerii († 1417). Variae editiones prodierunt Antverpiae (1545), (1556 a Perez). Basileae (1569 a Cassiodoro de Reyna), quam revisam edidit Cyp. de Valera (Amstel. 1602). Novam e Vulgata latina versionem notis instructam elaboravit P. Philippus Scio (de San Miguel) Matriti 1794—1797. Porro aliam e Vulgata versionem cum notis confecit F. Torres Amat, episcopus Asturicensis. anno 1824. quae frequenter excusa est.

Lusitani versione vernacula utuntur, edita ab Antonio Pereira, Liss. 1778—1790 (3. ed. 1804—1819 in 7 Vol.).

2) Versiones belgicae. Antiquissima Bibliorum versio belgica, e seculo XIV., paraphrastica et sermone rhythmico a Jac. Van Maerlandt composita, edebatur a D. David 1858—1861. Prodierat tamen jam versio belgica Delphis (in Holl.) 1477, Goudae 1479 etc. Nic. Van Winghe, adjutus a theologis Lovaniensibus. ad normam Vulgatae anno 1548 Lovanii procuravit versionem, quae emendata edita est Antverpiae 1599. Praecipua omnium est versio (maximam A. T. partem complectens), confecta a PP. Smits et Van Hove cum commentariis Antv. 1744, cui Lipman et D. Beelen reliquos A. (et N.) T. libros adjecerunt; haec Biblia prodierunt Lov. 1859—1865, ab episcopis approbata.

Lutherani in Hollandia utuntur versione Lutheri, Calvinistae autem versione, quae ex hebraeo et graeco, a viris deputatis synodi Dordracensis (1618—1619) confecta 1637 et haereticis in usum praescripta est. Confer Lamy l. c. 196.

3) Slovenis, qui in Litorali, Carniola, Styria et Carinthia sedes habent, primi interpretati sunt Biblia (in eorum) lingua vernacula (neoslovenica) ad sic dictam reformationem propagandam haeresiarchae Trubar et Dalmatin[1]). Pro Catholicis adornaverunt versionem neoslov. viri: Kumerdej et Japel, Richter, Schrey, Traun, Schkriner et M. Wolf 1784—1802, sed sine notis. Recentiorem hodie usitatam secundum Allioli expensis suis confici curavit episcopus Labacensis A. Wolf Lab. 1857. Haec unica a sede apostolica est approbata. Croatis catholicis versionem Bibliorum adornarunt Pet. Katancsich O. S. Fr. Budae 1621. 1831, et Joan. Skarić cum erudito commentario auctam et approbatam Vind. 1858—1861. Serbis elegantem versionem suppeditarunt G. Daničić (N. T.) et V. Steph. Karadžić (A. T.) Budapest. 1868 (edidit societas biblica). Bohemi Slavi habent e saeculo XV.[2]) codices 33 integrae Scripturae s. atque 28 codices N. T. diversae re-

censionis. Slovacis catholicis in usu est Bibliorum versio facta a Bernolak, edita a Palkowicz, Strigon. 1829.

1) Prodierunt evangelium s. Matthaei an. 1555, integrum N. T. 1557, 1560. Psalterium 1566, Pentateuchus 1578 etc. Anno 1584 Wittenbergae integra Biblia typis vulgata sunt. Pro Slovenis Protestantibus in Pannonia vertit N. T. Küzmics an. 1771.

2) Antiquissima versio impressa est illa N. T. (Pilsen 1475, 1480). Totam versionem typis vulgarunt Pytlik, S. Kramarz, J. de Czapow et Matthias de Leone albo, Pragae 1488. Editione novae prodierunt dein Kuttenbergae 1489 et Venetiis 1506. Decursu saeculi XVI. ortae sunt sex versiones integrae Scripturae s. atque 16. N. T., ex quibus memorandae sunt Pav. Kapihorae et Melantrichi. Fratres bohemici pariter plures versiones exararunt. Saeculo XVII. ediderunt P. P. Jesuitae sic dicta Biblia s. Wenceslai. E tempore recentiore nominandae sunt versiones editae a Durych et Prochaska (Pragae 1778—1780, 1804, 1848, N. T. 1778, 1786, 1846). Maxime in usu sunt hodiedum sequentes editiones: *a)* Bible česká Prag. 1857 (ed. II) cum notis et approbatione Archiepiscopi Pragensis *b)* Bible česka auctoribus Dr. A. Frencel et J. F. Desoldy. Pragae 1864 (cum permissu Consistorii archiep.). *c)* Pismo svaté illustratum imaginibus Gust. Doré, redactum pro Catholicis a Stulc et Lenz. Prag. 1884.

4) Versiones polonicae. Ex aetate s. Hedwigis reginae asservatur Psalterium in monasterio s. Floriani (1370—1380). Majoris pretii sunt Biblia reginae Sophiae annis 1394. 1422 exarata et 1450—1455 absoluta. Prima versio totius s. Scripturae est Biblia Leopolitae Nicz Krakoviae 1561 typis vulgata. Quae quum Catholicis minus conveniret. P. Jacobus Wujek S. J. novam confecit anno 1593. cujus secunda editio Krakoviae 1599 prodiit atquae saepius excusa, approbatione Clementis P. VIII. gaudet.

Memorandae sunt versiones acatholicorum: Biblia Radzivili vel Brzescensis dicta, Krakoviae 1563 in usum Socinianorum; altera anno 1572 (N. T. 1620) in usum Unitariorum.

5) Versiones hungaricae. Religiosi ex Ordine s. Benedicti, primi evangelii praecones in Hungaria, sine dubio solliciti erant de vernacula s. Scripturae (Psalmorum et Evangeliorum) interpretatione; nam B. Margarita, Belae IV. regis filia, Psalmos et Passionem Christi devote hungarico idiomate legisse fertur. Ob infelicium temporum vicissitudines nullus codex ex illo tempore superest. Codex Vindobonensis (47) e seculo XIV. maximam partem A. T. continet. Tota Biblia in linguam hungaricam verterunt Báthory († 1456), Stephanus Arator S. J. (1570), Georgius Káldi (1605 ad 1606) et Tárkányi.

Codex Vindobonensis apographum continet versionis seculo XIV. ad fidem interpretationis latinae factae per Thomam et Valentinum Franciscanos, qui haeresin Hussitarum sparserant, et quidem: Ruth, Judith, Esther, Bar., Daniel, 12 minores prophetas. Alius codex in bibliotheca episcopali Albae Regiae continet Canticum C., Job (mutilum), Psalmos et pericopas evangelicas. Versio Báthory Ordinis s. Pauli Eremitae probabiliter exstat in codice Jordánszkyano, Strigonii asservato.

Interpretatio Librorum ss. e collatione hebraici, graeci et latini textus hungarica Stephani Arator (Szántó) S. J. nunquam typis data est. Versio Kaldii S. J. (Vindobonae 1626) maximo applausu excepta, approbata ideoque saepius impressa est; ipse sensum clare reddidit, nonnunquam tamen, quia textui latino nimium adhaesit, obscurus fit. Hinc. Jos. Tárkányi novam editionem (1862) procuravit et notis, maximam partem e versione germanica Allioli desumptis, instruxit, quae a Sede apostolica spprobata est.

Confer de his versionibus Freib. Kirchenlexikon II. Vol. ed II. Bibelübersetzungen.

§. 127. *c)* Versiones germanicae.

1) Versiones biblicae antiquissimis jam temporibus in lingua germanica sunt exaratae; seculo X. facta est versio germanica Psalterii et nonnullorum canticorum (Is. 12, 1 seq. 38, 10 seq. 1 Sam. 2. Ex. 15. Hab. 3. Dt. 32. Luc. 1, 47 seq.) a Notker Labeo, abbate Sangallensi († 1022), edita e codice Vindobonensi ab Heinzel et Scherer 1876. Editae sunt versiones Psalterii interlineares, seculis XII. et XIII. confectae a G. Graff (Quedl. 1839), et alia a F. H. von der Hagen (Berol. 1818). Paraphrasis germanica Cantici C. a Williramo Ebersbergensi († 1085) confecta prodiit cura J. Haupt (Viennae 1864) et Seemüller (Argent. 1877). Certe jam seculo XV. (1483 primo impressa) exstabat versio germanica universae s. Scripturae, imo ante annum 1518 jam 14 editiones (Moguntiae, Argentorati, Aug. Vindel.) idiomate germaniae superioris (»hochdeutsch«), prater editiones singularum Bibliorum partium, et ab anno 1450—1522 quatuor editiones (Colon. [2] Lubecae, Halberst.) in idiomate germaniae inferioris (»niederdeutsch«) prodierunt[1]). Seculo XVI. et postea aliae versiones elaboratae sunt a J. Dietenberger (1534), J. Eck (1537), C. Ulemberg (1630), Ehrhard O. B. (1722), Cartier (1751), H. Braun (1788 seq.) etc. Anno 1830 prodiit versio germanica facta a J. Fr. Allioli († 1873) e Vulgata latina additis notis e textu primigenio, locis parallelis, ss. Patrum aliorumque interpretum annotationibus, quae a s. Sede apostolica approbata est[2]); editio novissime procurata est ab Arndt S. J. 1909[4]. Alia versio e Vulgata latina, collato textu originali, elaborata est a V. Loch et W. Reischl cum commentariis (Aug. Vind. 1851—1865. 2. edit. 1867 ad 1870). E textu originali versionem germanicam initiavit D. Brentano, quam Th. A. Dereser et J. M. A. Scholz absolverunt (Francf. 1797—1837). Pro usu populi edidit Ecker, Hausbibel, 1904.

1) Confer R. v. Raumer, Einwirkung des Christent. auf die althochd. Sprache, Stuttg. 1845. — J. Kehrein, Zur Gesch. d. deutsch. Bibelübers. vor Luther. Stuttg. 1851.

2) Consueta (simplex, permissiva, disciplinaris) approbatio S. Sedis, nonnullis vulgaribus Bibliorum versionibus concessa, distinguenda est a solemni illa approbatione, Vulgatae latinae data, quae est positiva et dogmatica. — Hujusmodi approbatio edendis Bibliis Catholicorum, post declarationem Benedicti XIV. a. 1757, non est omnino necessaria, sufficit enim, ut versio a catholico viro prodierit, debitis notis instructa et ab episcopo loci Ordinario probata. Versio vernacula, ad usum communem fidelium destinata ad normam versionis Vulgatae conficienda est, juxta editionem Clementinam, quemadmodum colligitur e consilio Concilii Tridentini, quod habuerat in declarando Vulgatam inter latinas versiones authenticam, et ex praxi s. Sedis, quam observat versionibus vulgaribus probandis vel improbandis. Hoc tamen non valet de versione unius vel alterius libri, ad doctrinarium usum eruditorum confecta; quae etiam aliunde derivari potest, imprimis e textu originali.

2) Ex textu hebraico (et graeco) Martinus Luther versionem germanicam (1522—1532) adornavit, quae ob linguae quidem puritatem et styli perspicuitatem laudatur, cui tamen ipse suas opiniones intexere conatus est. Prima editio Bibliorum ejus prodiit 1545; ad cujus normam reliquae sunt institutae[1]). Haec versio recepta est in Dania (1550), Suecia (1541) et Hol-

landia (1648). Calvinistae partim alia versione utuntur, quam e textibus primigeniis adornaverunt (1637). Quum tamen versio lutherana vitiis variis scateret, aliae versiones e textu originali sunt factae, quarum praecipuae editae sunt a de Wette et Augusti (1809—1814) et a Bunsen (1855—1869). Recentissime (inde ab anno 1874) revisio illius versionis Lutheranae per viros doctos Protestantes procuratur, e quibus eminet Kautsch, Die hl. Schrift des A. T. 2. ed. Frb. 1896 et d. Apokryphen u. Pseudepigraphen d. A. T. 1900.

1) Confer: Panzer, Gesch. d. deutsch. Bibelüb. Luthers, Nürnb. 1783. Schott, Gesch. d. deutsch. Bibelüb. Luthers, Leipz. 1835. Bindheil, Verzeichnis d. Originalausg. d. luth. Übers. Halle 1841. Ineunte seculo XVIII. prodierunt Biblia a Pietistis adornata (Berlenburger Bibel 1726—1741) et altera versio (Wertheimer Bibel), quae Rationalismo praelusit.

3) Judaei in Germania adhibent versiones A. T. lingua germanica, characteribus rabbinicis exaratas. Prima editio (Pentateuchus. Megilloth et Haphtaroth) cum commentariis Raschi apparuit Cremonae 1542. Praeter editiones varias nonnullorum librorum editum est totum A. T. a Jekuthiel (Amst. 1679) et a Josepho ben Aaron Alexander (vulgo Josepho Witzenhausen, Amst. 1687), cujus versio in Biblia pentapla (1710) est recepta. Praeterea Pentateuchus cum litteris hebraicis et textu originali in usum Judaeorum germanicorum (Berol. 1780—1783) et metrica versio Psalmorum (1783—1788) apparuerunt. In versio germanica, auctore L. Philippson (Lips. 1858), qui praeter textum originalem etiam notas adjunxit, jam characteres linguae germanicae sunt adhibiti. Fürst Biblia elegantissime adornata publicavit (1870), Zunz cum aliis versionem Germanicam fecit. Frcf. 1893. 13. ed.

De versionibus biblicis confer: Freiburger Kirchenlexikon; Artikel: Bibelübersetzungen (2. ed.) II. 711 seq.

§. 128. De lectione sacrae Scripturae in linguis vernaculis.

1) Primis Ecclesiae seculis libri sacri in linguis vernaculis non tantum in Ecclesia, sed etiam a fidelibus sedulo legebantur, quin tamen putaretur, hanc lectionem ad salutem esse necessariam[1]). Prima vestigia controversiae de hac re occurrerunt sub finem seculi XII.; nam christiani quidam Metenses (1199) ab episcopo Metensi delati sunt ad Innocentium III., quod in clandestinis conventibus viri et mulieres gallicam versionem s. Scripturae perlegerent et exponerent. Pontifex episcopum sollicite hortatur et jubet, ut fidelium illorum temeritatem coerceat[2]). Secuti sunt Valdenses et Albigenses, nec non Wiclefus, qui versionem suam anglicanam christianis legendam praebuit tanquam ex Christi praecepto. Hanc versionem, erroribus infectam, damnavit synodus Oxoniensis (1408), prohibens omnes versiones vernaculas, quae non per loci dioecesanum aut concilium provinciale essent approbatae.

Reformatores seculi XVI., qui s. Scripturam unicam fidei regulam statuerant, docebant, Scripturae lectionem omnibus et singulis fidelibus neces-

sariam esse ad salutem, et Ecclesiam nullum jus habere lectionem hanc prohibendi vel moderandi, quare novis versionibus cudendis manum admoverunt, quas Ecclesia proscripsit; insuper Regulae 3. et 4. Indicis Pii IV. damnant omnes versiones, a viris haereticis confectas, nisi purgatae fuerint, et etiam versiones catholicas in lingua vernacula legere non permittunt, nisi obtenta facultate ab episcopo vel inquisitore aut saltem parocho vel confessario, si intellexerint, fideles ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse. Cum Jansenistae, imprimis Quesnellius, hos errores renovarent, Clemens XI. per Bullam »Unigenitus« (1713) ejus (79—85) propositiones[3]) damnavit. Haec controversia denuo exarsit occasione fundationis Societatum biblicarum[4]), quae Biblia edere coeperunt in praecipuis linguis vernaculis et omni ratione conabantur, has versiones indiscriminatim omnibus, catholicis, haereticis et infidelibus obtrudere, quasi Bibliorum lectio ad salutem sola et sufficeret et requireretur; quum porro hae societates etiam libros deuterocanonicos expungerent, praepostera methodo versiones saepe erroribus plenas conficerent, ideo Pontifices praedictas societates damnarunt.

1) Sic jam Irenaeus (cont. haer. l. 3, cap. 4, 2) testatur, multas gentes sine literis et atramento scriptam tenuisse in cordibus suis veram Christi fidem et salutem, traditioni Apostolorum innixam. Tertullianus (de praec. haer., cap. 14): *Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum; fides in regula posita est.* Augustinus (de doct. chr. I, 39): *Homo fide, spe et caritate subnixus eaque inconcusse retinens non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos; itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.* Cf. J. Hoffmann, D. hl. Schrift, ein Volks- u. Schulbuch in d. Vergangenheit, 1902.

2) Synodus, a. 1228 Tolosae habita, constituit canonem (14.): *Prohibemus, ne libros V. et N. T. laicis permittatur habere*; similiter syuodus Tarraconensis 1233 (Confer Hefele, Konziliengesch., V, 875).

3) Inter propositiones damnatas pertinent: *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria Scripturae; lectio s. Scripturae est pro omnibus. Damnosum est, velle christianum ab hac lectione retrahere. Interdicere christianis lectionem s. Scripturae praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis.* Confer Denzinger Enchyr. symb. n. 1294—1300. Cum hanc controversiam rursus excitare conaretur synodus Pistoriensis; statim Pius VI. (Bulla »Auctorem fidei« 1794) ejusdem propositionom 67: *Doctrina perhibens, a lectione ss. Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare,* tanquam *falsam, temerariam, quietis animarum turbativam, alias in Quesnellio damnatam* rejecit.

4) Cf. Döller, Z. Zentenar. d. Brit. u. Ausld. Bibelgesellschaft. Th. pr. Z. 1904, 736 seq.

2) Quamvis s. Scriptura, tanquam fons primarius revelationis divinae, catholicis sit summe veneranda ejusque studium pastoribus animarum non tantum utile, sed etiam necessarium[1]), tamen ejus lectio omnibus indiscriminatim fidelibus minime necessaria est ad salutem; nam licet per se et absolute utilis sit, tamen consideratis peculiaribus individuorum adjunctis et dispositionibus saepe periculosa, imo perniciosa esse potest.

1) Praeter 1 Tim. 4, 13, ubi Apostolus Timotheo commendat Scripturae lectionem, exstant decreta Conciliorum, quae hoc munus Episcopis et sacerdotibus injungunt v. g., concilium Nicaenum II. (an. 787. Can. 2), Toletanum IV. (an. 640 Cap. 24) et Patrum testi-

monia, v. g. Ambrosius (l. 5 de fid. cap. 7), Hieronymus (ep. ad Nepot.), Gregorius M. (l. 2. Past. cap. 2); alia confer apud Cherubinum a. St. Joseph (Biblioth. Crit. sac. Lov. 1704. Tom. I. q. 2. ar. 3).

3) Si talis lectio necessaria esset ad salutem, haec necessitas oriretur aut ex ipsa rei natura[1]), aut e positivo aliquo praecepto Dei[2]); ast neutrum obtinet.

1) Non oritur necessitas lectionis Scripturae ex rei natura; cum enim non semper Scripturae exstiterint, quomodo homines tunc salvari potuissent sine Scripturis? Et tamen scimus, jam ante Moysen justos et sanctos homines fuisse. Imo datis jam Scripturis pii et sancti homines exstiterunt, extra populum hebraicum, uti Job, qui sine Scripturis salutem sunt adepti. Ipse Christus praedicationem instituit tanqnam primarium religionis propagandae medium, et Apostolis non praecepit scribere, sed praedicare Evangelium, quod et fecerunt (Marc. 16, 20). Praeterea stante tali necessitate omnes, qui ob physicam vel moralem impotentiam legere nesciunt, a salute exscinderentur, quod absit.

2) Non oritur ex positivo Dei praecepto; nam tale quid nec in sacra Scriptura, nec in Traditione docetur. Regerunt quidem Protestantes nonnulla testimonia ex Psalmis, speciatim illis, ubi Verbum Dei dicitur *lucerna et lumen semitis nostris*, vel justus *dicitur meditari in lege Domini*, et alios locos (Dt. 6, 6—9; 17. 18, 19; 31, 11, 12. Is. 8, 20; 34. 16. Jer. 31, 33. Ez. 2, 7); ast omnia haec non praeceptum, sed exhortationem dumtaxat ad legendas et meditandas Scripturas continent et speciales personas (regem, prophetas) respiciunt. E Novo Testamento maximo urgent illud Christi: *Scutamini Scripturas* (Joh. 5, 39), quod tamen simplex invitatio est ad legendum cum fine, demonstrandi Christi divinitatem. Imo scimus, Judaeis quosdam libros A. T. v. g. Canticum C. et Ecclesiasten, ante 30. aetatis annum legere prohibitum fuisse. Confer Origenem (Praef. in Cant.), Gregorium Naz. (Or. 32. n. 32), Hieronymum (ep. 53 ad Paul.). Idem evincitur e Traditione. Praeter ss. Patres supra laudatos huc spectant: Clemens Alex. (paed. 11, 11): *Fides absque litteris discitur*, Cyrillus Hier. (cat. 5, 12), Chrysostomus (hom. 1 ep. Rom.): *Tantum stadium dictis audiendis adhibete;* Hieronymus saepe quidem ad legendas Scripturas hortatur, sed hac cautione, ut sine duce et interprete non legant (ep. ad Paulin. n. 16), imo dicit: *Scriptura diviua aedificat et lecta, sed multo plus prodest, si de literis vertatur in vocem* (ep. ad. Gal. 2, 4). Alia testimonia vide apud Cherubinum l. c. I. q. 3. ar. 5. et Malou, Bibellesen, I. Cap. 6.

4) Lectionem s. Scripturae, licet per se sit utilis[1]), relative et in ordine ad circumstantias et subjectivas singulorum dispositiones non tantum non utilem, sed saepe periculosam et perniciosam esse posse, probatur ex rei natura[2]) et experientia[3]).

1) Scripturam per se seu absolute utilem esse, docent s. Paulus (2 Tim. 3, 16): *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad audiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus;* s. Petrus (2 Pet. 1, 19), qui eam comparat *lucernae lucenti in caliginoso loco,* et passim ss. Patres.

2) Scriptura valde obscura et intellectu difficilis est, ut ipsi theologi docti innumeras difficultates in ea offendant, quanto magis imperiti et indocti, praeterea ea tractat de praeceptis morum et de vitiis coercendis, ubi in promptu est periculum hallucinationis propter corruptae naturae passiones, judicium perturbantes et sensum in proprias partes pertrahentes.

3) Multae haereses et sectae e Scripturis, sine debita cautela perlectis et explicatis, suum ortum habent; inde porro gravis confusio nec non mala innumera et excessus pullularunt, quibus ipsi doctiores Protestantes perterriti sunt, frustra remedium quaerentes tanto malo. Imo etiam Ecclesiae et regionibus catholicis similes abusus olim obrepebant, cum opera Valdensium eorumque fautorum indiscreta lectio Scripturae animos fidelium invasisset. Cum ergo lectio Scripturae possit esse vel medium ad salutem, vel impedimentum, et Ecclesiae a

Christo commissum sit officium, fideles in viam salutis dirigendi, sequitur; lectionem Scripturae ab Ecclesia moderandam, prout temporum vicissitudines et bonum fidelium postulant, atque idcirco sub certis tantum conditionibus esse permittendam.

5) Ecclesia nunquam absolute et universim prohibuit fidelibus lectionem s. Scripturae in lingua vernacula, sed pro variis circumstantiis modo probavit, modo improbavit aut coercuit[1]), idque unice, ut fidelium bono et utilitati prospiceret[2]).

1) Primis Ecclesiae seculis nulla prohibitio lectionis Scripturae exstitit, uti patet ex usu tot versionum antiquarum. Decreta concilii Tolosani (1229) et synodi Oxoniensis (1408), lectionem Scripturae in lingua vernacula prohibentia, provocata sunt a fidelium quorumdam abusu, et illas tantum regiones, non universam Ecclesiam respiciebant.

Severius egit Ecclesia circa versiones, haeresi infectas, tempore Reformationis, quum regulae Indicis a concilio Tridentino praeparatae et a Pio IV. 1559—1565 posthac editae ac deinceps a pluribus Pontificibus confirmatae sunt. Per regulam tertiam prohibentur omnes versiones s. Scripturae ab haereticis, vel de haeresi suspectis factae, reliquae autem a viris catholicis confectae non omnibus indiscriminatim permittuntur, sed, per regulam quartam, judicio et prudentiae episcoporum et Praelatorum relinquitur, licentiam eas legendi fidelibus concedere. Hanc licentiam Sixtus V. (1585—1590) episcopis abstulit, eam summo Pontifici reservando, quae reservatio confirmata est a Clemente VIII. (1592—1605) per monitum, regulae IV. Indicis adjectum; ast mutatis circumstantiis in desuetudinem abiit, ita ut episcopi iterum licentiam fidelibus elargiri coeperint. Insuper regulae Indicis nonnisi versiones in linguis vernaculis respiciunt.

2) Ecclesia tunc tantum prohibuit vel limitavit vulgarem Scripturae lectionem, cum vel abusus irrepserat circa hanc lectionem e parte fidelium, vel periculum aliquod ipsis imminebat; his exclusis non solum non cohibuit, sed potius commendabat Scripturae lectionem. Tale periculum revera aderat, quum a Valdensibus et Albigensibus et postea a Protestantibus in variis terrae partibus versiones vulgarentur, quae, erroribus infectae et ad horum commenta accommodatae, ad fideles pervertendos adhibebantur.

6) Quod attinet hodiernam Ecclesiae disciplinam[1]) de jure communi legere possunt fideles Bibliorum versiones in lingua vernacula, a catholicis viris factas et editas, dummodo hae versiones a Sancta Sede vel a loci Ordinario approbatae et notis (catholicis) instructae sint. absque ulteriore speciali licentia Episcopi[2]).

1) Haec disciplina inducta est per decretum S. Congregationis Indicis, a Benedicto XIV. die 13. Junii 1757 approbatum, quod sonat: *Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus, desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur.* Hoc decretum confirmatum fuit a Pio VII. (Breve ad Ep. Gnesn. 29. 1816; Breve ad Episc. Mohilev. 3. Sept. 1816), a Pio VIII. (Encyc. 24. Maji 1829) et a Gregorio XVI. (Encyc. 8. Maji 1844): *Eidem regulae* (IV. Indicis) *nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae* (nempe per Sixtum V. et Clementum VIII.), *ea demum auctoritate Benedicti XIV. adjecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae ab Apostolica Sede approbatae aut cum annotationibus, desumptis ex doctis catholicisque viris, editae sunt.* Tenore hujus declarationis duae illae conditiones statutae disjunctive sunt accipiendae, si fuerint a S. Sede, approbatae, aut editae cum annotationibus. Hinc si versio non sit approbata a S. Sede, sed catholica sit et notis orthodoxis instructa, potest legi; requiritur tamen approbatio Ordinarii aut synodi provincialis, ob generales regulas Indicis, quae in hac parte revocatae non sunt. Istae annotationes semper requiruntur ad hoc, ut fideles versione aliqua vernacula uti possint, ita ut versiones etiam catholicae nec possint ab episcopis approbari, si notis illis destitutae sint, et quae alias ab

episcopis vel a. S. Sede fuerant approbatae, nec imprimi, nec legi possint ab omnibus sine adnotationibus. Hoc modo approbatae sunt ab episcopis versio italica Martini, versio hispanica Scio, versio anglica Duacensis. Episcopo autem non licet approbare versionem, notis destitutam, uti patet e negativo responso S. C. Inquisitionis ad propositum dubium: Utrum permittenda impressio versionis V. et N. T., exaratae per Martini, sine textu latino et sine notis?

2) Ad lectionem versionis vernaculae approbatae et adnotationibus instructae non requiritur specialis episcopi licentia, nisi episcopus ob speciales causas pro sua dioecesi fecerit reservationem. Hinc scribit Serarius S. J. (Proleg. bibl. Cap. 20, pr. 3): *In nostra Germania non modo non improbant episcopi, parochi, confessarii, si quis Ekkii aut Dietenbergii (versionem) nulla diserte petita facultate legat, sed probant et laudant maxime, quasi jam facultas ea communis sit, neque poenam infigunt ullam, prout quotidiana docet experientia.* Similia habentur in Prolegomenis Scripturae sacrae, quae Josephus Episcopus Augustae Vindel. 1747 pro dioecesi sua typis mandari jussit: *Circa regulam quartam indicis notandum est, quod non peccetur, nec incurratur excommunicatio ab eis, qui sine expressa facultate Ordinarii in Germania legunt Biblia versa a catholicis et usu publico approbata.* E contra reservatio exstat in nonnullis dioecesibus Belgii, in quibus fideles, ut versiones vernaculas legere possint, licentiam petere debent a confessario vel parocho. Quando igitur evictum est, lectionem versionis s. Scripturae in vernacula lingua, licet approbatae et notis catholicis instructae, fidelibus periculosam vel damnosam esse, tenentur parochi, talem lectionem severe interdicere, non quidem vi regulae quartae Indicis, sed vi praecepti positivi et muneris sui.

Confer de hac re: Fontana, Constit. Unigenis propugn. Tom. III. — Cherubinus a. s. Joseph, Bibliotheca criticae sacrae. Tom, I. Malou, La lecture de la Bible en langue vulgaire, deutsch von Stoeveken. Schaffh. 1849, 2 Teile. — Hegelmaier, Geschichte des Bibelverbotes. Ulm 1783. — J. von Neercassel, Vom Lesen der hl. Schrift, Mainz 1846. — Reitmayr, Lehrbuch der bibl. Hermeneutik (von Thalhofer), Kempt. 1874, pg. 202. — Freiburger Kirchenlexikon. II. B. 679: Art Bibellesen der Laien. — Ubaldus Ubaldi, Introductio in s. Scripturam. Rom. 1881. Tom. III. 465 seq. — Lamy, Int. in s. Scpt. Mechl. 1866. Pars I, pg. 204. — Peters, Kirche und Bibellesen od. d. grundsätzl. Stellung d. kath. Kirche z. Bibellesen in d. Landessprache. Padb. 1908.

* * *

Haec sunt lineamenta ejus disciplinae theologicae, cujus imprimis est, multiplicem thesaurum, sacris Literis Antiqui Testamenti reconditum, indigitare et aperire; haec in manus vestras, dilectissimi Tirones s. Theologiae, depono, laeta animatus fiducia, fore, ut scintillam vobis eliciant fervidissimo studio Libri Librorum accedendo. Quod dum lubens spero, non possum, quin vos salutem verbo Doctoris, etiam in Scripturam aestimatione aurei, sancti, inquam, Chrysostomi scribentis (hom. 9. ep. ad Col.):

Audite quaeso, omnes, qui hanc vitam curatis, et parate vobis Libros medicamenta animae. . . . Sunt Dei eloquia, nemo te docet, sicut illa. . . . Si dolor acciderit, tanquam in medicamentorum apothecam aspice; illinc mali accipe solamen, si damnum, si mors, si tuorum amissio; imo vero non aspice, sed omnia suscipe et tene mente. Haec est omnium malorum causa, ignorare Scripturas, absque armis imus in bellum. Et quomodo oportet esse salvos? Praeclarum, si cum his salvamur, nedum absque eis.

Index alphabeticus

personarum et rerum memorabilium.

Aaron interpres Moysis 80, ad munus pontificium destinatus 91, 106, 108, Virga germinans 103, 140, mors 141.
Abdias prophetae aetas 260, libri argumentum 260.
Abel sacrificium 40.
Abias rex 232.
Abigail 189.
Abimelech in Sichem 177.
Abisag 194.
Abner 190.
Abraham, causa suae electionis 55, fide obtulit filium 61, ejus promissio 55, intercessio pro Lot 59, migratio in Aegyptum 55, circumcisio 57, sepultura 62.
Absalom 194.
Academiae in Babylonia 5, 302.
Accadii primi Babyloniae incolae 231.
Achab rex 233.
Achan 164.
Achas rex 235.
Achaschverosch rex 232.
Achior 297.
Adam apocalypsis 402, creatio 28, costa 32, lapsus 35, lingua 32, poena 38, salvatio 39, sepultura 39.
Adonias 194.
Adonis ejusque cultus 173.
Adramelech 174.
Aegyptus 72, Aegyptiorum scriptura 73, religio 74, historia 75, dynastiae 75, Commoratio Hebr. in Aegyptio 77 seq. exitus ex Aegypto 84, plagae 82, coloniae in Aegypto 342.
Aera Seleucidarum 347.
Aetas longaeva Patriarcharum 48.
Aethiopica versio 446.
Agag rex 186.
Agar 57.
Aggaeus propheta 319, libri ejus argumentum 320.
Agitatio carnis 120.
Agnus paschalis 84, 114.
Agraria lex 133.
Agur 214.
Aharon Ben Ascher recensio textus heb. 407.
Ahasja rex in Juda 234.
Ahias propheta 198.
Akiba 4.
Alcuinus 438.
Alexander M. in Jerusalem 336.
Alexander Jannaeus 340.
Alexander filius Aristobuli 341.
Alexandra 340.
Alimenta Judaeorum 130.
Alphabetica carmina 205.
Alphabetum aureum 214, libellus Ben Sira 353.
Altare holocaustorum in tabernaculo 101, in templo Sal. 200, in templo herod. 303; thymiamatis 102.
Amalecitae egressi ex Idumaeis 61, primi aggressi sunt Israel 90, 160.
Aman 316.
Amasias rex 234.
Ammonitae, origo 61.
Amorrhaei 160.
Amos propheta 259, liber ejus 259.
Amphora 136.
Anamelech deus 174.
Ananias 244.
Anathema 131.
Ancillae 138.
Angeli, eorum creatio 22, numerus 23.

Angelus Jahvae 59, 85, 291, 327.
Animalia sacrificiis destinata 118, immunda 129.
Anna Samuelis mater 179, canticum 179.
Annus ecclesiast. 84, jubilaeus 113, lunaris 84, sabbaticus 113.
Antigonus 341.
Antilibanus 158.
Antiochus Epiphanes 337.
Antipater 340.
Antonia arx 308.
Apis in Aegypto 75, 171.
Apocalypsis ad Genes. relatio 156.
Apocryphi libri 396, ubi initia quaerenda 397, indoles apocalyptica 397, judaici 398, christiani 401, scopus honestus et inhonestus 398.
Apotheosis animalium, naturae hominum 170.
Aquae amarae in deserto 88, in sacrificio zelotypiae 137.
Aquila 424, ejus versio 424.
Ararat mons 46.
Arbor scientiae 30, vitae 30.
Arbores Palaestinae 159.
Arca Noe 44, foederis 103, in Sion translata 191, in templo 201.
Archaeologia biblica 16.
Arietes Danielis 291.
Aristeas, epistola ejus 415.
Aristobulus filius Herodis 340.
Ars scribendi Patriarchis nota 71.
Asa rex 232.
Aschera ejusque cultus 173.
Aseneth uxor Josephi 66, historia apoc. 402.
Asina Balaami loquens 143.
Asmodaeus daemon 244.
Asphaltides lacus 60.
Assarhaddon rex Assyr. 230.
Assarium 135.
Assistentia spiritus s. 377.
Assuerus est Xerxes 232.
Assyrii, eorum regnum, religio, scriptura 230, exilium Israelitarum 241.
Astarte 173.
Asylum 111.
Atargatis 173.
Athalja regina 234.
Avesta 6.
Azarias rex 235, Danielis socius 296, 289.
Azazel 118.

Baalim Chananaeorum 172.
Baal Melkart 172.
Baal-Peor, Baalzebub 172.
Baasa rex 233.
Babel turris 49.
Babylonia, regnum, religio 231, exilium Judaeorum 282, character hujus 283, academiae 4, 302.
βαίτυλοι usus superstitiosus lapidum 71.
Balaam hariolus, vaticinium 149, asina loquens 143.
Balac rex 142.
Baltassar 289.
Bamoth cultus 171.
Barac 176.
Baris praesidium 308.
Baruch amanuensis Jeremiae 284, liber ejus, argumentum 284, auctoritas canonica 286, epistola et apocalypsis 400.
Batanaea 306.
Bathus 136.
Beelphegor Moab 172.
Bel a Babyloniis cultus 172, in Danielis libro 296.
Bellorum Domini liber 149, 206.
Benedictio calicis 114, paterna 131, 12 patriarcharum 401, sacerdotalis 110.
Bethel cultus vituli 172, scala Jacob 64.
Bethsabee 192.
Bethulia 297.
Bezetha 307.
Biblia Polyglotta Antv. 445, Compl. 445. Lond. 445, Paris 445.
Biblica historia 6, societas anglicana 393.
Booz 182.
Byssus 139.

Cabbalistica studia 5.
Cabus 136.
Cades locus 141.
Cain 39.
Calamus mensorius 136.
Calix benedictionis 114.
Candelabrum aureum 102, 201.
Canon libr. ss. 380, Judaeorum 382, Ecclesiae cath. 385, Acatholicorum 393.
Canticum Annae 179, desponsationis Israel 86, Debborae 176.
Canticum canticorum 220, auctor 222. authentia canonica 223.
Capporeth 103.
Captivitas babylonica 282.
Carceres 134.
Carcharias 262.
Carmelus 158.
Carmina Sibyllina 398.
Caro, agitatio et elevatio in sacrif. 120, ejus combustio 120.
Catenae, explicationes ss. Patrum 14.
Ceremonialia praecepta 99, eorum rationes liter. et figural. 104.

Chaldaei, eorum scriptura 230.
Chami ejusque filii maledictio 48.
Chamitae 51; Palaestinae 161.
Chanaan descriptio 157; terra oeconomiae div. apta 159, tempestas 159, incolae 160, a Josue occupata 163 et divisa 166, fertilitas 159.
Chananaei cur delendi 162, eorum lingua 163.
Cherubim in paradisi porta 38, in area 103, in templo 201, Ezechielis 288.
Chomer corus 136.
Choreae saltationes 192.
Chronicorum libri = Paralipom.
Chronologia biblica 17, annorum et mensium 112.
Cibi vetiti immundi 129.
Cingula 139.
Circumcisio, origo 57, ejus significatio et effectus 58.
Cives theocratiae 133.
Civilia instituta 132.
Clangoris dies 115.
Codices hebraici 410, M. S. graeci 412, Alexandrinus 412, Vaticanus 412, Sinaiticus 412, Ephraemi rescriptus 412, codices graeci impressi 412.
Coeli creatio 22.
Coloniae Jud. alexandrina 342, aramaica et palaestin. 342, romana 341, de sultari earum influxu in gentes 344.
Colores liturgici 104.
Commissio Biblica 16, 24, 154. 266.
Columna ignis et nubis 85.
Concordantias concinnavit card. Hugo 414.
Concubinae uxores secundi ordinis 137.
Confessio pec. 119, in expiationis die 116.
Conjugium, leges spec. 136.
Conventuum festa 112.
Convictus domesticus 136.
Convivales leges 129.
Coptica versio 446.
Core cum factione deletus 140.
Correctoria biblica 439.
Coturnices 89.
Creatio mundi 21, hominis 28, Evae 32.
Critica biblica 405, leges in Talmud 405.
Cubitus 136.
Cultura Patriarcharum 70.
Cultus mos. et gentil. in mutua relatione 97, idolorum 169, vitulorum 171, naturae 172.
Cuneiformis scriptura 231.
Cutha 236.
Cyrus 231.

Daemones causa consummativa idolorum 170, daemonologia 52.
Dagon idolum 173.
Dalila 180.
Daniel propheta 289, libri ejus divisio 290, visionum interpret. 290 seq., 70 hebdomades 291, lingua 292, auctor 292, authentia impugnata 294, axiopistia 294, additamenta deuterocan. 295. fide merentur 296, versio Theodot. 295.
Daricus 135.
Darkemon 135.
David in regem unctus 187, ejus prosapia 183, fuga a Saule 188, lessus lugubris 189, rex 190, peccata 192, quare ob censum populi punitur 194, ejus character 195, vaticinium mess. 193, typus Christi 196.
Debbora 176, ejus canticum 176.
Decalogus fundamentum theocratiae 94, ejus divisio 94.
Decimae 132.
Dedicationis festum 201, 338.
Denarius 135, numerus significat perfectum 104.
Denominatio scripturae 394.
Deperditi libri 394.
Desertum, commoratio Israelitarum 85.
Deuteronomium 146.
Diabolus, coena ejus 35, lapsus 23, tentatur Evae 35, ejus poena 38.
Diaspora Judaeorum 343, influxus salutaris 344.
Dies creationis 24, expiationum 116.
Digitus 136.
Diluvium, an universale 44, diluvii aquae 44.
Dispersio gentium 48.
Divinitas Scripturae = inspiratio.
Divisio librorum ss. inter Judaeos 395, Christianos 395, in sectiones 413, in capita et versus 414.
Dogmatica legis mosaicae 95, 326.
Domesticus convictus 136.
Drachma 135.
Draco babilonicus 296.

Ebal 158, 164.
Ecclesiastes liber, ejus nomen 217, thema 218, auctor 219, methodus 219, auctoritas canonica 219.
Ecclesiasticus liber, argumentum 351, auctor non Salomon 352, lingua heb. 352, versio graeca 354.
Eden 30, situs 30.
Editiones hebraicae 410.
Edomitae 63, vaticinium contra eos 261.

Ela rex 233.
Eleazar pontifex 107.
Eliachim pontifex 297.
Elias 255, restaurator thecoratiae 255, in fine mundi venturus 256.
Elimelech 182.
Eliseus ejusque miracula 256.
Elohim distinguitur a Jahve 81, elohisticum documentum Pentateuchi 149, innuit mysterium ss. Trinitatis 327.
Encaeniae 338.
Endorensis pythonissa 189.
Epanorthotae 439.
Epha 136.
Ephod 108.
Ephraemi codex rescriptus 412.
Esau 62.
Eschatologia 333.
Esras restaurator morum 304, conditor canonis 304, num invexerit scripturam quadratam 304.
Esrae liber 314, auctor 314, tertius apocr. 399, quartus apocryph. 400.
Esseni, nomen 358, eorum vita et mores 359, origo 360.
Esther 315, libri argumentum 316, lingua 316, auctor 317, fides historica 318, additamenta deuterocanon. 319.
Etham 86.
Ethica legis mos. 95, 335.
Ethnicismi origo 41, 51
Ethnographica tabula 50.
Evae creatio 32, lapsus 35, poena 38, evangelium apocryph. 402.
Evilmerodach 231.
Excelsorum cultus 171.
Excommunicatio 132.
Execratio 131.
Exegesis in Scripturam 12.
Exilium assyrium 241, babylonicum 282.
Expiationum dies 116.
Expiatoria sacrificia 120.
Ezechias rex 236.
Ezechiel, libri argumentum 287, auctor 288, stylus et auctoritas canonica 288.

Festa Hebraeorum 112, postexilica 316, 344.
Filiae heredes 137.
Filii Dei 41.
Filius hominis in nubibus 290.
Flagellatio 134.
Fluxus sanguinis et seminis 128.
Foedus Dei cum Noacho 46, cum Israel 91, novum pangendum 275.

Gabaon solis motus et statio 165.
Gabaonitae servi tabernaculi 165.
Gabelus 243.
Gad deus 174.
Galilaea provincia 305, montes 158, districtus gentium 306.
Garizim benedictiones 165, templum samarit. 237.
Gaulonitis 306.
Gedeon vide Gideon.
Gemara 4.
Generationes antediluvianae 41.
Genesareth lacus 158.
Genesis argumentum 145, relatio ad apocalypsin 156.
Gentilium libri apocryphi 396.
Gentium dispersio 48, religio collapsa 362.
Geognosia 26.
Geographia biblica 18.
Gera 135.
Gerusia synedrium alexand. 342.
Gideon judex 177.
Gigantes 42.
Gilgameschepos 45.
Girgesaei 161.
Goliath 187.
Gomer uxor Osee 257.
Graeca monarchia 336.

Habacuc, liber 272, canticum 272.
Haggada 5, 11.
Halacha 5, 12.
Hallel 114.
Haphtarae 413.
Haseroth 140.
Hasmonaei 340.
Hebraei, eorum immigratio in Aegypt. 67, quot annis in Aegypto 78, eorum multiplicatio 79, oppressio 79; muneribus onusti exierunt 85, quo jure occuparunt Chanaan 162.
Hebron 56.
Helcias reperit autographum legis 238.
Heli pontifex 179.
Henoch prima civitas 40, patriarcha 41, liber apocryphus 399.
Heracleensis versio 431.
Herodes Magnus 341.
Herodiani 340.
Hethaei 161.
Hexaemeron interpretatio patristica 24, recentiores hypotheses 25.
Hexapla Origenis 420, hexaplaris textus 421.
Hierarchia sacra 106.
Hieroglyphica scriptura explanata 73.

Hiram Tyrius 199.
Hircus emissarius 116.
Hiskia = Ezechias.
Historica biblica 6, sacra ejus notio, ambitus fontes 1, dispositio 19.
Historiographica sacra 1.
Holocausta 188.
Holofernes 297 seq.
Horeb 80.
Hoseas rex 236.
Humani generis unitas 33.
Hyksos 77.

Jacob patriarcha 64, ejus visio 64, lucta cum Angelo 64, vaticinium messianum 67, mors 68.
Jaddua pontifex 336.
Jahel num factum ejus improbandum 176.
Japhet 47.
Japhetitae 51.
Jason Cyrenaeus 346.
Jahve 80, jehovisticum documentum Pentateuchi 149, Jahvae spiritus 331.
Idololatriae origo 41, 52, forma 170, vitia 170, poena 170.
Idolorum cultus 169, genera 171.
Idumaei 63.
Jebusitae 161.
Jechonias rex 239.
Jehu rex 234.
Jejunium 130.
Jephte judicis votum 178.
Jeremias vita 274, character, typus Christi 274, ejus libri argumentum 275, stylus 275, differentia textus hebr. et graeci 276, epistola Jeremiae 277, Lamentationes 277.
Jericho expugnata 163.
Jeroboam I. auctor schismatis 232, Jeroboam II. rex 235.
Jerusalem urbs, in medio in gentium 160, ejus situs tempore Davidis 190, post exilium 307, capta a Tito 364.
Jezabel 234.
Ignis sacer 120, a Jeremiae absconditus 300, a Nehemiae inventus 304, 345, ignis poena 134.
Immortalitas animae 70.
Immunda animalia 128.
Immunditiae legales 127.
Indogermanica monarchia pro oeconomia div. salut. 237.
Infernus vide Scheol.
Inscriptiones aegypt., assyr., babyl. 5.
Inspiratio Scripturae de fide 374, probatur 375, natura 376, falsae hypotheses 378, verbalis non requiritur 378, ambitus 379.
Instrumenta musica 192.
Integritas textus essentialis 402, non accidentalis 404.
Introductio biblica 9.
Joab 190.
Joachaz rex 234.
Joachin vide Jechonias.
Joakim rex 239.
Joannes Hyrcanus 340.
Joas rex 234.
Joatham fabula de rhamno 177.
Job libri argumentum 224, persona historica 225, libri auctor 226, integritas impugnata 227, auctoritas divina et canonica 227, lingua 228.
Joël propheta 258, liber ejus 258; invasio locustarum 259.
Jonas, propheta 261, libri argumentum 261, inter prophetas recensetur 263.
Jonathan Saulis filius 188, Machabaeus 339, Ben Uziel Targum 427.
Joram rex Israel 233, rex Juda 234.
Jordanes fluvius 158, transitus miraculosus 163.
Josaphat rex 233.
Joseph patriarcha 66, ejus filiorum adoptio 67.
Josephus Flavius, opera 4.
Josias rex 238.
Josue devicit Amalec 90, occupat et dividit Chanaan 163, typus Christi 167, libri argumentum et finis 167, auctor 168, axiopistia 169, Chronicon. samarit. 169.
Josue pontifex. dux remigrantium 302.
Jotham rex 235.
Irregularitates sacerdotum 107.
Isaac 62.
Ischiadicus nervus 129.
Isaias propheta 263, libri divisio 263, secunda pars ei adscribitur 265, objectiones 265, vaticinia messiana 268, servus Jahve 269, Isaiae ascensio 402.
Isboseth 190.
Ismael 57, 62.
Israel luctator Dei 64, regnum 239.
Israelitae, commoratio in Aegypto 77. exitus 84, transitus per mare 85, iter in deserto 85, post exilium Judaei vocantur 302, eorum status politicus et relig. postex. 324; vide Judaeos, Hebraeos.
Istar 173.
Itala versio 431, lingua 432, proprietates 424, auctor et patria 432, fragmenta 425.
Iter diei 136, sabbati 136.

Jubilaeorum liber 399.
Juda praerogativa 68, 87.
Judaea provincia 305.
Judaei 302, coloniae 342, ultima fata 361, desiderant Messiam 362, dispersi in omne mundi plagas 363.
Judas Aristobolus 340, Machabaeus 338.
Judices 174, eorum aetas 174, libri divisio 181, auctor 181, fides 182.
Judiciales leges Mos. 132.
Judicium universale 258.
Judith liber 297, facta historica 298; ejus axiopistia 298, auctor 298, textus originalis 298, objectiones 299.
Juge sacrificium 112.
Jusjurandum 131.
Justorum liber 165.
Izdubar heros 45.

Kab 136.
Kabbala 5.
Kennicott 411.
Kere-Kethib 405.

Laban 64.
Lamech 41.
Lamentationes Jerem. 277, auctor et auctoritas canonica 278, forma 279, usus in Ecclesia 279.
Lamentatrices 139.
Lapidatio 133.
Lapis positionis 311.
Legislatio sinaitica 91.
Lepra 128.
Leprosi sacrificium 122.
Lepton 135.
Leuca 136.
Levi vas iniquitatis 65, 68, excluditur a primogenitura 68, sacerdotium ei confertur 92.
Leviratus 137.
Leviratum inauguratio 107, munus 107, classe 108, jura et privilegia 110.
Leviticus liber 146.
Lex mosaica sancta 97, perfectibilis 97, ejus relatio ad N. T. 98.
Libamina 118.
Libanus 158.
Libellus repudi 137, restrictiones 138.
Libri ss. A. T., denominatio et divisio eorum 394, distinctio proto- et deuterocan. non ad auctoritatem refertur 381, deuterocanonici 380.
Libri apocryphi 396 seq., deperditi 394, pseudepigraphi 397.
Linguae humanae origo 32, confusio 49, lingua originalis 50.
Locus sacer 99.
Locustae 84, Joel 259.
Log 136.
Lot et Abraham 55, flagitium cum filiabus 59, Loti uxor in statuam salis versa 60.
Luctus signa 139.
Lustrationes sacrae 127.
Lycanthropia 295.

Machabaei 338, nomen 346, eorum gesta 338, libri Mach. 345, argumentum 345, fontes 346, auctores 346, antilogiae apparentes 347, div. inspiratio 348, libri 3 et 4. apocryphi 339.
Machpela sepulcrum 62.
Madianitae 80.
Magi Pharaonis 81.
Malach Jahvae est persona divina 328, a Patre distincta 329.
Malachias propheta 322, liber ejus 323.
Manasse sacerdos 237, 304.
Manasses rex 238, ejus oratio apocrypha 400.
Manetho aegyptius 5, relatio de Hyksos 77.
Manna 89.
Marah et lignum dulcorans 89.
Mardochaeus 316.
Mare mortuum 60, rubrum 85, Galilaeae 158.
Maria B. V. 39, 81, 177, 222, 268, 331, 355.
Maria soror Moysis 80, prophetissa 86, lepra percussa 140, mortua 141.
Masora 405, distinctio 406.
Masorethicus textus authenticus 407.
Mater Messiae 268, 275, 331.
Mathathias sacerdos 338.
Matrimonium primum monogamicum 32, 136, leges circa matrim. 136, causae solutionis 138, leviratus 137.
Mazzeboth Baalis 172.
Medi 231.
Megilloth 395.
Melchisedech sacrificium 56.
Menahem rex 235.
Meni deus 174.
Mensa propositionis in taber 102.
Menses, nomina eorum 112.
Menstrua 128.
Mensurae longitudinis 136, aridorum et liquidorum 136, templi Sal. 199.
Merom lacus 158.
Messias divinitas ejus annuntiata 268, 285, 320, exspectatus a Judaeis 362, a gentibus 68, 362, idea messiana degenerata 335.
Metatron 329.

Metempsychosis 356.
Michas introducit idololatriam 175.
Michaeas propheta 270, liber ejus 270.
Michol 188.
Midraschim 12.
Milcom 172.
Militia sacra mulierum 111.
Milliarium rom. 136.
Mina 135.
Mincha sacrificium 118, 123.
Mischna 4.
Moabitae, eorum origo 61, regio 142, idola 172.
Modius 136.
Moloch ejusque cultus 172.
Monetae 135.
Montes Palaestinae 158.
Moria collis 61, 194.
Mors poena peccati 38.
Moyses liberator 80, signis mir. exstructus 80, ejus canticum 86, facies cornuta 93, legislatio 91; diffidentia 141, typus Christi 145, character ejus et mors 145, vaticinium 144, liber ascensionis apoc. 401.
Mulier, fortis encomium 214, earum militia sacra 111.
Mundities 127 seq.
Musica 101, instrumenta 192.

Nabal 189.
Naboth 234.
Nabuchodonosor occupat Jerusalem 231, 239, ejus somnium de statua 290, morbus 295.
Nachor 55.
Nadab sacerdos 91, 107, rex 232.
Nahum propheta 271.
Nathan propheta 192, scriptor 247.
Nathinaei 108.
Naturae cultus 172.
Naziraeatus 130.
Nebo mons 144, idolum 174.
Nebucadnezar vide Nabuchodonosor.
Necromantia 96.
Nehemias restaurator Jerus. 303, ejus liber 314.
Nemrod 48.
Neomeniae 112.
Nephilim 43.
Nephtar locus 304.
Nergal deus 174.
Nilus 72.
Nimrod = Nemrod.
Ninive 49, et Jonas 261, de Ninive destruenda vaticinatur Nahum 271.
Nisan initium anni eccles. 84.
Noe arca 46, sacrificium 47, vaticinium 47.
Noachicae leges 47.
Nuptiae hebraicae 136.
Numeri sacri 104.
Nummi 135.

Obed 183.
Obstetrices aegyptiae 79.
Ochozias rex 233.
Og rex 142.
Oleum sanctum 109.
Omri rex 233.
Onias pontifex 337, Onias IV. templum aegypt. condit. 337, 342.
Onkelos Targum 427.
Operculum arcae 103.
Oracula gentium diversa a vaticiniis 250.
Oratio inculcata per Legem 95.
Origenes, Hexapla 420.
Ornamenta muliebria 71.
Osee propheta 257, matrimonium ejus 257.
Othoniel 176.

Pacificia sacrificia 121.
Palaeontologia 26.
Palaestina postexilica 305, post Ch. divisa in 3 provincias 305.
Panes propositionis 102.
Paradisus, ejus situs 30, arbores 30, expulsio protoparentum e parad. 38.
Paralipomenon libri 311.
Paraphrases chaldaicae 426.
Paraschae 413.
Parisiensis codex 412.
Pascha, festi origo 84, ritus 114.
Paschalis agnus 84, 114.
Passerum sacrificium 122.
Patriarchae antediluviani 41, postdil. 48, aetas 48, in cujus annis numerandis differentia 48, causae longaevitatis 48, eorum cultura 70, fides in animae immortalitatem 70, 12 patriarch. testamenta apocryph. 401.
Peccati origo 34, peccatum originale 35, 333.
Pekach rex 235.
Pekachja rex 235.
Pentateuchus, nomen 145, argumentum, diviso 145, quando conscriptus 146, auctor unus Moyses 147, qui fontibus antiquis est usus 149; contra ejus authentiam objectiones 149, hypotheses de conscriptione 149, praeprimis pure rationalistica 149, axiopistia 155, ejus gravitas 156, vaticinia messiana in eo 156.

Pentateuchus samaritanus 407, ejus versio samar 419.
Pentecoste 115.
Peplum 139.
Peraea regio 306.
Persae eorumque regnum 231.
Personae sacrae 106.
Peschito versio 429, ejus auctores 430, recensiones 431.
Phaleg 50.
Phanuel 64.
Pharao obduratio cordis ejus 82.
Pharisaei 355, eorum doctrina 356, hypocritae 357, scholae 357.
Phase 84.
Pheresaei 161.
Philistaei 161, idolum Dagon 173.
Philo, opera ejus 4.
Philosophia Heb. erat theosophia 206.
Philoxeniana versio syriaca 431.
Phoenices 162.
Plagae aegyptiae 82.
Poenae 133.
Poësis sacra, species 202, forma 203, rhythmus 203, num in forma metrica 205, carmina alphabetica 205.
Politica instituta Israel 132.
Polyglotta Biblia 441.
Pompejus 341.
Pondera 135.
Pontifex 106, ejus vestimenta 108, munus 109.
Pontificatus hereditarius Simoni Mach. concessus 339.
Praeadamitae 33.
Pragmatismus religiosus 3.
Primitiae frugum 115.
Primogenita Jahvae sanctificata 132.
Primogenitura ejusque jura 62, 138.
Prophetae, eorum munera et nomina 245, distincti a vatibus gentilium 249, a pseudoprophetis 250, divisio eorum in majores et minores 253, in praeexilicos, exil. et postexil. 253; propheticae scholae 186.
Prophetismus cum regno simul introductus 186, 246, divisio in duas periodos 247, character supernaturalis 248, non acquiritur gratia 248, objectum 249, forma propheticae revelationis 251, stylus et actiones symbolicae 252, prospectus propheticus 253, causae cessationis prophetismi 323.
Propitiatorium 102.
Proselyti 133, 345.
Protoparentes in statu naturae integrae 28; eorum lapsus et poena 35, expulsio e paradiso 38, salvatio 39.
Protoevangelium 39.
Proverbiorum liber, argumentum et divisio 213, auctor Salomon 214, auctoritas ejus canonica 216, versio LXX differt a textu masorethico 216.
Psalterium 206, ejus divisio 207, auctor praecipuus David 207, tituli 208, num sint authentici 208, argumentum 210, Psalmi messiani 210, maledictorii 211, in evolvenda revelatione div. magni momenti 212, liber Ps. inspiratus et canonicus 212, usus in Synagoga et Ecclesia 213, textus ejusdem 213. Psalterium Salomonicum 400.
Pseudepigrapha 397.
Pseudoprophetae 250.
Puerpera 128.
Punctatio textus hebraici 405.
Purim festum 316.
Pythonissa Endorensis 189.

Rahab 163.
Raphael comitatur Tobiam 243, non est mentitus 244.
Redemptio, quare non statim effecta 39.
Reges Israel 233 seq., Juda 232 seq., Regum libri 299, scopus proph. hist. 300, auctor diversus ab eo LL. Sam. 300, character historicus 301.
Regia dignitas apud Israelitas 185, quare ejus postulatio Deo displicuerit 185.
Rehabeam rex 232.
Religio patriarcharum 70, evolutio veritatum post exilium 326.
Repudii libellus 137.
Resurrectio mortuorum 334.
Rig-Veda 6, 28.
Romani, cum quibus Judas Mach. foedus pepigit 341, eis Judaea tributaria 341.
Rosettae lapis 73.
Rubus ardens et non combusta 80.
Ruth historia 182, libri scopus 183, auctor 183, vera historia 184.

Saadia Gaon 12, versio arabica 443.
Sabae regina 197.
Sabaeismus 174.
Sabbatum, ejus origo 24, 112, quid praeceptum 112, magnum 113.
Sabbati iter 113, sabbaticus annus 113.
Sacerdotes, eorum consecratio et vestimenta 108, sacrificia 109, munus et jura 110, ante Moysen qui? 107, post exilium degeneraverunt 325.
Sacramenta A. T. 58, 109, 124, 126.
Sacrificia, eorum institutio 39, 117, notio 117, divisio 118, materia 118, ritus 118, agitatio et elevatio 120,

cruenta et incruenta 120, holocausta 120, expiatoria pro peccato et delicto 120, horum discrimen 120, pacifica 121, specialia 122, vaccae rufae 122, leprosi sanati 122, foederis 122, efficacia triplex 124 seq.
Sadducaei 357, doctrinae 357.
Sadoc pontifex 196.
Sal in sacrificiis 118.
Salmanassar 230, 236.
Salmona 141.
Salomon rex 196, sapientia et scientia ejus quaenam 197, magnificae fabricae 197, lapsus 198, poenitentia 198, fabricator templi 198, tria scripta quoad scopum 223, psalterium Salom. apocryphum 400.
Saltationes israelit. 191.
Samaria provincia 305, metropolis unde nomen habet 237, 305.
Samaritani, origo et historia eorum 237, Pentateuchum tantum venerantur 237, Chronicon sam. (Josue) 169, templum eorum in Garizim 237, 305, eversum a Joanne Hyrcano 237; odium inter eos et Judaeos 303.
Samaritanus Pentateuchus, de origine ejus sententiae 407, natales jam ante schisma quaerendae 408, auctoritas 409, variantes lectiones 409. Samaritana versio 428.
Samgar judex 176.
Samson judex 179, miracula ejus 179, num reus suae necis 180.
Samuel naziraeus 179, judex 184, ungit Saulem 185 et Davidem 187, instituit scholas propheticas 186, apparuit Sauli 189, Samuelis librorum auctor ignotus 280, continent vaticinia messiana 281, eorum fides historica 281, textus masorethicus mendis scatet 281.
Sanctissimum tabernaculi 102, templi salom. 201.
Sanctum tabernaculi 102, templi Sal. 201.
Sandalia 139.
Sanguinis esus interdictus 47, ultio 134, ipse piaculum animae 119.
Sanhedrin 324.
Sapientia increata et creata 214, 348, Salomonis 197, et philosophia Hebr. 206, Sapientia increata personalis 330, Sapientiales libri 214, 351.
Sapientiae libri 348, argumentum 348, auctor incertus 349, graece scriptus 350, auctoritatem canonicam 450 objectiones non evertunt 350.
Sara uxor Abrahae 56, 61, uxor Tobiae 243.
Satum-Seah 136.
Saul rex 184, a Deo juste reprobatus 187, Davidem persequitur 188, consulit pythonissam 189.
Scenopegia festum 115.
Schalisch 136.
Schallum rex 235.
Schammai schola de repudio 138.
Schechina 86.
Scheol 95, 333.
Schisma 10 tribuum 232.
Scriptura sacra, divisio 395, nomina 395, codices hebraici 410, graeci 412, textus divisio in Paraschas et Haphtaras 413, in capita et versus 414, lectio in linguis vernaculis 453, Stichica scribendi ratio 414, in Scripturam introductio 9, exegesis 12, scriptura cuneiformis 230, uncialis in M. S. graecis 412, quadrata 304.
Sectae Judaeorum, origo earum 355.
Sedecias rex 239.
Seleucidae 337, aera eorum 347.
Sem a patre benedictus 47, ejus posteri 51.
Semitae Palaestinae incolae 160.
Sennacherib 230.
Septenarius numerus 104.
Septuaginta (LXX) versio 415, quomodo orta 415, primo solus Pentateuchus translatus 416, dein alii libri a diversis versi 416, in dialecto communi 417, relatio ejus ad textum masoreth. 418, proprietates 418, auctoritas apud Judaeos 419, serius minuta 420, apud Christianos 419, non inspirata 419, textus hexaplaris 421, editio Palaestinensis 422, alterae recensiones 422, codices M. S. 410, editiones impressae 410.
Sepulcra Judaeorum 139, sepulcrales ceremoniae 139.
Serpens in paradiso 34, maledictus 37, aeneus in deserto 141, ab Ezechia destructus 236.
Servitus, leges quoad illam 138.
Servus Jahvae 269.
Seth 44, ejus genealogia 41.
Sextarius 135.
Sibyllina oracula 398.
Sicera 130.
Siclus 135.
Sidereus cultus Israeli prohibitus 174.
Sidonii 161.
Simeon exclusus a primogenitura 68, a Moyse benedictio ei non est data 145.
Simon, Machabaeus 339.
Sinaei mons 92, codex Sinaiticus 412.

Sion mons 191.
Sol ejus statio sub Josue 165.
Sodoma urbis interitus 59.
Sophonias propheta 273.
Sors aeterna, fides Jud. de illa 333.
Spiritus Jahvae 331.
Spithama 136.
Spolium Aegyptiorum 85.
Sponsalitium donum 136.
Sponsus, annuum privilegium ei concessum 137.
Stadium 136.
Stater 135.
Status polit. et relig. Judaeor. post exilium 324.
Stella ex Jacob 143.
Stichometria 414.
Subsidia historiae s. 6.
Susannae historia 295.
Symmachus 425, ejus versio 425.
Synagogae, earum origo 326, synagoga magna 324.
Synedrium, ejus origo 324, privilegia 324.
Syro-hexaplaris versio 431.
Syrorum imperium et religio 229.

Tabernaculum portatile 99, ejus partes 101, materia 99, symbolica et typica significatio 105, numeris et mensuris subest character symbolicus 104, tabernaculorum festum 115.
Tabeera 140.
Tabula ethnographica 50, geographicae 57.
Talaris 139.
Talentum 135.
Talionis lex 134.
Talmud unde constat 4, hierosolymitani leges criticae 405.
Tammuz ejusque cultus 173.
Targumim 426.
Templum Salomonicum 198, secundum Zerobabelicum 308, ab Herode exornatum 308, templi tributum 132, mensurae earumque lex 199, ejus pulchritudo 311, Templum in Aegypto 343. Templa idolorum 172.
Terachitae 161.
Teraphim penates 171.
Ternarius numerus signatura Dei 104, 327.
Testamentum 12 patriarcharum 401.
Tetrapla Origenis deperditum 413.
Textus hebraicus essentialiter integer 402, non accidentaliter 404, fata 404, divisio 413.
Thamar in genealogia Christi 67.
Theocratia, apud Hebraeos 93, ejus cives 133.
Theodotionis versio graeca 424, Danielis 295, 425.
Theophaniae 2.
Therapeutae 360, eorum doctrina et mores 360, relatio ad Essenos 361.
Thus unde compositum 102.
Tischri dies clangoris 113.
Titanes fabula de illis 43.
Tobias libri argumentum 242, textus originarius deperiit 243, versiones 243, historica veritas 243, auctoritas canonica 245.
Trachonitis 306.
Transitus maris rubri 85, ubi fuit 86, Jordanis 163.
Tribus Israel 77, abductae in Mediam 241, Assyriam 236, non redierunt integrae 242.
Tributum templi 132.
Trinitatis ss. mysterium in A. T. 23, 326 seq.
Tunica 139.
Typus ejus notio 2.

Ultio sanguinis 111, 134.
Ulphilas versio gothica, codex argenteus 447.
Uncialis scriptura 412.
Unitas generis humani 33.
Ur in Chaldaea 55.
Urias 192.
Urim et Thummim 109.
Usura vetita 134.
Uzias rex 235.

Vaca rufa 122.
Vaticanus codex 412.
Vaticinia 2, biblica diversa ab oraculis gentium 250, messiana 37, 47, 55, 67, 143, 193, 210, 214, 222, 228, 257, 259, 261, 268, 270, 271, 272, 275, 279, 281, 286, 287, 292, 320, 327, 363.
Variantes textus hebraici 404, variantium catalogus 407.
Vas aeneum tabernaculi 101, templi 200.
Versiones antiquae graecae: Alexandrina 415, Aquilae 424, Symmachi 425, Theodotionis 424, V. V. VII. 426, Veneta graeca 426 — chaldaicae 426, samaritana 428, syriacae 429. Latinae: Itala 431, Vulgata Hieronymi 435, aethiopica 446, arabica 443, armeniaca 447, coptica 446, georgica 447, gothica

447, persica 444, slavica 448, slovenica 448. Recentiores: anglicae 448, belgicae 450, gallicae 449, germanicae 452, hispanicae 450, hungaricae 451, italicae 449, polonicae 451, Lutheranorum 452, Versionum approbatio 456, lectio in linguis vernaculis 453.
Vestimenta homini data cur? 39, Israelitarum 139, sacerdotum 108.
Vexilla tribuum 93, Machabaeorum 339.
Victimae vide sacrificia.
Vinum in sacrificis 118, Palaestinae 160.
Virga Aaronis 140.
Virginitas in A. T. 111.
Virtutes 335.
Vitia 328, 336.
Vitulus aureus in deserto 92, vitulorum cultus 171.
Vota Judaeorum 64, 130, 177.
Vulgata latina 435, origo 436, lingua 436, fata 437, correctiones 438, a Concilio Tridentino authentica declarata 441, quo sensu 441, quos libros continet 443.

Xerxes Magnus = Assuerus 232.
Xystus in Jerusalem 307.

Zacharias propheta 320, libri argumentum et divisio 320, visiones nocturnae 321, integritas partis II. vindicata 321.
Zacharias rex 235.
Zedecias rex 239.
Zelotypiae lex 137.
Zendavesta 6.
Zimri rex 233.
Zorobabel reducit exules 302, aedificat templum 302, 309, promissio ei facta 320.



Atrium Sacerdotum cum templo Salomonico auctore Schiek.

Sumtibus Guilelmi Braumüller, Vindobonae et Lipsiae.

PALÄSTINA.

Beilage zu Zschokke, Historia sacra. A.T. Ed VI

II. GEGEND ZWISCHEN NAZARETH & TIBERIAS.
Maßstab 1:400.000
Kilometer
Deutsche geogr. Meilen (15=1°)
Maßstab 1:700.000
oder 10 Kilometer in der Natur = 14,285 Mm. auf der Karte.
Kilometer
Deutsche geogr. Meilen (15=1°)
Höhen- und Tiefenangaben in Metern.
MITTELLÄNDISCHES MEER
SAMARIA
JUDAEA
IDUMAEA
BAHR LŪT, TOTES MEER, SALZ-MEER
EDOM
Jāfā
Nābulus
Er-Ramle
Razze Gaza
El-Chalīl
El-Kuds Jerusalem
Bēt Lahm
Es-Salt
El-Kerak
Ḥamād (Steppe)
Orte von über 10.000, Orte von etwa 3000-10.000, Orte von etwa 500-3000 Einwohnern, Kleinere Orte
Christliche Klöster, Muslimische Heiligtümer, Ruinen
Die Schreibweise der arabischen Namen folgt dem Transcriptionssystem des Deutschen Palästina-Vereins; nur ist statt gh ' ' r gesetzt. Historische Namen in Lapidarschrift.
Perennierende Flüsse, Wadis, Quellen, Sümpfe, Sand, Lavaströme
Depression. Wege, Fahrbare Wege, Eisenbahn.
Die Tiefenzahlen des Toten Meeres u. des See's Genezareth (-400) beziehen sich auf das Niveau des Mittelländ. Meeres.
W.-Wādi (Thal), N.-Nahr (Fluss), Dsch.-Dschebel (Berg, Gebirge), T.-Tell (Berg, Hügel), Kal'-Kal'at (Schloss, Burg), Ch.-Chirbet (Ruine).
III. JERUSALEM.
I Christen-Viertel
II Armenisches
III Muslimisches
IV Juden-Viertel
V Haram esch-Scherif
1. Jafathor (Bāb el-Chalīl)
2. Damaskusthor (Bāb el-'Amūd)
3. Herodesthor (Bāb es-Sāhire)
4. Stephansthor (Bāb Sitti Marjam)
5. Goldnes Thor (Bāb ed-Dahērīje)
6. Mistthor (Bāb el-Murāribe)
7. Zionsthor (Bāb en-Nebi Dāūd)
7a Bāb 'Abdul Hamīd
8. Māristān I
9. Via Dolorosa III
10. Davidstrasse I II III IV
11. Klageplatz der Juden IV
12. Hauptbasar II III
13. Neuer Basar I
14. Patriarchenteich I
15. Bethesdateich III
16. Serai III
17. Österreichisches Hospiz III
18. Preuss. Johanniter Hosp. I III
19. Deutsches Hospital I
20. Rothschildsches IV
K. Christl. Klöster:
21. Grosses Armenisches II
22. Griechisches I
23. Neues I
24. Koptische Klöster I
+ Christl. Kirchen:
25. K. d. Heil. Grabes I
26. Erlöser-K. I
27. Engl. Christus-K. II
28. Frans. St. Annen-K. III
29. Armen. St. Jakobs-K. II
Moscheen:
30. El-Akṣā V
31. Felsendom (Kubbet es-Sachra) u. Kettendom (Kubbet es-Silsele) 32. V
33. Omar's Moschee I
S. Synagogen II & IV
Christl. Begräbnisplätze
Jüdische
Muslimische
Maßstab 1:20.000 (100 Meter in der Natur = 5 Mm. auf dem Plan.) Meter
Aufgefundene Strecken der alten Mauer
Vermutlicher Lauf der alten Mauer nach Guthe
Hinnom
Citadelle el-Kal'a
Russische Kolonie
Templer Kolonie
Dorf Siloa
Kafr Silwān
Kafr et-Tūr
Bearbeitet von Dr. Hans Fischer & Prof. Dr. H. Guthe
WILHELM BRAUMÜLLER IN WIEN UND LEIPZIG.
Geograph. Anst. von Wagner & Debes, Leipzig.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS445.Z75 C001
HISTORIA SACRA VETERIS TESTAMENTI, QUAM
3 0311 00015 7094

45359

BS
445
.Z75 45359

AUTHOR Zschokke, Hermann

TITLE HISTORIA SACRA ANTIQUI TESTAMENTI...

DATE	BORROWER'S NAME
1-19-90	OCLC# 4531801 - 154
3/6/90	000-12-0017

3 0311 00015 7094